PHILOLOGUS HEBRÆUS,

CONTINENS

QUÆSTIONES HEBRAICAS,

QUÆ

Circa Vetus Testamentum Hebræum fere moveri solent,

AUCTORE

JOHANNE LEUSDEN,

Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academia ULTRAJECTINA Professore Ordinario.

Editio tertia, cui integer Tractatus de sexcentis & tredecim Præceptis Mosaicis additur.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ OTTHONIS de VRIES, ANNO MDC XCIIII.

PHILOLOGUS HEBRÆUS,

CONTINENS

QUÆSTIONES HEBRAICAS,

QUÆ

Circa Vetus Testamentum Hebræum fere moveri solent,

AUCTORE

JOHANNE LEUSDEN,

Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academia ULTRAJECTINA Professore Ordinario.

Editio tertia, cui integer Tractatus de sexcentis & tredecim Præceptis Mosaicis additur.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ OTTHONIS de VRIES,
ANNO MDC XCIIII.

Excellentiſſimo, Illuſtriſſimo, Nobiliſſimoque

D O M I N O,

D. GODARTO ADRIANO

BARONI de REEDE,

Libero Toparchæ in Amerongen, Ginckel, Elſt, &c. Equiti Regii Ordinis Daniæ, qui ab Elephanto nomen habet; & ex Provincia Ultrajectina nomine Equeſtris Ordinis ad Conventum Præpotentium DD. Ordinum Fœderati Belgii Deputato, atque Eorundem nomine ad Sereniſſimos & Potentiſſimos Hiſpaniæ & Daniæ Reges, & noviſſimè ad ſereniſſimum Electorem Brandeburgicum Legato Extraordinario.



Am trigeſimus agitur annus, ex quo Tibi, Vir Excellentiſſime, (publica harum Unitarum Provinciarum negotia, apud Sereniſſimum & Poten-

tissimum Daniæ Regem, tanquam Legato extraordinario fœliciter curanti) hunc Philologum Hebræum prima vice inscripsi: & cum ejus exemplaria aliquandiu fuerint distracta, eumque secunda & jam tertia vice, prelo subjicere coactus fuerim, non possum non tertia hac vice eundem sub Illustrissimo tuo Nomine in publicum emittere. Nam, præterquam quod pervetusta & pervulgata consuetudine confirmatum sit, ut libri sub Magnorum & Illustrium Virorum Nominibus in publicum prodeant, Ipsisque dedicentur & inscribantur, causæ multæ & prægnantes sunt, quæ me ad hoc faciendum impulerunt; quas omnes si enarrare vellem, citius mihi aqua, quàm materia deesset: verum, plerisque omissis, tantummodo beneficia ab Excell^a. Vest^a. in me, meosque collata, ne ingratus viderer, in medium profero. Hæc, ut fronti hujus operis Nomen Excell^æ. Vest^æ. præponerem, me moverunt; quæ, quot, & quanta eadem fuerint, malim silentio prædicare, quàm, ut quondam de Augusto dicebat Suetonius, parcè & jejunè attingere: Quibus omnibus, etiamsi ex æquo me respondere posse diffidam, in parte tamen gratiarum reponendum est, non ingratum

gratum

gratum esse conari. Itaque obnixè flagito, ut Excell^a. Vest^a. hunc meum qualemcunque laborem in grati animi tesseram recipere minime dedignetur. Plura jam non addam, nisi quod Deum Ter Opt. Max. supplex flagitem, ut Excell^æ. Vest^æ. in bonum Reipublicæ & Ecclesiæ annos felices & Nestorios largiatur, & supra illos Nestorios post hanc vitam æternos in secula seculorum. Hæc medullitùs precor

Vestra Excellentia

Dabam in musæo meo
die 17 Martii.
A. cIↃ IↃC LXXXVI.

Devotissimus

JOHANNES LEUSDEN.



ALLOQUUTIO AD BENEVOLUM LECTOREM.



Abes hîc tertia vice, benevole Lector, Philologum Hebræum, in quo præcipuæ quæstiones generales Philologicæ, quæ circa Vetus Testamentum Hebræum, moveri solent, pertractantur. Voco hunc librum *Philologum*: quia erit sicuti vivus Philologus, qui te instar Magistri quæstiones Philologicas docebit. Voco eundem *Hebræum* Philologum: quia tractat quæstiones Hebraicas, concernentes linguam Hebræam, & Vetus Testamentum linguâ Hebræâ exaratum. In hoc Philologo Hebræo non allegavi longa testimonia Rabbinorum vel aliorum Auctorum, ne librum auctoritatibus & testimoniis allegandis implerem: nam curiosus lector poterit eadem de multis quæstionibus legere vel in Dissertationibus Buxtorfii, vel in Thesauro Philologico Hottingeri, ubi eadem fusè describuntur. Ordo quem hic observo, est arbitrarius. Primò ago de Appellationibus Veteris Testamenti; deinde de Divisionibus generalibus & specialibus; postea de Libris Veteris Testamenti in specie; deinceps de Literis & Vocalibus Veteris Testamenti; de ejus

linguâ

linguâ, atque ejusdem conservatione: denique de Masorâ, de Nominibus Dei, &c. Ego in his omnibus liberè meam sententiam proposui. Fortassè multa multis non placebunt: nam acria sunt Criticorum hujus ætatis ingenia, & Aristarchis ac Momis hoc sæculum abundat. Quod unus approbat, alter idem improbat, & vice versa. Sed ego authoritatem & incorruptibilitatem S. Scripturæ ubique conatus fui servare; & sequutus fui in his plerisque quæstionibus sententiam plerorumque saniorum Philologorum & Theologorum Reformatorum. Auctiorem & emendatiorem hunc Philologum secunda vice emisi: nam dies diem docet. Præmisi singulis Dissertationibus brevia Argumenta, ex quibus Lector primo intuitu videbit quid in tota Dissertatione contineatur. Deinde in omnibus & singulis Dissertationibus nonnulla mutavi, & quædam addidi. In specie adjeci Dissertationi vigesimæ quintæ Additamentum de Versiculis Veteris & Novi Testamenti, & trigesimæ tertiæ de כארי ex Psal. 22. 17. Denique post Dissertationem trigesimam quartam, quæ in prima editione erat ultima, adjunxi adhuc tres alias Dissertationes de Versione Pagnini. Huic tertiæ editioni adjicio sexcenta & tredecim Præcepta Mosaica per modum Tractatus specialis, qui etiam secundæ editioni poterit addi.

Vale, & laboribus meis fave.

INDEX

Dissertationum & Respondentium.

Resp.

LOCA

LOCA S. SCRIPTURÆ

Vindicata & quodammodo illustrata.

Jes.

	Jes.			Luc.	
Cap.	*Vers.*	*Pag.*	*Cap.*	*Vers.*	*Pag.*
XIV.	14	369.	X.	1	219
XIX.	18	246	XVIII.	12	43
XXIX.	11	101	XXIV.	44	14
XXXIV.	16	ibid.		Joh.	
			XIX	13	293
	Jer.			Actor.	
X.	11	92	VII.	14	218.
	Ezech.			42	63
I.	24	372	XI.	27	97
	Zeph.		XXI.	9	ib.
III.	9	225		40	239
	Matth.		XXII.	2	ib.
V	18	89. 134	XXVI.	14	ib.
VII.	24	104		Hebr.	
XXI.	25	370	VII.	3	231
XXV	5	50	XI.	37	61

EXIMII OPERIS,

AD

STUDIOSUM LECTOREM

Commendatio.

Ὃς κρύφι' ἐμφανίσει ἱερῆς μυστήρια γλώσσης,
Ῥηϊδίην τ' ἀβάτου δείξει ἐν ὄχθῳ ὁδόν,
Πάντα καὶ ἀμφιλόγου αἰνίγματα ῥῆστος οἴξει,
Τόνδε σοι ἥδε δίδωσι, χερσ' ἀναγνῶστα, βίβλος.
Τῶν πάλαι Ῥαββίνων πέλεται νέος ἐνθάδε ῥαββί,
Ἀρχαίης τε σοφῆς τ' Μαβρῆς Μαβρή.

Idem Latinè



Bdita qui sanctæ pandat mysteria linguæ,
Et monstret facilem per salebrosa viam,
Omniaque evolvat dubiosa ænigmata vocum;
Hunc dabit iste tibi, lector amice, liber.
Rabbinos inter veteres novus hîc tibi Rabbi,
Priscamque illustrans hîc Masora est Masoram.

ANT. ÆMILIUS.

E P I G R A M M A,

Ad Clariss. Doctissimumque VIRUM,

D. JOHANNEM LEUSDEN,

L. A. M. & Linguæ Sanctæ in Academiâ Ultrajectinâ Professorem,

EDENTEM

PHILOLOGUM SUUM HEBRÆUM.



Erdoctum nunc edis opus, Patriumque Lycæum
Ingenio pergis concelebrare tuo.
Vix tuus est Dias *Jonas* emissus in auras.
Confestim *Hebræus* gaudet adesse comes,
Enarrans varios ritus & quicquid Apella
Differit arcani Thalmudicis foliis.
Abdita subtili nimium quæ Massora Crisi,
Et Rabbinorum quæ schola tradit, habes.
Hebræi Sermonis Amans, qui noscere ritus,
Quos habet aut cæcus fingit Apella sibi,
Discupit; ille tuos semper, Vir docte, labores
Perlegat, & Linguam & Te benè doctus amet.

Hafniæ Danorum,
Idib. Octobr.
cIↃ IↃcLvI.

JOH. PETRI KUPIUS, *V. D. M. in Ecclesiâ Rhenensi, & p. t. Fœderati Belgii ad Sereniss. Daniæ Regem Legationi à Sacris.*

שיר

שיר פשוט ומחולק

לחור ולהדר

איש השם ראש בלמודי ישראל אתי

יוחנן לאושדן

מלמד של לשון הקדש בישיבה המהללה שבאותרכת
על אשר חבר את הספר היקר הזה
מדקדקי העברים :

לוחי אעיר שירה אשיר
על האדיר זה מלפנו
גם מלת פי מלת יופי
נופת צופי על רבינו:

כתר חמדים עליו אשים
ושמן אורים לשמים
מר אמרתי טל זמרתי
צוף שירתי כנהר מים:

הוא לפתיים הוא לכסילים
הוא לסכלים מרבה חכמה
דוקק תבל כל מתנבל
מלא תבל מכל ערמה:

הוא מאוצרות כל הלשונות
מלא תיבות לבותינו
מלות עברים מלות כשדים
גם אשורים מלותינו:

הוא שחורת כל התורה
המסורה הוא הראנו
שנקודים מקדמונים
מן הנביאים בחן לנו:

סופר מהיר הוא שמאיר
כאור בהיר את ענים
גם נפלאות בן ונכונות
מאותיות שם שמים:

חוי תלמידיו אל אמרותיו
אל דקדוקיו רבים באו
באו חפר את השפר
שבספר באו ראו:

אך אשרינו שלמדנו
כל חמדנו מספריך
אתה אדון בלתי קלון
יחיה זכרון מכתביך:

שרתי את השירה הזאת לארני ומלמדי

HERMANNUS WITZIUS.
SS. T. C.

Ad Eundem.



שון העברית לא חנם
נרומה מכל העולם
כי לא רק השם דיבר בה
אך גם כל חוזים כתבו בה


כל התורה גם כל מקרא
על־כן לשון קדוש נקרא
תמיד היו הרבה אישים
בלשון הקודש למודים

שגלו את סוד של עברים
לא רק בקול אך בכתבים
לא העדים צריכים לי
כי רבינו לאושרן עד לי

הוא גלה את סוד של עברים
קודם בקול פה בכתבים
פה תמצא מעשה מסורה
פה תראה סוד של קבלה

לא אפרוש כל ספר הזה
כי הרבה מפלאות בזה
אדום לא אוסיף הלולים
יעשו זאת אישים למודים

CORN. CUPERUS, Ultraj.



JOHANNES LEVSDEN.

HILOSOPHIÆ DOCTOR ET LINGVÆ SANCTÆ IN ACADEMI VLTRAJECTINA PROFESSOR.

ÆTATIS. LXI. A°. MDC LXXXVI.

PHILOLOGI HEBRÆI

DISSERTATIO PRIMA,

DE

Appellationibus & Textu Originali Veteris Testamenti.

I. De Apellationibus Veteris Testamenti.

Sectio I.



Etus Testamentum à Judæis ob dignitatem & excellentiam variis & insignibus condecoratur titulis, quorum aliqui desumuntur à præstantia & sanctitate materiæ, alii à distinctione versuum, alii à lectione, alii denique à numero librorum. De præcipuis & usitatioribus pauca in medium proferemus.

II. *Primus* titulus, quo Vetus T. à Judæis insignitur, est מִקְדָּשׁ יָהּ *Sanctuarium* sive *Sanctum Dei*; uti asserit Galatinus de Arcanis Cathol. Veritatis lib. 1. cap. 1. Quare Judæi Vetus T. vocarunt Sanctuarium? *Resp*. Ob sanctitatem materiæ. Nam eo titulo voluerunt indigitare magnam reverentiam & debitum honorem Veteri T. esse adhibendum. Sicuti enim temporibus Veteris T. non nisi sacratis, & secundùm legem ceremonialem purificatis patebat adytus ad sacrarium, ita judicarunt nullis licitum esse S. Scripturam pervolvere, nisi bene paratis, & summo quasi timore ac maxima devotione indutis. Hinc decreverunt & mandarunt, ne aliquis lectionem S. Scripturæ aggrederetur, nisi haberet animum ab omni fastu ac superbia vacuum, & nisi preces devotas ad Deum antea effudisset. Etiam interdixerunt, ne aliquis illotis manibus sacrum Codicem contrectaret; præcipuè postquam alvum exonerasset, vel urinam reddidisset. Præterea in signum reverentiæ, amoris & honoris sacrum Codicem, præcipuè manuscriptum, crebris osculis, quoties clauditur vel aperitur, excipiunt. Non audent Codicem sacrum libris profanis supponere, sed idem semper superiorem locum, etiam secundùm consuetudinem Judæorum, debet occupare; imo si totum Vetus Test. unico constet volumine, ita semper mensæ imponi debet, ut Pentateuchus sit superior ipsis Prophetis & Hagiographis. Adhuc majoris reverentiæ testandæ ergo non audent sedere in eodem scamno, in quo tam pretiosa Veteris T. cimelia jacent. Admodum etiam cavent, ne sacri Codices è manibus cadant: si enim forte fortuna è manibus in terram caderent, jejunium omnibus, qui hunc casum viderunt, indicendum esset; & metuendum, ne

ne totus terrarum orbis in pristinum chaos redigeretur. Vide de hoc titulo uberius disserentem Hottingerum in *Thes. Philol. pag.* 95.

III. Non dissimili honore & reverentia *Muhammedani* suum *Alkoranum* prosequuntur. Si enim particulam aliquam in terra jacentem inveniant, eandem tollunt, & sæpissimè deosculantur. Nam piaculare nefas esse putant, schedam, cui nomen *Dei* vel *Muhammedis* inscriptum est, pedibus conculcare. Præterea Muhammedani non audent Christianis aut Gentilibus ipsum Alkoranum vel ejus tantum particulam vendere ex metu, ne immundis manibus ab illis, utpote profanis hominibus, tractaretur; imo difficulter permittunt Christianis, Judæis, aliisque, ut eundem attingant. Si aliquis Alkorano ex improviso insideat, grande putant esse nefas; imo Christianis & Judæis aliquando esset capitale. Etiam ipsi Muhammedani vel extremis digitis Alkoranum attingere non audent, nisi bene loti & purgati fuerint: & propterea ne ex imprudentia peccarent, corio Alkorani exteriori majusculis literis inscribere solent hæc verba, אל ימסה אלא אלמטהר *Ne tangat, nisi mundus.* Pudore suffundi debent multi Christiani, qui sacram Scripturam vel parvi æstimant, vel suggillant, aut sannis excipiunt, quasi contineret multa inutilia, futilia, & generi humano non conducibilia aut necessaria. Tales hac in parte multo deteriores sunt ipsis recutitis Judæis & Turcis.

IV. *Secundus* titulus, quo Vetus Test. à Judæis nominatur, est כְּתֻבֵי הַקֹּדֶשׁ *Scripta sanctitatis*, vel סִפְרֵי הַקֹּדֶשׁ *Libri sanctitatis*; imitantibus, licèt nescientibus, in hac appellatione Apostolum in 2. ad *Tim.* cap. 3. v. 15. ubi vocavit scripta Veteris Fœderis *τὰ ἱερὰ γράμματα sacras literas*, & ad *Rom.* cap. 1. v. 2. *γραφὰς ἁγίας Scripturas sanctas.* Hi tituli Hebraici non minori jure Codici Hebræo conveniunt, quam antecedens; præcipuè propter tres rationes, quarum *prima* potest desumi ab Auctoribus: nam sacer Codex est conscriptus ab Auctoribus sanctis, hoc est, Prophetis, aliisque Viris prophetico Spiritu ductis. *Secunda* ratio desumitur à materia: quia præcepta & oracula divina Veteris Test. sunt omnia sancta. *Tertia* & ultima appellationis causa depromitur ab ipsa lingua: quia linguâ sanctâ, hoc est, Hebræâ Codex Hebræus exaratus est. Nulla enim lingua inter omnes linguas totius terrarum orbis titulo sanctitatis gaudet quàm lingua Hebræa, consentientibus non tantum Judæis sed etiam Christianis. Et nullus tam perfrictæ frontis aut præfractæ mentis fuit, qui hanc honoris & digni-

I. De Apellationibus Veteris Testamenti.

SECTIO I.



Etus Testamentum à Judæis ob dignitatem & excellentiam variis & insignibus condecoratur titulis, quorum aliqui desumuntur à præstantia & sanctitate materiæ, alii à distinctione versuum, alii à lectione, alii denique à numero librorum. De præcipuis & usitatioribus pauca in medium proferemus.

II. *Primus* titulus, quo Vetus T. à Judæis insignitur, est מִקְדָּשׁ יָהּ *Sanctuarium* sive *Sanctum Dei*; uti asserit Galatinus de Arcanis Cathol. Veritatis lib. 1. cap. 1. Quare Judæi Vetus T. vocarunt Sanctuarium? *Resp.* Ob sanctitatem materiæ. Nam eo titulo voluerunt indigitare magnam reverentiam & debitum honorem Veteri T. esse adhibendum. Sicuti enim temporibus Veteris T. non nisi sacratis, & secundùm legem ceremonialem purificatis patebat adytus ad sacrarium, ita judicarunt nullis licitum esse S. Scripturam pervolvere, nisi bene paratis, & summo quasi timore ac maxima devotione indutis. Hinc decreverunt & mandarunt, ne aliquis lectionem S. Scripturæ aggrederetur, nisi haberet animum ab omni fastu ac superbia vacuum, & nisi preces devotas ad Deum antea effudisset. Etiam interdixerunt, ne aliquis illotis manibus sacrum Codicem contrectaret; præcipuè postquam alvum exonerasset, vel urinam reddidisset. Præterea in signum reverentiæ, amoris & honoris sacrum Codicem, præcipuè manuscriptum, crebris osculis, quoties clauditur vel aperitur, excipiunt. Non audent Codicem sacrum libris profanis supponere, sed idem semper superiorem locum, etiam secundùm consuetudinem Judæorum, debet occupare; imo si totum Vetus Test. unico constet volumine, ita semper mensæ imponi debet, ut Pentateuchus sit superior ipsis Prophetis & Hagiographis. Adhuc majoris reverentiæ testandæ ergo non audent sedere in eodem scamno, in quo tam pretiosa Veteris T. cimelia jacent. Admodum etiam cavent, ne sacri Codices è manibus cadant: si enim forte fortuna è manibus in terram caderent, jejunium omnibus, qui hunc casum viderunt, indicendum esset; & metuendum, ne

ne totus terrarum orbis in pristinum chaos redigeretur. Vide de hoc titulo uberius disserentem Hottingerum in *Thes. Philol. pag.* 95.

III. Non dissimili honore & reverentia *Muhammedani* suum *Alkoranum* prosequuntur. Si enim particulam aliquam in terra jacentem inveniant, eandem tollunt, & sæpissimè deosculantur. Nam piaculare nefas esse putant, schedam, cui nomen *Dei* vel *Muhammedis* inscriptum est, pedibus conculcare. Præterea Muhammedani non audent Christianis aut Gentilibus ipsum Alkoranum vel ejus tantum particulam vendere ex metu, ne immundis manibus ab illis, utpote profanis hominibus, tractaretur; imo difficulter permittunt Christianis, Judæis, aliisque, ut eundem attingant. Si aliquis Alkorano ex improviso insideat, grande putant esse nefas; imo Christianis & Judæis aliquando esset capitale. Etiam ipsi Muhammedani vel extremis digitis Alkoranum attingere non audent, nisi bene loti & purgati fuerint: & propterea ne ex imprudentia peccarent, corio Alkorani exteriori majusculis literis inscribere solent hæc verba, אל ימסה אלא אלמטהר *Ne tangat, nisi mundus.* Pudore suffundi debent multi Christiani, qui sacram Scripturam vel parvi æstimant, vel suggillant, aut sannis excipiunt, quasi contineret multa inutilia, futilia, & generi humano non conducibilia aut necessaria. Tales hac in parte multo deteriores sunt ipsis recutitis Judæis & Turcis.

IV. *Secundus* titulus, quo Vetus Test. à Judæis nominatur, est כְּתֻבֵי הַקֹּדֶשׁ *Scripta sanctitatis*, vel סִפְרֵי הַקֹּדֶשׁ *Libri sanctitatis*; imitantibus, licèt nescientibus, in hac appellatione Apostolum in 2. ad *Tim.* cap. 3. v. 15. ubi vocavit scripta Veteris Fœderis *τὰ ἱερὰ γράμματα sacras literas*, & ad *Rom.* cap. 1. v. 2. *γραφὰς ἁγίας Scripturas sanctas.* Hi tituli Hebraici non minori jure Codici Hebræo conveniunt, quam antecedens; præcipuè propter tres rationes, quarum *prima* potest desumi ab Auctoribus: nam sacer Codex est conscriptus ab Auctoribus sanctis, hoc est, Prophetis, aliisque Viris prophetico Spiritu ductis. *Secunda* ratio desumitur à materia: quia præcepta & oracula divina Veteris Test. sunt omnia sancta. *Tertia* & ultima appellationis causa depromitur ab ipsa lingua: quia linguâ sanctâ, hoc est, Hebræâ Codex Hebræus exaratus est. Nulla enim lingua inter omnes linguas totius terrarum orbis titulo sanctitatis gaudet quàm lingua Hebræa, consentientibus non tantum Judæis sed etiam Christianis. Et nullus tam perfrictæ frontis aut præfractæ mentis fuit, qui hanc honoris & digni-

gnitatis laureolam & prærogativam huic linguæ ausus fuit detrahere & denegare.

V. *Tertius* titulus Veteris Test. in Scriptis Rabbinorum usitatus & tritus, est פָּסוּק *Pausa, Versus*. Hæc vox propriè significat versum Biblicum, sed per Synechdochen etiam totum Textum Biblicum Veteris Test. Hinc בַּעַל פָּסוּק est talis, qui est expeditus & versatus in Textu Biblico, & qui promptè novit Textu Biblico uti in loquendo vel in scribendo. Elias in Tisbi Rad. קרא, explicaturus quid sit קָרָאִי *Biblicus, exercitatus in Bibliis*, ait eum esse בַּעַל פָּסוּק *Dominum Pasuk*, hoc est, versatum & exercitatum in Bibliis. Vetus T. vocatur פָּסוּק *Versus*, vel quia à primâ origine in versus fuit distinctum; vel quia libri manuscripti, scilicet Pentateuchi & libri Estheræ, à Judæis communiter scribi solent tanquam unus versus absque ulla distinctione capitum & versuum. Talem Pentateuchum MS. & ejusmodi duos vel tres libros Estheræ in membrana nitidè descriptos possideo. Etiamsi libri manuscripti destituantur distinctione versuum, inde tamen nemo legitimâ consequentiâ probabit distinctionem versuum Hebraicorum, qui per accentum Silluk vel per geminata punctas Soph-pasuk distingui solent, esse inventum humanum. Nam infrà dissertatione tertia fusè probabimus distinctionem versuum esse Textui sacro additam vel ab ipsis sacris Scriptoribus vel ad minimum à Propheta Ezra.

Aliter sentimus de Versibus Novi Testamenti: nam illi demum superiori seculo sunt inventi, & Textui Græco additi; uti apparet ex omnibus Novis Testamentis Græcis ante annum 1550. editis; quæ omnia destituuntur distinctione versiculorum.

Hinc *quæritur*: Quis primus distinxit Novum Testamentum Græcum in hodiernos versiculos?

Resp. Hoc primus omnium fecit Robertus Stephanus, Parisiensis Typographus, Henrici Stephani parens, equitans per Galliam, scilicet Lutetiâ Lugdunum. Hoc testatur ipse filius Henricus in præfatione Concordantiarum Græcarum Novi T. Vide totum illum locum, ex Concordantiis verbotenus allegatum, in Philologo Græco pag. 20. Et paginâ 166. probatur, quod Novum T. Græcum primâ vice cum distinctione versiculorum à Roberto Stephano sit editum Parisiis anno 1551.

VI. Hi tituli antecedentes non sunt vulgares, nec his communi-

ter

ter Vetus Test. denominatur ; ideoque fere in desuetudinem abierunt : sed dantur duo alii tituli cæteris multo celebriores, qui & ipsis pueris & plebi Judaicæ sunt notissimi : scilicet מִקְרָא *Lectura* & עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה *Viginti quatuor*. *Prior* titulus ob brevitatem crebrò à Judæis usurpatur, *posterior* aliquando fronti Bibliorum præfigitur.

VII. *Quartus* igitur titulus, quo Vetus Test. à Judæis communiter nominatur, est מִקְרָא *Lectura*, descendens à Radice קרא *vocavit, legit*. Sic ait Elias in Tisbi, Radice קרא. רַבּוֹתֵינוּ קָרְאוּ לְכָל־הָעֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה מִקְרָא־לְעוֹלָם יְשַׁלֵּשׁ אָדָם שְׁנוֹתָיו שְׁלִישׁ בַּמִּקְרָא *Rabbini nostri vocant omnes libros* VIGINTI QUATUOR (h. e. Vetus T.) מקרא *lecturam* : — *In æternum dividat homo annos suos in tres partes, & tertiam partem impendat Bibliis*. Unde, quæso, hanc vocem desumpserunt ? Ex capitis 8. versiculo 9. Nehemiæ, ubi Propheta ait וַיָּבִינוּ בַּמִּקְרָא *& dabant intelligentiam per Scripturam*, sive per lecturam. Nehemias vocat S. Scripturam מִקְרָא *lecturam*, ut omnes homines officii admonerentur, & ad lectionem S. Scripturæ pellicerentur. Judæorum praxis semper demonstravit illam Nehemiæ denominationem sibi cordi esse : nam non tantum publice diebus *Saturni* lectiones *Sabbathinas* Pentateuchi legerunt, sed etiam diebus *Lunæ* & *Jovis* particulam ejusdem repetierunt, & adhuc hodie repetunt. Hæc consuetudo legendi S. Scripturam non nisi vi & tyrannide Judæis adempta fuit : attamen semper, quando potuerunt, S. Scripturam publicè legerunt. Etiam lectio S. *Scripturæ privata ipsis semper* tanquam summè necessaria fuit commendata; imo, ex lege Rabbinorum, singulis Israëlitis injunctum fuit propria manu totum Pentateuchum exscribere : tum ut ille altiores radices menti infigeret; tum etiam ut ex illa exscriptione necessitatem lectionis rectius intelligerent. Hinc Judæi, ad necessitatem lectionis magis demonstrandam, ab ineunte ætate filios suos ad lecturam sacri Codicis ablegarunt. Vide hoc mandatum in Tractatu Misnico, à me edito, vocato *Pirke Abhoth* cap. 5. בֶּן־חָמֵשׁ שָׁנִים לַמִּקְרָא *Filius quinque annorum ad Scripturam*, scilicet aptus est, vel adhibetur. Ibidem filius decem annorum ablegatur ad Mischnam; tredecim annorum ad præcepta legis observanda; quindecim annorum ad Gemaram; & octodecim denique annorum ad nuptias. Vide Lex. Talm. Buxtorfii in Radice קרא.

VIII. *Quintus* titulus Veteris T. in Scriptis Rabbinorum satis celebris, est עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה *Viginti quatuor*. Hic titulus sæpenumerò præfigitur

gitur fronti Bibliorum Hebraicorum, tum impressorum, tum etiam manuscriptorum; & originem desumpsit à numero librorum, qui in Veteri Test. continentur. Vide hunc titulum præfixum Bibliis Hebræis Janssonianis in octavo, impressis anno 1639. ubi sic legitur עשרים וארבעה והם חמשה חומשי תורה נביאים ראשונים ואחרונים וכתובים *Viginti quatuor*, scilicet libri Veteris T. *suntque quinque quintæ legis*, hoc est, Pentateuchus, *Prophetæ anteriores & posteriores, ac Hagiographa.*

De hoc titulo *quæritur*: Quare Rabbini vocant Codicem Hebræum *Viginti quatuor*, cum in universum in Veteri T. inveniantur libri *triginta novem*?

Respondeo. Rabbini quosdam libros parvos, quosdam duplices, quosdam ab eodem Auctore compositos ita conjunxerunt, ut inde emanaverit numerus *Viginti quatuor*.

IX. Libri Canonici Veteris T. non semper, respectu numeri, hoc titulo fuerunt insigniti; sed aliquando hic numerus fuit auctus, nonnunquam etiam diminutus. In universum *triplici* numerorum varietate libri Canonici Veteris Fæderis fuerunt supputati. Antiquiores Rabbini tantum *viginti duos* libros numerarunt, uti testatur Josephus contra Appionem lib. 1. Etiam Patribus hic numerus fuit notissimus. Eusebius ejus facit mentionem Hist. Eccl. lib. 6. cap. 18. *Non est ignorandum* viginti & duos *esse libros in Canone Veteris Testamenti.*

Hinc *quæritur*: Quare antiqui Rabbini præcisè *viginti duos* libros in Veteri T. numerarunt, & non plures, vel pauciores?

Respondeo. Ut subvenirent imbecillitati memoriæ. Antiqui Hebræi respexerunt ad Alphabetum Hebraicum, in quo sunt viginti duæ literæ, quibus omnia, quæ scribi dicique possunt, continentur. Quemadmodum numerus literarum facile retinetur, sic etiam numerus librorum facilè memoriæ adhæret. Atque eum in finem cuilibet literæ assignarunt librum, א denotabat *Genesin*, ב *Exodum*, ג *Leviticum*, ד *Numerorum* librum, ה *Deuteronomium*, & sic deinceps.

X. Alii Judæorum Doctores, scilicet recentiores, quales sunt Aben Ezra, Salomo Jarchi & David Kimchi, qui circa undecimum fere seculum vixerunt, & plerique alii Rabbini *viginti quatuor* libros Canonicos, Hebraico idiomate exaratos, supputarunt, sejungendo *Ruth* à libro *Judicum*, & *Threnos* à Jeremia.

Hinc *quæritur*: Ob quam causam recentiores Judæi numerum librorum

brorum Veteris T. auxerunt? Et ad quid respexerunt in hac supputatione?

Respondeo. Itidem ad numerum literarum Hebraicarum & ad triplex Jod Hebraicum respexerunt. Solebant enim antiqui Rabbini nomen Hebraicum quadriliterum JEHOVA triplicata literâ *Jod* compendiosè tali modo (⁛) indicare. Hoc testatur Galatinus Lib. 2. Cap. 10. Etiam ipse in libro Manuscripto Maimonidis, quem possideo, conscripto ante ducentos annos in nitida membrana, tale triplex Jod sæpissimè inveni.

Hinc *quæritur*: Quare olim Judæi nomen *Jehovâ* tali triplicatâ literâ Jod denotarunt?

Respondeo. Galatinus vult hoc factum esse ut *Trinitatis* mysterium denotaretur. Verum postea, fortè in odium Christianorum, Trinitatem defendentium, unum *Jod* est ademptum; & tali modo nomen Jehova (⁚) subscriptis duabus vocalibus, passim in Paraphrasibus *Chaldaicis* descriptum invenitur.

Nonnulli Græcorum etiam amplexi sunt hunc numerum, utpote aptissimè respondentem numero viginti quatuor literarum Græcarum. Hos sequuti sunt plerique Doctores Latini, tam prisci quàm recentiores, qui non respexerunt ad viginti quatuor literas Alphabeti Græci, sed ad mysticum illum numerum viginti quatuor *Seniorum*, qui in Apocalypsi introducuntur adorantes *Agnum* aperientem librum, septem sigillis obsignatum, Apocal. 4. v. 4.

XI. Denique nonnulli Judæorum *viginti septem* libros in Veteri T. numerarunt. Vide de hoc ultimo numero & de duobus præcedentibus Sixtum Senens. Biblioth. Sanc. lib. 1. pag. 2.

Hinc *quæritur*: Quæ causa illos Judæos movit, ob quam in tantum hunc numerum librorum auxerunt?

Respondeo. Hos moverunt *viginti septem* diversi characteres Hebraici, resultantes tum ex viginti duabus literis simplicibus, tùm etiam ex quinque finalibus sive duplicibus. Sunt enim in Alphabeto Hebraico quinque literæ geminatæ sive biformes, quæ in fine vocum aliter scribuntur quàm in principio & medio; scilicet כמנפץ, quæ unica voce, memoriæ causa, *Camnephatz* vocantur. His quinque characteribus duplicibus respondent quinque libri Veteris Test. duplices; videlicet duo libri *Samuelis*, duo *Regum*, duo *Chronicorum*, duo *Ezræ* (scil. liber *Ezræ* & liber *Nehemiæ*, qui communiter secundus liber Ezræ nominatur) & duo libri *Jeremiæ*, nempe ejus Prophetia & Lamentationes.

Sed

Sed parum refert, quantus librorum numerus constituatur, modò omnes libri Canonici retineantur, & nulli alieni addantur. De his titulis, & de paucis aliis vide differentem Cl. Hottingerum in Thes. Phil. Lib. 1. Cap. 2. Sect, 3.

XII. In hoc schemate exhibetur triplex modus supputandi libros Veteris T.

	Primus modus.			*Secundus modus.*			*Tertius modus.*	
1	א	*Genesis.*	1	א	*Gen.*	1	א	*Gen.*
2	ב	*Exodus.*	2	ב	*Exod.*	2	ב	*Exod.*
3	ג	*Leviticus.*	3	ג	*Levit.*	3	ג	*Lev.*
4	ד	*Numeror.*	4	ד	*Num.*	4	ד	*Num.*
5	ה	*Deuteron.*	5	ה	*Deut.*	5	ה	*Deut.*
6	ו	*Jos.*	6	ו	*Jos.*	6	ו'	*Jos.*
7	ז	*Jud. & Ruth.*	7	ז	*Jud.*	7	ז	*Jud.*
8	ח	*Samuel.*	8	ח	*Sam.*	8	ח	*Ruth.*
9	ט	*Regum.*	9	ט	*Reg.*	9	ט	1. *Sam.*
10	י	*Jesaias.*	10	י	*Jes.*	10	י	2. *Sam.*
11	כ	*Jer. & Thren.*	11	י	*Jer.*	11	כ	1. *Reg.*
12	ל	*Ezechiel.*	12	י	*Ezech.*	12	ך	2. *Reg.*
13	מ	12. *Proph. minor.*	13	כ	12. *Proph. min.*	13	ל	1. *Chron.*
14	נ	*Psalmi.*	14	ל	*Psalt.*	14	מ	2. *Chron.*
15	ס	*Proverb.*	15	מ	*Prov.*	15	ם	*Esra.*
16	ע	*Job.*	16	נ	*Job.*	16	נ	*Nehem.*
17	פ	*Daniel.*	17	ס	*Dan.*	17	ן	*Esth.*
18	צ	*Esra, Nehem.*	18	ע	*Esra, Neh.*	18	ס	*Job.*
19	ק	*Chronic.*	19	פ	*Chron.*	19	ע	*Psalt.*
20	ר	*Esth.*	20	צ	*Esth.*	20	פ	*Prov.*
21	ש	*Eccles.*	21	ק	*Ruth.*	21	ף	*Eccles.*
22	ת	*Cantic.*	22	ר	*Eccles.*	22	צ	*Cant.*
			23	ש	*Cant.*	23	ץ	*Jes.*
			24	ת	*Threni.*	24	ק	*Jer. cum Thren.*
						25	ר	*Ezech.*
						26	ש	*Dan.*
						27	ת	12. *Proph. min.*

XIII. Latini Codicem Hebræum vocant *Vetus Testamentum*, imitantes

tãtes Apostolum in 2. ad *Cor.* 3. 14. ubi τῆς παλαιᾶς διαθήκης *Veteris Testamenti* meminit.

Quæritur : Quare Sacer Codex vocatur *Testamentum*?

Respondeo : Tum quia sicuti in Testamento mens & scriptura testatoris, ita in hoc Codice voluntas Dei continetur ; tum etiam quia ibi describuntur pacta & conventa inter Deum & homines.

Nonnulli etiam S. Codicem vocant *Instrumentum* ; quia est instrumentum, per quod discimus voluntatem Dei, & quo mediante, tanquam instrumento, hæredes æternæ vitæ constituimur.

Quæritur: Quare Vetus T. appellatur Testamentum sive Instrumentum *Vetus*?

Respondeo 1. Ratione temporis: nam est prius Novo. 2. Ratione linguæ: constat enim veteri lingua, scil. Hebræa. 3. Ratione testium, videlicet Prophetarum, &c. Plura hîc non addo de hoc titulo: quia in Philologo Græco Dissert. 1. occasione Appellationum Novi T. ex professo de eo egi.

II. *De Textu Originali Veteris T.*

XIV. Quemadmodum in *Novo* Testamento Textus *Græcus*, ita in *Veteri* Textus *Hebræus* est primigenius & authenticus, exceptis paucis capitibus Danielis & Ezræ ac versu undecimo capitis decimi Jeremiæ, quæ Chaldaicè exarata sunt ; cujus diversitatis causam vide infrà *Dissert.* VIII.

XV. Ipsa sana ratio hanc assertionem sufficienter confirmat: nam illi Textus, scil. Hebræus in Veteri & Græcus in Novo Testamento, sunt scripti ab Auctoribus infallibilibus, scilicet à Prophetis, ab Euangelistis, & ab aliis Viris sanctis, qui infallibiliter à Spiritu Sancto ita directi fuere, ut in scribendo errare non potuerint : uti asseritur 2. *Petr.* 1. 21. *Non enim voluntate hominis allata est aliquando prophetia, sed à Spiritu Sancto acti, locuti sunt sancti Dei homines.* & 2. ad *Timot.* 3. 16. πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος *omnis scriptura divinitus inspirata est.*

XVI. Ecclesia primitiva idem etiam credidit & affirmavit. Inspiciantur *Eusebius* præpar. Euang. 8. 2. Historiæ Eccles. 3. 10. *Origines* apud Hieron. in Jes. 6. *Hilarius* Psal. 119. ad literam Lamed, aliique. *Hieronymus* in Epistola ad Vitalem ait se *ad Hebraicam veritatem tanquam ad arcem confugere* ; Similiter in Epistola ad Suniam & Fretellam in-

quit: *Sicut in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Novum Instrumentum scriptum est: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad Hebraicam recurrimus veritatem.* Et in caput VIII. Zachariæ: *Cogimur ad Hebræos recurrere, & scientiæ veritatem de fonte magis quam de rivulis quærere.*

XVII. Superiori præcipuè seculo, cum nonnulli ex Euangelicis Theologis ad ipsos fontes, præteritis versionibus, recurrerent, multi ex Pontificiis dicam ipsis fontibus scripserunt, accusaveruntque Judæos, quasi ex odio Christianorum ipsos Textus originarios corrupissent: uti sunt *Jacobus de Valentia* Præfat. in Psalt. *Lindanus* de optimo genere interpretandi cap. II. *Leo Castrius* in Apologetico, *Gordonus Huntlæus* Controv. tomo I. controv. I. c. 8. aliique quamplurimi. Sed his sese opposuerunt alii Doctores Romanenses cordatiores, ut *Johannes Isaac*, olim Professor Linguæ Hebrææ apud Colonienses celeberrimus, qui peculiari libro Lindanum refutavit? & *Arias Montanus* Præfat. in Biblia Interlin. Etiam *Galatinus*, disputaturus contra Judæos, in Præfatione & Indice libri de *Arcanis Catholicæ Veritatis*, expressè ait, se Textus sacræ Scripturæ juxta *Hebraicam veritatem* esse correcturum & expositurum; additque rationem: *Quia Christiana veritas longe perfectius apud Hebræos, quam in nostra sive Latina sive Græca editione fulget.* Vide plures similes Auctores in Antib. Bibl. Amamæ L. I. c. I.

XVIII. *Quæritur*. Quare Vetus Testamentum fuit exaratum linguâ Hebræâ, & Novum linguâ Græcâ?

Respondeo. I. De lingua Novi Testamenti jam non disseremus: tum quia de ea ex professo egimus in Philologo Græco Dissertatione secundâ; tum etiam quia hic tantum quæstiones præcipuè Hebraicas tractamus. 2. Vetus Testamentum primitus fuit conscriptum linguâ Hebraicâ, quia fuit exaratum in gratiam Israëlitarum linguâ Hebræâ utentium: sic ait Psalmista *Psal.* 147. 19. 20. *Qui annunciat verba sua Jacobo: statuta sua, & judicia sua Israëli. Non fecit sic ulli genti, & judicia ejus non cognoscunt.* Quod lingua Hebræa usque ad confusionem linguarum sola fuerit in mundo, apparet ex *Gen.* II. I. *Tota terra erat labii unius & verborum eorundem*; & deinceps etiam eadem fuit usitata & vernacula inter Israelitas temporibus Mosis, Abrahami, Saulis, Davidis, Salomonis, aliorumque Regum Israelis usque ad captivita-

vitatem Babylonicam: quod probatur tum ex nominibus propriis personarum & locorum, quæ omnia sunt Hebraica; tum etiam ex petitione ministrorum Regis Hiskiæ, dicentium 2 *Reg.* 18. 26. *Alloquere servos tuos Aramicè*, hoc est, Chaldaicè, *quia nos intelligimus*; *neque alloquitor nos Judaicè*, h. e. Hebraicè, *audiente populo hoc, qui est super murum.* Ergo hoc tempore populi vernacula Lingua fuit Judaica, hoc est, Hebraica. Vide hoc pluribus infra confirmatum Dissertatione vigesimâ.

XIX. Hinc *primò* concludimus: Ergo major fides his originalibus archetypis jure adhibetur, quàm omnibus aliarum linguarum versionibus, interpretationibus & explicationibus; Textus Originales nonnunquam in perversum & alienum sensum detorquentibus. Ratio est manifesta: nam omnes aliæ versiones, interpretationes & explicationes sunt translatæ & compositæ ab hominibus errori obnoxiis, qui & potuerunt hallucinari, & sæpissimè etiam hallucinati sunt.

XX. *Secundò* concludimus: Ergo etiam nullæ versiones, licèt antiquissimæ, & à nonnullis Ecclesiis approbatæ, possunt esse regula vitæ & morum infallibilis. In genere versiones possunt quidem quodammodo vocari authenticæ materialiter, quatenus cum ipsis fontibus originariis conveniunt: sed ipsi Textus originales sunt authentici materialiter & formaliter, hoc est, materia est authentica, etiam forma, hoc est, ipsæ voces, phrases & modus loquendi. Et ut verbis Gretzeri defens. Bellarm. pag. 520. utar: *Et res & verba à Spiritu sancto dictata sunt*; quod in translationibus non contingit.

XXI. In specie non est authentica *versio Latina* Pontificiorum, (quæ unica voce *Vulgata* vocatur) licèt in Concilio Tridentino sit canonizata. Nam, præterquam quod nulla ecclesia possit textum non authenticum facere authenticum, eumque tanquam divinum & infallibilem canonizare, etiam eo tempore adhuc multis scatebat vitiis, & adhuc scatet. Sixtus V. innumera vitia correxit, & biennio post Clemens VIII. vitia nonnulla, relicta à Sixto V. emendavit. Isidorus Clarius octo vitiorum millia in sua vulgata editione secundùm Textum originalem restituit. Sed adhuc scatet vitiis & solœcismis. Exemplum unum instar omnium occurrit Gen. 3. 15. ubi habetur *Ipsa conteret*, cum in Textu Originali habeatur הוּא יְשׁוּפְךָ *ipse*, scil. Christus, vel *ipsum* semen *conteret*. Vide cætera fusius in Philologo

Mixto Dissert. 1. Non *obstat*, si quis regerat, Versionem Latinam esse valde antiquam. Nam Textus Hebræus est antiquior; & non tantum omnes versiones, sed etiam omnia scripta humana antiquitate sua longè superat. Deinde antiquitas per se non potest ullam editionem, per se non authenticam, facere authenticam.

XXII. Nec titulus authentiæ, competit *Versioni Græcæ*, quæ vulgò Lxx. Interpretum appellatur. Nam præterquam quod non habeat auctorem infallibilem, etiam in multis non convenit cum Textu Hebræo originali. Exemplo sint verba Jonæ *cap. 3. versu 4. Et clamavit & dixit* Jonas עוֹד אַרְבָּעִים יוֹם וְנִינְוֵה נֶהְפָּכֶת Adhuc Quadraginta dies, et Nineve subvertetur: ubi versio illa famosissima habet ἔτι τρεῖς ἡμέραι *adhuc tres dies*, &c. Absurdi ergo sunt, qui judicant Textum Hebræum ex versione illa Græca esse corrigendum, vel hanc illi esse præferendam. Auctoritas, quæ versioni Græcæ conciliata est, innititur fabulis confictis de Lxx. cellulis, & de summo consensu Interpretum. Vide totam historiam Versionis Græcæ in Philologo Mixto Dissert. 2. 3. 4.

XXIII. Etiam *Versioni Chaldaicæ*, unicâ voce *Targum* vocatæ, ea prærogativa authentiæ non competit. Rationes, suprà allatæ, militantes contra versiones omnes, etiam militant contra hanc. In multis non tam est versio quàm paraphrasis. Aliquando in nonnullis libris pro decem vocibus Hebraicis voces Chaldaicæ viginti, triginta, vel etiam plures substituuntur. Non tamen Versio Chaldaica est contemnenda, sed magnum præstat usum: tum in textibus difficilioribus explicandis; (nam ubi Judæi bene, ibi nemo melius) tum etiam in refutandis Judæis. Nam Judæi fere Paraphrases Chaldaicas pro Scriptis Authenticis recipiunt, neque eas fere rejiciunt, nisi sub prætextu corruptionis in hoc vel illo loco admissæ. Ex tribus enim Scriptis Judæi refutari possunt, scilicet ex Veteri Testamento, ex Paraphrasibus Chaldaicis, & ex Talmude. Cætera, videlicet auctores, antiquitatem & alia, quæ de Targumim dici poterunt, vide in Philologo Mixto Dissert. 5. 6. 7.

XXIV. De throno authentiæ etiam detrudendus est *Textus Samaritanus* Pentateuchi, quem Johannes Morinus non tantum Textui Hebræo *æqualem*, *sed infinitis modis superiorem esse contendit*. Quibus, quæso, rationibus? Ridiculis & nugatoriis, quibus recensendis & refutandis non opus est tempus terere. Hottingerus enim eum, pro authen-

authentico hoc Pentateucho Samaritano militantem, in Exercitatione Antimoriniana ita ad incitas redegit, ut manus tradere debuerit. Inspice dissert. 8. Philologi Mixti.

XXV. Agmen claudat *Versio nova Belgica*, jussu & sumptibus DD. Ordinum Generalium Belgii, atque decreto Synodi Dordracenæ translata. Ea, licèt summa cum diligentia ex ipsis fontibus sit composita, non potest tamen inter textus Originales numerari. Equidem non credo dari in toto mundo ullam versionem, quæ cum ipsis fontibus magis convenit, quàm hæc ipsa versio Belgica: nihilominus in locis controversis, quia auctores non fuerunt infallibiles, semper est recurrendum ad ipsos fontes.

Tutius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Vide totam historiam versionis Belgicæ, & nomina Interpretum ac Revisorum in Philologo Mixto Dissert. 10. & 11.

XXVI. Hinc jam ultro sequitur, quod consequentia illa sit absurda, quam nonnulli formant tali modo: Fontes originales sunt corrupti, quia differunt à versionibus aliarum linguarum. Nam consequentia est invertenda: Versiones sunt corruptæ, quia non conveniunt cum ipsis Fontibus originalibus. Aliter enim esset, ac si quis cursum solis ex inordinato cursu horologii emendare vellet; cum è contra cursus horologii ex cursu solis ordinato sit corrigendus & restituendus.

DISSERTATIO SECUNDA, DE

Divisionibus generalibus Veteris Test. & de Appellationibus librorum.

§. 1. *Divisiones Veteris T. sunt variæ.*
2. *Divisio V. Test. apud Græcos usitata, recensetur.*
3. *Eaque improbatur.*
4. *Judæorum divisio, etiam trimembris, describitur.*
5. *Prophetæ 12. minores supputantur pro unico Propheta.*
6. *Causa appellationum Legis, Prophetarum & Hagiographorum.*
7. *Judæi secundam partem V. T. vocarunt potius Prophetas quam Prophetias.*
8. *Rationes dantur, quare quatuor Prophetæ vocentur anteriores, & totidem posteriores.*
9. *Tertia pars V. T. continet Hagiogra-*

I. De divisionibus generalibus Veteris Test.

SECTIO I.



DIvisiones Veteris Testamenti sunt variæ, quarum aliæ longius à veritatis recto tramite discedunt; aliæ verò propriùs ad veritatem accedere videntur. Omnes illas divisiones non recensebimus & enucleabimus, sed tantummodo divisiones celebriores, & speciem aliquam veritatis habentes perambulabimus, & ad veritatis lancem examinabimus.

II. Prima divisio Veteris T. est quorundam *Græcorum*, qui illud in tres partes diviserunt; scil. in libros Legis, in libros Prophetarum, & in libros Psalmorum sive carminum.

Sub libris *Legis* comprehenduntur quinque Libri Mosis, scil. *Genesis*, *Exodus*, *Leviticus*, *Numeri*, *Deuteronomium*.

Sub Libris *Prophetarum* continentur tredecim, nempe: *Josua*, *Judicum*, *Ruth*, libri *Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum*, *Esdras*, *Esther*, *Jesaias*, *Jeremias*, *Threni*, *Ezechiel*, *Daniel*, & duodecim *Prophetæ minores*.

Sub libris *Psalmorum* sive Carminum recensentur hi quinque libri: *Job*, *Psalmi Davidis*, *Proverbia*, *Ecclesiastes*, & *Canticum Canticorum*.

Ad hanc partitionem, secundùm nonnullos, videtur Salvator noster respexisse *Lucæ* 24. *versu* 44. cum ait: *Oportet impleri omnia, quæ de me scripta sunt in Lege Mosis, in Prophetis, & in Psalmis.* Putant enim Christum per Psalmos intellexisse illos quinque libros hymnorum sive carminum.

III. *Quæritur*: An hæc divisio Veteris T. in has tres partes sit legitima? Et an Christus eam *Luc. cap.* 24. *v.* 44. approbaverit?

Respondeo 1. Ea divisio non est legitima: nam libri Historici, ut liber

liber *Judicum*, libri *Samuelis*, *Regum*, *Chronicorum*, aliique vocantur Prophetici sive Prophetæ, quum sint revera Historici, & multùm differant à Propheticis propriè sic dictis.

Dices: Judæi non vocant libros Josuæ, Judicum, &c. libros Propheticos, sed Prophetas.

Resp. Itidem malè. Illi enim libri non possunt vocari Prophetæ, contradistinctè ad alios libros: nam Scriptor Pentateuchi & Auctores quorundam Hagiographorum etiam sunt Prophetæ.

2. Christus non approbavit hanc divisionem, sed tantummodò divisionem, inter Græcos fortè usitatam, allegavit.

3. Responderi potest (quod mihi etiam maximè verosimile videtur) Christum *Luc.* 24. 44. nullam mentionem facere librorum Historicorum, vel quorundam Hagiographorum: quia in illis libris non ita continentur prædictiones de futuro Messia, quàm quidem in libris Mosis, in libris Prophetarum, & in Psalmis. Christus ergo fortè per Psalmos intellexit Psalmos propriè dictos, & non præter Psalmos etiam cæteros libros hymnorum, scil. *Jobum, Proverbia, Ecclesiasten* & *Canticum Canticorum*.

IV. Altera divisio, usitata præcipuè apud veteres & recentiores *Judæos*, ac apud nonnullos Priscos Latinos, est itidem in partes tres, sed à primâ divisione parumper discrepantes; scil. in תּוֹרָה *Legem*, in נְבִיאִים *Prophetas*, & in כְּתוּבִים *Hagiographa*.

Prima pars, quæ dicitur תּוֹרָה *Lex*, comprehendit omnes libros Mosis, qui pro diversitate materiæ dividuntur in quinque libros, qui Hebraicè vocantur:

בְּרֵאשִׁית	*Genesis.*	בְּמִדְבַּר	*Numeri.*
שְׁמוֹת	*Exodus.*	אֵלֶּה הַדְּבָרִים	*Deuteronomium.*
וַיִּקְרָא	*Leviticus.*		

Secunda pars continet נְבִיאִים *Prophetas*, qui subdividuntur in quatuor רִאשׁוֹנִים *Anteriores*, & in totidem אַחֲרוֹנִים *Posteriores*.

Prophetæ רִאשׁוֹנִים *Anteriores* sunt hi sequentes:

יְהוֹשֻׁעַ	*Josua.*	שְׁמוּאֵל	*Samuel.*
שׁוֹפְטִים	*Judices.*	מְלָכִים	*Regum.*

Prophetæ אַחֲרוֹנִים *Posteriores* sunt sequentes: scil: tres majores & duodecim minores.

יְשַׁעְיָהוּ	*Jesaias.*	מִיכָה	*Micha.*
יִרְמְיָהוּ	*Jeremias.*	נַחוּם	*Nahum.*
יְחֶזְקֵאל	*Ezechiel.*	חֲבַקּוּק	*Habakuk.*
הוֹשֵׁעַ	*Hoseas.*	צְפַנְיָה	*Zephanias.*
יוֹאֵל	*Joël.*	חַגַּי	*Haggæus.*
עָמוֹס	*Amos.*	זְכַרְיָה	*Zacharias.*
עֹבַדְיָה	*Obadias.*	מַלְאָכִי	*Malachias.*
יוֹנָה	*Jonas.*		

V. Duodecim Prophetæ posteriores ab Hozeâ usque ad Malachiam, aliàs vocati *Prophetæ minores*, à Judæis numerari solent pro unico Propheta; & sic Prophetæ tam Anteriores quam Posteriores constituuntur tantum quatuor. Hebræi in titulis librorum vocant hos duodecim Prophetas minores Chaldaicè תְּרֵי עֲשַׂר, hoc est, *duodecim*: quia totidem sunt libri, si singuli separatim numerentur.

VI. *Primò quæritur*: Quare veteres Judæi primam Veteris T. partem vocarunt תּוֹרָה *Legem*, secundam נְבִיאִים *Prophetas*, & tertiam כְּתוּבִים *Hagiographa*?

Respondeo ad 1. Quia in Pentateucho continentur præcepta, secundùm quæ unusquisque vitam suam instituere debet.

Ad 2. Quia Prophetæ illos libros conscripserunt.

Ad 3. Quia Judæi crediderunt libros Hagiographorum non fuisse traditos per os, sed scriptos in libro.

VII. *Secundò quæritur*: Quare Judæi secundam partem Veteris T. potius vocarunt Prophetas quàm prophetias?

Respondeo. Quia in secunda parte Veteris T. multæ historiæ, quæ propriè non sunt prophetiæ; & in tertia parte multæ prophetiæ continentur. Si enim secundam Veteris T. partem prophetias vocassent, tum historias exclusissent; præterea omnes prophetias, occurrentes in Hagiographis, non comprehendissent.

VIII. *Tertiò quæritur*: Quare quatuor primi libri vocantur Prophetæ *Anteriores*, & quatuor sequentes Prophetæ *Posteriores*?

Respondeo, Propter duas rationes. 1. Quia in Prophetis *Anterioribus* agitur de primis Prophetis, qui prioribus temporibus vixerunt; scil. de Samuele, de Elia, de Elisæo, & de multis aliis, qui longo temporis intervallo vixerunt ante Jesaiam, ante Jeremiam, & ante cæteros Prophetas, quorum prophetiæ describuntur in posterioribus Prophetis.

2. Quia

2. Quia *Anteriores* Prophetæ narrant rem ante gestam, non futuram; quum è contra *Posteriores* plerumque describant non rem jam gestam, sed post aliquod tempus demum futuram.

IX. Jam sequuntur כְּתוּבִים *Hagiographa*, quæ Epiphanius vertit γραφεῖα. Hæc sic dicuntur, שֶׁהֵם כְּתוּבִים בְּרוּחַ הַקֹּדֶשׁ *quia scripta sunt per Spiritum sanctum*, id est, per immediatum Spiritus sancti instinctum, non autem Spiritu prophetico, aut per prophetiam propriè sic dictam.

Fortasse *objiciet* nonnemo, quod Libri Legales & multi Prophetici etiam tali modo conscripti sint.

Resp. Judæi hanc objectionem sic conantur solvere: quod hi libri ideo speciatim vocentur כְּתוּבִים *Hagiographi*, quia non per somnium, per visionem, per auditionem alicujus vocis, vel per ecstasin, aut per alienationem mentis scripti sunt, ut pleraque Scripta Prophetarum scripta dicuntur: sed quia per Spiritum S. immediatè Auctoribus integris sensibus & sententiis dictati & instillati esse dicuntur.

X. Hæc tertia pars Veteris T. vocata כְּתוּבִים, comprehendit hos undecim sequentes libros, qui nominantur:

תְּהִלִּים	*Psalmi.*	קֹהֶלֶת	*Ecclesiastes.*
מִשְׁלֵי	*Proverbia.*	מְגִלַּת אֶסְתֵּר	*Volumen Esther.*
אִיּוֹב	*Job.*	דָּנִיֵּאל	*Daniel.*
שִׁיר הַשִּׁירִים	*Canticum Canticorum.*	עֶזְרָא	*Esdras.*
רוּת	*Ruth.*	נְחֶמְיָה	*Nehemias.*
אֵיכָה	*Threni.*	דִּבְרֵי הַיָּמִים	*Chronica.*

Hìc quidem recensentur duodecim libri, sed *Esras* & *Nehemias* vulgò numerantur à Judæis pro unico libro. Alii Auctores, qui dixerunt tantum dari viginti duos libros in Veteri T. assignarunt *Hagiographis* solummodo novem libros: sed illi addiderunt *Ruth* ad librum *Judicum*, propter historiæ continuationem, & *Threnos Jeremiæ* ad *Jeremiam*, utpote eorundem Auctorem.

XI. Libri Veteris T. in nonnullis Bibliis Hebraicis, scil. in Bibliis Buxtorfii in folio, in Bibliis non punctatis, & in præstantissimis ac correctissimis illis Bibliis anno 1667. à me per Josephum Athiam editis, secundùm hanc triplicem divisionem imprimuntur, & impressi disponuntur. Attamen in quamplurimis aliis Bibliis Hebraicis hic

ordo non ita strictè observatur: nam inter undecim Hagiographos sunt quinque libri, Hebraicè vocati חֲמֵשׁ מְגִלּוֹת, QUINQUE VOLUMINA; videlicet *Canticum Canticorum*, *Ruth*, *Threni*, *Ecclesiastes* & *Esther*, qui in plerisque aliis Bibliis Hebraicis immediatè post quinque libros Mosis compinguntur.

XII. *Primò quæritur*: Ob quam causam hi quinque libri in multis Bibliis non inter Hagiographos, ad quos pertinent, sed immediatè post libros Mosis compinguntur?

Respondeo. Judæi singulis annis solent publicè in Synagogis quinque libros Mosis prælegere; & quia iidem singulis annis, certis quibusdam festis, etiam hos quinque nominatos libros, scil. Canticum, Ruth, Threnos, Ecclesiasten & Esther publicè ibidem prælegunt, ideo solent hos quinque libros in plerisque Bibliis immediatè libris Mosaicis adjungere.

XIII. *Secundò quæritur*: Quando Judæi prælegunt hos quinque libellos?

Respondeo 1. *Canticum Canticorum* clarâ voce prælegunt in festo Paschatis. Quare? Quia illi festo hæc materia læta quodammodo convenit. Liber Hebræo-Germanicus, *Minhagim* vocatus, docet pag. 27. Canticum propterea speciatim prælegi, quia in eo fit mentio liberationis Ægyptiacæ.

2. Historiam *Ruthæ* legunt in festo Pentecostes sive Hebdomadarum; quia in illo libro agitur de frugibus terræ, quarum primitias tum temporis offerre soliti fuerunt.

3. *Lamentationes Jeremiæ* legunt die nono mensis אב *Julii*; quia statuunt hoc die Templum primum & secundum igne immisso periisse. Etiam asserunt hoc eodem die decretum Divinum contra Patres in deserto delitescentes editum esse, quod non ingressuri essent in Terram promissam. Propter hanc causam hoc die signa tristitiæ ostentant, nudis pedibus incedunt, humi sedent, tam molli lecto non cubant ac soliti sunt, & qui duobus pulvillis antea usus fuit, nunc unico contentus esse debet.

4. *Ecclesiasten* recitant mense Septembri, in festo Tabernaculorum; quia sicuti hoc festum est signum, quod Patres læti & contenti fuerint habitare in Tabernaculis, ita hic liber docet omnia esse vana, & unumquemque debere lætari, & contentum esse iis, quæ Deus largitur.

5. *Esthe-*

5. *Estheram* sonorâ voce prælegunt in festo *Purim*, quod celebratur die 14. & 15. *Februarii*; quia hoc tempore liberatio Judæorum accidit. Nam Haman voluit omnes Judæos, per totum Assueri regnum dispersos, è medio tollere. Hujus liberationis historia clarè enarratur in libro Estheræ. Hæc ergo lectio annua in causa est, quare hi quinque libri sæpè ab Hagiographis segregentur, & post libros Legales compingantur.

XIV. *Tertiò quæritur*: Quis fuit primus Auctor hujus triplicis divisionis Veteris T.?

Respondeo. Judæi Ezram Prophetam hujus triplicis divisionis constituunt primum auctorem & inventorem. Sed quia hoc absque ulla probatione Illi adscribitur, ideo eâdem facilitate rejicitur, quâ asseritur Nos illam quæstionem non determinamus: nam non putamus primum Auctorem hujus divisionis esse notum. Ut ut sit, hæc divisio secundùm sententiam Christianorum & Judæorum est admodum antiqua; & ad minimum temporibus Christi putatur fuisse usitata. Christiani, qui antiquitatem hujus divisionis probant, in medium proferunt verba Christi ex Euangelio Lucæ capite 24. commate 44. jam retrò sectione secundâ allegata. Per Psalmos enim existimant Christum intellexisse omnes Hagiographos: tum quia liber Psalmorum est primus liber Hagiographorum; tum etiam, quia est liber præcipuus & præstantissimus inter Hagiographos.

XV. *Quartò quæritur*: An hæc divisio est satis concinna?

Respondeo. Non est satis concinna & congrua. Nam 1. Libri *Josue*, *Judicum*, *Samuelis* & *Regum* merè historici vocantur Prophetici sive Prophetæ. 2. Quia liber Propheticus Danielis à Propheticis separatur, & Hagiographis annumeratur; cum Daniel expresse à Matthæo, cap. 24. vers. 15. Prophetæ nomine condecoretur, quando ait: *Cum ergo videritis abominationem desolationis dictam à Daniele Propheta*, &c. Deinde quod Daniel revera Prophetis sit annumerandus, patet ex ipsius libro, in quo & tempus adventus Messiæ & multæ aliæ prophetiæ clarissimè describuntur.

XVI. Ultima divisio Veteris T. quæ duabus antecedentibus multis parasangis est præferenda, à recentioribus *Latinis* Doctoribus in quatuor partes, scil. in *Legalem*, in *Historicam*, in *Poëticam* sive *Doctrinalem*, & in *Propheticam* digesta est.

Prima pars Legalis comprehendit quinque libros Mosis jam aliquoties citatos.

Secunda pars Historica includit novem historicos, qui ordine sequuntur; suntque *Josua*, *Judicum*, *Ruth*, libri *Samuelis*, libri *Regum*, libri *Chronicorum*, *Ezras*, *Nehemias* & *Esther*.

Tertia pars Poëtica sive *Doctrinalis* continet libros doctrinales, sapientiales vel poëticos; suntque numero quinque, scilicet *Job*, *Psalmi*, *Proverbia*, *Ecclesiastes* & *Canticum Canticorum*.

Ultima pars Prophetica comprehendit septendecim libros Propheticos, qui sunt *Jesaias*, *Jeremias*, *Threni*, *Ezechiel*, *Daniel*, & *duodecim Prophetæ minores*.

Hæc divisio cum materiâ Veteris T. apprimè convenit: ideoque multis rationibus ejus bonitatem probare, & verborum lenociniis eam sapidam cujusque palato reddere, supervacaneum existimo; præcipuè cum Biblia Latina, Biblia Belgica, & omnia cætera aliarum linguarum Occidentalium Biblia, scilicet quoad Vetus Testamentum, secundùm hanc quadruplicem divisionem sint disposita

XVII. Ut unico intuitu Græcorum, Hebræorum & Latinorum divisio conspici possit, placuit eam hîc juxta invicem exhibere.

Græcorum divisio trimembris.	*Judæorum divisio trimembris.*	*Latinorum divisio quadrimembris.*
1. Lex.	1. Lex.	1. Legales.
Genesis.	*Gen.*	*Gen.*
Exodus.	*Exod.*	*Exod.*
Leviticus.	*Levit.*	*Lev.*
Numeri.	*Num.*	*Num.*
Deuteronomium.	*Deut.*	*Deut.*
2. Prophetæ.	2. Prophetæ anter.	2. Historici.
Josua.	*Josua.*	*Josua.*
Judicum.	*Jud.*	*Jud.*
Ruth.	*Sam.*	*Ruth.*
Samuel.	*Reg.*	*Sam.*
Regum.	Prophetæ poster.	*Reg.*
Chronicorum.	*Jes.*	*Chron.*
Esdras.	*Jer.*	*Esdras.*
Esther.	*Ezech.*	*Nehem.*

Jesaias.

Jesaias.
Jeremias.
Threni.
Ezechiel.
Daniel.
12. *Prophetæ minores.*
3. Psalmi.
Job.
Psalmi.
Proverbia.
Ecclesiastes.
Canticum

12. *Prophetæ min.*
3. Hagiographa.
Psalmi.
Proverbia.
Job.
Cantic.
Ruth.
Threni.
Eccles.
Esther.
Dan.
Esdras.
Nehemias.
Chronica.

Esther.
3. Doctrinales *sive* Poëtici.
Job.
Psalmi.
Proverb.
Eccles.
Canticum.
4. Prophetici.
Jes.
Jer.
Threni.
Ezech.
Dan.
12. *Prophetæ minor.*

XVIII. Jam ex hac diversa librorum divisione non difficile erit respondere roganti: Quare libri Veteris Test. in Bibliis Hebraicis alio ordine disponantur, quàm in Bibliis Belgicis, in Latinis, & in aliis innumeris fere versionibus? Nam ejus diversitatis hæc est ratio: quia Judæi in imprimendis & disponendis Bibliis Hebraicis sequuntur triplicem divisionem, quâ Vetus Test. dividitur in תּוֹרָה, נְבִיאִים, & כְּתוּבִים, hoc est, in *Legem, Prophetas,* & *Hagiographa*; & secundùm hanc *triplicem divisionem* Biblia imprimunt, eorumque libros disponunt. Verum Latini, Belgæ, aliique Interpretes sequuntur hanc quadruplicem divisionem, quippe recentiorem, materiæque magis convenientem; & secundùm hanc quadruplicem Veteris T. divisionem libros etiam disponunt.

II. *De Appellationibus Librorum Veteris T.*

XIX. Quia in antecedentibus creberrimam Librorum Veteris Testamenti, Hebraïcè & Latinè, feci mentionem, non abs re facturum esse arbitror, si hîc levi brachio describam, & enumerem fontes, unde appellationes Librorum Veteris T. desumantur. In universum sunt tres fontes, unde Libri Hebraici denominationem suam accipiunt.

1. Quidam libri Veteris T. denominantur vel à primâ voce libri, vel à primâ ejus maximè emphaticâ voce. Hinc sex libri Hebraici (vel septem, si משלי *Proverbia* includantur) tali titulo coronantur; scil. quinque libri Mosis & Threni Jeremiæ: ex gr. *Genesis*, primus liber Mosis, vocatur בְּרֵאשִׁית *in principio*, quia ille liber ab hac voce incipit. Similiter *Threni Jeremiæ* nominantur אֵיכָה à prima voce libri, qui sic incipit אֵיכָה יָשְׁבָה *Quomodo sedet* &c.? Sed Deuteronomium vocatur בְּמִדְבַּר *in deserto*, non à prima voce libri, sed à quinta ejus voce, utpote maxime emphaticâ. Talis consuetudo indendi nomina etiam est trita in lingua Latina & Belgica, non quidem in nominibus librorum, sed in aliis appellationibus: verbi gratia, *Oratio Dominica* vocatur *Pater noster* à primis vocibus, & *Duodecim Articuli fidei* brevitatis causâ titulo *Credo* aliquando insigniuntur.

2. Nonnulli libri nomen acceperunt ab Auctore: ut *Jesaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, *Hoseas*, *Joël*, *Amos*, & plurimi alii, qui sic denominantur, non quia prima vox ita sonat, sed quia illi horum librorum sunt Auctores.

3. Nonnullis libris nomen inditum est à materiâ, de quâ in illis libris agitur: ex gr. Liber Judicum vocatur שֹׁפְטִים *Judices*; non quia Judices sunt Auctores illius libri, sed quia in illo libro agitur de judicibus. Ob eandem causam libri *Esthera*, *Rutha*, *Regum* talibus titulis gaudent; quia historia illarum personarum in illis libris tractatur.

XX. Unde, obsecro, desumuntur appellationes librorum V. T. in Bibliis Latinis, Belgicis, aliisque?

Resp. Tantum vel ab Auctoribus sive Scriptoribus, vel à materia, de qua in illis libris agitur.

DISSERTATIO TERTIA, DE Divisione Versuum & Capitum Veteris T.

§. 1. *Tres specialiores divisiones sequuntur describendæ.*

2. *Græcorum & veterum Latinorum distinctio versuum V. T. est obsoleta.*

3. 4. *Quæritur: An distinctio versuum V. T. sit authentica? Eliæ & Kabbalistarum sententia proponitur & rejicitur.*

5. *Authentia distinctionis versuum quatuor rationibus confirmatur.*

6. *Conclusio.*

7. *Maso*

7. *Masorethar um studium circa versus.*
8. *Judæi quatuor penultimos versus in Bibliis Hebraicis repetunt scribendo, legendo & imprimendo. Rationes adduntur.*
9. *Distinctio capitum V. T. demum ante quingentos annos est inventa.*
10. *Psalterium in Psalmos est distinctum ab ipsis auctoribus.*
11. *Auctor distinctionis capitum V. T. est ignotus.*
12. *Judæi distinctionem capitum approbant & usurpant.*
13. *In Bibliis Junii & Tremellii subinde est gemina distinctio ejusdem capitis. Ratio ejus diversitatis additur.*
14. *In omnibus Bibliis Hebraicis non observatur eadem distinctio capitum.*

I. *De divisione Versuum Veteris Test.*

SECTIO I.



Peragravimus superiori dissertatione tres generaliores divisiones Veteris Testamenti; subsequuntur jam tres specialiores, quarum duæ priores toti Veteri Testamento, singulisque ejus libris conveniunt, ultima verò soli Mosis Pentateucho. Duas priores hâc dissertatione, & ultimam dissertatione sequenti perambulabimus.

II. Prima divisio in partes numerosissimas, conveniens toti Veteri Testamento singulisque ejus libris, est illa, quâ Vetus Test. dividitur in Versus. Hebraicè versus Biblicus vocatur פָּסוּק, à פָּסַק *cessare, finem habere.* Versus enim est sententiæ absolutio & finis.

Hæc divisio versuum apud omnes non fuit eadem. Alia enim fuit partitio versuum apud Græcos & Latinos veteres; alia verò apud hodiernos Judæos. Græci & veteres Latini distinxerunt versus pari dictionum numero, conscribentes in quolibet ferè versu sex dictiones partim monosyllabas, partim polysyllabas. Vide Biblioth. Sixti Sen. pag. 189 qui ex Augustino talem versuum divisionem probat. Hæc versuum distinctio, Augustino nota, in desuetudinem abiit.

III. Verum antiqui & hodierni Judæi, ac recentiores Latini in distinguendis versibus neque numerum dictionum attenderunt, neque cola aut commata orationis observarunt; sed veterem consuetudinem, Majorum auctoritate & Rabbinorum traditione suffultam, sequuti sunt. Multi ex Judæis nullam aliam hodiernæ distributionis versuum rationem proferunt, quàm illam, quod statuant Esdram Prophetam & Viros Synagogæ magnæ, Divino Spiritu afflatos, Vetus T. hoc pacto divisisse.

IV. De

IV. De hodierna divisione versuum *quæritur*. An divisio versuum Veteris T. facta per accentum Silluk, vel per duo crassiora puncta, Soph-pasuk appellata, sit authentica, id est, An ab ipsis Auctoribus librorum sit profecta?

Respondeo 1. Judæus Elias Levita, natione Germanus, qui superiori sæculo vixit, & multorum librorum editione clarus fuit, asserit in *Præfatione tertia libri Masoreth*, ex sententia multorum Rabbinorum, totam Legem fuisse olim quasi unicum versum, sive unam sententiam absque ulla versuum distinctione. Addit præterea hanc divisionem versuum quadringentis ac triginta & sex annis post ultimum sanctæ Urbis excidium à Masorethis Tyberiensibus esse inventam. Sic enim ibidem fatur. אֱמֶת הוּא שֶׁאֵין בּוֹ סָפֵק שֶׁזֹּאת הַתּוֹרָה אֲשֶׁר שָׂם מֹשֶׁה לִפְנֵי בְּנֵי יִשְׂרָאֵל הָיָה סֵפֶר פָּשׁוּט בְּלִי נִקּוּד וּבְלִי טְעָמִים וּבְלִי סִימָנֵי סוֹפֵי פְסוּקִים כַּאֲשֶׁר אֲנַחְנוּ ראִים הַיּוֹם וּלְפִי דַּעַת בַּעֲלֵי הַקַּבָּלָה כָּל־הַתּוֹרָה הִיא כְּפָסוּק אֶחָד וְיֵשׁ אוֹמְרִים תֵּיבָה אַחַת׃ *Verum est, nec in eo dubium ullum, istam Legem quam proposuit Moses filiis Israëlis, fuiße librum simplicem, absque punctatione & accentibus, etiam absque signis finis versuum, prout hodie videmus. Imo, juxta sententiam Kabbalistarum, fuit tota Lex ut versus unus, aut ut quidam dicunt, ut dictio una.* Imo juxta Kabbalistarum sententiam fuit totus Pentateuchus ut unica dictio, absque ulla distinctione capitum, versiculorum vel dictionum.

Verum haud cassa nuce dignum est hujus audaculi Judæi, & aliorum, fæces illius sorbentium, effatum. Parum quidem refert, etiamsi negemus distinctionem versuum esse à Mose, modò statuamus eam esse ab Ezra, & à Viris Synagogæ magnæ, & non à Masorethis Tyberiensibus, qui demum post quintum seculum à nativitate Christi vixerunt. Indubitatum quidem est, quod exemplaria Mosis & Estheræ, in omnibus Judæorum Synagogis asservari solita, sint absque ulla distinctione versuum: attamen inde nullâ bonâ consequentiâ probatur, vel Mosis & Estheræ prima exemplaria ita fuisse conscripta, vel in iisdem libris divisionem versuum demum inventam esse à Masorethis Tyberiensibus. Præterea delirium Kabbalistarum est, statuere Mosis Legem fuisse scriptam instar unius dictionis; & quemadmodum hoc absque ulla probatione affirmatur, ita etiam à nobis idem rejicitur.

Respondeo 2. Nos, moti nonnullis valde probabilibus argumentis, putamus distinctionem versuum Veteris T. esse additam vel ab ipsis Aucto-

Auctoribus librorum, vel ad minimum ab Esdra Propheta & à Viris Synagogæ magnæ, non verò à Masorethis Tyberiensibus.

V. Hæc sententia hisce sequentibus rationibus probatur; quarum *prima* est desumpta ab auctoritatibus Judæorum. Opponimus enim huic Apellæ Eliæ & omnibus Kabbalistis chorum & nubem Rabbinorum, multis passibus ab his dissentientium, & asserentium distinctionem Veteris Test. in versiculos esse ultimæ antiquitatis, id est, vel ab *ipsis* Auctoribus librorum, vel ad minimum ab Esdra Propheta institutam, qui sexto fere seculo ante nativitatem Christi vixit. Nam vix unus invenitur Judæus, qui statuit distinctionem versuum esse inventam à Masorethis Tyberiensibus, præterquam ille Judæus Elias: sed omnes unanimi consensu eam distinctionem adscribunt Mosi & cæteris Scriptoribus Veteris T. vel ad minimum Prophetæ Esræ & Viris Synagogæ magnæ. Imo, *ipso* Elia teste, Talmudistæ ipsi Mosi adscribunt distinctionem versuum in Pentateucho: scil. in Tractatu Megilla Cap. 3. fol. 22. כָּל פְּסוּקָא דְּלָא פְּסָקֵיהּ מֹשֶׁה אֲנַן לָא פָּסְקִינַן לֵיהּ *Quemcunque versum non distinxit Moses, nos etiam non distinguimus eum.*

Secunda ratio, confirmans quod distinctio versuum non demum sit inventa à Masorethis Tyberiensibus, uti vult Elias, desumitur ex Hieronymo, qui circa quartum seculum à nato Christo vixit. Ille enim in Præfatione Chronicorum & Jesaiæ mentionem facit distinctionis versuum; & de Prophetis, quia versibus erant distincti, & descripti, præmonet, ne propterea aliquis putaret Prophetas metro *ligari*. Etiam idem Hieronymus alibi asserit, quod ad utilitatem legentium easdem commatum incisiones, quas in Textu Hebræo invenerat, in translatione sua Latina servaverit. Ex hac mentione versuum, apud Hieronymum facta, utpote qui vixit diu ante tempora Masoretharum Tyberiensium, clarissimè colligimus distinctiones versuum non esse à Masorethis Tyberiensibus.

Tertia ratio deducit ad absurdum. Si enim distinctiones versuum non essent ab ipsis Auctoribus librorum, vel ab Ezra Propheta, sed ab hominibus errori obnoxiis: ergo etiam multæ vocales essent immutatæ ab iisdem hominibus. Sed falsum est consequens. Ratio consequentiæ hæc est: quia accentus *Silluk*, faciens finem versuum, mutat multas breves vocales in longas; ut *Patach* & *Segol* in *Kametz*, *Scheva* in *Segol*, & sic deinceps: ex. gr. *Psal.* 1. 1. occurrit verbum יָשָׁב cum Kametz pro יָשַׁב cum Patach propter accentum *Silluk*.

Sic *Psal.* 5. 8. in בְּיִרְאָתֶךָ Sægol scribitur pro *Scheva* propter accentum Silluk. Hanc vocalium mutationem satis intelligunt, qui extremis labiis hanc linguam degustarunt. Si ergo accentus *Silluk*, distinguentes versus, non fuissent additi ab ipsis Auctoribus librorum: ergo etiam vocales breves, loco hodiernarum vocalium longarum, essent ab ipsis Auctoribus adscriptæ: & per consequens vocales antiquæ breves essent mutatæ à Masorethis illis Tyberiensibus in vocales longas; quod nemo facilè concedet, qui authentiam vocalium defendit.

Quarta ratio ex Talmude desumitur. Distinctio versuum non est à Masorethis Tyberiensibus: quia in Talmude creberrima fit mentio versuum Veteris T. imo, quod magis est, etiam in Misna. Sic enim legitur in Megilla cap. 1. fol. 3. וַיִּקְרְאוּ בַסֵּפֶר בְּתוֹרַת הָאֱלֹהִים מְפֹרָשׁ וְשׂוֹם שֶׂכֶל וַיָּבִינוּ בַּמִּקְרָא: —— וְשׂוֹם שֶׂכֶל אֵלּוּ הַפְּסוּקִים: *Et legerunt in libro illo, in Lege Dei explanatè, & apposuerunt intellectum, & intellexerunt lectionem. —— Et apposuerunt intellectum; isti fuerunt versus.*

R. Jehuda, qui anno Christi circiter 150. Legem Oralem Judæorum in unum Volumen, quod jam Misna vocatur, collegit, in Megilla Cap. 3. ita inquit: הַקּוֹרֵא בַתּוֹרָה לֹא יִפְחוֹת מִשְּׁלֹשָׁה פְסוּקִים לֹא יִקְרָא לַמְּתוּרְגְּמָן יוֹתֵר מִפָּסוּק אֶחָד וּבַנָּבִיא שְׁלֹשָׁה: *Qui legit in Lege* (scil. publicè in Synagoga) *non leget minus quam tres versus: non leget interpreti Chaldæo magis quam versum unum, & in Prophetis tres.* Vide ea loca pluribus explicata in Tyberiade Buxt. Cap. 8.

Illi qui numerarunt omnes versus in Lege, & medium versum in Psalmis vocantur à Talmudistis רִאשׁוֹנִים *Priores, Prisci.* Vide talem locum satis prolixum ex Talmudis Tractatu Kidduschim cap. 1. fol. 30. allegatum à Buxtorfio in Tyber. cap. citato. Ex his exemplis meridiana luce clarius evincitur distinctionem versuum Masorethis Tyberiensibus, qui demum circa sextum seculum à nato Christo vixerunt, esse antiquiorem.

VI. Ex his omnibus clarè probamus distinctionem versuum in Veteri T. non esse inventam à Masorethis Tyberiensibus, qui demum post quingentesimum annum Christi vixerunt; sed potius ab ipsis Auctoribus librorum, vel ad minimum ab Esdra Propheta. Largâ quidem manu concedimus multa antiquissima Bibliorum Hebraicorum exemplaria, quæ distinctionibus versiculorum destituta erant, fuisse olim conscripta, vel in lucem edita: attamen inde non sequitur,

quod

quod à primâ suâ origine Vetus T. in versus non fuerit distinctum. Alioquin eodem jure liceret argumentari: multa antiqua exemplaria punctis vocalium & accentuum carentia in bibliothecis fuerunt asservata; ergo Biblia tali modo ab Auctoribus fuerunt composita, & posteritati relicta. Sed illa consequentia nullo modo procedit. Nonnulla Biblia, in principio superioris seculi à Bombergo edita, destituuntur quidem in margine literis numeralibus, quibus jam versus solent numerari; attamen ubique in ipso Textu adduntur accentus *Silluk*, & post Silluk etiam Soph-pasuk, distinguentes versus. Plantinus etiam in multis Bibliis non distinxit singulos versus, sed tantum literis numeralibus quintum quemlibet versum in margine annotavit: nihilominus omnes cæteri versus fuerunt eodem modo distincti, uti in Bibliis Bombergianis.

VII. Verum quidem est, quòd Masorethæ antiquiores & fortasse etiam recentiores Tyberienses operam suam impenderint circa versus, non quidem eosdem distinguendo, sed numerando; *Primò* per singulos libros Biblicos; *Secundò* in Pentateucho Mosis juxta singulas ejus sectiones majores, quæ tribus majusculis פפפ vel ססס indicantur; *Tertiò* rimati sunt, eheu! quam indefesso labore, & curiosa curiositate, in singulis versibus, quoties talis vel talis litera Alphabeti occurreret; *Denique* etiam singulorum librorum medium versum annotarunt. Singulorum dabo unum atque alterum exemplum.

Primus liber Mosis בְּרֵאשִׁית *Genesis*, secundùm Criticam Masorethарum, comprehendit versus אֿ͏ךֿ לֿ͏דֿ 1534. שְׁמוֹת *Exodus* continet versus אֿרֿ͏טֿ 1209. וַיִּקְרָא *Leviticus* continet versus נֿ͏טֿ͏תֿ 859. & sic deinceps, prout in calce illorum librorum videre est.

Deinde prima sectio בראשית includit versus קֿ͏מֿ͏וֿ 146. secunda sectio נח habet versus קֿ͏נֿ͏גֿ 153.; qui numerus versuum post singulas sectiones in Bibliis Majoribus Buxtorfii annotatur.

Præterea à Masorethis numerantur viginti sex versus, in quorum singulis omnes literæ Alphabethi extant; & inter hos occurrit unicus versus, qui præter omnes Alphabeti literas simplices, etiam quinque finales habet: ut *Zephaniæ* cap. 3. v. 8. qui sic sonat; לָכֵן חַכּוּ־לִי נְאֻם־יְהוָה לְיוֹם קוּמִי לְעַד כִּי מִשְׁפָּטִי לֶאֱסֹף גּוֹיִם לְקָבְצִי מַמְלָכוֹת לִשְׁפֹּךְ עֲלֵיהֶם זַעְמִי כֹּל חֲרוֹן אַפִּי כִּי בְּאֵשׁ קִנְאָתִי תֵּאָכֵל כָּל־הָאָרֶץ: Ad hæc: Duo versus sunt in Lege, qui incipiunt à Litera ס *Samech*. Tres versus sunt, quorum singuli habent octoginta literas, &c.

Denique medius versus singulorum librorum fuit annotatus: ex. gr. *Gen.* 27. 40. invenitur medius versus Geneseos. Psalmorum medius versus est *Psal.* 78. 36. & sic deinceps. Qui cupit plura, adeat Buxtorfii opus Masorethicum. Ex his videmus, Masorethas variis modis circa versus versatos fuisse.

VIII. Præterea Masorethæ docuerunt penultimos versus in quatuor libris, scil. in *Jesaia*, in *Malachia*, in *Threnis* & in *Ecclesiaste* esse repetendos, atque sine vocalibus esse imprimendos.

Quæritur: Quare Hebræi in Bibliis hodiernis Hebraicis solent absque punctis repetere & imprimere quatuor illos penultimos versus?

Respondeo. Ob duas causas, quarum *prior* hæc est. Judæi solent hos versus & scribendo & legendo repetere boni ominis & consolationis causâ. Quatuor enim ultimi versus illorum librorum exeunt vel in minas tristes & horribiles, vel in pœnas, quibus Deus punivit populum suum; verum penultimi versus illorum librorum enarrant bonum populi, vel benedictionem aliquam, quæ tristes lectores refocillat. Causa ergo prima repetitionis hæc est: ne lectores, lectis his maledictionibus ac horribilibus vaticiniis, quæ versibus ultimis comprehenduntur, tristes discederent; sed è contra ut refocillati lætioribus benedictionibus, quæ versibus penultimis continentur, læti & hilares abirent. Ex. gr. Ultimus versus in Threnis Jeremiæ sic sonat: *Nam an omnino sperneres nos, effervesceres contra nos admodum*? Hic versus non narrat læta; ideo repetunt versum penultimum sic sonantem: *Restitue nos Jehova, ut revertamur, renova dies nostros*.

Posterior causa, ob quam, ex nonnullorum sententia, hi versus legendo & scribendo repetuntur, est desumpta à dignitate & præstantia istorum penultimorum versuum; quasi Hebræi hac repetitione voluerint indicare eos versus à lectoribus assiduè & perpetuo esse ruminandos & repetendos.

Hi quatuor libri, in quibus penultimus versus repetitur, denotantur quatuor literis י״תקק, quæ in fine Ecclesiastis videri possunt. *Jod* significat *Jesaiam*; ת denotat תְּרֵי עֲשַׂר *Duodecim*, scil. Prophetas minores, id est, in fine duodecim Prophetarum minorum, sive in Malachia penultimus versus repetitur; ק prius denotat קִינוֹת *Lamentationes Jeremiæ*; ק alterum significat קֹהֶלֶת *Ecclesiasten*. Judæi in his quatuor libris penultimos versus de novo abscribunt & imprimunt; & quidem sine punctis, ut denotetur illos quatuor versus

non

non esse additos ab ipsis Prophetis & Auctoribus librorum, sed à curiosulis & nugivendulis quibusdam Scribis.

II. *De Distinctione Capitum V.T.*

IX. Altera divisio toti Veteri T. conveniens, sed in partes pauciores, quàm prima, est, qua Vetus T. dividitur in פְּרָקִים *capita.*

De distinctione Capitum Veteris T. *primò* quæritur: An Auctores librorum etiam sint Auctores distinctionis Capitum?

Respondeo. Divisio Capitum jam usitata nec ab ipsis Auctoribus est, nec ab Ezra Propheta. Totus Pentateuchus à prima sua origine tantummodo in Versus fuit distinctus. Ipse Moses, qui auctor est Pentateuchi, non distinxit Pentateuchum in quinque libros, in quos jam divisus est, nec in Capita. Reliqui Prophetæ & sancti Scriptores etiam non addiderunt distinctionem Capitum in singulis libris jam usitatam. Divisio Capitum hodierna valde antiqua non est: nam ante quingentos præter propter annos, si fides Sixto Senensi habenda est, nullus liber Veteris T. vel Hebraicus vel Græcus distinctionem Capitum continuit. Sic enim fatur Sixtus Senensis Biblioth. pag. 188. *Sed quod ad divisionem attinet, sciendum est, hanc arithmeticam capitum distinctionem, quam nunc in Bibliis habemus, recentem esse: nam ante quingentos annos nullus sive apud Hebræos, sive apud Græcos invenitur divinæ Scripturæ locus numeratim citatus.* Vetustissimi enim Patres dividebant S. Scripturam, eamque citabant non Capitum enumeratione, sed allegationibus particularium historiarum: Ex. gr. *Augustinus* alicubi asserit se commentatum esse à principio Geneseos usque ad expulsionem primorum Parentum ex paradiso: pro quo nunc dicimus, in tria priora capita Geneseos. Similiter *Gregorius* ait se exposuisse historiam à principio libri Samuelis usque ad Davidis Regis unctionem: pro quo nunc dicimus, in quindecim anteriora capita primi libri Samuelis.

X. Contra hęc nonnemo *objicere* posset, quod liber Psalmorum tempore Christi fuerit divisus in Psalmos: quia dicitur Actor. 13. 33. *Sicut scriptum est Psalmo secundo, tu filius meus es, hodie te genui.* Ergo distributio capitum non demum ante quingentos annos, sed modò circa tempora Christi inventa esse videtur.

Respondeo. 1. Liber Psalmorum propriè non est divisus in Capita, sed in diversos Psalmos.

2. Si quis divisionem Psalmorum velit Capita Psalterii denominare, tum dicendum erit, Psalmos à communi regula esse excipiendos. Sed nemo ulla probabilitatis specie Psalmos vocare potest Capita. Distinctio ergo Psalmorum est perantiqua, sed non distinctio Capitum. In textu Thalmudis creberrima quidem fit mentio distinctionis Psalmorum, sed non hodiernæ divisionis Capitum.

XI. *Secundò* quæritur. Cùm certum sit ipsos Auctores librorum non esse primos inventores distinctionis Capitum; Quis igitur fuit primus inventor & auctor illius distinctionis?

Respondeo. Auctor primus est ignotus. Sunt tamen nonnulli qui hoc memoriæ subsidium adscribunt cuidam Stephano Langton; alii tribuunt Hugoni Cardinali; alii non determinant, sed tanquam incertum prætereunt. Vide Thes. Hottingeri pag. 221.

XII. *Tertiò* quæritur. An Judæi distinctionem Capitum in Veteri T. à Christianis inventam, & ab iisdem fere ubique receptam approbant, & de meliori nota commendant?

Respondeo. Judæi hodiernam divisionem capitum magni æstimant, approbant, & in Bibliorum ac Thalmudis exemplaribus, quæ ipsimet imprimere solent, atque in Concordantiis retinent. Elias Levita in Præfatione libri Habbachur hoc inventum Christianis adscribit, seque in citatione locorum Scripturæ secuturum pollicetur. Ejus verba translata sic sonant. *Annotabo etiam numerum Capitis, in quo sententia illa continetur: idque juxta ordinem Perakim, quos Nazareni* (Christiani) *in omnibus Bibliis observant, vocantque eos linguâ suâ Capitula. Necessum enim duxi, maximaque mihi videtur commoditas, ut certo scire queas in quo libro & capite textus allegatus reperiatur. Sæpe evenit, ut aliquis sciat, in quonam libro ex Bibliis habeatur textus citatus, interim per totum diem vel biduum fatigat se ut inveniat locum ubi allegata sententia legitur. -- Divisiones Capitum, quas Christiani invenerunt, recepta sunt à Judæis.* Vide totum locum Hebraicè & Latinè allegatum à Clarissimo D. Terentio in Præfatione libro Coheleth præmissâ.

Rabbini, circa undecimum seculum viventes, & commentaria in Biblia scribentes, quia distinctio Capitum tum temporis nondum erat usitata, aut recepta ab illis, loca S. Scripturæ allegarunt sine ulla additione Versus, Capitis, & utplurimum etiam sine additione Libri. Sed postquam Capitum distinctio ab illis recepta est, solent fere in citatione locorum addere Librum & Caput; quod in investigandis locis

locis S. Scripturæ egregiam lucem præbet, & magnam difficultatem tollit.

XIII. *Quartò* quæritur. Quare in Bibliis Junii & Tremellii subinde alia est distinctio Capitum, quàm quæ usitata est in Bibliis Hebraicis?

Respondeo. Cum distinctio Capitum sit inventa ab hominibus, qui non semper æque attenti fuerunt ad objectum dividendum, sed sæpissimè dividenda conjunxerunt, & conjungenda diviserunt; ideo Junius & Tremellius, in hâc palæstra doctissimi, videntes quibusdam in locis divisionem minus commodè esse institutam, leviter eandem immutarunt; retinentes tamen, ad confusionem omnem vitandam, distinctiones Capitum, quæ jam per aliquot secula in Veteri Testamento fuerant usitatæ; & addentes suas proprias divisiones, quæ convenientiores videbantur. Propter hanc causam plurimis in locis idem initium Capitum bis repetitur; unum quod inventum est ante quingentos præter propter annos; alterum verò, quod superiori demum sæculo à Junio & Tremellio est excogitatum. Exempla nonnulla videri poterunt in *Jesaia*, Capp. 4. 18. 27. 43. & innumeris fere aliis in locis.

XIV. In omnibus Bibliis Hebraicis etiam non semper eadem distinctio Capitum observatur; aliquando versus capitis præcedentis in quibusdam Codicibus, constituitur in aliis Codicibus primus versus *capitis sequentis; uti videre* est in Genesi cap. 8. vers. 22. qui versus in nonnullis Codicibus est versus primus capitis noni. Sed illa diversitas capitum, quæ ex collatione diversorum Codicum Hebraicorum colligitur, originem sumpsit vel ex incuria & oscitantia Typographorum; vel quia unus Typographus sequitur tale exemplar impressum aut manuscriptum; alius vero sequitur aliud exemplar, quod putat esse antiquius & majoris auctoritatis. Ex. gr. Josephus Athias in novissima Bibliorum editione anni 1667. fortè duo vel tria capita aliter diviserat, quàm vulgo capita dividi solent. Cum eum rogarem, quare hoc fecisset? Respondebat se sequutum esse egregium & antiquum suum exemplar MS. in quo hanc varietatem observaverat. Vide talem diversitatem 1. Reg. capite 4. quod in communibus Codicibus continet versus circiter 34. cum in hac editione tantum contineat versus viginti. Ob hanc causam in Bibliis Belgicis, Latinis, aliisque subinde est alia distinctio Capitum, quam quæ usitata est in Bibliis Hebraicis.

DIS-

DISSERTATIO QUARTA, DE Sectionibus Minoribus, Majoribus & Maximis Pentateuchi.

§. 1. 2. 3. 4. *Explicatur significatio literarum* ס *&* פ.

5. *Auctor earum ignoratur.*

6. *Divisio Decalogi Judaica confirmatur.*

7. *Usus earum literarum apud Christianos est nullus. Usus earum antiquus demonstratur.*

8. *Earum numerus recensetur.*

9. *Ratio datur quare adhuc retineantur in Bibliis.*

10. *Possent omitti.*

11. *Significatio & numerus literarum* פפפ *aut* ססס *passim in Pentateucho occurrentium proponuntur.*

12. *Ultima Sectio Geneseos non distinguitur tribus literis.*

13. *Nomina Sectionum Legalium unde desumantur, & ubi habeantur in Bibliis docetur.*

14. *Schema* 54. *Sectionum Legalium.*

15. *Hodierna nomina quinque librorum Pentateuchi videntur olim tantum fuisse tituli Sectionum.*

16. *Usus divisionis Pentateuchi in* 54. *Sectiones demonstratur. Objectio solvitur. Annus intercalaris Judaeorum describitur.*

17. *Docetur quomodo Judaei annis vulgaribus Sectiones* 54. *perlegant.*

18. 19. *Pentateuchus ab initio legitur* 23. *Sept. Ratio additur.*

20. *Absoluta ultima Sectione statim inchoant primam. Ratio ejus rei allegatur.*

21. *Auctor divisionis Pentateuchi in* 54. *Sectiones ferè est ignotus. Divisio hæc est perantiqua.*

22. *Lectio Prophetarum publica fuit olim & jam usitata. Origo ejusdem.*

23. 24. 25. *Sectiones Prophetica explicantur.*

26. *Ratio hodierni usus Sectionum propheticarum allegatur.*

27. *Convenientia earum cum Textibus Dominicalibus.*

28. *De festo Lætitiæ legis.*

29. 30. *Illustratio verborum Pharisæi* Luc. 18. 12.

I. *De Sectionibus minoribus & majoribus.*

SECTIO I.



SEquitur ultima divisio specialis, conveniens soli Mosis Pentateucho, quâ dividitur in varias sectiones, quæ unicâ literâ פ, vel unicâ literâ ס, sive ternis literis פפפ, aut ternis literis ססס, passim in Pentateucho occurrentibus, indicantur.

II. Li-

II. Litera ס eſt prima litera vocis סְתוּמָה *clauſa*, vel סְמוּכָה *conjuncta*; litera verò פ eſt prima litera vocis פְּתוּחָה *aperta*: id eſt, ס ſignificat ſectionem *clauſam*, vel *conjunctam*; פ verò denotat ſectionem *apertam*.

III. *Sectio clauſa* vel *conjuncta*, quæ literâ ס denotatur, ſic denominatur: quia illud ſpatiolum, in cujus medio eſt ס, utrinque eâdem lineâ clauditur. *Sectio aperta* ſic vocatur, quia ab initio lineæ incipit. Ubi in libris manuſcriptis ſolet eſſe litera ס, ibi relinqui debet ſpatium trium circiter literarum in medio lineæ vacuum: ſed ubi ſcribi ſolet litera פ, ibi ſpatium plus minus novem literarum relinquendum eſt vacuum. Verum hæc differentia in hodiernis Bibliis impreſſis non accuratè obſervatur: ſed in libris Legis manuſcriptis, ex quibus in Synagogis lectiones Sabbathinas coram plebe prælegunt, accuratior harum literarum ratio haberi ſolet: nihilominus in Bibliis impreſſis ſpatiolum qualecunque adhuc vacuum relinquitur.

IV. Omnes Auctores non conveniunt circa has duas ſolitarias literas ס & פ, ſcil. quantum ſignificationem earundum attinet. Hæc tria de literis his antecedentibus affirmari poſſunt.

1. Litera ס denotat ſectionem *minimam*; & eatenus ſtatuitur prima litera vocis סְמוּכָה *conjuncta*. Hæc vox denotat ſequentia cum ſuperioribus eſſe conjuncta; & etiamſi verba, hanc literam ס ſequentia, videantur eſſe initium novæ ſententiæ, nihilominus conſequentia cohærent ſuperioribus. Litera פ ſignificat ſectionem *majorem*. Ternæ literæ פפפ vel ססס, de quibus ſtatim agemus, denotant ſectionem omnium *maximam*.

2. Voces, quæ poſt ס ſectionem *clauſam* vel *conjunctam* ſequuntur, incipiunt in Bibliis manuſcriptis à medio lineæ, non verò ab initio: ſed verba ſequentia literam פ, hoc eſt, ſectionem *apertam*, à principio lineæ ſcribuntur & imprimuntur.

3. Litera ס relinquit in Bibliis manuſcriptis ſpatium trium literarum vacuum; litera פ ſpatium novem literarum; ſed tres literæ פפפ vel ססס relinquunt ſpatium trium regularum vacuum.

V. *Primò quæritur.* Quis eſt primus auctor harum duarum literarum ס & פ, paſſim in lege Moſis occurrentium, ſectionem minimam & majorem denotantium?

Reſpondeo. Nonnulli Judæorum referunt inventionem harum duarum literarum ad Moſen, vel ad Ezram Prophetam; verum abſque

ulla ratione vel fundamento. *Sed verosimilius est eas literas esse additas à curiosis quibusdam Judæorum Scribis, qui curiosè Legem exscribere voluerunt. Vix ullus invenitur ex hodiernis Judæis, & nullus, quem novi, ex hodiernis Christianis, qui has literas* ס & פ *ipsi Mosi adscribunt.*

VI. *Ergo frustra* nonnulli ex his literis conantur probare aliam divisionem Decalogi, quam quæ usitata est apud Judæos; scil. per quam decimum præceptum in duo dividitur; ducti hoc argumento: quia Deuteronomii capite 5. post illa verba: *Non concupisces uxorem proximi tui*, in Bibliis Hebraicis est litera ס. Nam illa objectio variis modis potest solvi.

Primò. Illæ literæ non sunt à sacris Scriptoribus additæ: & per consequens non habent auctoritatem Divinam.

Secundò. Exodi 20. in plerisque Bibliis Hebraicis, post illa verba: *Non concupisces domum proximi tui*, non est litera ס vel פ: ergo est unum præceptum; si nempe hæ literæ distinguerent præcepta. Nam recta divisio Decalogi est sumenda ex Exodo, & non est Deuteronomio.

Tertiò. Judaica divisio Decalogi, conveniens cum Reformatorum divisione, confirmatur ex antiqua paraphrasi, quæ vulgò Jonathani adscribitur. In illa enim paraphrasi semper singulis præceptis præmittitur præfatio aliqua, & post illam præfationem sequitur ipsum præceptum. Vide talem Decalogum cum illis præfationibus in Grammatica Chaldaica & Syriaca Buxtorfii circa finem. Hinc luce meridiana clarius illucescit, divisionem decalogi, inter Reformatos & Judæos usitatam, esse mille annis antiquiorem.

VII. *Secundò quæritur*. An hæ duæ literæ ס & פ, passim in Pentateucho occurrentes, habent aliquem usum?

Respondeo 1. Illæ literæ ס & פ apud Christianos nullum habent usum: ideoque possent illæso Pentateucho omnes omitti. Propterea etiam Munsterus, multique alii in editionibus Bibliorum Hebraicorum literas ס & פ, tanquam Judæorum figmenta, omiserunt & extruserunt.

Quæritur. Quare Judæi olim addiderunt Pentateucho has literas ס & פ? *Resp.* Pentateuchus olim destituebatur distinctione capitum; ideò Judæi, volentes illum aliquo modo distinguere, excogitarunt talem Sectionum divisionem per ס & per פ. Sed multi nasutiores Judæi

Judæi in quibusdam Codicibus easdem literas omiserunt: quia crediderunt earundem primam orginem natam esse ex superstitione Scribarum exscribentium Legem Mosaicam. Imo, quod mirandum est, Judæi in hodiernis MSS. Pentateuchis nullas literas ס aut פ, sive simplices sive etiam ternas exprimunt; observant tamen spatia & spatiola.

Respondeo 2. Præterea magna est in veteribus Bibliorum Codicibus harum literarum varietas & discrepantia. Nonnulli libri pluribus literis ס & פ distinguuntur, alii verò multo paucioribus.

VIII. Hinc *Quæritur.* Quot præcisè secundùm sententiam Judæorum requiruntur literæ פ & ס solitariæ & simplices in Pentateucho?

Respondeo. Sectiones majores, per פ denotari solitæ, sunt in toto Pentateucho 290. scil. in *Genesi* 43. In *Exodo* 69. In *Levitico* 52. In *Numerorum* libro 92. & in *Deuteronomio* 34. Sed Sectiones minimæ, quæ per ס denotantur, sunt 379. scil. in *Genesi* 48. In *Exodo* 95. In *Levitico* 46. In *Numeror.* 66. & in *Deuteronomio* 124. Hic numerus sectionum in fine eorum librorum sæpè exprimitur.

IX. Adhuc *Quæritur.* Quare illæ literæ ס & פ nullum usum habentes inter Christianos, & fere etiam inter Judæos; adhuc in multis Bibliis impressis retinentur?

Respondeo. Judæi, imprimentes utplurimum Biblia Hebraica, propter venerandam antiquitatem eas literas retinent & exprimunt.

X. Ex his antecedentibus concludimus has literas ס & פ non esse à Mose; & per consequens, nullum usum habentes, ut supervacaneas ex Bibliis hodiernis Hebraicis posse extrudi.

II. *De Sectionibus maximis Pentateuchi.*

XI. Jam sequuntur Sectiones maximæ Pentateuchi enumerandæ, quæ vulgò in Bibliis Hebraicis impressis per ternas literas פפפ, vel nonnunquam etiam per totidem literas ססס denotantur; scil. quando incidunt in eum locum, ubi est sectio clausa, per ס denotari solita.

1. Ternæ literæ פפפ sunt primæ literæ vocis פָּרָשָׁה *Divisio, Sectio Legis.* Hæc vox integra, in multis Bibliis majoribus, loco trium פפפ, sæpe describitur.

2. Ternæ literæ ססס sunt primæ literæ vocis סֵדֶר *Ordinatio.* Hæ ternæ literæ פפפ & ססס eundem usum in Lege habent. Nam sectio illa

ulla ratione vel fundamento. Sed verosimilius est eas literas esse additas à curiosis quibusdam Judæorum Scribis, qui curiosè Legem exscribere voluerunt. Vix ullus invenitur ex hodiernis Judæis, & nullus, quem novi, ex hodiernis Christianis, qui has literas ס & פ ipsi Mosi adscribunt.

VI. Ergo frustra nonnulli ex his literis conantur probare aliam divisionem Decalogi, quam quæ usitata est apud Judæos; scil. per quam decimum præceptum in duo dividitur; ducti hoc argumento: quia Deuteronomii capite 5. post illa verba: *Non concupisces uxorem proximi tui*, in Bibliis Hebraicis est litera ס. Nam illa objectio variis modis potest solvi.

Primò. Illæ literæ non sunt à sacris Scriptoribus additæ: & per consequens non habent auctoritatem Divinam.

Secundò. Exodi 20. in plerisque Bibliis Hebraicis, post illa verba: *Non concupisces domum proximi tui*, non est litera ס vel פ: ergo est unum præceptum; si nempe hæ literæ distinguerent præcepta. Nam recta divisio Decalogi est sumenda ex Exodo, & non ex Deuteronomio.

Tertiò. Judaica divisio Decalogi, conveniens cum Reformatorum divisione, confirmatur ex antiqua paraphrasi, quæ vulgò Jonathani adscribitur. In illa enim paraphrasi semper singulis præceptis præmittitur præfatio aliqua, & post illam præfationem sequitur ipsum præceptum. Vide talem Decalogum cum illis præfationibus in Grammatica Chaldaica & Syriaca Buxtorfii circa finem. Hinc luce meridiana clarius illucescit, divisionem decalogi, inter Reformatos & Judæos usitatam, esse mille annis antiquiorem.

VII. *Secundò quæritur*. An hæ duæ literæ ס & פ, passim in Pentateucho occurrentes, habent aliquem usum?

Respondeo 1. Illæ literæ ס & פ apud Christianos nullum habent usum: ideoque possent illæso Pentateucho omnes omitti. Propterea etiam Munsterus, multique alii in editionibus Bibliorum Hebraicorum literas ס & פ, tanquam Judæorum figmenta, omiserunt & extruserunt.

Quæritur. Quare Judæi olim addiderunt Pentateucho has literas ס & פ? *Resp*. Pentateuchus olim destituebatur distinctione capitum; ideò Judæi, volentes illum aliquo modo distinguere, excogitarunt talem Sectionum divisionem per ס & per פ. Sed multi nasutiores

Judæi

Judæi in quibusdam Codicibus easdem literas omiserunt : quia crediderunt earundem primam orginem natam esse ex superstitione Scribarum exscribentium Legem Mosaicam. Imo, quod mirandum est, Judæi in hodiernis MSS. Pentateuchis nullas literas ס aut פ, sive simplices sive etiam ternas exprimunt; observant tamen spatia & spatiola.

Respondeo 2. Præterea magna est in veteribus Bibliorum Codicibus harum literarum varietas & discrepantia. Nonnulli libri pluribus literis ס & פ distinguuntur, alii verò multo paucioribus.

VIII. Hinc *Quæritur*. Quot præcisè secundùm sententiam Judæorum requiruntur literæ פ & ס solitariæ & simplices in Pentateucho?

Respondeo. Sectiones majores, per פ denotari solitæ, sunt in toto Pentateucho 290. scil. in *Genesi* 43. In *Exodo* 69. In *Levitico* 52. In *Numerorum* libro 92. & in *Deuteronomio* 34. Sed Sectiones minimæ, quæ per ס denotantur, sunt 379. scil. in *Genesi* 48. In *Exodo* 95. In *Levitico* 46. In *Numeror*. 66. & in *Deuteronomio* 124. Hic numerus sectionum in fine eorum librorum sæpè exprimitur.

IX. Adhuc *Quæritur*. Quare illæ literæ ס & פ nullum usum habentes inter Christianos, & fere etiam inter Judæos; adhuc in multis Bibliis impressis retinentur?

Respondeo. Judæi, imprimentes utplurimum Biblia Hebraica, propter venerandam antiquitatem eas literas retinent & exprimunt.

X. Ex his antecedentibus concludimus has literas ס & פ non esse à *Mose*; & *per consequens*, nullum usum habentes, ut supervacaneas ex *Bibliis* hodiernis Hebraicis posse extrudi.

II. *De Sectionibus maximis Pentateuchi.*

XI. Jam sequuntur Sectiones maximæ Pentateuchi enumerandæ, quæ vulgò in Bibliis Hebraicis impressis per ternas literas פפפ, vel nonnunquam etiam per totidem literas ססס denotantur; scil. quando incidunt in eum locum, ubi est sectio clausa, per ס denotari solita.

1. Ternæ literæ פפפ sunt primæ literæ vocis פָּרָשָׁה *Divisio*, *Sectio Legis*. Hæc vox integra, in multis Bibliis majoribus, loco trium פפפ, sæpe describitur.

2. Ternæ literæ ססס sunt primæ literæ vocis סֵדֶר *Ordinatio*. Hæ ternæ literæ פפפ & ססס eundem usum in Lege habent. Nam sectio illa

illa maxima legalis aliquando פָּרָשָׁה, nonnunquam etiam סֵדֶר vocatur.

3. In Pentateucho sunt quinquaginta quatuor tales maximæ Sectiones, quæ ternis literis פפפ, vel totidem ססס communiter distinguuntur. In *Genesi* sunt duodecim Sectiones majores; in *Exodo* undecim; in *Levitico* decem; in libro *Numerorum* decem; & in *Deuteronomio* undecim, quæ simul collectæ faciunt quinquaginta quatuor.

XII. *Quæritur.* Cum omnes sectiones Pentateuchi ternis literis majusculis פפפ vel ססס distinguantur: Quare ultima sectio Geneseos, (quæ capite 47. versu 28. his verbis incipit ויחי יעקוב *& vixit Jakob*,) tantum unicâ minusculâ literâ ס, vel in aliis Bibliis tantum per spatium vacuum sine ulla litera ס designetur?

Respondeo. Rabbini varias rationes hujus differentiæ solent dare: sed communis opinio, quæ etiam verisimillima videtur, hæc est: quia in hac ultima Sectione, scil. in capite 49. Geneseos, agitur de tempore adventus Messiæ; quod tempus ex Judæorum sententia est ignotum. Hinc unicam literam ס ante hanc maximam Sectionem posuerunt: quia voluerunt indicare illud tempus esse ignotum. Nam ס est prima litera vocis סְתוּמָה *clausa*, *obsignata*: quia putant tempus adventus Messiæ esse clausum & obsignatum. Non est verosimile quod Esras hujus differentiæ sit causa & primus auctor: sed procul dubio nasutus & curiosus quidam Judæus hanc differentiam primus, ob causam dictam, excogitavit.

XIII. His omnibus & singulis quinquaginta Sectionibus inditæ sunt peculiares appellationes desumptæ vel à primâ voce Sectionis, vel à primâ voce maxime emphaticâ: & propterea quinquaginta quatuor diversi tituli, si non ab utraque parte pagellæ, saltem ab unâ parte, sive sinistrâ sive dexterâ, Pentateucho Hebraico superscribuntur. Ex. gr. Prima Sectio à capite primo Geneseos ad capitis sexti versum nonum vocatur בְּרֵאשִׁית. Secunda Sectio usque ad caput duodecimum ejusdem libri nominatur נֹחַ *Noach*. Tertia Sectio usque ad caput decimum octavum nomine לֶךְ־לְךָ insignitur; & sic omnes Sectiones reliquæ à prima voce, vel à primis vocibus nomina sua acceperunt.

XIV. Ut omnes Sectiones Pentateuchi (quæ in novissima editione Bibliorum enumerantur per literas Hebraicas, & per notas, quæ vulgò

vulgò cifræ vocantur) unico quasi intuitu conspicerentur, placuit, in gratiam Lectorum, eas omnes post invicem in hac tabella describere.

TABELLA
quinquaginta quatuor Sectionum Pentateuchi.

Cap.	Vers.	Sectio	
		Sectiones Geneseos.	
1.	1.	בראשית	1
6.	9.	נח	2
12.	1.	לך לך	3
18.	1.	וירא	4
23.	1.	חיי שרה	5
25.	19.	תולדת	6
28.	11.	ויצא	7
32.	4.	וישלח	8
37.	1.	וישב	9
41.	1.	מקץ	10
44.	18.	ויגש	11
47.	28.	ויחי	12
		Exodi.	
1.	1.	שמות	13
6.	2.	וארא	14
10.	1.	בא	15
13.	17.	בשלח	16
18.	1.	יתרו	17
23.	1.	משפטים	18
25.	1.	תרומה	19
27.	20.	תצוה	20
30.	11.	כי תשא	21
35.	1.	ויקהל	22
38.	21.	פקודי	23
		Levitici.	
1.	1.	ויקרא	24
6.	1.	צו	25
9.	1.	שמיני	26
12.	1.	תזריע	27
14.	1.	מצרע	28
16.	1.	אחרי מות	29
19.	1.	קדשים	30
21.	1.	אמר	31
25.	1.	בהר סיני	32
26.	3.	בחקתי	33
		Numerorum.	
1.	1.	במדבר	34
4.	21.	נשא	35
8.	1.	בהעלתך	36
13.	1.	שלח	37
16.	1.	קרח	38
19.	1.	חקת	39
22.	2.	בלק	40
25.	10.	פינחס	41
30.	2.	מטות	42
33.	1.	מסעי	43
		Deuteronomii.	
1.	1.	דברים	44
3.	23.	ואתחנן	45
7.	12.	עקב	46
11.	26.	ראה	47
16.	18.	שופטים	48
21.	10.	תצא	49
26.	1.	תבוא	50
29.	9.	נצבים	51
31.	1.	וילך	52
32.	1.	האזינו	53
33.	1.	וזאת הברכה	54

XV. Ex hac Sectionum legalium enumeratione videtur verosimiliter probari, quod quinque tituli, scil. בראשית, שמות, ויקרא, במדבר, הדברים, quibus jam quinque libri Mosis insigniuntur, olim non tam integrorum librorum nomina fuerint, quàm quidem Sectionum talium legalium. Verum postea illi quinque Tituli Sectionum, quia erant primæ Sectiones quinque librorum, etiam in Titulos librorum mutati sunt.

XVI. *Primò quæritur*. Quare Judæi quinque libros Mosis diviserunt in quinquaginta quatuor tales Sectiones maximas?

Respondeo. Ideo Judæi diviserunt quinque libros Mosis in tot Sectiones, ut singulis annis totum Pentateuchum absolvere possent. Nam Judæi publicè in Synagogis singulis Sabbathis legunt unam talem maximam Sectionem, scil. à tribus פפפ vel ססס usque ad tria פפפ vel ססס; & ita singulis annis Pentateuchum publicè perambulant, vel potius percurrunt.

Contra hæc fortè nonnemo *objiciet*: Annus Judæorum tantum comprehendit quinquaginta vel quinquaginta duas hebdomadas: ergo singulis annis, legendo singulis Sabbathis tantummodo unicam Sectionem, Legem non absolvunt.

Respondeo. Judæi, supputantes annos suos secundùm cursum lunæ, tantum numerant duodecim menses, alternatim habentes 29. vel 30. dies. Ergo annus Judæorum tantum continet quinquaginta hebdomadas & quatuor dies. Vide in Philologo Mixto dissert. 33. Sed Judæi ad annum intercalarem respexerunt, qui integro mense abundat. Judæorum aliquando secundus, vel tertius quilibet annus ad summum est intercalaris vel bissextilis, & integro mense abundat, qui vocatur וַאֲדָר *Vaadar*, & Februarius; & sic talem annum per duos Februarios supputant. Nam Judæi, ut annum lunarem ad solarem applicent, illos undecim dies, in quolibet anno solari superfluos, servant & retinent; ac quamprimum ille numerus dierum superfluorum in mensem excrevit, tum mensi duodecimo addunt mensem decimum tertium; quod tertio quolibet anno fieri debet: sed aliquando etiam secundo anno fieri potest; si nempe in anno intercalari octo (vel etiam plures) dies superflui fuerint, qui cum undecim sequentibus faciunt novendecim. Retineantur illi novendecim, & addantur iidem diebus undecim ex anno sequenti: ergo secundus annus erit intercalaris, hoc est, post unicum annum vulgarem constantem duodecim

cim mensibus, sequetur annus intercalaris tredecim mensium.

XVII. *Secundò quæritur*: Quomodo Judæi annis vulgaribus, continentibus 50. hebdomadas, absolvunt quinquaginta quatuor Sectiones Pentateuchi?

Respondeo. Judæi singulis annis, etiam vulgaribus, totam Legem absolvunt, conjungendo aliquoties annis vulgaribus binas brevissimas Sectiones, quales sunt ultimæ Deuteronomii.

XVIII. Judæi hanc publicam Sectionum maximarum lectionem inchoant post festum Tabernaculorum die vigesimo tertio mensis primi civilis, qui Hebræis Tisri vocatur, & nostro Septembri fere respondet.

XIX. Hinc *primò quæritur*: Quare Judæi non incipiunt legere primam Sectionem Pentateuchi ipsis Kalendis Septembris, hoc est, ipsis Kalendis novi anni? Et quare demum post medium Septembris?

Respondeo. Hoc faciunt ad decipiendum Diabolum, ut verum principium novi anni ignoraret, & Judæos tam bonos quam malos accusare coram Deo non posset. Statuunt enim Judæi Deum in principio Septembris thronum judicialem ascendere; & hos, quorum bona opera præponderant, absolvere; & illos, quorum mala opera superant bona opera, ad æternam mortem condemnare. Si vero Judæi Pentateuchum inciperent ipsis Kalendis novi anni, tum Diabolus verum anni initium cognosceret, & inde occasionem sumeret bonos illos Judæos apud Deum illo tempore accusandi. Egregiæ sane subtilitates ad imponendum glaucoma oculis Diaboli!

XX. *Secundò quæritur*: Quare Judæi absolutâ ultimâ Sectione Pentateuchi statim eodem tempore iterum solent primam Geneseos Sectionem incipere, & usque ad Capitis secundi versum quartum absolvere!

Respondeo. Ut omnis occasio calumniandi & Judæos accusandi Diabolo præripiatur. Fortasse Diabolus Deum accederet, & diceret: (uti scribunt apellæ) *Judæi quidem finiverunt Legem, sed nolunt amplius legere.*

XXI. *Secundò quæritur*: Quis Pentateuchum in quinquaginta quatuor Sectiones primus divisit?

Respondeo. Judæi nonnulli putant ipsum Mosen Pentateuchum ita divisisse: & propterea vocant הֲלָכָה לְמֹשֶׁה מִסִּינַי *Traditionem è monte Sinai.* Sed alii, carioso fundamento hanc sententiam suffultam videntes,

tes, adſcribunt hanc Sectionum diviſionem Prophetæ Ezræ, poſtquam ex captivitate Babylonica reverſus eſſet. Hic Ezras eum in finem Legem in tot Sectiones diviſiſſet, ut Judæi commodè illam unico anno abſolvere poſſent. Hæc ſententia ſpecie veritatis non caret; ideoque nobis maxime probabilis videtur. Ut ut ſit, hæc diviſio Sectionum, ſive lectio ſabbathina non eſt recens, ultimis ſeculis nata; ſed eſt perantiqua, & procul dubio temporibus Apoſtolorum fuit uſitata. Antiquitatem hanc confirmant verba Lucæ, quæ habentur in Actis *cap.* 15. v. 21. *Moſes in Synagogis per ſingula Sabbatha legitur.* Similiter *cap.* 13. v. 15. *Poſt lectionem Legis & Prophetarum miſerunt Præfecti Synagogæ ad eos.* Additur in ultimo loco, *poſt lectionem Prophetarum*; idque repetitur *cap.* 13. *v.* 27. *Voces Prophetarum per omne Sabbathum leguntur.*

XXII. Hinc *quartò quæritur*: An Judæi temporibus Chriſti & Apoſtolorum etiam publicè prælegerunt Prophetas? Et an adhuc hodie eos prælegunt?

Reſpondeo affirmando. Judæi ſolent, poſt lectam Sectionem ex Pentateucho, etiam Sectionem aliquam legere ex Prophetis anterioribus vel poſterioribus. Quare? Quia Antiochus Rex Græciæ, homo profanus & impius, anno circitèr centeſimo & ſeptuageſimo ante Chriſti nativitatem interdixit, ne Judæi ſectionem Legis in Synagoga publicè prælegerent. Judæi, triſtes propter hoc interdictum, omiſerunt quidem pro tempore lectionem Legis Sabbathinam, ſed loco illarum Sectionum Legalium prælegerunt quaſdam ſectiones ex Prophetis, reſpondentes quodammodo materiæ, quæ in illis ſectionibus legalibus continebatur. Hoc confirmat Rabbi Elias in Tisbi Rad. פטר, ubi ſic fatur: והנה אכתוב מה היא סבת ההפטרה כפי מה שמצאתי כתוב שאנטיוכס הרשע מלך יון גזר על ישראל שלא יקראו בתורה ברבים מה עשו ישראל לקחו פרשה אחת מנביאים שענינה דומה לענין מה שכתוב בפרשה של השבת ההיא. h. e. *Et ecce ſcribam quænam ſit cauſa, quare legant ſectionem Propheticam. Juxta id quod inveni ſcriptum, nempe, quod Antiochus impius rex Græciæ præceperit Iſraëlitis, ut non legerent Legem publice. Sed quid fecerunt Judæi? Legerunt Paraſcham unam ex Prophetis, cujus materia conformis eſſet ei materiæ, quæ deſcripta erat in Paraſcha, quæ in Sabbatho legi ſolebat.* Ex. gr. Loco Sectionis primæ *Geneſeos* בראשית, in qua agitur de creatione mundi, ſumpſerunt ſimilem ſectionem,

nem, agentem de creatione, ex Jesaia à *versu* 6. *capitis* 42. (*Sic dicit Dominus Deus creator cœli* &c.) usque ad *versum* 11. *capitis* 43. Sectionem secundam נ״ח mutarunt in sectionem Propheticam, quam sumpserunt ex *cap.* 54. Jesaiæ: *Canta sterilis, quæ non parit* &c. Et tali modo omnes Sectiones Legales in Propheticas transmutarunt.

XXIII. Hæ Sectiones Propheticæ, respondentes Sectionibus Legalibus, plerumque in fine Bibliorum Hebraicorum majusculis literis impressæ conspiciuntur. Inspiciantur Biblia à Menasse Ben Israel in octavo & quarto edita, ex quibus unum atque alterum exemplum explicabimus: nam, illis enodatis, cætera facilius innotescent. Sic habetur in fine illorum Bibliorum:

הַפְטָרַת בְּרֵאשִׁית כֹּה אָמַר הָאֵל ה׳ בִּישַׁעְיָה בְּסִימָן מב״ עַד וְאַחֲרַי לֹא יִהְיֶה :

Hæc sic sunt explicanda. Vox הפטרת est in statu regiminis, & in statu absoluto est הפטרה *Missa*. Hæc vox significat sectionem Propheticam, quæ sectioni Legali, sensu non tam proprio quam figurato vel spirituali, respondet.

Vox בראשית *in principio* denotat primam sectionem Legis, quæ sic à primâ voce denominatur.

כה אמר האל ה׳ *Sic dicit Deus JEHOVA*. Sunt prima verba Sectionis Propheticæ, quæ inveniuntur בישעיה בסימן מב״ *In Jesaia, capite* 42. עד *usque*, scil. ad hæc verba sequentia ואחרי לא יהיה *& post me non erit*, quæ inveniuntur capite sequenti versu 10.

Altera sectio, respondens Sectioni secundæ legali, נ״ח appellatæ, sic sonat:

הפטרת תּוֹלְדוֹת נֹחַ רָנִּי עֲקָרָה בִּישַׁעְיָה בְּסִימָן נד״ עַד אָמַר מְרַחֲמֵךְ ה׳ :

Verba תולדות נח denotant secundam sectionem Geneseos. Voces sequentes רנו עקרה *canta sterilis*, sunt primæ voces sectionis Propheticæ, quæ reperiuntur בישעיה בסימן נד״ in *Jesaja cap.* 54. vers. 1. עד *usque* ad verba אמר מרחמך ה׳ *ait miserator tuus* JEHOVA; quæ habentur ejusdem capitis versu decimo. His prælibatis & cognitis facilis patebit, mediocriter linguæ sanctæ peritis, aditus ad reliqua.

XXIV. Hæc sectio prophetica vocatur הַפְטָרָה *Haphtara, missa, dimissio*, à פָּטַר *dimisit*: nam à cessando vel finiendo nomen habet: quia lectâ hâc sectione Propheticâ lectio sabbathina cessat, finitur, & populus dimittitur. Hinc lector hujus sectionis propheticæ vocatur הַמַּפְטִיר *dimittens*; quia cœtum solet dimittere.

XXV. Omnes Judæi, scilicet Hispani & Germani, non sumpserunt easdem sectiones ex Prophetis; ideoque sæpe in fine *haphtaroth* eadem sectio bis repetitur: quia aliam sæpe elegerunt Judæi האשכנזים *Germani*; aliam vero הספרדים *Hispani*. Propterea sæpe hæc nomina Germanorum & Hispanorum Hebraicè in tabulâ illâ finali exprimuntur. Vide plura & de Sectionibus Propheticis, quæ olim loco Legalium sunt lectæ, & de aliis Sectionibus, quæ certis quibusdam diebus festis prælegi solent, in Præfatione, quam anno 1667. accuratissimis Bibliis Hebraicis præposui. In illa editione etiam omnes Haphtaroth margini adscribuntur.

XXVI. Adhuc *quæritur*: Quare Judæi hodie non omittunt illam lectionem Propheticam, cum interdictum diu cessaverit?

Respondeo. Judæi retinent hanc consuetudinem in illius decreti & interdicti memoriam, imitantes hac in parte Majores suos, qui semper hanc consuetudinem diligenter observarunt. Vide de eo disserentem Rabbinum Eliam in Tisbi Rad. פטר, ubi sic inquit: ועתה אף שבטלה הגזרה המנהג הזה אינו בטל ועד היום קורין אותן הפרשיות של נביאים אחר קריאת התורה *Et quanquam nunc cessaverit decretum illud* (Regis Antiochi) *tamen consuetudo legendi Haphtaram non cessavit, quoniam adhuc hodie legunt istiusmodi Paraschas ex Prophetis post lectionem legis.*

XXVII. Hæ lectiones Propheticæ, additæ lectionibus Legalibus, sunt similes Epistolis Apostolicis, quas quidam Paulus Diaconus Euangeliis Dominicalibus addidit. Etiam aliqualis intercedit similitudo inter Textus Dominicales & sectiones Legales Mosaicas. Nam quemadmodum Textus illi Dominicales in Kalendariis Belgicis exprimuntur, eodem modo etiam hæ sectiones Legales in Kalendariis Hebraicis describuntur. Deinde, sicuti singulæ septimanæ à Textibus illis Dominicalibus denominantur: ut *Reminiscere*, *lætare* &c. ità etiam Sabbatha & septimanæ à sectionibus Legalibus, tali vel aliâ hebdomada legendis, appellantur.

XXVIII. Judæi solent illo die, quo in Synagoga totum Pentateuchum absolverunt, festum celebrare, quod vocant שִׂמְחַת תּוֹרָה *Lætitiam Legis*. De hoc festo vide *Synagogam Buxtorfii cap.* 27. Hoc die lætantur ob Legem absolutam; & ut signa lætitiæ ostenderent, mala & pyra in gratiam puerorum per Synagogam projiciunt. Etiam solent omnes Pentateuchos, quos in arca habent, per Synagogam portare.

tare. Vidi Amstelodami anno 1653. in Synagoga Judæorum Hispanorum simul sexaginta circiter Pentateuchos, in membrana descriptos, auro & argento ornatos, & pretiosissimis involucris involutos, à totidem viris magna cum pompa circum suggestum fuisse hoc tempore portatos.

XXIX. Occasione hujus lectionis Sabbathinæ illustrabimus verba ventosi & pomposi Pharisæi, gloriantis Lucæ *cap.* 18. v. 12. *Se jejunare bis in hebdomade.*

Hinc *primò quæritur*: Quibus diebus jejunavit?

Respondeo. Pharisæus ille jejunavit diebus Lunæ & Jovis. Causa jejunii fuit lectio Legalis, quam illis diebus repetiit. Nam Judæi non tantum diebus Sabbathi sectionem maximam in Synagoga publicè prælegunt, sed etiam diebus Lunæ & Jovis partem aliquam illius Sectionis, quam præterito Sabbatho legerunt, repetunt. Qui cæteris sanctiores videri volebant, non tantum illis diebus Legem repetebant, sed etiam temporibus matutinis jejunabant.

XXX. *Secundò quæritur*: Quare diebus Lunæ & Jovis Legem relegerunt & jejunaverunt, non vero aliis diebus?

Respondeo. Propter duas rationes. 1. Ne tres dies intercederent, quibus Judæi absque lege viverent. Nam ajunt; *Qui triduum agit sine lectione Legis, eum invadunt inimici.*

2. Ut Israëlitæ memores essent Mosen die Jovis montem Sinai secundâ vice ascendisse ad petendum secundas Legis tabulas: deinde ut in memoriam revocarent Mosen tum temporis veniam impetrasse vituli fusi, & tandem die Lunæ iterum de monte descendisse. Vide de his Buxtorfium in Synagoga cap. 14.

DISSERTATIO QUINTA,

DE

Pentateucho, de 613. Præceptis affirmativis & negativis in genere, & de Prophetis anterioribus.

§. 1. *Agitur de Ordine librorum.*
2. *Explicatio vocis Pentateuchi.*
3. *Auctor Pentateuchi est Moses.*
4. *Objectio contra auctorem hunc movetur & solvitur.*
5. *Auctores divisionis Pentateuchi in quinque libros videntur fuisse Græci interpretes.*
6. *Tituli Græci librorum Pentateuchi explicantur.*

7. *Numerus annorum, quos singuli libri Pentateuchi continent, recensetur.*
8. *Numerus Praeceptorum tam affirmantium quam negantium Pentateuchi.*
9. *Quaestiones* 12. *circa Praecepta Pentateuchi post invicem enumerantur.*
10. 11. 12. *Prophetae anteriores sequuntur, quorum primus est liber Josuae. Auctor ejus inquiritur.*
13. *Duo versiculi videntur Capiti vigesimo primo in nonnullis editionibus additi, qui in antiquissimis & nonnullis recentioribus editionibus non extant.*
14. *Libri Judicum nomen, ratio nominis, anni & Auctor describuntur.*
15. *Libri Samuelis aliter à Graecis & Latinis, aliter à Judaeis appellantur.*
16. 17. *Anni & Auctores eorum librorum recensentur.*
18. 19. *Librorum Regum nomen, ratio nominis, anni & auctores enumerantur.*
20. *Etiamsi Auctores Prophetarum anteriorum sint ignoti, ideo tamen auctoritas divina eorum non est in dubium vocanda.*

I. *De Pentateucho.*

SECTIO I.



Gimus hactenus de libris Veteris T. in genere, jam ordo nos monet ut de iis in specie post invicem agamus. Et cum praecipuè circa Biblia Hebraea versemur, ideo etiam eundem ordinem in explicatione Librorum observabimus, qui in Bibliis Hebraicis à Judaeis observari solet; scil. primò differemus de Pentateucho; deinde de Prophetis anterioribus & posterioribus; & tandem de Hagiographis.

II. In principio sese offerunt quinque libri Mosis, qui voce Hebraea תּוֹרָה *Lex*, & compositâ voce Graecâ Πεντάτευχος *Pentateuchus* vocantur; quae vox idem significat quod quintuplex volumen. Scripta Mosis nomine *Pentateuchi* insigniuntur, quia in quinque volumina distributa sunt. Hebraei *Pentateuchum* vocant חֲמִשָּׁה חוּמְּשִׁים *quinque quintas*, & quemlibet Pentateuchi librum nominant חוּמָּשׁ. Ergo חֲמִשָּׁה חוּמְּשִׁים sunt *quinque quintae partes* Legis, sive integer Pentateuchus. Hinc multis Bibliis Hebraicis praeponitur talis titulus חמשה חומשי תורה *Quinque quintae partes Legis.*

III. *Primò quaeritur.* Quis Pentateuchum sive quinque libros Legales conscripsit?

Respondeo. Propheta Moses filius Amram horum quinque librorum

rum est Auctor; quod evincitur ex sequentibus Textibus: Exod. cap. 24. v. 4. habetur: *Moses Scripsit omnia verba* JEHOVÆ. & Deut. 31. 24. 26. *Quum absolvisset Moses scribere verba Legis hujus in libro*, dixit Levitis, *accipite hunc librum Legis, & ponite eum à latere arcæ fœderis* JEHOVÆ.

IV. Contra hæc fortè nonnemo *objiciet*. In fine Deuteronomii, sive in ultimis octo versibus describitur historia mortis & sepulturæ Mosis. Atqui nullus propriam mortem & circumstantias mortis ac sepulturæ, ut & illa, quæ consequuntur mortem, enarrare, & literis mandare potest. A mortuo enim homine nullæ tales actiones provenire possunt.

Respondeo 1. Nonnulli asserunt hos octo versus ultimos esse additos vel à Josua successore Mosis, vel ab Ezra Propheta, qui post solutam captivitatem Babylonicam sexto feré seculo ante Christi nativitatem Legem in pristinum statum restituit.

2. Alii opinantur ipsum Mosen per specialem revelationem sibi à Deo revelatam hos versus agentes de morte addidisse; & quidem eum in finem (referente Josepho) ne Judæi crederent ipsum propter excellentes virtutes à Deo in cœlum, secundùm exemplum Enochi & Eliæ, esse raptum.

V. *Secundò quæritur*. Quando, & à quo Pentateuchus in quinque libros est distributus?

Respondeo 1. Nonnulli putant, quod ipse Moses non tantum Pentateuchum conscripserit, sed etiam eundem in quinque libros diviserit.

2. Alii, inter quos sunt Philo Judæus & Josephus, statuunt non ipsum Mosen Pentateuchum in quinque libros digessisse, sed quosdam Hebræos, qui aliquot seculis post Mosen vixerunt.

3. Nos illam sententiam verisimiliorem existimamus, quæ statuit nec Mosen, nec Judæos, sed Interpretes Græcos, vulgò LXX. vocatos, Pentateuchum in quinque libros divisisse.

VI. Quod Interpretes Græci, qui dicuntur trecentis annis ante Christum vixisse, hanc divisionem Pentateuchi in quinque libros invenerint, videtur probari ex titulis, quibus Libri Mosi denominantur. Illi enim tituli Librorum Pentateuchi origine sunt Græci; & propriè nulli dantur Hebraici, quibus Libri illi denominantur. Nam hodierni tituli Hebraici, qui jam singulis libris præfiguntur, fuerunt olim tantum tituli singularum sectionum Legalium, & non integro-

rum librorum. Verum enimvero antiqui tituli singulorum librorum Pentateuchi ferè sunt Græci; & per consequens videtur maximè verosimile, quod interpretes Græci Pentateuchum ita diviserint. Verum quidem est, quod jam etiam singuli libri Mosis titulis Hebraicis denominentur, sed iisdem titulis antiquitus non fuerunt denominati. Tituli ergo antiqui Librorum Mosis, & fere hodierni in Bibliis Latinis, Græcis & Belgicis usitati, sunt Græci.

Primus liber Mosis vocatur Γένεσις *Genesis*, id est, *generatio*: quia in illo libro agitur de exordio & generatione totius mundi.

Secundus liber denominatur Ἔξοδος *Exodus*, id est, *exitus*: quia describit exitum populi Israëlitici ex servitute Ægyptiaca.

Tertius liber appellatur Λευϊτικὸς *Leviticus*: quia in illo libro Levitarum ministeria, sacrificia, leges, ceremoniæ, variique ritus enarrantur.

Quartus liber olim voce Græca vocabatur Ἀριθμοὶ, sed jam vulgo Latinâ voce *Numeri* sive *Numerorum* nominatur: tum quia in hoc libro egressæ tribus ex Ægypto dinumerantur; tum etiam quia numerus quadraginta duorum annorum, quibus in deserto Israëlitæ oberrarunt, recensetur.

Quintus & ultimus liber appellatur Δευτερονόμιον *Deuteronomium*. hoc est, *secunda* vel *repetita lex*: quia in illo libro Lex repetitur. Deuteronomium enim est quasi repetitio & renovatio antecedentium librorum, propter illos facta, qui primæ recitationi Legis in monte Sinai per ætatem interesse non potuerunt.

VII. Sequerentur jam subdivisiones singulorum librorum, sed actum nolumus agere, ne Iliada post Homerum scribere velle videamur: illæ enim subdivisiones ubique in commentariis inveniuntur: sed breviter annos, quos singuli libri comprehendunt, quia magnam lucem historiæ addunt, recensebimus.

Genesis continet gesta annorum duorum millium, trecentorum & octo.

Exodus complectitur gesta annorum centum quadraginta sex, scil. à morte Josephi usque ad exstructionem tabernaculi in deserto.

Leviticus describit historiam unius mensis, scil. ab erectione tabernaculi usque ad numerationem eorum, qui apti erant ad bellum.

Numerorum liber narrat historiam triginta octo annorum, novem mensium, & viginti dierum.

Deute-

Deuteronomium denique enumerat facta [illegible].

II. *De 613. Praeceptis affirmativis & negativis Pentateuchi in genere.*

VIII. Judæi totum Mosen in ordinem redegerunt, sive totius Pentateuchi Leges ad duas classes retulerunt, scil. ad ducenta & quadraginta octo præcepta affirmantia, & ad trecenta ac sexaginta quinque præcepta negantia. Si quis ea omnia præcepta affirmativa & negativa, Hebraicè & Latinè descripta, desideret perlustrare, adeat priorem hujus Philologi editionem, in qua omnia illa post invicem enumerantur unà cum locis S. Scripturæ, ex quibus eadem desumpta sunt. Eadem omnia præcepta jam etiam peculiari Tractatu huic tertiæ editioni annectere animus est.

IX. Ut Lector melius intelligeret, qualia sint illa 613. Præcepta; & unde eadem sint desumpta; & quare Judæi nec in plura nec in pauciora Præcepta Pentateuchum divisum esse statuant; placet has sequentes quæstiones circa eadem Præcepta movere.

Primò quæritur. Unde hæc sexcenta & tredecim præcepta sunt desumpta?

Respondeo. Hæc omnia præcepta sunt desumpta ex solo Pentateucho, sive ex quinque libris Mosis. Hoc ita esse, apparet ex omnibus Textibus Biblicis, qui immediatè post singula præcepta tum Affirmativa tum Negativa afferri solent.

Secundò quæritur. Quis hæc omnia 613. præcepta hoc ordine ex Pentateucho collegit?

Respondeo. Varii fuerunt Judæi, qui Mosen ita in ordinem redegerunt, & omnia præcepta tali modo diviserunt: omnes tamen non eodem modo & ordine ea collegerunt; quidam hæc, alii vero alia præcepta præmiserunt. Ordo præceptorum Hebraicorum, qui Philologo Hebræo adjungitur, est desumptus ex præfatione libri Jad Chazaka, compositi à R. Maimonide. Ibi enim omnia præcepta tam Affirmativa quàm Negativa hoc ordine post invicem Hebraicè disponuntur. Et quia omnibus non datur ad ea intelligenda accessus, ideo ab altera parte Latinam interpretationem adjeci: tum ut eadem ab omnibus, etiam linguam Hebræam non callentibus, intelligerentur; tum etiam ut Philohebræi se in his exercere possent. Nonnunquam de verbo ad verbum hæc præcepta transtuli; sed sæpissime magis

magis ad rem quàm ad verba respexi: quia sæpe phrases Hebraicæ non patiuntur translationem verbotenùs factam.

Deinde adjeci loca S. Scripturæ, ex quibus Maimonides hæc sexcenta & tredecim præcepta probat. Verba Textuum, ex quibus hæc præcepta eliciuntur, allegantur quidem à Maimonide, sed Capita, Versus, & nomina Librorum non adduntur, in quibus hæc præcepta dicuntur contineri; ideoque, ut viam hæc præcepta evolvendi faciliorem redderem, magnâ molestiâ horum Textuum Libros, Capita & Versus investigavi, & Latinæ interpretationi addidi: & adhuc multo majori molestiâ hos Textus investigare debuissem, nisi, postquam translationi & investigationi aliquandiu intentus fuissem, incidissem in opera Theologica Simonis Episcopii, qui me multùm in hoc præceptorum Catalogo adornando adjuvit.

Denique Maimonides in multis non tantum ipsa præcepta recenset, sed sæpissimè explicationem suam, petitam ex Lege Orali, apposuit. Hanc explicationem etiam in linguam Latinam transtuli.

Tertiò quæritur. Quare Judæi statuunt in Pentateucho præcisè sexcenta & tredecim præcepta contineri?

Respondeo. 1. Propterea præcisè ajunt dari 613. præcepta, quia *Deut*. 33. 4. dicitur תורה צוה לנו משה *Legem præcepit nobis Moses*. In hoc Textu continetur vox תורה *lex*, constans quatuor literis, scil. *Tau*, *Vau*, *Resch* & *He*, quæ secundùm supputationem Hebraicam, quam Judæi per literas faciunt, continet numerum 611. Sed quia hîc duo numeri desunt, ideo hoc mysterium in eo latere ajunt, quod duo priora Decalogi præcepta, (scil. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui* &c. Et, *Non facies tibi sculptile* &c.) non per Mosen populo sint data, sed quod ea immediatè ab ipso Deo toti populo tradita sint: adeo ut respectu duorum illorum præceptorum Moses & populus in eodem gradu prophetiæ, sive revelationis immediatæ ex Dei ore auditæ, tum temporis constituti fuerint. Hæc duo præcepta, ab ipso Deo populo quasi ita annuntiata, si addantur, erunt sexcenta & tredecim præcepta.

2. Sunt ex sententiâ nonnullorum Judæorum sexcenta & tredecim præcepta; quia in Decalogo, exceptis duabus ultimis vocibus אשר לרעך, continentur 613. literæ. Quare igitur illæ septem literæ in Decalogo sunt superfluæ? *Resp*. Hoc ipsi Judæi explicare non possunt.

Hæc

Hæc 613. præcepta dividuntur à Judæis in 248. Affirmativa, & in 365, Negativa.

Hinc *quartò quæritur*. Quare Moses ex sententiâ Judæorum præcisè constituit 248. præcepta affirmativa?

Respondeo. Maimonides ait in *Præfatione Jad Chazaka* tot esse præcepta affirmativa כמנין איבריו של ארם *secundùm numerum membrorum hominis*. Judæi omnia membra hominis accuratè, sive potius superstitiosè, à planta & digitis pedis usque ad verticem numerarunt, & invenerunt esse 248. membra: atque propterea putant Deum totidem præcepta affirmativa dedisse, ut sic cuilibet membro speciale aliquod præceptum assignaretur.

Quintò quæritur. Quare Judæi statuunt Mosen præcisè dedisse 365. præcepta negativa?

Respondeo 1. Idem Maimonides ait hoc factum esse propter מנין ימי שנת החמה *numerum dierum anni solaris*. Quia in anno solari sunt 365. dies, ideo putant Deum per Mosen totidem præcepta negativa tradidisse; ut, si Israëlitæ singulis diebus unum mandatum observarent, & ab uno interdicto sibi caverent, sic omnia negativa præcepta addiscerent.

2. In libro Hebræo-Germanico, vocato *Brandspiegel*, dicuntur dari 365. præcepta negativa; quia totidem sunt venæ in corpore humano. Scribunt insuper Sapientes, dicente Buxtorfio in Synagoga Cap. 3. *Unamquamque corporis humani venam hominem, veluti fræno, cohibere, ne in vetitum nitatur* (*& hac ratione* 365. *præcepta illa prohibentia exactè observantur*.) En subtilitatem Judæorum.

Sextò quæritur. Quare quidam Sapientes superioribus 613. præceptis adhuc addiderunt septem præcepta; ita ut numerus ille jam accreverit ad 620. præcepta?

Respondeo 1. Numerum præceptorum ad 620. auxerunt; quia tot sunt literæ in Decalogo Hebraico, si duæ ultimæ voces, continentes septem literas, addantur.

2. Quia literæ vocis כתר *corona* sexcenta & vinginti juxta computum Hebraicum exprimunt. Nam si quis hæc omnia præcepta observare posset, totius orbis Corona foret. *Et qui* (uti ait Buxtorfius ibidem) *præcepta omnia custodiunt, illi Creatoris capiti coronam imponunt, & Deus vicissim septem coronis coronat illos, heredesque constituit septem conclavium in horto Eden, & è contrario à septem Gehennæ conclavibus liberat; eò quod*

eò quod ſeptem cœlos & ſeptem terras (ſcil. obſervatione horum præceptorum) *conſervarint*.

Septimò quæritur. An in rei veritate præcisè ſunt 613. vel 620. præcepta, quot Judæi conſtituunt? An non ſunt plura vel pauciora?

Reſpondeo. Numerus Judaicus præceptorum eſt innixus nugaciſſimis nugis: & propterea, illis ſtramineis fundamentis rejectis, etiam numerus præceptorum eſt incertus. Credo equidem tot circiter eſſe præcepta, quot Judæi conſtituunt: ſed tot præcisè eſſe, & non plura vel pauciora, non poſſum mihi perſuadere. Contrarium etiam apparet ex ipſis præceptis: nam Judæi nonnunquam unum præceptum in plura dividunt, & è contra plura præcepta ad unum redigunt.

Octavò quæritur. Quali medio Judæi utuntur, quo præcepta hæc ſibi quotidie in memoriam revocant?

Reſpondeo. Utuntur eum in finem veſte quadrangulâ, cui octo fila, quinque nodis ligata, annectuntur. Quinque illi nodi denotant quinque libros Moſis, in quibus ſexcenta & tredecim præcepta continentur. Octo fila, ſingulis angulis illius veſtis quadrangulæ alligata, denotant octo; & fimbriæ illæ Hebraicè vocantur ציצית; cujus vocis literæ, ſi in numerum reſolvantur, conſtituunt ſexcenta; ſi addantur illis ſexcentis octo fila & quinque nodi, tum exurget numerus 613. Ergo qui diligenter has fimbrias adſpiciunt, illi in memoriam revocant omnia 613. præcepta. Harum fimbriarum Chriſtus facit mentionem *Matth.* 23. 5. quando ait: *Dilatant phylacteria, & producunt* (NB.) *fimbrias*. Vide plura de his fimbriis apud Buxtorf. in Synagoga Cap. 9.

Nonò quæritur. An Judæi vel ulli alii poſt lapſum eadem 613. præcepta unquam potuerunt obſervare?

Reſpondeo negando. Nam omnes ſumus peccatores, & tranſgredimur præcepta Dei *Pſal.* 14. David, Salomo, aliique ſanctiſſimi viri, etiamſi dicantur ambulaſſe in viis Dei, & neque ad ſiniſtram neque ad dextram deflexiſſe, nihilominus ſæpiſſime præcepta Dei tranſgreſſi ſunt; uti in S. Scripturâ videri poteſt. Jeſaias *cap.* 1. *verſ.* 4. vocat Judæos gentem ſceleſtam, populum iniquitate onuſtum, ſemen malitioſum, filios perditiſſimos, qui Dominum deſeruerunt &c. Idem Propheta *cap.* 38. *verſ.* 4. ait, eos eſſe duros, ferreæ cervicis, frontis æneæ, cordis indomiti, &c. Quoties Judæi peccatorum accuſati ſunt tempore Chriſti? An non ob tranſgreſſionem præceptorum Dei multis ſeculis ſub jugo aliorum delituerunt? *De-*

Decimò quæritur. Qualia sunt hæc sexcenta & tredecim præcepta?

Respondeo. Quædam sunt moralia, quædam ceremonialia, quædam etiam forensia. Hoc ita esse apparet ex ipsis præceptis: ex. gr. 3. 4. 7. 9. aliaque quamplurima præcepta sunt moralia; & propterea tam in Veteri quam in Novo T. obligant. Deinde 25. 28. 29. 37. 39. aliaque multa sunt Præcepta ceremonialia. Denique 173. 182. 184. aliaque multa sunt præcepta affirmativa forensia. Unusquisque, qui præcepta hæc vel in Maimonide vel in priori hujus Philologi editione, vel etiam in hac tertia percurret, facilè hanc triplicem differentiam præceptorum inveniet.

Undecimò quæritur. An hodierni Judæi ad omnia sexcenta & tredecim præcepta observanda sunt obligati?

Respondeo 1. Judæi hodierni negant se obstrictos esse ad omnia hæc præcepta observanda: nam inter illa 613. præcepta sunt multa de sacrificiis offerendis & de officiis Levitarum. Atqui Judæi jam non amplius sacrificia offerunt; etiam defendunt se jam non obligari ad ea offerenda: quia Templum Hierosolymitanum jam est dirutum, & eo destructo putant se non obligari ad sacrificia offerenda. Verum quidem est, quod Judæi non amplius sint obstricti, sed veram ejus libertatis rationem ignorant, quæ hæc est, scil. quia Messias in mundum venit, qui delevit rituum chirographum, quod adversus nos erat, *Col.* 2. 14. *Deleto quod adversus nos erat chirographo, quod erat contrarium nobis per decreta: & illud sustulit è medio, affixum cruci.*

2. In rei veritate nec Judæi nec etiam Christiani omnia illa 613. præcepta jam tenentur observare: nam multa sunt ceremonialia, multa etiam forensia, quæ nos quatenus talia jam non amplius obligant. Consule hâc de re Theologos in locis communibus.

3. Multa sunt præcepta, quæ fœminas non tangunt; & per consequens non obligant. Judæi nonnulli dicunt omnia Præcepta Negativa fœminas obligare, sed non Affirmativa: ex. gr. Præcepta de Circumcisione, de Officio Sacerdotum & Levitarum, Primogenituræ, aliaque multa fœminas obligare non possunt. Buxtorfius in Synagoga Cap. 3. ait: *Si quis exactius inquirere & rationes inire voluerit, inveniet, mulieres sexaginta quatuor tantum Præceptis negativis, & triginta sex affirmativis obnoxias esse. Hæc nempe à prudentissimis Rabbinis, circa observationem legis, gratia facta est mulieribus; eo quod non semper otiosæ sint, & multis aliis negotiis domesticis, ut ciborum præparatione & coctione, lotione, libero-*

liberorum educatione, *& variis maritorum mandatis exequendis*, *occupata*. Ex his videmus, quod omnia 613. præcepta, fatentibus ipsis Judæis, jam non sint à quolibet observanda.

Duodecimò quæritur. An talis semper est horum præceptorum sensus, qualem Judæi ex verbis Mosis eliciunt?

Respondeo negando. Veritas hujus negationis ex lectione ipsorum præceptorum, cuilibet ea legenti, clare illucescere poterit.

III. *De Prophetis anterioribus.*

X. Post Pentateuchum sequuntur quatuor Prophetæ anteriores, scil. *Josua*, *Judicum*, libri *Samuelis* & *Regum*, qui καταχρηστικῶς sive abusivè à Judæis Prophetæ vocantur, quum verius inter Historicos recensendi essent: sed loquimur cum multis, & sentimus cum paucis.

1. De JOSUA.

XI. Primum locum inter Prophetas *anteriores* occupat יְהוֹשֻׁעַ *Jehoschua*, qui à septuaginta Interpretibus Ἰησοῦς nominatur. Josua describit historiam annorum circiter septendecim.

XII. De libro Josuæ *quæritur*: Quis est ejus Auctor?

Respondeo 1. Nonnulli hunc librum adscribunt Eleazaro, summo Pontifici, filio Aharonis. 2. Alii celebrant Auctorem Esdram, qui hunc librum, vel solus, vel cum aliis, junctis operis, composuit. 3. Alii asserunt hunc librum non de novo esse compositum, sed tantùm esse contractum ex magnâ quâdam historiâ, cui nomen est *Liber justorum*. 4. Alii putant ipsum Josuam hujus libri esse Auctorem; exceptis tamen quinque ultimis versibus ad finem libri additis, quos, quippe mortem ejus describentes, ab Esdra additos esse vulgo creditur. Hi moti sunt verbis, quæ habentur Josuæ cap. 24. v. 26. ubi disertè testatur se verba ad populum habuisse, & res gestas annorum præcedentium in commentarios retulisse. 5. Sunt alii, qui, litem sub judice relinquentes, statuunt hunc librum titulo Josuæ insigniri, quia ejus illustria gesta in eo enarrantur.

XIII. Masorethæ, qui numerarunt omnes versus Veteris Test. ajunt in Josua inveniri versus 656. Sed in multis Bibliis inveniuntur versus 658. An ergo duo versus libro Josuæ à recentioribus sunt adjecti, qui olim in illo non extiterunt? *Resp.* In multis Bibliis Hebraicis, scil. Bombergianis, posterioribus Venetis, Buxtorfianis, & in illis novissi-

novissimis, quæ ductu nostro per Josephum Athiam anno 1667. edita sunt, *Jos.* cap. 21. post versum 35. duo versus scil. 36. & 37. non extant; qui sic sonant: *Et ex tribu Ruben Betzerum cum suburbanis ejus: & Jabaizum cum suburbanis ejus: Kedemothas cum suburbanis ejus, Mephabatam cum suburbanis ejus: civitates quatuor.* Hi duo versus à nonnemine videntur ex libro 1. *Chron.* cap. 6. vers. 63. & 64. adjecti: nam antiqui Rabbini testantur se eos duos versus in nullo correcto codice invenisse. Vide hæc omnia fusè probata in præfatione illorum Bibliorum.

2. De libro JUDICUM

XIV. Liber *Judicum* sequitur, qui Hebræis שֹׁפְטִים, & Græcis κριταὶ appellatur. Hic liber sic vocatur, quia historiæ aliquot Judicum ibi describuntur; continetque historiam 299. vel 300. circiter annorum, scil. ab anno creationis mundi 2511. usque ad annum 2810.

De hoc libro *quæritur*; Quis eum composuit?

Respondeo 1. Quidam statuunt, quod Samuel eundem composuerit. 2. Non desunt, qui Ezechiæ vel Esdræ Prophetæ eundem adscribunt. 3. Sunt nonnulli, qui existimant Pinchasum hunc librum literis consignasse. 4. Sunt, qui opinantur singulos Judices res gestas suorum temporum pertexuisse. 5. Nos judicamus melius esse, cum Spiritus sanctus nihil de Auctore hujus libri definiat, ἐπέχειν.

3. De libris SAMUELIS.

XV. Libri *Samuelis* in Bibliis Hebraicis, prætermisso libro *Ruthæ*, immediatè post librum *Judicum* sequuntur. Hos libros Samuelis Hebræi simpliciter שְׁמוּאֵל, Græci βασιλειῶν vel βασιλειῶν, & Latini primum & secundum *Regum* vel *Regnorum* denominant: quia hi duo libri historiam Regum Saulis & Davidis enarrant. Hebræi tamen magis propriè hunc primum & secundum librum nomine *Samuelis* insigniverunt: tum ad distinguendum hos libros à libris Regum, qui de pluribus Regibus agunt; tum etiam, quia ipse Samuel in his libris conditionem parentum, nativitatis, educationis, vitæ, & regiminis sui, ut Judicis supra Israëlem, descripsit. Deinde delineavit vitam duorum Regum Saulis & Davidis â se unctorum, quorum illum primum Regem in regno constituit, & hunc in Regem futurum elegit.

XVI. Primus liber Samuelis continet historiam annorum 80. &

ſecundus annorum 40. Uterque ergo complectitur hiſtoriam annorum centum & viginti.

XVII. De Auctore librorum Samuelis *quæritur*. Quis eorundem librorum eſt Auctor?

Reſpondeo. Priora viginti quatuor capita, in quibus facta Heli, Saulis, & ipſius Samuelis enarrantur, ab ipſo Samuele videntur eſſe compoſita. Sed quis reliqua capita adjunxit? *Reſp*. Quidam autumant Nathanem & Gadum Prophetas reliqua ſubjeciſſe. Nonnulli opinantur reliqua ab Eſdra eſſe conſcripta. Ut ut ſit, poſterior liber magna veritatis ſpecie Gado & Nathano Prophetis adſcribitur; quod videtur probari ex 1, Chron. 29. 29. *Res Davidis Regis priores & poſteriores, ecce ſunt ſcriptæ in verbis Schemuelis, & in verbis Nathanis Prophetæ, ac in verbis Gadis videntis.*

4. De libris REGUM.

XVIII. Agmen priorum Prophetarum claudit liber מְלָכִים *Regum*, qui in duos libros propter magnitudinem diſpeſcitur. Vocantur libri Regum, quia hiſtoria Regum Iſraëlis & Judæ ordine in illis pertexitur.

Prior Regum liber continet hiſtoriam 118. annorum, & poſterior 320. circiter annorum. Libri ergo Regum comprehendunt hiſtoriam quadringentorum & triginta octo annorum.

XIX. *Quæritur*: An Auctor librorum *Regum* eſt notus?

Reſpondeo. Quis ejus Auctor fuerit, non ſatis conſtat. 1. Nonnulli Eſdram ejus Auctorem ſtatuunt. 2. Alii, ut Rabbi Moſes Kimchi & Iſidorus, opinantur hos libros in unum volumen eſſe collectos à Jeremia; quia poſtremum caput libri Regum cum ultimo capite libri Jeremiæ ſtylo & verbis convenit. 3. Sunt nonnulli, qui putant Scriptores horum librorum fuiſſe multos; prioris libri Auctores, ſi Waſero fides adhibenda eſt, ſunt Nathan, Achayas, Semajas, Iddo, Azarias, Jehu, & Michajehu. Ille enim exiſtimat Nathanem decem priora capita, Achayam undecimum, ſed ultimam capitis undecimi partem, & ſequentem, Roboami atque Abiæ hiſtoriam, Semajam & Iddonem literis conſignaſſe. Præterea idem affirmat hiſtoriam Azæ & Jaazæ, quæ capite 15. deſcribitur, Azariam; & caput 16. Jehu; ac reliquam hiſtoriam ad finem uſque Michajehu delineaſſe. Idem Waſerus poſterioris libri etiam varios Auctores conſtituit: primorum

capitum

capitum ad octavum usque Auctorem statuit Elisæum; sequentium Zachariam; quorum tamen bonam partem Jesajas & Jeremias videntur composuisse.

XX. De quatuor Prophetis anterioribus in genere asserimus, certos eorundem librorum Auctores non posse certò designari, nec ex sacrâ Paginâ, nec ex scriptis Rabbinorum, nec ex aliis historiis: canonica tamen eorundem auctoritas in dubium vocari non debet: nam illi in arca Judæorum semper fuerunt asservati, & plurima divinitatis indicia in illis inveniuntur.

DISSERTATIO SEXTA,

DE

Prophetis in genere, & de Prophetis posterioribus in specie.

§. 1. *Prophetæ posteriores enumerantur. Prophetarum officium fuit geminum.*

2. *Propheta quinque nominibus insignitur.*

3. *Sed non titulis quibusdam.*

4. *Ratio additur.*

5. *Temporibus Christi tituli Rabbi &c. sunt excogitati. Septem vocati sunt Rabban.*

6. *Christus vocatur Rabbi, & non Rabban. Differentia Rabbi, Ribbi, Mar & Rab.*

7. *Moses aliis Prophetis longè præfertur.*

8. 9. *Quinque differentiæ inter Mosen & alios Prophetas recensentur, & à Judæis approbantur.*

10. *Jesaiæ etymologia. Jesaias, Jeremias, Ezechiel &c. sic denominantur, quia suorum librorum sunt auctores.*

11. 12. 13. 14. 15. *Jesaiæ progenies, stylus, tempus prophetiæ & mors describuntur.*

16. 17. *Jeremiæ locus nativitatis, tempus prophetiæ & stylus enarrantur.*

18. *Prophetiæ ejus non eodem ordine describuntur, quo habitæ sunt.*

19. 20. *Lapidatus est. Fabula Victorini aliorumque refutatur.*

21. 22. 23. *Ezechielis etymologia, captivitas, stylus & mors.*

24. *Olim interdicta fuit Judæis ante 30. annum lectio quorundam capitum Ezechielis, 1. cap. Genes. & totius Cantici. Rationes adduntur. Sed illud interdictum jam est obsoletum.*

25. *Minores Prophetæ in genere enumerantur, & ratio appellationis*

nis datur.

26. *Olim solebant simul compingi. Ratio additur.*

27. *De ordine horum Prophetarum quæritur.*

28. *Duodecim Prophetæ singulatim recensentur.*

I. *De Prophetis in genere*

Sectio I.



Equuntur Prophetæ propriè dicti, qui Hebræis נְבִיאִים אַחֲרוֹנִים *Prophetæ posteriores* dicuntur; suntque Jesaias, Jeremias, Ezechiel, & duodecim Prophetæ minores. Hi libri vocantur Prophetici, sive potius Prophetæ; quia Prophetæ, Auctores illorum librorum, sæpissimè futura prædixerunt, & populum docuerunt, ac extraordinario modo in ordinem redegerunt. Duo enim erant officia Prophetarum. 1. Futura prædicebant admonendo populum, vel ut sibi caverent à futuris plagis propter peccatum immittendis, vel ut exspectarent cum patientiâ promissas tum temporales tum etiam spirituales benedictiones. 2. Prophetæ populum docebant, & officii circa cultum Divinum admonebant: tali modo Jeremias in Threnis suis Prophetam egit. In illis enim futura præcipuè non prædixit, sed populum à peccatis dehortatus est. Propter hoc officium *Salomo Jarchi* exponit *Prophetam* per hominem præconiantem, & populo verba objurgatoria proponentem.

II. Quinque sunt nomina, quibus Prophetæ in Veteri T. ut plurimum denominantur.

Primum nomen est נָבִיא *Propheta*, quod respectu significationis est à נִבָּא *prophetavit*, *vaticinatus est*. Hoc nomen à futurorum prædictione Prophetis impositum esse videtur, & sic hâc etymologiâ primum Prophetarum officium indicatur. Alii derivant à נוּב *progerminare*, quod metaphoricè significat *eloqui*; quasi נָבִיא esset *orator*, *præco*, vel *concionator*, qui concionem ad populum habet; & ita Prophetarum alterum officium denotatur. Prophetarum discipuli, quia docebantur à Prophetis, vocabantur בְּנֵי הַנְּבִיאִים *Filii Prophetarum*.

Secundum nomen Prophetæ est חֹזֶה *Videns*, à חָזָה *prospexit*, *vidit*.

Tertium nomen est רוֹאֶה *videns*, à רָאָה *vidit*. Hæc tria nomina, jam nominata, simul 1 *Chron* 29. 29. in eodem versu occurrunt: *Verba Davidis — sunt scripta in verbis Samuelis* הָרֹאֶה (*videntis*,) *& in verbis Nathanis* הַנָּבִיא (*prophetæ*,) *& in verbis Ghad* הַחֹזֶה (*videntis*.)

Quartum nomen est צוֹפֶה *speculator*, à צָפָה *explorare*, *speculari*. Ita vocatur Propheta apud Ezechielem *cap.* 3. v. 17. *Fili hominis*, *speculatorem* (Prophetam) *dedi te domui Israël*. Schelomo ben Melech in מכלל יופי circa initium Commentariorum ad libros Samuelis ait: כי הנביא יקרא צופה *Nam Propheta vocatur speculator*. Hæc tria nomina posteriora significatione conveniunt. Prophetæ his titulis in Veteri T. fuerunt denominati, vel quia Deus ipsis per visiones futura revelabat, vel quia ipsi futura prævidebant. Prophetia Jesaiæ vocatur חָזוֹן *visio*; quia illa ipsi ad modum visionis fuit revelata.

Quintum nomen, quo Propheta in V. Test. fuit vocatus, est אִישׁ הָאֱלֹהִים *Vir Dei*. Prophetæ & Doctores sic denominabantur: tum quia à Deo ad ministerium erant vocati; tum etiam, quia erant instrumenta Dei ad revelandum hominibus voluntatem divinam. Hoc nomine insignitus fuit Samuel 1. *Sam.* 9. 10. Etiam 1. *Sam.* 2. 27. dicitur venisse איש אלהים *Vir Dei* ad Helin: & *Judic.* 13. 6. Angelus fœderis, qui uxori Manoah apparuit, vocatur *Vir Dei*. Rabbini tradunt tantum decem Prophetas hoc ultimo nomine fuisse nuncupatos.

III. Nemo ex Prophetis unquam רַבָּן *Rabban*, רִבִּי *Ribbi*, רַבִּי *Rabbi*, רַב *Rabb*, vel מַר *Mar*, hoc est, *Magister* aut *Doctor* fuit vocatus: nam omnes illi tituli demum post natum Christum inter Judæos orti sunt.

IV. *Quæritur*: Quare nullus ex Prophetis unquam præcedentibus titulis fuit condecoratus?

Respondeo. Judæi hanc afferunt rationem: quia Prophetæ erant magnificentissimi & excellentissimi; adeo ut impossibile fuerit reperire titulos dignos ipsis ad honorandum nomen ipsorum. Sed præstat dicere, eos ex humilitate non quæsivisse tales superbos & ostentatorios titulos.

V. Paulo post, vel circa Christi nativitatem, Judæi seipsos variis titulis ornarunt. Septem Hillelis posteri tantum nomine רַבָּן *Rabban* fuerunt insigniti; qui titulus est omnium præstantissimus, & non tam doctorem populi, quam quidem Magnatem & Principem populi denotat. Inter hos septem, qui hoc præstantissimo titulo *Rabban* fuerunt insigniti, dicitur fuisse Gamaliël, ad cujus pedes Apostolus Paulus est educatus.

VI. Christus in Novo T. nunquam vocatus est *Rabban*; quia non fuit Princeps populi: sed vocatus est *Rabbi*; quia fuit Doctor habi-

tans in Terra sancta. Nam Doctores Judæorum, habitantes extra Terram sanctam, nominati sunt רב vel מר; sed habitantes in Terra sancta, nomine רִבִּי *Ribbi* vel רַבִּי *Rabbi* fuerunt insigniti.

Et quando postea mutabant sedem domicilii, migrantes ex Terra sancta, vel venientes in Terram sanctam, tum mutabant pro ratione terræ etiam nomina sua; scil. in Rabbi & Ribbi, aut in Rab & Mar. Hi tituli simpliciter significant *magistrum*. Differentiam horum titulorum clarè describit Cl. Buxtorfius in Abbreviaturis ad literam ר.

VII. Judæi Mosen omnibus Prophetis longè præferunt: & propterea ipsum variis honoris titulis condecorant ac cohonestant. Quando Judæi Prophetæ Mosis recordantur, solent semper ejus honorificam facere mentionem addito reverentiæ titulo: ut מֹשֶׁה רַבֵּינוּ עָלָיו הַשָּׁלוֹם *Moses præceptor noster, supra quem est pax*. Sed aliorum Prophetarum solent tantummodo nomina citare absque ullo honoris titulo. Præterea Mosen vocant Magistrum & Patrem omnium Prophetarum; Patrem in lege, Patrem in sapientia, & Patrem in prophetiis. Dicunt omnes alios Prophetas prophetasse ex fonte prophetiæ Mosis, & ipsum nihil mysteriorum unquam fugisse. Præterea Judæi putant Mosen nullâ vitæ labe inquinatum fuisse; prout Muhamedani de Muhamede suo statuunt. Fuit aliquando Doctor aliquis inter Muhamedanos, qui in dubium vocabat, an non Muhamed potuisset in juventute sua peccasse, surripiendo alicui pomum vel malum. Hic Doctor propter hoc dubium fere capitis periculum incurrit.

VIII. Judæi, Mosen omnibus aliis Prophetis præferentes, quinque differentias assignant inter eum & inter alios Prophetas, qui post ipsum vixerunt.

1. Omnes Prophetæ prophetabant in somnio nocturno, vel in visione, vel aliquando interdiu sopor gravis irruebat in Prophetas; adeo ut cessarent in illis externi ipsorum sensus, nec remaneret, nisi contemplatio sola. Verum Mosi adfuit Spiritus Dei Propheticus in vigiliis ipsâ clarâ diurnâ luce.

2. Omnes Prophetæ non vaticinabantur quolibet tempore, quo volebant; sed disponebant intellectum, ac læto bonoque animo solitarii considebant, & nablio, tympano, fistulâ, cytharâ, aliisve instrumentis eliciebant prophetiam; nonnunquam totos dies, menses, & annos absque prophetiâ fuerunt; aliqui etiam citò Prophetæ esse desine-

finebant. Sed Moses omni tempore, quo volebat, Spiritu Prophetico amictus erat; & quoties volebat, toties residebat supra eum prophetia; neque opus habebat mentem suam ad prophetiam disponere, aut præparare. Liberrimum etiam habebat aditum ad Deum, quoties necesse erat: quapropter oblato difficili aliquo casu, jubebat populum saltem paulisper exspectare: uti dicitur Num. 9. 8. *State, & audiam quid præcipiat Dominus.*

3. Omnes Prophetæ interventu & opera Angeli prophetabant: propterea quicquid videbant sub ænigmate ac similitudine intuebantur. Sed Moses non vaticinabatur interventu Angeli alicujus; uti videre est Num. 12. 8. *Ore ad os locutus sum ei, speciem, & similitudinem* JEHOVÆ *intuebatur, ac non per ænigmata.* Ex his verbis Judæi probant Mosen non per ænigma vel similitudinem, sed perspicuè & clarè ipsam rem invisione conspexisse.

4. Omnes Prophetæ tempore manifestationis prophetiæ exhorrescebant, attoniti erant, illorum membra tremebant, gressus liquefiebant, ædificium corpusculi corruebat, panicus pavor eos inveniebat, & parum aberat, quin animæ è corpore egrederentur: prout in Daniele *Cap.* 10. *vers.* 8. apparet: *Et ego relictus sum solus, & vidi visionem magnam hanc, & non remansit in me fortitudo, & vis mea versa est in me in corruptionem, & non retinui fortitudinem.* Sed Deus alloquutus est Mosen, sicuti vir alloquitur proximum & amicum suum: quod legere est Exod. 33. 11. *Alloquebatur* JEHOVA *Mosen, sicut alloqui solet aliquis amicum suum,* hoc est, placido & benevolo vultu absque ullâ consternatione. Quemadmodum quis non reformidat audire sermones socii sui, ita Moses intelligebat prophetiam, & perfectus manebat in suâ constantiâ.

5. Omnes Prophetæ ante mortem facultate prophetandi fuerunt privati, sed non eodem tempore; quibusdam donum prophetandi auferebatur brevi, aliis longo tempore ante mortem: sed Moses ad mortem usque prophetavit.

IX. Judæi has differentias inter Mosen & alios Prophetas constituunt, & tam firmiter hanc præstantiam prophetiæ Mosis præ aliis prophetiis credunt, ut symboli sui articulum septimum inde formaverint. Sed quàm bene hanc dignitatem prophetiæ Mosis probent, judiciosus lector ad trutinam veritatis expendat. Vide plura apud *Buxtorf. in Synag. cap.* 7.

tans in Terra sancta. Nam Doctores Judæorum, habitantes extra Terram sanctam, nominati sunt רַב vel מָר; sed habitantes in Terra sancta, nomine רִבִּי *Ribbi* vel רַבִּי *Rabbi* fuerunt insigniti.

Et quando postea mutabant sedem domicilii, migrantes ex Terra sancta, vel venientes in Terram sanctam, tum mutabant pro ratione terræ etiam nomina sua; scil. in Rabbi & Ribbi, aut in Rab & Mar. Hi tituli simpliciter significant *magistrum*. Differentiam horum titulorum clarè describit Cl. Buxtorfius in Abbreviaturis ad literam ר.

VII. Judæi Mosen omnibus Prophetis longè præferunt: & propterea ipsum variis honoris titulis condecorant ac cohonestant. Quando Judæi Prophetæ Mosis recordantur, solent semper ejus honorificam facere mentionem addito reverentiæ titulo: ut מֹשֶׁה רַבֵּינוּ עָלָיו הַשָּׁלוֹם *Moses præceptor noster, supra quem est pax*. Sed aliorum Prophetarum solent tantummodo nomina citare absque ullo honoris titulo. Præterea Mosen vocant Magistrum & Patrem omnium Prophetarum; Patrem in lege, Patrem in sapientia, & Patrem in prophetiis. Dicunt omnes alios Prophetas prophetasse ex fonte prophetiæ Mosis, & ipsum nihil mysteriorum unquam fugisse. Præterea Judæi putant Mosen nullâ vitæ labe inquinatum fuisse; prout Muhamedani de Muhamede suo statuunt. Fuit aliquando Doctor aliquis inter Muhamedanos, qui in dubium vocabat, an non Muhamed potuisset in juventute sua peccasse, surripiendo alicui pomum vel malum. Hic Doctor propter hoc dubium fere capitis periculum incurrit.

VIII. Judæi, Mosen omnibus aliis Prophetis præferentes, quinque differentias assignant inter eum & inter alios Prophetas, qui post ipsum vixerunt.

1. Omnes Prophetæ prophetabant in somnio nocturno, vel in visione, vel aliquando interdiu sopor gravis irruebat in Prophetas; adeò ut cessarent in illis externi ipsorum sensus, nec remaneret, nisi contemplatio sola. Verum Mosi adfuit Spiritus Dei Propheticus in vigiliis ipsâ clarâ diurnâ luce..

2. Omnes Prophetæ non vaticinabantur quolibet tempore, quo volebant; sed disponebant intellectum, ac læto bonoque animo solitarii considebant, & nablio, tympano, fistulâ, cytharâ, aliisve instrumentis eliciebant prophetiam; nonnunquam totos dies, menses, & annos absque prophetiâ fuerunt; aliqui etiam citò Prophetæ esse desine-

finebant. Sed Moses omni tempore, quo volebat, Spiritu Prophetico amictus erat; & quoties volebat, toties residebat supra eum prophetia; neque opus habebat mentem suam ad prophetiam disponere, aut præparare. Liberrimum etiam habebat aditum ad Deum, quoties necesse erat: quapropter oblato difficili aliquo casu, jubebat populum saltem paulisper exspectare: uti dicitur Num. 9. 8. *State, & audiam quid præcipiat Dominus.*

3. Omnes Prophetæ interventu & opera Angeli prophetabant: propterea quicquid videbant sub ænigmate ac similitudine intuebantur. Sed Moses non vaticinabatur interventu Angeli alicujus; uti videre est Num. 12. 8. *Ore ad os locutus sum ei, speciem & similitudinem* JEHOVÆ *intuebatur, ac non per enigmata.* Ex his verbis Judæi probant Mosen non per ænigma vel similitudinem, sed perspicuè & clarè ipsam rem invisione conspexisse.

4. Omnes Prophetæ tempore manifestationis prophetiæ exhorrescebant, attoniti erant, illorum membra tremebant, gressus liquefiebant, ædificium corpusculi corruebat, panicus pavor eos inveniebat, & parum aberat, quin animæ è corpore egrederentur: prout in Daniele *Cap.* 10. *vers.* 8. apparet: *Et ego relictus sum solus, & vidi visionem magnam hanc, & non remansit in me fortitudo, & vis mea versa est in me in corruptionem, & non retinui fortitudinem.* Sed Deus alloquutus est Mosen, sicuti vir alloquitur proximum & amicum suum: quod legere est Exod. 33. 11. *Alloquebatur* JEHOVA *Mosen, sicut alloqui solet aliquis amicum suum*, hoc est, placido & benevolo vultu absque ullâ consternatione. Quemadmodum quis non reformidat audire sermones socii sui, ita Moses intelligebat prophetiam, & perfectus manebat in suâ constantiâ.

5. Omnes Prophetæ ante mortem facultate prophetandi fuerunt privati, sed non eodem tempore; quibusdam donum prophetandi auferebatur brevi, aliis longo tempore ante mortem: sed Moses ad mortem usque prophetavit.

IX. Judæi has differentias inter Mosen & alios Prophetas constituunt, & tam firmiter hanc præstantiam prophetiæ Mosis præ aliis prophetiis credunt, ut symboli sui articulum septimum inde formaverint. Sed quàm bene hanc dignitatem prophetiæ Mosis probent, judiciosus lector ad trutinam veritatis expendat. Vide plura apud *Buxtorf. in Synag. cap.* 7.

II. *De Prophetis posterioribus in specie.*

1. De Jesaia.

X. Primus inter Prophetas propriè dictos est יְשַׁעְיָה *Jesaias*: sed Rabbini solent huic Prophetæ Jeremiam & Ezechielem præmittere; uti videre est in *Maimonidæ Tractatu* ספר תורה *pag.* פט. Hoc nomen proprium ישעיהו componitur ex יֵשַׁע & יָהּ, id est, *salus Dei.* Liber hic nomine Jesaiæ insignitur, quia ipse ejus prophetiæ auctor est. Similiter etiam omnes libri Prophetici sequentes nomina sortiuntur ab ipsis auctoribus; quod hic obitèr annotandum est.

XI. Hic Propheta fuit vir nobilis Hierosolymitanus de tribu Judæ, & Regio sanguine natus esse creditur; quia fuit filius Amozi fratris Azariæ Regis Judæ.

XII. Cæteros Prophetas tum venustate sermonis & urbanæ dictionis elegantiâ, tum etiam difficultate styli & rerum superat; in sermone suo disertus, nervosus & difficilis est, nihil rusticitatis habens admixtum. Præterea majestas styli passim occurrens quodammodo ostendit quâ natus sit origine: tractat secretissima & abstrusissima mysteria, quæ tamen ipse probè cognoscebat. Judæi statuunt quod omnes Prophetæ ignoraverint quæ prophetarint, exceptis Mose & Jesaia, quos solos putant intellexisse ea quæ prædixerunt. Hoc testatur R. Eliezer nomine R. Jose: *Omnes Prophetæ, qui vaticinati sunt, ignorarunt quid prophetarent: Moses vero & Jesaias, quod prædixerunt, intellexerunt.*

XIII. Tota prophetia Jesaiæ prosa est exceptis tribus canticis, scil. Vineæ Cap. 5. Urbis Sion, Cap. 26. & Regis Ezechiæ Cap. 38. quæ hexametris & pentametris versibus constare apud multos indubitatum est.

XIV Jesaias sub quatuor Regibus sibi invicem succedentibus, scil. sub Ozia, Joatham, Achaz & sub Ezechiâ sexaginta quatuor circiter annos prophetavit.

XV. Tandem Jesaias obiit: sed quo mortis genere ad superos migraverit incertum est. Receptissima opinio & verosimillima est, eum jussu impii Regis Menassis, duabus ligneis tabulis alligatum, serrâ in duas partes dissectum fuisse; quia Optimates Regiæ domus *Principes*

Sodo-

Sodomorum vocasset. Ad hoc Jesaiæ supplicium applicant verba Pauli ad Hebræos Cap. 11. vers. 37. *Dissecti sunt.*

2. De Jeremia.

XVI. Secundus Propheta est יִרְמְיָהוּ *Jeremias*, quasi dicas, יָרִים יָהּ *exaltabit* JEHOVAM. Jeremias fuit Propheta & Sacerdos oriundus ex viculo Anathot, distante Hierosolymâ tribus milliaribus.

XVII. Cœpit valde adolescens prophetare, & vaticinia sua describere sermone inculto & subrustico: nam respectu sermonis & styli multo facilior est Jesaiâ; & non mirum, cùm in vico apud rusticos natus & educatus fuerit: sed in majestate sensuum nihilominus est profundissimus.

XVIII. Hic Propheta in prophetiæ suæ dispositione non semper rationem temporis habuit, sed multa ὕστερον πρότερον ordine turbato & præpostero literis mandavit.

Hinc *quæritur*. Quare Prophetæ prophetias suas sæpe non eodem ordine descripserunt, quo eæ habitæ & promulgatæ fuerunt?

Respondet Calvinus in Præfat. in Jesaiam, Prophetas, postquam concionem habuissent ad populum, brevem ejus summam collegisse, eamque valvis templi affixisse, ut omnibus prophetia melius innotesceret. Præterea asserit hanc prophetiam, quum per aliquot dies omnibus satis innotuisset, fuisse ablatam à ministris templi, ac repositam in thesaurum, ut perpetuum rei monumentum extaret. Hæ conciones Propheticæ postea digestæ quidem fuerunt in ordinem aliquem, sed sæpe præposterum: & ex illis concionibus, ordine aliquo conjunctis, libros Prophetarum confectos esse verosimile est.

XIX. Hic Propheta vixit sub Regibus Josia, Jehojakim, & Zedekia: sed misero modo lapidibus obrutus vitam cum morte commutavit. Quare? Quia in Ægypto, quò antea cum aliis Judæis erat deportatus, contra Ægyptum & contra alia regna vaticinatus fuerat. De hoc Propheta explicant verba Apostoli ad Hebræos *Cap.* 11. *v.* 37. *Lapidati sunt.* Inter Judæos tempore Veteris T. fuerunt quatuor ordinaria supplicia capitalia, scil. Lapidatio, combustio, strangulatio & decollatio. Pœna omnium gravissima erat lapidatio; & hâc pœnâ gravissimâ dicitur Jeremias occisus.

XX. Propterea audiendi non sunt Victorinus, aliique vetustissimi Patres, qui docuerunt eum adhuc vivere, & in paradiso terrestri unâ cum

cum Elia & Enocho superstitem esse. His forte annumerandi sunt, qui narrant Alexandrum, cum Ægyptum ingrederetur, corpus Jeremiæ secum deportasse Alexandriam, ibique terræ mandasse.

3. De Ezechiele.

XXI. Tertius Propheta inter posteriores Prophetas est יְחֶזְקֵאל, *Ezechiel*, id est, *fortis Dei*, *apprehendens Deum*, vel *robur Dei*. Hic fuit Propheta & Sacerdos, & cum Jehojakim Rege Judæ captivus in Chaldæam abductus est.

XXII. Ezechiel stylo & elegantia sermonis vincit Jeremiam, sed à Jesaia vincitur: illius enim stylus nec adeo disertus, nec adeo rusticus est, sed ex utroque temperatus & mixtus.

XXIII. Ezechiel est occisus in Babylonia à duce gentis suæ, quem de idololatria reprehenderat; & sepultus est in terra Assyriorum, postquam viginti annos prophetasset.

XXIV. Magna hujus prophetiæ pars tantis obvolvitur obscuritatibus, ut apud Hebræos antiquos traditione cautum fuerit, ne quis primum Ezechielis & posteriora octo capita ante trigesimum annum legeret,

Primò quæritur. An Judæi etiam juventuti ante trigesimum annum non interdixerunt lectionem aliorum capitum, quam in Ezechiele?

Respondeo. Etiam prohibuerunt lectionem primi capitis Geneseos & totius *Cantici Canticorum*.

Secundò quæritur. Quare Juventuti ante trigesimum annum lectio horum capitum est interdicta?

Respondeo 1. Judæi Interdixerunt lectionem primi capitis *Geneseos* & aliquot capitum *Ezechielis* propter difficultatem: quia materia in illis capitibus contenta nimis difficilis est, quæ captum Juvenum superat. 2. Prohibuerunt lectionem *Cantici Canticorum* propter amores, quorum in illo libro creberrima fit mentio, qui facile juvenes ad libidinem pellicere possent.

Tertiò quæritur. An illud præceptum, olim juventuti mandatum, adhuc hodie à Judæis observatur?

Respondeo. Illud interdictum, quo lectio illorum capitum juventuti olim prohibita fuit, diu est obsoletum: jam enim sine discrimine etiam pueris lectio primi capitis Geneseos conceditur.

De

De Prophetis minoribus in genere.

XXV. Post tres Prophetas majores sequuntur duodecim minores, scil. Hosea, Joël, Amos, Obadja, Jona, Micha, Nahum, Habakuk, Zephanja, Haggai, Zacharia, Malachia. Hi Prophetæ vocantur minores, non quod minoris sint auctoritatis quam majores: omnes enim libri Prophetici ejusdem sunt auctoritatis: sed sic appellantur, quia minores Prophetæ minores prophetias scripserunt.

XXVI. Omnes Prophetæ minores olim in unum volumen compacti fuerunt, ne parvitate sua singuli distraherentur, aut particulatim perderentur. Hinc Lucas dicit in Actis Cap. 7. vers. 42. *Sicut scriptum est in libro Prophetarum, num victimas mihi obtulistis?* & Textus ille allegatur ex Amosi *Cap. 5. vers.* 25. sed scriptum dicitur in libro Prophetarum, quia duodecim Prophetæ minores in unum volumen fuerunt compacti. Ob hanc causam duodecim Prophetæ minores in supputatione librorum tantum pro unico libro numerantur.

XXVII. Ordo Prophetarum minorum, in Bibliis hodiernis Hebraicis usitatus, an secundùm seriem temporis sit institutus, clarè ex sacra Pagina vel ex historiâ Judæorum non innotescit. Quidam Prophetæ fuerunt coætanei: & propterea difficile est conjicere, quis priùs vel posteriùs prophetiam suam literis consignaverit. Auctores in diversa sententiarum eunt divortia circa ordinem & seriem Prophetarum minorum: alii hos, alii alios Prophetas præponunt. Nos hodiernam Prophetarum minorum seriem, apud Christianos usitatam, & in Thalmude approbatam, tum propter venerandam antiquitatem, tum etiam quia veritati apprime convenientem esse existimamus, retinebimus. De singulis pauca in medium proferemus.

XXVIII. Primus Propheta est הוֹשֵׁעַ *Hoseas*, idem denotans quod *Salvator*. Hic Propheta fuit filius Beëri, oriundus ex oppido Belometh, & Prophetæ Jesaiæ σύγχρονος fuisse creditur. Quidam Hoseæ prophetiam prophetiæ Jesaiæ præmittunt.

Secundus est יוֹאֵל *Joël*, id est, *incipiens*. Fuit filius Pethuel, oriundus ex agro Bethor, & vixit sub Rege Joram filio Achabi Regis Israël, ac usque ad tempora Menassis in Prophetico numere stetisse putatur.

Tertius est עָמוֹס *Amos*, id est, *portans*. Fuit vocatus Amos, quia fuit עָמוּס בִּלְשׁוֹנוֹ *oneratus, sive gravis linguâ suâ*, id est, impediti sermonis: hinc vocarunt eum balbum sive blæsum. Antea fuit plebejus, & ex bu-

bubulco in ordinem Propheticum receptus: sed postea, cum Regem de duobus vitulis aureis reprehendisset, clavo circa tempora transfixus vitam cum morte commutavit.

Quartus est עֹבַדְיָה *Obadias*, hoc est, *cultor Dei*. Hic, antequam Prophetarum numero adscriberetur, semicenturionis sive quinquagenarii dignitatem apud Ochoziam Regem Israëlis, si Sixto Senensi fides sit adhibenda, gessit. Postquam duo semicenturiones ad capiendum Eliam Prophetam, ab hoc Rege emissi, cœlesti igne absumpti essent, etiam Propheta Obadias missus fuisse creditur: sed ille, relicto Rege, Prophetæ adhæsisset, & discipulus ejus factus fuisset. Hieronymus existimat hunc Prophetam Obadiam fuisse illum Obadiam, qui temporibus Achabi & Jezabelis centum Prophetas in speluncis vitæ necessariis sustentavit, 1. *Reg*. 18. 4. Rabbini arbitrantur eum fuisse proselytum ex Ædomea; quia ejus prophetia contra Ædomeos, id est, Chaldæos & gentes conscripta est. Calvinus opinatur Obadiam ante tempora Jesaiæ prophetasse.

Quintus est יוֹנָה *Jona*, id est, *columba*. Fuit filius Prophetæ Amithai. Multi ex Rabbinis statuunt Jonam fuisse filium viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta ex mortuis suscitavit; uti videre est in Abarbanele in Jonam. Sed hoc Rabbinorum delirium sacræ Paginæ repugnat, quæ eum non gentilem, sed Hebræum fuisse asserit.

Sextus est מִיכָה *Micha*, id est, *percutiens*, sive *quis hic*. Hic Jesaiæ fuit coætaneus, & prophetare cœpit sub Jothamo, ac perrexit sub Achazia & Ezechia. Adventum Salvatoris & locum nativitatis ejus clarè prædixit. Sixtus Senensis pag. 18. sic de ejus morte scribit: *Moritur ex alto loco præcipitatus, & sepultus est in Morasti patria sua prope Polyandrium, anno ab orbe condito ferme ter millesimo ducentesimo quadragesimo.*

Septimus Propheta est נַחוּם *Nahum*, hoc est, *consolator*. Natus est in oppido Elkosai trans fluvium Jordanem. Post Prophetam Jonam contra Ninivitas prophetasse vulgo creditur.

Octavus est חֲבַקּוּק *Habakuk*, id est, *luctator*. Fuit Propheta oriundus ex agro Bezochar: sed quando vixerit, vel quando prophetare inceperit est ignotum. Nonnulli tempore captivitatis Babylonicæ, alii ante captivitatem Babylonicam eum vixisse opinantur: sed incerta sunt omnia. Ultimum ejus caput comprehendit carmen Eucharisticum, in quo judicia Dei adversus hostes & beneficia in Ecclesiam describuntur.

Nonus

Nonus est צְפַנְיָה *Zephania*, id est, *arcanus Dei*. Hic claruit sub Josia Rege Judæ, & fuit inter ultimos Prophetas, qui ante captivitatem Babylonicam cum Jeremia prophetarunt.

Decimus est חַגַּי *Haggæus*, id est, *festivus* sive *lætus*. Hic adhuc minorennis ex Babylonia in Judæam reversus, populum admonuit, & incitavit ad reædificationem Templi Hierosolymitani. Judæi verbis ipsius obtemperarunt, Templumque tam festinanter reædificarunt, ut adhuc suismet oculis structuram Templi completam contemplatus fuerit, inque eo primò omnium Deum laudaverit. Mortuus est Hierosolymis anno quinquagesimo post liberationem ex captivitate Babylonica.

Undecimus est זְכַרְיָה *Zacharias*, id est, *memor Domini*. Ejus prophetia superat alias prophetias minores tum longitudine, tum etiam obscuritate: continet enim visiones obscurissimas visionibus Danielis parum dissimiles.

Duodecimus & ultimus Propheta est מַלְאָכִי *Malachias*, id est, *angelus* vel *nuncius meus*. Origines putavit Malachiam fuisse Angelum, qui de cœlo lapsus corpus assumpsisset, ut Israëli voluntatem Dei revelaret. Alii, hanc sententiam tanquam nugatoriam rejicientes, verosimilius statuunt ipsum fuisse hominem natum in oppido Sopha in tribu Zabulon; & sortitum fuisse nomen Angeli, quia fuit formæ præstantis, & moribus inculpatissimis præditus. Paraphrastes Chaldæus & multi alii Judæi opinantur Malachiam fuisse Esdram scribam: *sed non videtur verosimile*: quia hic Propheta cum Zacharia & Haggæo coætaneus fuisse statuitur. Nam historia Judæorum asserit hos tres simul fuisse membra illius maximi extraordinarii Synedrii, constantis centum & viginti Viris, quod Hierosolymæ ab Esdra, post solutam captivitatem Babylonicam, ad restituendam Legem, fuit convocatum, & eodem Esdra præside ibidem habitum. Malachias vocatur חוֹתָם הַנְּבִיאִים *Sigillum Prophetarum*: quia ejus liber est ultimus inter libros Prophetarum: nam in ipso series Prophetarum fuit interrupta, sive potius abrupta.

DISSERTATIO SEPTIMA, DE HAGIOGRAPHIS,

PARS PRIOR.

§. 1. *Hagiographa enumerantur.*
2. *Appellatio Psalmorum.*
3. *Solvitur objectio.*
4. *Duæ sententiæ de auctoribus psalmorum proponuntur.*
5. *Decem auctores psalmorum enumerantur.*
6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. *Singulis auctoribus Psalmi, quos composuerunt, assignantur. Psalmus 151. non est authenticus.*
14. *Auctor collectionis Psalmorum inquiritur.*
15. *Psalmi aliter à Græcis & Latinis numerantur quàm ab Hebræis.*
16. *Septem Psalmi ordine Alphabetico constantes enumerantur; & diversitas indicatur.*
17. *Hieronymi sententia, numero septenario adversa, quodammodo conciliatur.*
18. *Ratio datur, quare quidam Psalmi ordine Alphabetico sint conscripti.*
19. *Dividitur Psalterium in 5. libros.*
20. *Locus, ubi medius versus invenitur, assignatur.*
21. *Numerus Radicum Hebraicarum & Chald. describitur.*
22. *Compendium discendi totum Psalterium.*
23. *Schema versuum 564. in quibus 1184. Radices occurrunt.*
24. *Illi versiculi sunt stellulà notati in tribus Psalteriis.*
25. *Docetur ubinam cætera 683. Radices in toto V. T. investigandæ sint.*
26. *Versus illi 546. enumerantur.*
27. *Ipsissima voces, in illis versibus occurrentes, recensentur in Manuali meo.*
28. *Psalmi sunt carmina. Ratio datur, quare aliquando ea occurrant.*
29. 30. *Enumerantur pleraque carmina V. T. Antiquitas poëseos demonstratur.*
31. *Quæritur: An metrum carminum sacrorum sit notum?*
32. 33. *Differentia inter carmina sacra & profana ostenditur.*
34. *Carmina sacra non constant metro, sed tantum fuerunt ad Musicam ita accomodata ut cantari potuerint.*
35. *Judæi cavillant libros non poëticos.*

SECTIO I.



Actenus de prima & secunda Veteris T. parte egimus, subsequitur jam ejusdem pars tertia, quæ nomine כְּתוּבִים *Hagiographorum* denotatur; suntque sequentes duodecim libri, scil.

ſcil. Pſalmi, Proverbia, Job, Canticum Canticorum, Ruth, Threni, Eccleſiaſtes, Eſther, Daniel, Eſdras, Nehemias & Chronica.

I. De Psalmis.

II. Primus liber inter Hagiographa eſt Pſalterium, quod ab Hebræis תְּהִלִּים (contractè תִּלִּים) *hymni*, *laudes*, & à Græcis ψαλτήριον vocatur: quia laudes Dei in illis continentur.

III. Fortè objiciet nonnemo, & dicet: Pſalmi non rectè vocantur hymni & laudes: nam in illis multæ querelæ, deprecationes & gratiarum actiones continentur.

Reſpondeo. Quando Pſalmi vocantur laudes, tum à majori & potiori parte deſumitur denominatio: laudes enim conſtituunt maximam partem Pſalmorum. Similiter liber Proverbiorum etiam vocatur מִשְׁלֵי *Proverbia*, cum ſciamus non tantum ſententias proverbiales, ſed etiam multa ſcita Sapientum & ænigmata in eo contineri.

IV. De Pſalmis *primò quæritur*. Quis eorum eſt Auctor?

Reſpondeo. 1. Chryſoſtomus & Auguſtinus autumant Davidem omnium centum & quinquaginta Pſalmorum eſſe auctorem; horum quoſdam ore proprio ceciniſſet, aliorum verò ſola argumenta dictaſſet, eaque tradidiſſet cantoribus, qui ex traditis argumentis carmina feciſſent, & ad varios cantus, variaque organa muſica accommodaſſent, illaque propriis nominibus inſcripſiſſent.

2. Alii, è quorum numero ſunt Aben Ezra, Hieronymus, aliique quamplurimi, eam ſententiam veroſimiliorem eſſe arbitrantur, quæ ſtatuit pleroſque quidem Pſalmos à Davide, reliquos vero ab aliis auctoribus eſſe compoſitos.

V. In univerſum decem vulgo Pſalmorum Auctores ſtatuuntur, ſcil. *David*, *Moſes*, *Salomon*, *Aſaph*, *Ethan*, *Heman*, *Idithun*, & tres filii *Korah*, ſcil. *Aſir*, *Elkana* & *Abirſaph*, qui communi ſtudio quoſdam Pſalmos dicuntur compoſuiſſe. In numero denario plerique Doctores conveniunt, ſed in ſpecificandis perſonis parumper diſcrepant. Quidam inter hos decem Pſalmorum auctores numerant *Abrahamum*, *Eſdram*, *Adamum* & *Melchiſedecum*: ſed nos priores decem retinemus.

VI. *Primus* & præcipuus auctor Pſalmorum eſt Rex & Propheta David, qui compoſuit Pſalmos *ſeptuaginta quatuor*, qui nomen ipſius in frontiſpicio Pſalmorum Hebraicorum hoc fere modo præ ſe ferunt; מזמור לדוד; vel שגיון לדוד; vel tantum לדוד; vel

מכתם לדוד ; vel תפלה לדוד ; vel משכיל לדוד ; vel תהלה לדוד :

Suntque 74. ſequentes :

3.	8.	14.	19.	24.	29.	35.	40.	54.	59.	64.	86.	110.	133.	142.
4.	9.	15.	20.	25.	30.	36.	41.	55.	60.	65.	101.	122.	138.	143.
5.	11.	16.	21.	26.	31.	37.	51.	56.	61.	68.	103.	124.	139.	144.
6.	12.	17.	22.	27.	32.	38.	52.	57.	62.	69.	108.	131.	140.	145.
7.	13.	18.	23.	28.	34.	39.	53.	58.	63.	70.	109.	132.	141.	

Præter hos ſeptuaginta quatuor Pſalmos , tali nomine in principio inſignitos, compoſuit David adhuc *triginta octo* alios Pſalmos, tali inſcriptione nominis carentes ;

Suntque 38. ſequentes :

1.	33.	67.	104.	107.	113.	116.	119.	123.	128.	134.	146.	149.
2.	43.	71.	105.	111.	114.	117.	120.	125.	129.	135.	147.	150.
10.	66.	102.	106.	112.	115.	118.	121.	126.	130.	137.	148.	

David ergo ſimul compoſuit Pſalmos centum & duodecim.

VII. *Secundus* Auctor Pſalmorum , ex ſententia Aben Ezræ , eſt aliquis Moſes , fortè non Propheta Moſes , auctor Pentateuchi , ſed unus ex Cantoribus Davidis. Verum Hieronymus putat hunc Moſen fuiſſe Prophetam Moſen, ſcriptorem Legis. Ut ut ſit, Moſes aliquis poſteritati reliquit undecim Pſalmos ſe mutuo ordine ſequentes , ſcil. à Pſalmo nonageſimo, qui ſic incipit תְּפִלָּה לְמֹשֶׁה *Oratio Moſis* , & alii decem ordine ſequentes. Etiamſi Pſalmi decem ſequentes nomen Moſis, ad modum Pſalmi nonageſimi, præ ſe non ferant, nihilominus Moſi adſcribuntur: nam Pſalmi, nominis proprii inſcriptionem non habentes, addicuntur ut plurimum illis auctoribus, quorum ultimò nominatim facta eſt mentio.

Sunt igitur 11. ſequentes:

90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

VIII. *Tertius* Auctor eſt Salomon filius Davidis , qui Pſalmum ſeptuageſimum ſecundum compoſuit, qui incipit nomine Salomonis לִשְׁלֹמֹה &c. Athanaſius Salomoni, præter hunc , adhuc duos alios Pſalmos adſcribit , ſcil. 67. & 127. quorum poſterior etiam nomen Salomonis præ ſe fert. Non deſunt, qui opinantur Salomonem etiam compoſuiſſe Pſalmos, qui *Cantica graduum* dicuntur, ſcil. à Pſalmo

mo 120. usque ad 134. Sed ex sententiâ Hebræorum Salomon unius tantum Psalmi, nempe 72. auctor statuitur.

IX. *Quartus* Auctor Psalmorum est Asaph, qui fuit princeps inter cantores, præsonantes cymbalis æneis. Hic composuit duodecim Psalmos, qui nomine Asaph inscribuntur;

Suntque 12. sequentes:

50. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83.

X. *Quintus* Auctor est Ethan, qui conscripsit Psalmum octuagesimum nonum, qui incipit מַשְׂכִּיל לְאֵיתָן. Hic Ethan tantâ sapientiâ præditus fuisse creditur, ut nemo hominum unquam præter Salomonem ipso fuerit sapientior.

XI. *Sextus* Auctor est Heman, qui modulatus est Psalmum octuagesimum octavum, ubi in versu primo scribitur, מַשְׂכִּיל לְהֵימָן. Hunc Psalmum filiis Korah cantandum dedit; & propterea tam suo quam ipsorum nomine inscribitur.

XII. *Septimus* Auctor statuitur Iduthun, cantor eximius, qui cantasse dicitur Psalmum trigesimum nonum, qui incipit לַמְנַצֵּחַ לִידוּתוּן. Sed hic Psalmus à nonnullis adscribitur Davidi propter nomen Davidis, quod in frontispicio gerit: & propterea paulo superius eum Davidi adscripsimus. Hinc Iduthun à Salomone Jarchi non numeratur inter auctores Psalmorum: sed hi sequentes, scil. Adam, Melchisedek, Abraham, Moses, David, Selomoh, Asaph, & tres filii Korah.

XIII. Reliqui Psalmographi sunt tres filii Korah, scil. Asir, Elkana & Abirsaph, qui junctis operis undecim Psalmos, titulum לִבְנֵי קֹרַח præ se ferentes, composuerunt;

Suntque hi sequentes:

42. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 84. 85. 87. 88. Si quis plura de Auctoribus Psalmorum desideret, adeat Sixtum Senensem in Bibliotheca pag. 12. & sequentibus.

Quaritur: An non dantur plures Psalmi authentici, quàm 150. jam enumerati?

Respondeo. In Versione LXX. Interpretum superioribus Psalmis 150. annumeratur Psalmus 151. qui continet certamen Davidis cum Goliatho. Inscriptio Latinè translata ita sonat: *Psalmus hic peculiariter Davidi, & extra numerum reliquorum inscriptus est, quum singulari certamine Goliathum stravisset.*

מכתם לדוד; vel תפלה לדוד; vel משכיל לדוד; vel תהלה לדוד:.

Suntque 74. sequentes:

3.	8.	14.	19.	24.	29.	35.	40.	54.	59.	64.	86.	110.	133.	142.
4.	9.	15.	20.	25.	30.	36.	41.	55.	60.	65.	101.	122.	138.	143.
5.	11.	16.	21.	26.	31.	37.	51.	56.	61.	68.	103.	124.	139.	144.
6.	12.	17.	22.	27.	32.	38.	52.	57.	62.	69.	108.	131.	140.	145.
7.	13.	18.	23.	28.	34.	39.	53.	58.	63.	70.	109.	132.	141.	

Præter hos septuaginta quatuor Psalmos, tali nomine in principio insignitos, composuit David adhuc *triginta octo* alios Psalmos, tali inscriptione nominis carentes;

Suntque 38. sequentes:

1.	33.	67.	104.	107.	113.	116.	119.	123.	128.	134.	146.	149.
2.	43.	71.	105.	111.	114.	117.	120.	125.	129.	135.	147.	150.
10.	66.	102.	106.	112.	115.	118.	121.	126.	130.	137.	148.	

David ergo simul composuit Psalmos centum & duodecim.

VII. *Secundus* Auctor Psalmorum, ex sententia Aben Ezræ, est aliquis Moses, fortè non Propheta Moses, auctor Pentateuchi, sed unus ex Cantoribus Davidis. Verum Hieronymus putat hunc Mosen fuisse Prophetam Mosen, scriptorem Legis. Ut ut sit, Moses aliquis posteritati reliquit undecim Psalmos se mutuo ordine sequentes, scil. à Psalmo nonagesimo, qui sic incipit תְּפִלָּה לְמֹשֶׁה *Oratio Mosis*, & alii decem ordine sequentes. Etiamsi Psalmi decem sequentes nomen Mosis, ad modum Psalmi nonagesimi, præ se non ferant, nihilominus Mosi adscribuntur: nam Psalmi, nominis proprii inscriptionem non habentes, addicuntur ut plurimum illis auctoribus, quorum ultimò nominatim facta est mentio.

Sunt igitur 11. sequentes:

90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

VIII. *Tertius* Auctor est Salomon filius Davidis, qui Psalmum septuagesimum secundum composuit, qui incipit nomine Salomonis לִשְׁלֹמֹה &c. Athanasius Salomoni, præter hunc, adhuc duos alios Psalmos adscribit, scil. 67. & 127. quorum posterior etiam nomen Salomonis præ se fert. Non desunt, qui opinantur Salomonem etiam composuisse Psalmos, qui *Cantica graduum* dicuntur, scil. à Psalmo

mo 120. usque ad 134. Sed ex sententiâ Hebræorum Salomon unius tantum Psalmi, nempe 72. auctor statuitur.

IX. *Quartus* Auctor Psalmorum est Asaph, qui fuit princeps inter cantores, præsonantes cymbalis æneis. Hic composuit duodecim Psalmos, qui nomine Asaph inscribuntur;

Suntque 12. sequentes:

50. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83.

X. *Quintus* Auctor est Ethan, qui conscripsit Psalmum octuagesimum nonum, qui incipit מַשְׂכִּיל לְאֵיתָן. Hic Ethan tantâ sapientiâ præditus fuisse creditur, ut nemo hominum unquam præter Salomonem ipso fuerit sapientior.

XI. *Sextus* Auctor est Heman, qui modulatus est Psalmum octuagesimum octavum, ubi in versu primo scribitur, מַשְׂכִּיל לְהֵימָן. Hunc Psalmum filiis Korah cantandum dedit; & propterea tam suo quam ipsorum nomine inscribitur.

XII. *Septimus* Auctor statuitur Iduthun, cantor eximius, qui cantasse dicitur Psalmum trigesimum nonum, qui incipit לַמְנַצֵּחַ לִידוּתוּן. Sed hic Psalmus à nonnullis adscribitur Davidi propter nomen Davidis, quod in frontispicio gerit: & propterea paulo superius eum Davidi adscripsimus. Hinc Iduthun à Salomone Jarchi non numeratur inter auctores Psalmorum: sed hi sequentes, scil. Adam, Melchisedek, Abraham, Moses, David, Selomoh, Asaph, & tres filii Korah.

XIII. Reliqui Psalmographi sunt tres filii Korah, scil. Asir, Elkana & Abirsaph, qui junctis operis undecim Psalmos, titulum לִבְנֵי קֹרַח præ se ferentes, composuerunt;

Suntque hi sequentes:

42. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 84. 85. 87. 88. Si quis plura de Auctoribus Psalmorum desideret, adeat Sixtum Senensem in Bibliotheca pag. 12. & sequentibus.

Quæritur: An non dantur plures Psalmi authentici, quàm 150. jam enumerati?

Respondeo. In Versione LXX. Interpretum superioribus Psalmis 150. annumeratur Psalmus 151. qui continet certamen Davidis cum Goliatho. Inscriptio Latinè translata ita sonat: *Psalmus hic peculiariter Davidi, & extra numerum reliquorum inscriptus est, quum singulari certamine Goliathum stravisset.*

PSALMUS 151.

1. Parvus eram inter fratres meos, & adolescentior in domo patris mei, pascens oves patris mei.
2. Manus meæ construxerunt organum, & digiti mei concinnaverunt Psalterium.
3. Et quis annunciabit domino meo? Ipse dominus, ipse exaudit.
4. Ipse emisit angelum suum, & assumpsit me ex ovibus patris mei: & unxit me oleo unctionis suæ.
5. Fratres mei pulchri & magni: Dominus in eis non sibi bene complacuit.
6. Exivi in occursum alienigenæ illi: & ipse me execratus est in Idolis suis.
7. Ego autem extorquens ab eo gladium ipsius, decollavi eum, & abstuli opprobrium ex filiis Israël.

Vide hunc Psalmum Græcè in Bibliis Polyglottis, & in Versione Græca LXX. Interpretum, quæ Londini anno 1653. edita est. Sed hic Psalmus non est authenticus: nam nullus sive Græcus, sive Hebræus, sive Latinus sacræ Scripturæ Interpres ullam ejus Psalmi 151. facit mentionem, nisi fere solus D. Athanasius, qui in Synopsi divinæ Scripturæ hunc Psalmum nominatim inter Canonica scripta recenset. Etiam Hebræi nunquam hunc Psalmum pro Psalmo Canonico receperunt. Vide Bibliothecam Sixti Senensis pag. 38.

XIV. *Secundò quæritur.* Quis Psalmos in unum volumen collegit, & in hunc ordinem redegit?

Respondeo. Communis opinio statuit Esdram Prophetam, postquam ex captivitate Babylonica reversus esset, omnes Psalmos antea dissipatos & dispersos in unum volumen hinc inde collegisse, & hoc ordine disposuisse. Athanasius tamen hanc collectionem Psalmorum ante captivitatem Babylonicam ab amicis Regis Ezechiæ esse factam asserit. Vide Sixtum Senensem Biblioth. p. 14.

XV. *Tertiò quæritur.* Quare in numero Psalmorum inter Latinos, Græcos, & inter Hebræos est quædam differentia; scil. quod Psalmus, exempli gratia, juxta Textum Hebræum trigesimus sit in versione antiquâ Græcâ & in Vulgatâ tantum vigesimus nonus?

Respondeo. Græci & Latini solent Psalmos 9. & 10. nec non 114. & 115. conjungere, & ex illis binis unicum Psalmum componere; &

& ut numerus Psalmorum nihilominus esset completus, solent singulos Psalmos, scil. 116. & 147. in duos Psalmos discerpere. Hæc discrepantia numeri non tantum in Græcâ & Latinâ versione, sed etiam in Scriptis Patrum est usitata: propterea Scripta Patrum legentibus hoc observandum est, ne Lectores vel malè Psalmos à Patribus citatos, vel vitium Typographi esse arbitrentur.

XVI. Inter Psalmos præstantissimos, illustria argumenta continentes, septem sunt, qui secundùm Alphabeti seriem dispositi sunt; scil. 25. 34. 37. 111. 112. 119. 145. Et propter hanc causam in Bibliis Belgicis & nonnunquam etiam in aliis aliarum linguarum Bibliis nomina Alphabeti Hebraici illis septem Psalmis, & quatuor prioribus capitibus Threnorum Jeremiæ præponuntur. Attamen singuli versus illorum Psalmorum non incipiunt à singulis diversis alphabeti literis. Aliquando duæ literæ eidem versui includuntur; nonnunquam in primo versu ratio alphabethi habetur, & in secundo negligitur: quæ omnia in ipsis Psalmis videri poterunt.

In Psalmo vigesimo quinto literæ ה & ו versui quinto includuntur, & deest litera ק; sed è contra duo versus à litera ר incipiunt.

In Psalmo trigesimo quarto omnes literæ alphabeti occurrunt, sed rursum literæ ה & ו in unico versu sexto continentur.

In Psalmo trigesimo septimo fere secundus quilibet versus ordinem alphabeti observat, sed excipiuntur versus 7. 8. 20. 21. 29. 30. 34. 35. in quibus literæ alphabeti immediatè se mutuo sequuntur. Etiam *deest versus incipiens à* ע. Reliqui versus intermedii, & versus 28. & 29. immediatè sequentes, nullam rationem alphabeti observant.

In Psalmo centesimo undecimo & centesimo duodecimo singulis versibus binæ, sed versui 9. & 10. ternæ includuntur literæ.

Longè alia est ratio in Psalmo centesimo decimo nono. Ille enim constat octuplis Alphabetis, & octoni versus semper ab eadem litera incipiunt. Ex. gr. Omnes priores octo versus incipiunt à litera Aleph, octo sequentes à litera Beth, & sic deinceps usque ad finem. Hinc in Bibliis Belgicis & in Psalteriis ante singulas pausas, quæ sunt viginti duæ, præmittuntur nomina Alphabeti Hebraici. Hic Psalmus, quia toties ab eadem Alphabeti litera incipit, à Christianis nonnullis vocatur *Magnum Alphabetum Chistianorum*.

In Psalmo centesimo quadragesimo quinto omnes literæ Alphabeti, exceptâ literâ Nun, occurrunt.

XVII.

XVII. Cum revera in Psalterio inveniantur septem Psalmi alphabetici, mirum est quare Hieronymus in epistola 155. ad Paulam Urbicam scribat, *Quinque tantum Psalmos inveniri alphabeticè dispositos, fallique eos, qui plures existimant.* Forte Psalmos 111. & 112. constantes tantum decem versibus, exclusit: sed sine causa.

XVIII. Hinc *quæritur*. Quare Auctores Psalmorum quosdam Psalmos juxta seriem Alphabeti Hebraici disposuerunt?

Respondeo. Ut subvenirent imbecillitati memoriæ: nam illa facilius memoriæ imprimuntur, & impressa tenacius hærent, quæ secundùm ordinem alphabeticum disposita sunt, quàm illa, quæ eodem ordine alphabetico destituuntur.

XIX. Integrum Psalterium Hebraicum à Judæis dividitur in quinque libros, quorum *primus* comprehendit Psalmos quadraginta & unum, & clauditur hisce vocibus אָמֵן וְאָמֵן *Amen & amen.*

Ante Psalmum 42. habentur hæ voces סֵפֶר שֵׁנִי *liber secundus*: quia ibi liber *secundus* Psalterii incipit. Hic liber secundus Psalterii finitur Psalmo 72. ubi etiam in versu penultimo occurrunt voces אָמֵן וְאָמֵן.

Ante Psalmum 73. habetur סֵפֶר שְׁלִישִׁי *liber tertius*: quia ibi liber tertius incipit, qui etiam terminatur vocibus אָמֵן וְאָמֵן, quæ in fine Psalmi 89. occurrunt.

Psalmus nonagesimus est initium סֵפֶר רְבִיעִי *libri quarti*, & finitur cum Psalmo centesimo sexto, cujus finis est אָמֵן הַלְלוּ־יָהּ.

Tandem sequitur סֵפֶר חֲמִישִׁי *liber quintus*, incipiens à Psalmo 107. & finiens cum ultimo Psalmo, qui terminatur voce הַלְלוּ־יָהּ.

XX. Medius versus Psalterii invenitur in Psalmo 78. vers. 36. ubi immediatè in Psalterio Hebraico ante illum versum, vel in margine habentur hæ voces חֲצִי הַסֵּפֶר *medium libri*: quia ille versus, incipiens à voce וַיְפַתּוּהוּ, est medius versus totius Psalterii.

XXI. In Psalterio inveniuntur versiculi 564. in quibus omnes voces Psalmorum inveniuntur; quos si quis continua lectione evolveret, is facillimo negotio totum Psalterium intelligeret. Quid dico Psalterium! Imo illi versiculi, probè cogniti, cuivis magno adjumento essent ad integra Biblia Hebraica intelligenda. Nam omnes voces Radicales Veteris T. tam Hebrææ quam Chaldææ secundùm Lexicon Buxtorfii sunt 2129. ex quibus, subtractis vocibus Chaldaicis, integer numerus vocum purè Hebraicarum Radicalium manet 1867. at ex iis, in his versiculis sequentibus annotatis, reperies voces Radi-

Radicales usitatiores 1184. Qui igitur benè enucleaverit hos annotatos versiculos, is cognoscet omnes Veteris Testamenti Radices, exceptis solummodo 683. fere inusitatioribus.

XXII. In toto Psalterio inveniuntur versiculi 2527. ergo si aliquis velit cognoscere totum Psalterium, ei tantummodo opus est diligenter perambulare hos 564. versiculos, qui quartam partem totius Psalterii non constituunt.

XXIII. Placuit breve aliquod Schema ex Lyra Prophetica Davidis BYTHNERI hic exhibere, in quo illi 564. versiculi continentur, qui omnes voces totius Psalterii comprehendunt.

Psal.	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*
1	4		6		9		17	21	3		23
2	1		13	14	1		19		7	32	4
	2		14		3		26		10		6
	6	8	2	15	3		27	22	7		9
	8		3		4		29		8	33	2
	9		4		5		30		10		7
	12		8	16	1		32		13		10
3	3		9		4		35		15		14
	8	9	1		5		37		16	34	6
4	4		6		6		41		21		11
	5		7	17	3		43		25	35	6
	8		17		4		46	23	4		8
5	1		21		5	19	2		5		12
	4	10	2		8		3	25	2		13
	9		3		9		5	27	4		14
	10		7		10		6		12		15
	11		8		12		7		14		16
	13		9		14		8	29	7		19
6	1		10		15		11		9		21
	3		18	18	2		12	30	1	36	4
	4	11	3		3		13		6		9
	7		6		5		14		12	37	2
	8	12	2		8	20	4	31	4		4
7	1		6		9		6		14		21
	5		7		11		9		21		34

Ps.	vers.	Psal.	vers.	Psal.	vers.	Psal.	vers.	Psal.	vers.	Psal.	vers.
	35		9	59	7		27		19		65
38	6		10	60	2		28		20		71
	7		14		4		31	75	4	79	1
	8		15		5		32		6		11
	9	48	3		6	69	3		9	80	6
	11		8		10		9	76	6		9
	19		14	62	4		13		7		10
39	2	49	4		11		16		12		11
	3		9		12		22		13		12
	4		15	63	2		26	77	2		13
	5	50	2		11		32		3		14
	6		13		12	71	6		10		16
	7		18	64	4		18		18		17
	11		19		7	72	6		19	81	4
	12		21		8		9		20		7
	14	51	6	65	10		10	78	2		12
40	3		8		11		13		9		13
	5		9		13		16		10	83	11
	15		20		14		17		16		14
41	4	52	4	66	11	73	4		21		16
42	2		7		15		6		24	84	4
	5	55	3	68	5		7		26		7
	8		4		6		8		27		11
	11		6		7		11		31	85	11
44	6		9		8		12		36	88	6
	11		15		9		19		41		9
	13		22		10		20		43		10
	14		23		12		21		44		11
	15	56	2		13		28		45		13
	17	57	5		14	74	1		46		16
	23		7		15		5		47	89	9
45	1	58	5		17		6		48		11
	2		6		18		8		50		24
	3		7		20		14		51		40
	5		9		22		15		52		41
	8		10		26		17		58		42

Psal.

Psal.	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*	*Psal.*	*vers.*
	45		5		37	115	6		5	140	4
90	4		9		39		7	123	2		11
	5	104	2		42	116	12		4		12
	10		3		43		16	124	7	141	3
91	4		4		47	118	12	125	5		6
	6		11	107	13		22	126	4		7
	7		12		14		27		6		9
	10		15		16	119	18	127	2	142	1
	13		17		20		20		3	144	2
	14		18		27		21		5		6
92	7		22		30		28	128	3		10
	8		25		34		39	129	3		12
	11		26		37		40		6		13
	13		28		39		51		7		14
94	13	105	15		40		60	131	2		15
	14		16		41		61	132	8	145	14
	17		20	109	4		66		14	146	4
	19		25		11		67	133	2		8
95	4		30		16		69	135	4	147	3
	8		31		18		70		7		4
	10		33		19		78	136	15		9
97	2		34		24		83		24		10
	7		40		29		103	137	2		14
98	4		41	110	1		113		3		16
	6	106	13		3		118		9		17
	8		15		4		119	139	3		18
99	1		19		6		120		7	148	5
101	5		25	113	6		122		8	149	4
102	4		27		7		131		12		6
	7		28		9		133		15		8
	8		30	114	1		147		16	150	4
	18		32		4		176		19		5
103	3		33		8	120	4		20		6

XXIV. Ut Lectores ab hoc onere annotandi hos 564. versiculos in Psalteriis liberarem, placuit in tribus Psalteriis, scil. in Psalteriis pu-

rè Hebraicis, in Hebraico-Latinis, & in Hebraico-Belgicis, à me anno 1666. Amstelodami per Josephum Athiam editis, hos 564. versiculos notare, & stellulis à ceteris versiculis distinguere.

XXV. Si quis porro *quærat*: Ubinam occurrant cæteræ 683. Radices inusitatiores, quæ non inveniuntur in Psalmis?

Respondeo. Ecce, eæ investigari poterunt in hoc sequenti Catalogo, in quo post invicem enumerantur ex toto Veteri T. versiculi 546. in quibus cæteræ Radices, in Psalterio non occurrentes, inveniuntur.

Dices. In iis 546. versiculis Veteris T. hic infra annotatis, inveniuntur quidem Radices 812. & dictum est tantum restare Radices 683. Quid ergo sibi volunt Radices illæ 129. superfluæ?

Respondeo. In his sequentibus versiculis non tantum occurrunt Radices purè Hebraicæ, sed etiam nonnullæ fere Chaldaicæ: ex. gr. אזל *Deut*. 32. 36. רתת *Hos*. 13. 1. &c. Hæ Radices, descriptæ in libris Hebraicis Veteris T. quodammodo Hebraicæ fiunt. Tantum igitur in hoc Catalogo omittuntur Radices mere Chaldaicæ in Daniele & Ezra occurrentes.

XXVI. Catalogus versiculorum 546. Veteris T. in quibus cæteræ Radices, in Psalterio non occurrentes, inveniuntur.

cap.	ỷs.	cap.	ỷs.	cap.	ỷs.	cap.	ỷs.	cap.	ỷs.	cap.	ỷs.	cap.	ỷs.	cap.	ỷs.
Genesis.			33	33	19	9	19		17		25		30	*Numer.*	
		24	17	37	25		31		37	*Levitic.*			39		
1	2		25	40	11	12	15	27	5				41	4	7
2	5		65	41	12		22		8	1	12		45	6	4
	14	25	6		23	13	16	28	17		15	14	10		9
11	6		30	42	4	15	6		18	2	2	15	3	11	1
14	20	26	20	43	20		8		19	6	14	16	12		5
15	2	27	9	47	23	16	31		20		20	19	10	15	20
	10	28	12	49	11		33		28	10	6		28	16	13
	17	30	20		12	21	3		32	11	7	20	27	22	32
17	11		35		17		6		33		9	21	20	23	8
18	15		37	*Exodus*		24	6	29	20		16	22	23	24	3
19	9	31	7			25	5	30	32		19	24	12	31	16
	26		18	2	3	26	1	32	16		30	25	25	35	20
21	16		19		9		9	34	33		42	26	44		
	23	32	33	5	6		12	35	22	13	5				

cap.	vs.
Deuter.	
1	4
7	1
	13
13	18
14	5
15	8
18	10
21	20
22	8
	19
23	3
25	5
	14
26	4
27	4
28	27
32	15
	24
	33
	34
	36
33	3
	16
	22
	25
Josua.	
2	18
10	40
14	6
22	8
Judic.	
2	18

cap.	vs.
3	16
	22
4	18
	21
5	10
	11
	25
	26
	28
6	22
9	4
	37
16	16
	29
19	30
I. Sam.	
2	14
	33
6	11
	18
13	6
	21
15	33
17	7
19	20
21	9
25	22
28	24
30	12
II. Sam.	
3	14
13	9
17	13
19	5

cap.	vs.
21	16
24	22
I. Reg.	
2	8
4	23
6	1
	8
	9
	15
	38
7	33
18	42
	46
21	27
II. Reg.	
4	39
	42
5	23
6	18
7	1
10	22
12	9
18	20
19	29
23	11
25	1
Jesaia.	
1	6
	22
3	6
	16
	17
	18

cap.	vs.
	19
	24
5	2
	24
	27
7	4
	19
9	4
	6
	17
	18
10	15
11	1
	8
	15
13	2
	18
	21
14	12
	19
16	7
	9
18	5
19	16
	22
22	18
26	20
27	4
	9
28	10
	17
	24
	25
	27
29	21
30	6

cap.	vs.
	14
32	4
	5
33	1
	7
	9
	19
	20
	23
34	11
	15
36	12
37	30
38	14
40	15
	19
	20
	22
41	7
42	4
44	8
	12
	14
	19
46	1
	6
47	13
48	9
49	10
51	8
	14
	20
53	6
	7
54	8
	11

cap.	vs.
55	13
56	10
57	9
	20
59	5
	10
61	10
63	17
64	1
65	4
	25
66	24
Jerem.	
2	11
	25
9	14
	25
10	7
11	16
14	9
6	5
17	16
19	7
22	14
25	34
29	26
31	22
	29
38	22
39	3
46	4
47	3
48	26
	28
	37

cap.	vs.
49	24
50	15
51	30
	34
Ezech.	
1	4
	7
	14
2	6
	10
4	9
5	1
8	5
9	2
	4
12	14
13	10
	11
	18
16	4
	40
17	4
	9
21	3
22	20
23	3
	18
	24
	40
24	5
	6
26	4
	10
27	15
	17

cap.	vs.
28	24
30	2
31	5
32	2
39	15
40	7
41	16
42	12
43	13
44	18
47	2
	13
Hosea.	
3	2
5	13
8	6
10	12
13	1
	5
	14
Joël.	
1	4
	11
	17
2	20
4	13
Amos.	
3	12
5	11
6	3
	10
7	7
	14

cap.	vſ.	cap.	vſ.	cap.	vſ.	cap.	vſ.	cap.	vſ.	cap.	vſ.	cap.	vſ.	cap.	vſ.
9	1	*Zachar.*		18	8	13	27		24		14	*Eccleſ.*			10
	5	2	17	19	13	15	12		25	4	1	1	15		11
Jona.		4	12	21	12		15	35	16		2	4	12	9	24
1	12	9	15		14		27	37	11		7	5	15	*Eſra.*	
4	6	10	1	23	2	16	8	38	28		8	10	1	3	7
Micha.		11	8	24	22		15		38		13		8	*Nehem.*	
2	4	12	10		31		19	39	5		14	12	3	2	1
6	14	*Malach*		26	18	17	1		18	5	2		12	3	17
Nahum.		1	4	27	22	19	3		23		3	*Eſther.*		6	8
2	4		13	28	3	20	18		30		3	1	6	7	3
	11	3	20	29	21	21	24	40	12	7	3		8		5
	13		21	30	15		32		18		9	2	1	*I. Chron.*	
3	2	*Proverb*			17	24	8		21	8	5		16	10	12
	17	3	10		28		16	41	9	*Ruth.*		3	9	13	12
Habak.		6	8		33	26	9		11	1	13		14	15	27
2	5		21	31	24	28	7		13	2	14		15	21	27
	11	7	16	*Job.*			8		20		16	4	4	26	18
	15	10	8	2	8		18		21	*Threni.*		5	2	*II. Chron.*	
3	17	13	3	4	12	30	2	*Cantic.*		1	14	8	9	2	16
Zephan.		15	19	6	5		3	1	17	3	11		10	3	6
2	9	16	26		10		6		10		16		15	36	16
			30		17		12	2	1	4	2	*Daniel.*			
		17	14	7	5		25		9		8	1	8		
				9	9	32	6		11						
					12		21		13						
						33	20								

XXVII. Ut adhuc magis Philohebræos juvarem, placuit edere Manuale Hebræo-latino-Belgicum, in cujus fine, ordine ſecundum libros Veteris Teſt. deſcribo omnes illas voces Radicales, in Pſalterio non occurrentes, unà cum verſione Latina & verſiculis, in quibus eæ voces occurrunt. Illud Manuale etiam ſecundâ vice eſt editum.

XXVIII. Pſalmi ſunt Carmina, quæ olim David aliique Viri ſancti, & nunc Judæi in Synagogis publicè canunt. Placuit enim Deo non tantum ſolutâ & ſimplici oratione, ſed etiam ligatâ & conciſâ voluntatem ſuam hominibus per ſanctos Scriptores revelare: tum

ut

ut hæc concisa oratio imbecilli memoriæ subsidium præstaret; tum etiam ut animi cantantium piâ & insigni hac modulatione magis moverentur, & ad Deum ardentiori pietatis studio elevarentur. Lætitia, nonnunquam etiam tristitia ad carmina effundenda animos Scriptorum incitavit.

XXIX. In omnibus partibus Veteris T. Carmina inveniuntur.

Exodi Cap. 15. describitur Canticum Israëlitarum per mare rubrum transeuntium.

Deuteronomii Capite 32. Mosis Carmen enarratur.

Judicum Capite 5. Deboræ & Baraki Carmen Eucharisticum occurrit.

In his tribus antecedentibus Capitibus & in Capite 22. *secundi* libri *Samuelis*, ut Lectores admonerentur illa contenta esse Carmina, ligatâque oratione constare, regulæ non continuâ sed interruptâ serie in Bibliis Hebraicis, præcipué majoribus, proponuntur.

In *primo* libro *Samuelis* Capite 2. Hannæ suspiria effunduntur.

Caput tertium prophetiæ Habakuk ab ipso Propheta oratione ligatâ literarum monumentis traditum est.

Liber *Jobi* à versu 2. Capitis 3. usque ad versum septimum Capitis ultimi Carminibus constat. Hieronymus arbitratur Jobi versus esse hexametros ex dactylo & spondæo mixtos.

Proverbia Salomonis, & quatuor priora Capita *Lamentationum Jeremiæ* à Viris Sanctis in Veteri Test. decantata fuerunt. In *Threnis* sunt *quatuor Alphabeta*, quorum duo priora, testante Hieronymo, conscripta sunt versu à metro Sapphico non multum dissimili; quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt, & ab una litera incipiunt, Heroici Carminis comma concludit. Tertium verò Alphabetum Trimetro Alphabeto contextum est, & à ternis literis, sed eisdem, trini versus incipiunt. Quartum Alphabetum simile est primo & secundo. *Vide Sixt. Senens. p. 16.*

XXX. Hinc jam ipso jubare meridiano clariùs illucescit Poësin esse artem perantiquam, & non nuperrimè demum inventam: nam simul cum Verbo Dei, quo nullum scriptum antiquius in rerum natura invenitur, lucem aspexit.

XXXI. Occasione horum Carminum *primò quæritur*: An metrum Carminum Hebraicorum in Bibliis occurrentium sit notum?

Respondeo. Multi conati fuerunt Carmina Veterum ad certas clas-

ses referre: sed an rectam rationem scandendi Carmina invenerint, multi non sine ratione dubitant. Hodierna Carmina Hebraica, Judæis & Christianis usitata, multis parasangis distant & differunt à Carminibus Veterum: propterea ex Carminibus hodiernis non licet judicare de Carminibus Veterum. Hieronymus etiam testatur Carminum genera, veteribus Judæis usitata, diversa fuisse ab illis Carminibus, quæ suo tempore usitata erant: præterea asserit Judæos modum Carminum Hebraicorum ab Arabibus mutuasse.

XXXII. *Secundò quæritur*. Quænam est differentia inter Carmina Hebraica in Veteri Test. usitata, & inter carmina Hebraica hodierna, quæ à Judæis & Christianis passim componuntur?

Respondeo 1. Carmina Hebraica, usitata in Veteri T. sunt composita ad modum Carminum Belgicorum ex metro continente certum syllabarum numerum: sed cætera carmina Hebraica componuntur ad modum Carminum Latinorum, quæ constant metro continente pedes certæ mensuræ.

2. In Carminibus sacris rationem rhytmi non habuerunt, sed si spontè prodiret, & fortuitò eliceretur, tum scriptis mandabatur; aliter rhytmum non curarunt: sed Judæi in Carminibus hodiernis Hebraicis diligentem rhytmi rationem habent. Hac in parte Judæi hodierni imitantur Carmina Belgica, & nonnulla carmina Latina, quæ etiam in fine rhytmo clauduntur: exempli gratia:

Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpe cadendo,
Sic doctus fies non vi, sed sæpe studendo.

3. In Carminibus hodiernis Hebraicis decem propriæ vocales sunt longæ & quatuor impropriæ tantum breves, cum in soluta oratione tantummodo quinque breves vocentur: sed, num eædem etiam longæ fuerint in Carminibus sacris, dubium est.

XXXIII. Ex his verisimiliter concludimus rationem Carminum sacrorum non esse notam, nec eadem ad trutinam Carminum hodiernorum esse expendenda. Prophetæ in Veteri T. modulabantur Carmina sua per varios accentus Hebraicos, qui docebant vocem esse attollendam, vel deprimendam, vel prolongandam, vel alio quocunque modo dirigendam.

XXXIV. Quia nemo hactenus inventus est, qui rationem metricam carminum Veteris Test. sine contradictione aliorum descripsit; ideo

ideo sunt nonnulli, qui non sine rationibus putant carmina sacra non constare metro certo ad leges poëseos adstricto, sed tantum esse carmina ad Musicam ita accommodata, ut potuerint cantari. Sicuti cantiunculæ Belgicæ vel Latinæ Ecclesiasticæ, solutæ legibus metricis, sine consideratione syllabarum longarum aut brevium cantantur, ita etiam Carmina Hebraica videntur sine legibus metricis & sine consideratione talium syllabarum fuisse cantata. Nam si certum aliquod metrum fuisset, procul dubio Paraphrastæ Chaldæi, Talmudici, vel ulli alii Rabbini illud novissent: sed omnes de eo tacent, & nihil certi de eo proferunt. Scaliger in Animadv. ad Chron. Eusebii p. 6. b. ita fatur: *Neque in Psalterio neque in Threnis ullum canticum est metricis legibus adstrictum, sed est merè soluta oratio, charactere poëtico animata.* Carmina igitur Veteris T. fuerunt cantata: & propterea vocantur nominibus שיר, מזמור, שיר השירים, denotantibus cantiones aut Psalmos. Imo etiam certis melodiis fuerunt accommodata, uti apparet ex multis inscriptionibus, quæ vel instrumenta musica, vel alias cantiones denotant, secundùm quarum melodias etiam hæc carmina decantabantur: ut בנגינות Ps. 4. 1. על השמינית, Psal. 12. 1. על הגתית Psal. 8. 1. על עלמות Psal. 46. 1. על שושן עדות Psal. 60. 1. &c.

Regeret forte aliquis: quod ergo nulla videatur esse differentia inter Carmina in Psalmis, in Cantico Canticorum, in libro Jobi ac alibi occurrentia, & inter prosam aliorum librorum.

Resp. Magna statuitur differentia, etiamsi negemus proprie dictum metrum inveniri in libris poëticis. Nam carmina sunt, quæ cantui fuerunt accomodata, sed sine certo metro. Verum cæteri libri nunquam vocantur carmina, nec unquam fuerunt cantati, neque etiam cantui fuerunt accomodati. In Carminibus ergo Veteris Test. non est mere soluta oratio, qualis invenitur in cæteris libris, sed est oratio syllabarum & vocum certo numero ad melodiam adstricta. Vide hæc probabilibus rationibus doctè probata ab Augusto Pfeiffero, Professore Wittenbergensi, in Diatribe Philolog. de Poësi Hebraica.

XXXV. Judæi hodierni in legendis libris non Poëticis rationem accentuum observant; & in Synagogis suis Pentateuchum publicè cantillant ac si carmen aliquod esset: propterea Buxtorfius in Epitome Grammaticæ suæ cap. 5. ait accentus habere triplicem usum,

 quo-

quorum primus designat musicam, sive rationem cantus apud Judæos. Sed ille usus plane est nullus apud Christianos: quia illi Vetus Test. non cantillant, sed legunt.

DISSERTATIO OCTAVA,
DE
HAGIOGRAPHIS,
PARS POSTERIOR.

§. 1. *Proverbiorum appellationes, & rationes earum.*

2. *Olim de divina auctoritate ejus libri pro tempore fuit dubitatum.*

3. *Auctores collectionis assignantur.*

4. *Jobi historia non est parabola.*

5. *Tempus quando vixit ignoratur.*

6. *Auctor libri Jobi est ignotus.*

7. 8. *Auctoritas Jobi est divina, ejusque stylus est difficilis.*

9. 10. *Primus ex 5. libellis, publicè prælegi solitis, est Canticum Canticorum. Ratio ejus appellationis assignatur. Lectio ejus Juvenibus olim interdicta fuit.*

11. *Auctor libri Ruth est ignotus. Carpzovius laudatur.*

12. 13. *Threnorum appellatio & contentum. Nomina alphabeti versibus plerorumque capitum præponuntur.*

14. 15. *Ratio nominis* קהלת Ecclesiastis.

16. *Olim fuit dubitatum de auctoritate Ecclesiastis: tum quia videbatur contradictoria continere; tum quia quædam videbantur hæresin sapere.*

17. 18. *Auctor ejus est Salomo. Inquiritur de tempore quando conscripserit.*

19. 20. *Ratio appellationis libri Esther & nominis Reginæ inquiritur.*

21. 22. *Vocatur Volumen Estheræ. Solet exscribi & circumvolvi.*

23. 24. Κεραία corniculum (*Matth.* 5. 18.) *septem literis superponitur.*

25. *Auctor Estheræ assignatur.*

26. *De auctentia Estheræ pro tempore fuit dubitatum.*

27. *Qualia fiant in festo Purim, explicatur.*

28. *Progenies & captivitas Danielis.*

29. *Daniel est Propheta, ejus libri divisio. Immeritò è numero prophetarum extruditur.*

30. *Ob duas rationes Judæi tanti non faciunt Hagiographa, quanti cæteros libros.*

31. *Daniel raro à Judæis legitur.*

32. *In Daniele & Esra occurrunt nonnulla Capita Chaldaica. Rationes allegantur tres.*

33. *Ratio datur, quare versus* 11. *cap.* 10. *Jeremiæ sit Chaldaicus.*

34. *Sol-*

2. De PROVERBIIS.

SECTIO I.

Superiori dissertatione de Psalmis in specie, & de Carminibus Hebraicis in genere egimus; jam *Salomonis* liber sequitur, qui Latinis *Proverbia*, Hebræis משלי à materia, vel à prima voce & Græcis παροιμίαι vocatur; quia in illo similitudines, adagia, & vulgatæ quædam sententiæ de rerum humanarum variis eventibus ad vitæ nostræ institutionem continentur.

II. De auctoritate hujus libri, utrum inter Canonicos numerari, an vero è Canonicorum choro eliminari debeat, olim multi ex Hebræis dubitarunt; quemadmodum quidam etiam olim ambigebant, & judicium pro tempore suspendebant circa epistolam ad Hebræos, circa epistolam Jacobi, & circa alios Textus. Attamen posterioribus temporibus Judæi unanimi consensu hunc librum Proverbiorum inter Canonicos numerarunt.

III. Auctor Proverbiorum est quidem Salomo, sed an Ille etiam omnia illa Proverbia in unum librum collegerit non adeo certum est. Illa sententia nobis maximè arridet, quæ statuit priora Proverbia usque ad Cap. 25. ab ipso Salomone & ab aliis ignotis sanctis Viris in unum volumen esse collecta; reliqua vero Proverbia ad finem usque à Sebna, & ab aliis Scribis Ezechiæ Regis Judæ ex aliis voluminibus Salomonis esse congesta.

3. De JOBO.

IV. Jam sequitur liber Poëticus *Jobi*, de quo hæc sequentia discutienda sunt.

Primò quæritur. Utrum Jobus unquam in rerum natura fuerit; An vero omnia, quæ de eo narrantur, sint tantum parabolicè intelligenda,

da, ſicuti illa intelliguntur, quæ de Lazaro & Divite, ac de filio prodigo in N. T. narrantur?

Reſpondeo. Multi olim exiſtentiam Jobi in dubium vocarunt; & omnia, quæ Jobo accidiſſe narrantur, parabolicè explicarunt. Nos tamen cum plerisque aliis Auctoribus aſſerimus & Jobum revera in mundo fuiſſe, & ipſius vitam non eſſe parabolam, ſed veram hiſtoriam. Rationes multæ poſſent aſſignari, ſed hæ paucæ hoc tempore ſufficiant

1. Quia apud Ezechielem Capite 14. verſu 14. Jobus cum aliis recenſetur, qui revera in mundo fuerunt. Dicit enim Dominus, *Si Noachus, Daniel & Jobus fuerint in civitate, ipſi cum juſtitia ſua eriperent ſeipſos*. atqui Noachus & Daniel revera fuerunt in mundo; & per conſequens probabile videtur Jobum etiam in rerum natura fuiſſe.

2. Sacra Scriptura luculenter patriam Jobi, ipſius opes, liberos, & eorum nomina deſcribit.

3. Nonnulli addunt tertiam rationem, videlicet, quod Muhammedani Conſtantinopoli adhuc hodie magnâ cum devotione venerentur Jobi ſepulchrum. Verum alii ſtatuunt Jobum ibidem ſepultum non eſſe illum Jobum, cujus liber inter Canonicos recenſetur, ſed Ducem belli Saracenorum, qui etiam Jobus vocatus fuit.

V. *Secundò quæritur*. Si Jobus reverâ fuit in mundo: Quando igitur vixit?

Reſpondeo. De tempore quo vixit, tot fere ſunt ſententiæ, quot capita. 1. Quidam arbitrantur ipſum temporibus Patriarcharum vixiſſe. 2. Nonnulli temporibus Moſis. 3. Alii temporibus Regis Davidis. 4. Quidam ipſum inter aſcendentes è Babyloniâ fuiſſe pro indubitato habent. Sed omnia illa ſunt incerta. 5. Judæi cum Muhammedanis Jobum ad Eſavum referunt, & immediatè poſteris Eſavi ſubjiciunt. 6. Alii Eſavum Jobi abavum fuiſſe, vel ex Nahore Abrahami fratre natum eſſe ajunt. 7. Nonnulli ſtatuunt Jobum tempore ingreſſus Iſraëlitarum in Ægyptum eſſe natum, & tempore egreſſus eorundem demum eſſe denatum. Secundùm ſententiam horum poſteriorum Auctorum hiſtoria hæc contigiſſet tempore illo, quo Iſraëlitæ ſub duro ſervitutis jugo Ægyptiaco vivebant. Moſes, ad conſolationem Judæorum in Ægypto captivorum, hiſtoriam & patientiam Jobi conſcripſiſſet: tum ut Iſraëlitæ legentes vehementes illos dolores invicem conſolarentur, & cum magna patientia ad ſimilitu-

militudinem Jobi durum Pharaönis jugum sufferrent; tum etiam ut liberationem Jobi videntes etiam talem cœlitus exspectarent. Quare Judæi Jobum vulgò Prophetam gentilem vocant? *Resp.* Quia extra Ecclesiam Judæorum vixisse putatur.

VI. *Tertiò quæritur*: Quis fuit Auctor libri Jobi?

Respondeo. Auctores in varia sententiarum eunt divortia. 1. Nonnulli statuunt quod ipse Jobus sit Auctor libri sui.

2. Alii existimant quod non quidem ab ipso Jobo, sed vel ab amicis Jobi, vel ab aliquo Prophetâ literis sit consignatus liber Jobi.

3. Sunt alii (inter quos est Menasseh Ben-Israël Libro 1. Cap. 16. de Resurr. mortuorum) qui arbitrantur quod ipse Moses hunc librum literarum monumentis tradiderit: quia putant Jobum vixisse temporibus Mosis; cui, ut & aliis multis, Jobus notus erat ob humilitatem, pietatem & ob graves castigationes, quibus Deus eum præ aliis hominibus acritèr visitabat.

4. Denique sunt multi, qui opinantur hunc librum quidem scriptum esse à Jobo, sed linguâ Syriacâ vel Arabicâ; Verum à Mose esse translatum ex illa lingua in Hebraicam. Hanc sententiam conantur probare. 1. Ex vocibus & phrasibus Arabicis ac Syriacis passim in libro Jobi inter Hebraicas occurrentibus. Notissimum enim est vix ullos libros ita ex primigenia in aliam linguam transferri, quin linguæ primigeniæ indicia appareant haud pauca: atqui in Jobo multæ *tales phrases conspiciuntur*: & propterea absque subsidiis linguæ Arabicæ difficulter omnia penetralia Jobi perreptari possunt. 2. Quia Jobus in Arabia multorum calculo vixit; & socii ipsius, qui talem sinistram cogitationem de ipso susceperant, Arabum Reges fuisse putantur. Nos judicamus hic nihil certi definiri posse. Etiam parum vel nihil refert, an Auctorem libri alicujus in specie cognoscamus vel ignoremus. Multorum librorum Auctores quidem ignorantur, de quorum tamen auctoritate à nullo dubitatum est.

VII. Auctoritas Divina & auctentica hujus libri à veris Ecclesiæ Doctoribus fuit defensa, etiamsi à quibusdam Anabaptistis excipiatur sannis, & tragico-comœdia nominetur.

VIII. Stylus Jobi est concisus & difficilis: ideoque Paraphrastæ infeliciori successu Jobum transtulerunt. Etiam Interpretes, propter difficultatem absterriti, post absoluta in alios libros commentaria, in hunc fere ultimò conscripserunt.

4. De Cantico Canticorum.

IX. Jam ordine sequuntur inter Hagiographos quinque volumina, certis quibusdam festis publicè in Synagogis Judæorum prælegi solita; quæ propterea etiam in multis Bibliis Hebraicis immediatè post quinque libros Mosis compinguntur. De his vide retrò Dissertationem secundam.

X. Primus liber inter quinque illa volumina est שִׁיר הַשִּׁירִים *Canticum Canticorum*. Hic liber sub typo conjugii mundani Regis Salomonis & filiæ Pharaönis spirituale conjugium inter Christum & Ecclesiam graphicè describit. Vocatur κατ᾽ ἐξοχὴν *Canticum Canticorum*: quia cæteris canticis, à Salomone & ab aliis Auctoribus compositis, multo præstantius est. Judæi olim à lectione hujus libri ante trigesimum annum juventutem arcebant, ne lectio hujus libri juventuti vagas aut profanas cogitationes injiceret: agit enim de amoribus, qui, si secundùm literam exponantur, facilè ad libidinem juvenes pellicere possent.

5. De libro Ruth.

XI. Secundus liber ex quinque voluminibus est רוּת *Ruth*. De hoc libro *Quæritur*: Quis illius libri est Auctor?

Respondeo. 1. Quidam Samueli adscribunt. 2. Alii Ezechiæ, vel Esdræ. 3. Nonnulli ex magno libro annalium Regum Judæ & Israëlis, cujus crebrò in libris Regum fit mentio, collectum esse asserunt.

Plura de hoc libro non addo, sed relego curiosum lectorem ad *Collegium Rabbinico-Biblicum*, quod Clarissimus D. Joh. Benedictus Carpzovius, linguæ Sanctæ in Academ. Lipsiensi publicus Professor, Anno 1672 conscripsit, in quo Textum Hebræum libri Ruth unicè urget, eumque illustrat per Masoram magnam & parvam, per Paraphrasin Chaldæam, per Commentaria quatuor celebrium Rabbinorum, & per doctissimas notas, per quas vocum originalium sensus genuinus eruitur. Propterea dictum Collegium Rabbinico-Biblicum super librum Ruth omnibus tanquam de meliori nota commendo.

6. De Threnis Jeremiæ.

XII. Subsequitur jam tertius liber, qui vocatur vel קִינוֹת *Threni*, sive

five *Lamentationes Jeremiæ*, à materia; vel אֵיכָה *quomodo*, à prima voce. In his Lamentationibus Jeremias lamentabilem Urbis eversionem & Judæorum captivitatem lugubri carmine deflet. Rabbi Salomon opinatur has Lamentationes eas esse, quas profanus Rex Joächim, lecto earum initio, Vulcano commisit; de quibus legere est apud Jeremiam Capite 36. Nonnulli volunt Jeremiam has Lamentationes iterum, primis combustis, simplicibus Alphabetis dictasse.

XIII. In Bibliis Belgicis ante singulos versus capitis primi, secundi & capitis quarti Threnorum nomina Alphabeti Hebraici Latinis literis prępontuntur; quia singuli illi versus ab illis literis Alphabeti in Bibliis Hebraicis incipiunt. Sed in capite tertio semper ternæ Alphabeti literæ sunt; quia semper terni versus ab eâdem literâ Alphabeti incipiunt.

7. De Ecclesiaste.

XIV. Quartus liber ex quinque voluminibus est קֹהֶלֶת *Ecclesiastes*, id est, *Concionator*. Hic liber sic denominatur, vel quia sermo libri, ut Hieronymo placet, non ad unum hominem in specie, sed ad omnes in genere, sive ad magnam congregationem hominum dirigitur: vel quia egregia sapientia copiosè quasi in hoc libro est congregata.

XV. Etiam Salomo vocatur קֹהֶלֶת *Ecclesiastes*, vel quia nonnunquam congregavit cœtus ecclesiasticos; vel, ut Hebræis placet, quia admirabilis sapientia in ipso copiosè fuit congregata. קֹהֶלֶת enim derivatur à קָהַל *congregare*.

XVI. Antiqui Judæi voluerunt hunc librum è numero Canonicorum tanquam nothum delere. Talmud Babylonicum in Tractatu שבת cap. XI. fol. 30. b. hoc affirmat: בקשו חכמים לגנוז ספר קהלת מפני שדבריו סותרין זה את זה: *Voluerunt Sapientes abscondere*, (h. e. rejicere è numero Canonicorum) *librum Ecclesiasten; quoniam verba ipsius sibi invicem repugant*. Idem testatur Maimon in Moreh Nebhochim Part. II. Cap. 28. §. 2. בקשו לגנוז ספר קהלת מפני שדבריו נוטים לדברי מינות: *Quæsiverunt abscondere librum Ecclesiasten, quia verba ejus hæresin sapiunt*. Ergo ob duas caussas de auctoritate divina hujus libri olim dubitatum fuit: 1. Quia nonnulla videntur esse contradictoria 2. Quia quædam videntur hæresin sapere. Sed postea Judæi, omnibus ad regulam aliorum Canonicorum librorum expensis, sententiam mutarunt. Hoc affirmat Talmud

mud loco ſtatim citato: לא גנזוהו מפני שתחילתו דברי תורה וסופו דברי תורה: *Non retulerunt illum inter apocrypha; quia & in initio ipſius libri & in fine verba Legi conſentanea continentur.*

XVII. Auctorem hujus libri fuiſſe Salomonem videtur firmiter probari ex verſu 1. capitis 1. *Verba Koheleth filii David regis in Jeruſalaim.* Nemo alius ex filiis Davidis regnavit Hieroſolymæ; & vocatur à *pace* Salomo; à *dilectione* Dei ידידיה *Jedidja*, 2. *Sam.* 12. 25. *Et vocavit nomen ejus Jedidja propter Jehovam*; denique à *concionando* vel à *congregandis cœtibus* videtur cognomine קהלת *Koheleth* nominatus.

XVIII. *Quæritur*: Quando Salomo hunc librum conſcripſit?

Reſpondeo. Judæorum ſententia invenitur in Seder Olam Rabba Cap. 15. circa finem: אבל לעת וקנה שלמה סמוך למיתתו שרתה עליו רוח הקדש ואמר שלמה ספרים הללו משלי שיר השירים קהלת: *Interea ſub ſenium Salomo prope mortem Spiritum S. habuit inhabitantem, & dictavit libros iſtos; Proverbia, Canticum Canticorum, Eccleſiaſten.* Mercerus ex Kabh-venaki citat alios Judæorum Doctores, qui ſtatuunt *Cantica* à Salomone adhuc puero eſſe conſcripta; *Proverbia* ab ipſo adhuc adoleſcente; & *Eccleſiaſten* ab ipſo jam Sene. Vide pluribus de his differentem Clariſſ. D. Johannem Terentium in Præfatione Eccleſiaſtis. Quare Salomon hunc librum conſcripſit? *Reſp.* In ſignum pœnitentiæ ob vanitates mundanas.

8. De Esther.

XIX. Ultimus liber inter quinque volumina vocatur אֶסְתֵּר *Eſther*: quia præcipuè in hoc libro hiſtoria Eſtheræ, cujus interceſſione Judæi liberati ſunt, pertexitur.

XX. De hoc libro *primò quæritur.* Quare Regina illa vocata eſt אֶסְתֵּר *Eſther.*

Reſpondeo. Judæi ajunt: quia מַסְתֶּרֶת *occultaverat* verba ſua, h. e. quia non indicaverat cognationem vel natalia ſua; vel quia populus mundi eam vocabat *Stellam Veneris* nomine אסתהר *ἀςὴρ*. Eſther ergo ſecundùm ſententiam poſteriorum eſſet nomen origine Græcum; quod nullo modo videtur veroſimile.

XXI. Hic liber communiter in Bibliis Hebraicis deſignatur his duabus vocibus, מְגִלַּת אֶסְתֵּר *Volumen Eſtheræ.* Vocatur מְגִלָּה à גָּלַל *volvere*: quia veteres Judæi ſemper ſolebant librum Eſtheræ in continua aliqua membrana nitidè deſcribere, quam ob longitudinem circa lignum

lignum tornatum in modum cylindri volvebant. Hodierni Judæi antiquos etiam adhuc hodie imitantur.

XXII. *Secundò quæritur.* Quomodo ſolent librum manuſcriptum deſcribere?

Reſpondeo. Solent librum Eſtheræ & Pentateuchum in continuâ membranâ, quæ circa lignum, vel alio quocunque modo circumvolvitur, exſcribere; & quidem ſine ullis vocalibus, ſine ullis accentibus, & ſine ullis diſtinctionibus capitum & verſuum. Duo talia exemplaria Eſtheræ, ſcripta in continuâ membranâ, poſſideo; quorum unum unius pedis, alterum verò trium ferè pedum latitudinem exæquat. Utrumque exemplar eſt deſtitutum vocalibus, accentibus & diſtinctionibus verſuum ac capitum. Nullos libros, niſi librum Eſtheræ & Pentateuchum ita exſcribere ſolent. Minus exemplar MS. ferè ſex ulnas longum eſt, & in qualibet columna ſexdecim regulæ continentur, quæ omnes ad lineam ſcriptæ ſunt. Sulcos Judæi in membranâ deducunt, ut rectè ſcribere poſſint: nam in membrana non lineata ſcribere prohibitum eſt, & omnis talis ſcriptura profana æſtimatur. Alterum exemplar propter majorem latitudinem proportionaliter eſt brevius.

XXIII. In neutro exemplari MS. ullæ vocales conſonantibus ſunt ſubſcriptæ, ſed diligentiſſima ratio habetur ſeptem literarum שעטנז גץ, quarum ſingulis adſcribuntur tres apices, ſive tria recta cornicula, hoc eſt, *tres rectæ lineolæ.* Rationem, quare ſeptem literis adſcribantur tales apices, vide infrà in Diſſertatione trigeſima prima.

XXIV. Ad illa cornicula videtur Salvator noſter reſpexiſſe apud Matthæum *Cap.* 5. *v.* 18. ubi ait: *Amen dico vobis, uſque dum prætereat cœlum & terra, Jota unum, aut unus apex nequaquam præteribit ex lege, uſque dum omnia facta fuerint.* Vox Græca κεραία in Textu Græco occurrens, non denotat vocales, uti vulgò putant: nam omnes quatuordecim vocales, exceptis duabus, ſubſcribuntur conſonantibus: ſed κεραία ſignificat *corniculum*; eſtque diminutivum à κέρας *cornu.* Atqui ſcimus cornua & cornicula non in baſi, ſive in inferiori loco, ſed in ſuperiori loco collocari. Et per conſequens hæc cornicula, quorum Chriſtus facit mentionem, non denotant vocales; quia non ſubſcribuntur literis, ſed ſupra literas ornatus gratiâ notantur. Hæc ſententia de ternis corniculis, quæ capitibus ſeptem literarum addi ſolent, multos Chriſtianos latet: quia libri manuſcripti, ornati talibus apici-

M bus,

bus, inter Christianos admodum rari sunt. Christus ergo videtur alludere ad sententiam Judæorum, quâ existimabant tempore Prophetarum fuisse quosdam, qui non modo omnes Legis literas in numerato habebant, & sensum singularum cognoscebant; sed etiam omnium horum apicum, septem literis addi solitorum, mentem & rationem ad unguem callebant. Vide Capellum, qui in Spicilegio ad caput quintum Matthæi hanc sententiam defendit. Hæc quasi in transitu. Infrà circa finem hujus Philologi pluribus de modo libros sacros exscribendi acturi sumus.

XXV. *Secundò quæritur.* Quis est Auctor libri Estheræ?

Respondeo. 1. Quidam autumant eum ab Esdra Propheta esse conscriptum. 2. Philo Judæus existimat Auctorem hujus libri fuisse Joächim Pontificem Hebræorum, qui rogatus per literas à Mordochæo hanc nobilem historiam literarum monumentis consignasset. 3. Multi ex Latinis ipsum Mordochæum, patrem adoptivum Estheræ, hujus voluminis scriptorem constituunt; quod conantur probare ex verbis hujus libri Capite 9. vers. 20. 23. *Scripsit Mordochæus res istas. Receperunt Judæi se facturos quod inceperant, & quod scripserat Mordochæus ad illos.*

XXVI. Olim quidam de auctoritate hujus libri dubitarunt; quia ne semel nomen Dei in eo occurrit. Sed jam communi Rabbinorum calculo inter Canonicos numeratur; & præterea in eodem dignitatis gradu cum Lege Mosaica collocatur. Judæi credunt librum Estheræ unà cum Pentateucho Mosis semper esse permansurum, secundùm dictum Rabbinorum, quod habetur in *Hil. Meg. cap.* 2. *Sect.* 18. quod translatum ita sonat: *Omnes libri Prophetici & Hagiographi abolebuntur diebus Messiæ, excepto libro Esthera, qui æque stabilis erit, ut Pentateuchus.* Magni æstimatur hic liber: quia continet lætam illam historiam de liberatione omnium Judæorum à crudeli intentione Hamanis, volentis omnes Judæos, per totum Regnum Assueri dispersos, è medio tollere.

XXVII. In memoriam hujus liberationis dies decimus quartus & decimus quintus Februarii sunt festi apud Judæos. Hoc festo, quod voce Persica פורים *sortes* vocatur, totum librum Estheræ absque ulla devotione publicè in Synagogis prælegunt; & quoties Haman nominatur, toties Judæi horrendum in modum eum pedibus contundunt, maximumque strepitum per omnes Synagogas edunt. Qui-

dam

dam ad lætitiam augendam, variegatis vestibus induti, & vulpecularum caudis in pileis ornati, per Synagogas discurrunt, & plerosque ad risum, si non ad cachinnum commovent. Hoc festo absque peccato, ex sententia Judæorum, licitum est se inebriare. Hi duo dies sunt bacchanalia Judæorum, & in multis conveniunt cum bacchanalibus Pontificiorum. Qui plura de hoc festo desiderat, adeat Clar. *Buxtorfium in Synagoga Judaeorum*, *Capite* XXIX.

9. De Daniele.

XXVIII. Inter Hagiographos sequitur דָּנִיֵּאל *Daniel*, qui fuit Propheta, & natus è tribu Juda, ex Regiis optimatibus. In ipsa pueritia abductus fuit cum Joächimo in Babyloniam, ibique factus est, si Sixto Senensi fides est adhibenda, Eunuchus Regis Chaldæorum.

XXIX. Daniel à nostris meritò inter Prophetas & quidem inter Majores numeratur: tum quia revera fuit Propheta; tum etiam quia ipsius liber continet egregiam prophetiam de adventu Messiæ. Vulgo totus liber Danielis in duas partes, scil. in partem historicam, quæ sex prioribus, & in partem propheticam, quæ sex posterioribus capitibus continetur, dispescitur. Continet ergo prophetiam: & propterea Judæi eum immeritò è choro Prophetarum extrudunt, & ad Hagiographos ablegant.

Quæritur. Quare Judæi Danielem ex ordine Prophetarum eliminant? *Resp.* Quia politicus fuit, & in aulâ Regis vixit. Verum hæc Judæorum ratio risu potius exsibilanda est, quàm rationibus refutanda. Quid enim prohibet aliquem amicitiâ Regum florere, & simul Vatem agere? Ipse Rex David non tantùm in aulâ vixit, sed etiam summum imperium tenuit; & nihilominus futura divino afflatu cecinit. Maimon Rabbinorum Phœnix Danielem Prophetæ nomine condecoravit. Daniel igitur Propheta est: in ipso enim adventus & tempus Messiæ clarè & luculentèr describuntur.

XXX. Judæi solent Danielem & omnes libros Hagiographos inferiori loco collocare infra cæteros libros Propheticos.

Quæritur. Ob quas causas Judæi tanti non faciunt Hagiographa, quanti faciunt libros Legales & Propheticos?

Resp. Ob duas causas. 1. Quia Auctores Hagiographorum tantum à Dei Spiritu instructi esse putantur, quum Prophetæ propriè dicti à Deo fuerint instructi. Quasi verò illa diversa sint, Dei Spiri-

tus, & ipse Deus. 2. Quia docuerunt & scripserunt extra sensuum alterationem, quum putent alios Prophetas, eo tempore in phantasià fuisse turbatos, quando ipsis prophetia revelabatur. Sed Judæi falluntur hac in parte: nam prophetia aut donum aliquod Dei non destruit naturam aut inferiores facultates, sed potius corroborat & perficit. Vide plura in תשובת יהודה Cl. D. Hoornbeeck, olim præceptoris mei venerandi, pag. 41. & 42.

XXXI. Judæi hodierni rarò Danielem legunt; etiam solent ejus lectionem aliis interdicere. Quare? Fortasse propterea, vel quia tempus adventus Messiæ ibi tam clarè describitur; vel quia lingua Chaldaica, quâ magna pars Danielis conscripta est, multo difficilior est Judæis linguâ Hebraicâ. Daniel enim dimidiâ ex parte Linguâ Chaldaicâ conscriptus est. Caput primum & quatuor versus capitis secundi constat Lingua Hebraica: sed reliqua à Versu quinto Capitis secundi usque ad Caput octavum exclusive Linguâ Chaldaicâ exarata sunt.

XXXII. Non tantum in Daniele, sed etiam in Ezrâ nonnulla capita linguâ Chaldaicâ sunt conscripta: scil. à Versu octavo Capitis quarti usque ad versum undevicesimum capitis sexti; itidem à Versu duodecimo Capitis septimi usque ad versum vigesimum septimum ejusdem Capitis.

Quæritur. Quare Daniel & Ezras linguam Chaldaicam immiscuerunt libris Hebraicis?

Resp. 1. Quia ipsi in Chaldæa vixerunt, ubi linguam Chaldaicam didicerunt. 2. Quia libros suos conscripserunt in gratiam Judæorum, quibus eo tempore lingua Chaldaica erat notissima & familiarissima. 3. Quia narrant historias fere in Chaldæa gestas, & concernentes præcipue Reges Chaldæorum.

XXXIII. Etiam undecimus versus capitis decimi Jeremiæ solus in tota illa prophetia idiomate Chaldaico est conscriptus.

Quæritur. Quare ille unicus versus tantummodo in Jeremiâ est Chaldaicus?

Resp. Propheta voluit Israëlitas docere, quid responderent Chaldæis volentibus detentos in captivitate seducere ad Deos alienos: hoc responderent, quod hoc versu continetur: *Dii isti, qui cœlos & terram non fecerunt, perituri sunt à terra, & sub cœlo.*

XXXIV. *Objiciet* fortè nonnemo. Doctores nostri communiter

sta-

statuunt Vetus T. Hebraicè, & Novum Græcè conscriptum esse auctenticum. Illi ergo vel hallucinantur, vel illa capita, linguâ Chaldaicâ exarata, non sunt auctentica.

Respondeo. 1. Doctores nostri, cum sic loquuntur, à potiori parte desumunt denominationem. Pleraque enim Hebraicè conscripta sunt: ideoque universaliter hunc honorem linguæ sanctæ adscribunt.

2. Vel fortasse non desumunt denominationem à majori parte, sed sic loquuntur, quia lingua Chaldaica non tam est nova lingua, quàm quidem nova linguæ Hebrææ dialectus. Quemadmodum in lingua Græca sunt variæ dialecti; ut Attica, Jonica, Dorica, Bœëtica & Poëtica, eodem modo in lingua Hebraica sunt quædam dialecti: ideoque lingua Chaldaica & Syriaca possunt vocari duæ diversæ linguæ Hebraicæ dialecti.

XXXV. *Quæritur.* Utrum Daniel & Ezras propriè Chaldaicè; an vero Syriacè scripserunt?

Resp. Propriè loquendo scripserunt Chaldaicè.

Dices: Danielis cap. 2. v. 4. sic legitur: *Et locuti sunt Chaldæi ad regem* ארמית *Syriacè*: & Esræ cap. 4. v. 7. *Et scriptura epistolæ scripta erat* ארמית *Syriacè, & translata Syriacè.*

Resp. Vox ארמית *Syriaca* est vox generalis, comprehendens in se & linguam Syriacam & Chaldaicam strictè sic dictam. Vox *Syriaca* in his allegatis locis tam generalem dubio procul habet significationem, *ut sub se etiam contineat linguam Chaldaicam.* Ergo *Syriacè hic sumitur pro Chaldaicè.*

XXXVI. Ut unusquisque commodius Capita Chaldaica, in Daniele & Esra occurrentia, unà cum versu Jeremiæ intelligere posset, placuit ea omnia Hebraicè translata in lucem edere, nempe duo priora Capita in calce Tractatus Talmudici, *Pirke Abhoth* appellati; & jam novissimè omnes Textus Chaldaicos totius V. T. Hebraicè edidi in fine Philologi Græci anno 1685.

XXXVII. De libro Danielis ultimò *quæritur.* Quis ejus est auctor?

Respondeo. 1. Plerorumque sententia est quod ipse Daniel librum suum conscripserit; & quidem in captivitate Babylonica. Nam Daniel in terra sancta non potuit librum suum scripsisse: quia nunquam ex Babylonia in Palæstinam reversus est; sed post captivitatem semper in Babyloniâ vixit, ibique defunctus, magnis honoribus sepultus est. 2. Talmudistæ adscribunt hunc librum Synagogæ magnæ, quæ con-

constabat centum & viginti Viris, inter quos multi Prophetæ fuerunt. Nos hunc librum ipsi Danieli vendicamus.

10. De Ezra.

XXXVIII. Danielem sequitur עֶזְרָא *Esras*, quod Hebraicè *auxilium* denotat. Ille enim Ecclesiæ Judaicæ, in captivitate Babylonica septuaginta annos afflictæ, extremum auxilium attulit. Judæi Esram absque ulla veritatis specie tum cum Zerubbabele, tum etiam cum Propheta Malachia confundunt: sed nos illum tam ab hoc quam ab illo distinguimus.

XXXIX. De libro Esræ *quæritur*. Quis ejus est auctor?

Respondeo. Nos constituimus Esram ejus libri Auctorem. Hic Esras non tantum Propheta, sed etiam illius magni extraordinarii Synedrii Hierosolymis congregati præses fuit. Hic Propheta claruit simul cum Nehemia; & in libro suo reditum Israëlitarum ex captivitate Babylonica in Palæstinam, atque instaurationem Urbis & Templi Hierosolymitani, cujus ipse auctor primus & præcipuus fuit, descripsit. Vixit & floruit ante nativitatem Christi fere circa annum quingentesimum.

11. De Nehemia.

XL. Penultimus liber est נְחֶמְיָה *Nehemias*, cujus liber vulgo in Bibliis Hebraicis vocatur ספר שני *liber secundus* Esræ.

De hoc libro *quæritur primò*. Quis ejus est Auctor?

Respondeo. Ipse Nehemias est Auctor; quod inde verosimiliter conjicitur: quia in toto fere libro de se per primam personam loquitur.

Secundò quæritur. Quare liber Nehemiæ nomen Esræ adeptus est.

Respondeo. 1. Quia liber Nehemiæ ea continet, quæ simul ab Esra & Nehemia gesta sunt. Nehemias enim in restauratione Urbis & Templi plurimum Esræ auxiliatus fuit.

2. Quia hi duo libri, scil. Esras & Nehemias, olim tam apud Hebræos quàm apud Græcos in unum volumen connectebantur. Eodem modo duodecim Prophetæ minores pro unico libro adhuc hodie numerantur; quia illi omnes olim simul, ne parvitate sua singuli distraherentur, compingebantur. Hanc consuetam appellationem sequuti fuerunt ipsi Masorethæ Tyberienses, qui horum duorum librorum versus non singillatim, sed conjunctim enumerarunt. In nonnullis Bibliis Hebraicis liber Esræ vocatur סֵפֶר רִאשׁוֹן *liber primus*;

mus; quia Nehemias ejus secundus liber vulgò nominatur.

12. De CHRONICIS.

XLI. Agmen omnium librorum, secundùm ordinem apud Judæos usitatum, claudunt דִּבְרֵי הַיָּמִים *Verba dierum*, id est Annales vel Chronica. Græci nomine παραλειπομένων *Prætermissorum* indigitant: quia in hoc libro breviter explicantur, quæ in libris Josuæ, Judicum, Samuelis & Regum aut omissa, aut leviori brachio perstricta erant.

XLII. De his duobus libris *quæritur*: Quis eos conscripsit?

Respondeo. Salomo Jarchi & Kimchi statuunt, quod Esras utriusque libri sit auctor. Alii incerto alicui auctori adscribunt.

XLIII. Liber Chronicorum ab ipso auctore in duos libros distributus non est; sed Latini & Græci eum propter magnitudinem in duos libros diviserunt. Qui plura de libris Veteris Testamenti desiderat, adeat tum Hottingerum in Thesauro Philologico, tum etiam Bibliothecam Sixti Senensis Lib. 1.

DISSERTATIO NONA,
DE
Libris Apocryphis, de Libris nominatis in V. T. & de Viris Synagogæ magnæ.

§. 1. 2. *Quær. An libri Apocryphi sint Canonici? Et an quidam libri Canonici ex Canone V. T. perierint?*

3. *Apocryphi non pertinent ad Canonem V. T.*

4. *Nam non sunt scripti à Propheta. Malachias sub V. Test. fuit ultimus Propheta.*

5. *Non sunt ab ipsis Auctoribus scripti Hebraicè; licèt postea sint à nonnullis translati.*

6. *Non fuerunt asservati à Judæis in arca publica vel privata.*

7. *Multa fabulosa, superstitiosa & contradictoria in iis inveniuntur.*

8. *Vocis Apocryphi appellatio inquiritur.*

9. *Possunt vocari Apocryphi ob duas rationes.*

10. *Ratio datur quare Apocryphi in Bibliis retineantur & postponantur.*

11. *Libri allegati in V. T. non probant Canonem esse imperfectum.*

12. *Tredecim libri, in V. T. allegati, recensentur.*

13. *Illi vel nunquam pertinuerunt ad Canonem, vel jam aliis insigniuntur nominibus.*

14. 15.

I. *De Libris Apocryphis.*

SECTIO I.



Uperioribus quatuor Dissertationibus enumeravimus omnes libros Veteris Testamenti, qui à Reformatis pro Canonicis habentur. Præter hos Canonicos agnoscunt Pontificii adhuc alios libros, vulgo Apocryphorum titulo insignitos, quos etiam Canonicorum numero annumerant. Sunt etiam nonnulli, qui non quidem alios libros annumerant, sed qui asserunt quosdam libros Canonicos ex Canone Veteris Testamenti periisse.

II. Duo ergo hîc ventilanda & examinanda proponuntur. 1. An libri, qui à Reformatis Apocryphi vocantur, quique ante Synodum Dordracenam inter Vetus & Novum Test. compingebantur, & jam ex decreto ejusdem Synodi post utrumque Testamentum disponuntur, sint Canonici, & regula fidei ac morum? 2. An quidam libri Canonici, qui olim pertinuerunt ad Canonem, jam ex Canone ejecti sint?

III. Respondeo ad primam quæstionem. Libri illi, qui vulgo Apocryphi vocantur, non sunt Canonici, nec regula fidei & morum. Nolumus hic omnia, ne iliada post Homerum scribere videamur, congerere, & omnibus fulcris, quibus possemus, sententiam negativam statuminare. Sententia enim Reformatorum satis superque à Theologis probata est, sed tantum paucis rationibus (quia hæc materia etiam ad Philologiam pertinet) sententiam illam confirmabimus. Libri Apocryphi in Canonem librorum Veteris T. non sunt recipiendi propter has sequentes rationes.

IV. *Prima* ratio est. Quia libri Apocryphi non sunt scripti à Propheta: nam post Malachiam, qui à Judæis vocatur חותם הנביאים *Sigillum*

gillum Prophetarum, tempore Veteris Fœderis nullus Propheta fuit: quod probatur ex 1. *Mach. cap. 9. v.* 27. ubi dicitur: *Fuit afflictio magna in Israëlitis, cujusmodi non fuerat, ex quo die non est visus Propheta ipsis.* Atqui Scripta Veteris Test. vocantur Scripta Prophetica in Epistola ad Romanos *Cap.* 16. *v.* 26. *Nunc vero factum est manifestum, & per* SCRIPTURAS PROPHETICAS *ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei, omnibus Gentibus notificatum.*

Contra hanc rationem fortè *objiciet* nonnemo, quod Malachias non fuerit ultimus Propheta: nam in Novo T. aliquoties fit mentio Prophetarum quorundam: ex. gr. Actor. *Cap.* 11. *vers.* 27. 28. *Per id tempus descenderunt Hierosolymis Prophetæ Antiochiam. Et unus eorum surgens, nomine Agabus, significavit per Spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe: quæ fuit sub Claudio Cæsare.* Et Cap. 21. Versu 9. *Quatuor filiæ Philippi Euangelistæ erant virgines Prophetantes, &c.*

Respondeo. Quando negamus post Malachiam fuisse ullum Prophetam, tum loquimur de illo tempore, quo adhuc durabat œconomia Veteris Testamenti. Atqui ille Agabus & quatuor illæ virgines prophetantes vixerunt sub œconomia Novi Testamenti.

V. *Secunda* est. Quia libri Apocryphi non sunt scripti linguâ Hebraicâ; quæ tamen lingua in Veteri Test. sola erat Prophetica. Libri enim Veteris T. sunt scripti Israëlitis; Psal. 147. 19. 20. *Indicat verba sua Jakobo, statuta & jura sua Israëlitis. Non fecit ita ulli genti*: & soli Israëlitæ Lingua Hebraica utebantur. Sed libri Apocryphi sunt scripti Linguâ Græcâ, & quartus liber Esræ tantum Latinè invenitur.

Fortasse nonnemo *infringere* studebit hanc rationem, dicendo: Multi libri Apocryphi linguâ Hebraicâ sive Chaldaicâ scripti inveniuntur: ex. gr. Liber *Syracidis* ex Hebraico sermone versus est, & aliquoties citatur à Thalmudicis. Hieronymus testatur *Tobiam* & *Judith* primitùs Chaldaicè fuisse conscriptos, asseritque se primum librum *Macchabæorum* Hebraicè vidisse. Munsterus Tobiæ historiam ex lingua Hebraica in Latinam transtulit, quam etiam Basileæ Anno 1570. edidit. Imo quod magis est, Cl. Hottingerus testatur in Thesauro Philol. pag. 315. quod omnes libros Apocryphos, lingua Hebraica scriptos, possideat. Ex his allegatis exemplis videtur probari hanc secundam rationem esse stramineam & nullius efficaciæ.

Respondeo. Concedo illos libros in antiquorum manibus, Linguâ Hebraicâ vel Chaldaicâ scriptos, fuisse inventos, & adhuc hodie in

multorum manibus inveniri: verum nego eoſdem libros ab ipſis Auctoribus tali Lingua primitus fuiſſe conſcriptos: ſed puto illos exercitii tantum gratiâ à quibuſdam eſſe verſos; quod tum ex ipſa ſtyli cruditate, tum etiam ex ſolœciſmis, in illis paſſim occurrentibus, ſatis apparet. Hottingerus expreſsè ait in dicto loco libros ſuos Apocryphos ſcriptos Hebraicè eſſe tranſlatos à Judæo quodam.

VI. *Tertia* ratio eſt. Quia libri Apocryphi nec in Arca publica, nec in arcis privatis ſingularum Synagogarum unquam à Judæis ſunt aſſervati; in quibus tamen arcis libri Canonici aſſervari ſolent. In qualibet enim Judæorum Synagoga arca quædam collocatur, cui nonnulli libri ſacri, membranæ inſcripti, includuntur. Nunquam ulli arcæ Judæorum libri Apocryphi fuerint incluſi; cum tamen *Elogia Dei ipſis concredita* dicat Paulus in Epiſtola ad Romanos *Cap.* 3. ℣ſ. 2. Præterea Chriſtus nunquam Judæos, quod vel S. Codicem corrupiſſent, vel quoſdam libros ex eo rejeciſſent, accuſavit.

VII. *Quarta* & ultima ratio eſt. Libri Apocryphi non ſunt Canonici: quia multa fabuloſa, ſuperſtitioſa & contradictoria in iis inveniuntur. De his omnibus conſule doctiſſimam Præfationem libris Apocryphis in Verſione Nova Belgica præfixam. Ex his allegatis rationibus apparet libros Apocryphos non pertinere ad Canonem Veteris Teſtamenti.

VIII. *Secundò quæritur.* Quare illi libri, qui propter rationes jam recenſitas è choro Canonicorum eliminantur, vocantur *ἀπόκρυφοι apocryphi*, id eſt, *abſconditi*?

Reſpondeo primò. Quidam ſic denominatos volunt ab ἀπὸ & *κρύπτη*, hoc eſt, *capſa* ſive *arcula*, quia in ſacra capſa ſive arcula nunquam fuerunt collocati: Κρύπτη enim denotat *locum abditum & concameratum.*

Reſp. ſecundò. Alii ab ἀποκρύπτω *occulto*, *abſcondo*, deducunt. Sed Auctores, qui ab ἀποκρύπτω hos libros denominari Apocryphos autumant, non conveniunt in aſſignanda cauſa, ob quam ἀπόκρυφος ab ἀποκρύπτω derivetur. Quidam arbitrantur, quod abſconditi vocentur:

1. Quia Auctores eorum erant obſcuri & ignoti. Sed illa ſententia non eſt veroſimilis: quia multorum Canonicorum Auctores etiam ſunt ignoti, & è contrà quorundam Apocryphorum Auctores ſunt noti. Inde tamen nemo legitimè probabit vel illos Canonicos, quorum Auctores ſunt ignoti, eſſe Apocryphos; vel hos Apocryphos,

phos,

phos; quorum Auctores sunt noti, esse Canonicos.

2. Alii statuunt, quod Apocryphi sic vocentur, quia Auctoritas illorum librorum apud antiquos fuit incerta & obscura.

3. Denique nonnulli volunt eos libros vocari Apocryphos, quia non licitum fuit eos publicè in veteri Ecclesia ex suggestu legere, sed tantum in privatis ædibus. Attamen Ecclesia Latina lectionem publicam librorum Apocryphorum, ad ædificationem Ecclesiæ, pro tempore concessit.

IX. Nos statuimus, quod libri Apocryphi sic vocentur: vel quia à Judæis abscondebantur, ne aliquis eos publicè in Synagoga prælegeret, aut Canonicorum numero annumeraret; vel quia non fuerunt in capsa sive in arca Judæorum, in qua libri Canonici recondebantur.

X. *Tertiò quæritur.* An libri Apocryphi jure ex Bibliis Belgicis, Latinis, aliisque possent extrudi?

Respondeo. Quidni? Nam Judæi eos nunquam receperunt, nec libris Canonicis annumerarunt, nec etiam revera Canonicis annumerandi sunt. Quare ergo (dicet fortè aliquis) in plerisque Bibliis Latinis Belgicis aliisque retinentur, cum credamus eos non pertinere ad Canonem? *Resp.* Veneranda Synodus Dordracena, habita annis 1618. & 1619. judicavit non fore inconveniens, si libri Apocryphi de novo ex lingua Græca transferrentur, & in nova Versione Belgica retinerentur; ne Pontificiis daretur occasio calumniandi, & Reformatos apud plebem accusandi, ac si quosdam libros, qui tot seculis in Bibliis fuerunt, extrusissent, & Codicem sacrum imperfectiorem reddidissent: attamen eadem Synodus eos postponendos esse judicavit, quia credidit illos ad Canonem non pertinere.

II. *De Libris nominatis in V. T.*

XI. Secundum, quod exacta trutina est expendendum, tangit libros, qui in Veteri Test. nominantur. Pontificii, ad stabiliendas suas traditiones, conantur probare Textum sacrum esse imperfectum, utentes argumento desumpto à libris nominatis in Veteri T. quorum tamen vel pauci, vel, ut illi volunt, nulli in Bibliis inveniuntur. Si jam probaverint illos libros, quorum mentio fit, esse Canonicos, putant se simul etiam probasse S. Scripturam esse imperfectam.

XII. In Veteri T. *tredecim* circiter librorum fit mentio, quorum jam vel nullus invenitur, vel saltem nullus ex illis tredecim eo nomine in titulis librorum Veteris Test. insignitur, quo jam in ipso Textu sacro denominantur. Nos breviter tredecim illos libros enumerabimus, & simul loca illa indicabimus, in quibus libri illi allegantur. Deinde post recensionem eorum judicium nostrum dabimus. Loca illa sunt hæc sequentia.

1. *Exodi* Cap. 24. vers. 7. fit mentio סֵפֶר הַבְּרִית *Libri fœderis*: *Et accepit* ספר הברית LIBRUM FOEDERIS, *& legit in auribus populi.* Sed talis liber eo nomine insignitus, non invenitur.

Respondeo. Rabbi Salomo Jarchi existimat per hunc librum fœderis intelligi totum librum Geneseos, & partem Exodi usque ad finem Capitis undevigesimi.

2. Moses *Numerorum* Cap. 21. v. 14. facit mentionem Libri bellorum Dei: *Idcirco dicitur* בְּסֵפֶר מִלְחֲמוֹת יְהוָה IN LIBRO BELLORUM JEHOVÆ.

Respondeo. Non intelligitur liber aliquis Canonicus, sed liber historicus, in quo bella quædam, quæ Israëlitæ gesserunt, conscripta fuerunt. Hic liber absque jactura Canonis potuit periisse.

3. *Josua* Cap. 10. v. 13. Solis quies probatur ex libro, qui vocatur סֵפֶר הַיָּשָׁר *Liber Recti.* *An non hoc scriptum est* על ספר הישר IN LIBRO RECTI? *Et stetit sol in medio cælorum.*

Respondeo. Hic liber, utpote forensis & historicus, absque jactura Canonis cum aliis forensibus periit.

4. 1 *Sam.* cap. 10. v. 25. Samuel descripsit jus regni in libro, cujus nomen est *Liber rationis regni.* Sic sonat Textus: *Et locutus est Samuel ad populum* אֵת מִשְׁפַּט הַמְּלוּכָה JUDICIUM REGNI; *& scripsit in libro.*

Respondeo. Rabbi David Kimchi per hunc librum intelligit partem primam libri primi Samuëlis. Vel intelligi potest octavum caput primi libri Samuëlis: in illo enim capite ordine pertexitur ratio sive consuetudo futuri Regis Saulis. Nam vocabulum סֵפֶר non semper librum, sed sæpe tantum narrationem aliquam vel catalogum aliquem significat.

5. De Salomone dicitur 1. *Regum* Cap. 4. v. 32. quod eloquutus fuerit שְׁלֹשֶׁת אֲלָפִים מָשָׁל *ter mille sententias*; & versu 33. *quod loquutus fuerit de plantis, &c.*

Respondeo. Fortassè per illas sententias intelliguntur מִשְׁלֵי שְׁלֹמֹה *Pro-*

Proverbia Salamonis, aut eorum magna ſaltem pars: vel fortè intelliguntur aliæ nonnullæ ſententiæ, quæ nunquam ad Canonem pertinuerunt. Præterea illa, quæ loquutus eſt de plantis, de beſtiis, de avibus & de reptilibus, fuerunt tantum quædam phyſicalia, quæ abſque jactura Canonis perierunt.

6. 1 *Regum* Cap. 11. v. 41. allegatur liber vocatus *Liber verborum Salomonis*: Sic ait Textus S. *Et reliqua acta Salomonis, & omnia quæ fecit, & ſapientia ejus, nonne ipſa ſcripta ſunt* עַל־סֵפֶר דִּבְרֵי שְׁלֹמֹה In Libro Verborum Salomonis?

Reſpondeo. Intelligitur liber Hiſtoricus, in quo vita & res geſtæ Salomonis deſcribuntur; qui, utpote non canonicus, periit.

7. 1 *Reg.* Cap. 15. v. 31. Auctor citat Hiſtoriam, cujus uberior explicatio invenitur in libro, qui vocatur *Liber Chronicorum regum Iſraëlis*: Sic inquit Textus S. *Et reſiduum verborum Nadab, omnia quæ fecit, nonne ipſa ſcripta ſunt* עַל־סֵפֶר דִּבְרֵי הַיָּמִים לְמַלְכֵי יִשְׂרָאֵל In Libro Verborum Dierum Regum Israel?

Reſpondeo. Non eſt liber Canonicus, ſed tantum Hiſtoricus, in quo Hiſtoria Regum Iſraëlis fuſius fuit deſcripta.

8. *Jeſaiæ* Cap. 29. v. 11. de viſione dicitur, quod ſit *ſimilis verbis libri obſignati*: Sic ait Propheta: *Et erit vobis viſio omnium*, כְּדִבְרֵי הַסֵּפֶר הֶחָתוּם Sicut verba libri signati, &c.

Reſpondeo. Propheta non intelligit librum certum, ſcriptum à quodam certo Auctore, ſed librum quemvis in genere, qui obſignatus ſive clauſus erat.

9. *Jeſaiæ* Cap. 34. v. 16. dicit Propheta דִּרְשׁוּ מֵעַל סֵפֶר יְהוָה *Quærite in libro Domini.*

Reſpondeo. Per hunc librum intelligi poteſt ipſa prophetia Jeſaiæ, quæ vocatur liber Jehovæ, quia ejus inſtinctu & Spiritu dictata eſt.

10. Auctor Capite 10. *Eſtheræ* ỽ. 2. allegat hiſtoriam, cujus mentio fit עַל־סֵפֶר דִּבְרֵי הַיָּמִים לְמַלְכֵי מָדַי וּפָרָס *In libro Chronicorum Regum Mediæ & Perſiæ.*

Reſpondeo. Per hunc librum denotantur acta publica & civilia, in quibus acta Regum Mediæ & Perſiæ annotata fuerunt.

11. 1 *Chron.* cap. 29. v. 29. fit mentio verborum Nathanis Prophetæ, & Gadis Videntis; quæ tamen verba in nullo libro Nathanis vel Gadis inveniuntur: *Et res Davidis primæ & noviſſimæ, ecce ipſa ſcripta ſunt in verbis Samuelis videntis* וְעַל־דִּבְרֵי נָתָן הַנָּבִיא וְעַל־דִּבְרֵי גָּד הַחֹזֶה Et in

VERBIS NATHAN PROPHETÆ, ET IN VERBIS GAD VIDENTIS.

Respondeo. Hi libri adhuc hodie inveniuntur in Canone, ſed alio inſigniuntur nomine, ſcil. nomine *Samuelis*. Intelliguntur ergo libri Samuelis, quorum Auctores ſunt duo antedicti Prophetæ: excipiuntur tamen priora viginti quatuor capita, quæ ab ipſo Samuele compoſita eſſe videntur.

12. Auctor ſecundi libri *Chronicorum* cap. 33. v. 19. citat quædam, quæ dicit inveniri בְּדִבְרֵי חוֹזָי *In verbis Choſai.*

Respondeo. Choſai fuit ſcriptor aliquis Hiſtoricus, cujus liber, utpote non Canonicus, periit.

13. In ſecundo libro *Chronicorum* cap. 35. v. 25. Lamentatio Jeremiæ deſcribitur; וַיְקוֹנֵן יִרְמְיָהוּ עַל־יֹאשִׁיָּהוּ *Et lamentatus eſt Jeremias propter Joſiam. --- Et ecce ipſa ſcripta ſunt in lamentationibus.*

Respondeo. 1. Sunt nonnulli qui putant hanc lamentationem eſſe poſtremam partem libri Threnorum, ſub quarto & ultimo Alphabetho comprehenſam. 2. Alii arbitrantur eam lamentationem, utpote non Canonicam, periiſſe. Sed ſi aliquis probet eam lamentationem ab ipſo Jeremia eſſe conſcriptam, regero omnia illa, quæ à Prophetis conſcripta ſunt, non eſſe auctentica; niſi fuerint eum in finem literis mandata, ut pro Canonicis ab Eccleſia reciperentur. Hi ſunt præcipui libri, obiter in Veteri T. allegati, quorum tamen præcipui ſecundùm literam jam non inveniuntur.

XIII. De his libris, in Veteri Teſtamento nominatis, *quæritur*: An ex illis libris poteſt probari quoſdam libros ex Canone Veteris Teſt. periiſſe; & per conſequens Canonem imperfectum eſſe?

Respondeo. Nullo modo hoc inde probari poteſt. In genere dupliciter reſponderi poteſt ad hanc quæſtionem. 1. Libri plerique, jam ſuprà nominati, non ſunt Canonici: qui propterea abſque jactura Canonis perire potuerunt. Plurimi ex libris jam citatis ſunt libri merè Hiſtorici, continentes res Phyſicas vel Politicas; qui, ſive ſint ſcripti à Prophetis, ſive ab aliis, etiamſi perierint nec ne, parvi intereſt, modo non ſint ſcripti eum in finem, ut in Canonem redigerentur.

2. Poſito & non conceſſo, quod quidam libri, retro nominati, ſint Canonici, inde tamen nemo firmiter poterit probare quoſdam libros è Canone periiſſe: nam illi forte jam aliis inſigniuntur nominibus. Ex. gr. Moſes Exodi *Cap.* 24. v. 7. per *Librum fœderis* potuit deno-

notasse partem illam Pentateuchi, in qua mandata Ecclesiastica & Politica, Israëlitis data, recensentur. Et 1. *Reg*. 4. 32. per ter mille sententias, à Salomone dictatas, intelligi possunt Proverbia Salomonis. Simili modo etiam responderi potest de nonnullis aliis libris. Ex his ergo concludimus, quod nullus liber Canonicus ex Veteri T. perierit. Vide plura in Thes. Philol. Hottingeri Lib. 2. Cap. 2. sect. 2.

III. *De Viris Synagogæ magnæ.*

XIV. Hactenus enumeravimus libros Canonicos, & spurios à veris separavimus, atque simul etiam probavimus Canonem Veteris Test. esse perfectum, nec ullos libros è Canone esse ejectos, qui unquam ad Canonem pertinuerunt. Sed quia nonnulli fuerunt, qui libros dispersos hinc inde collegerunt, & Canonem constituerunt, atque errores, qui forte in particulares quosdam MSS. Codices irrepserant, correxerunt, ideo operæ pretium erit inquirere, per quos Auctores hæc omnia facta sint.

XV. Hinc *primò quæritur*. Quis libros Veteris T. dispersos hinc inde collegit, & libros nothos à veris Canonicis separavit?

Respondeo. Communiter Judæi hoc adscribunt Viris Synagogæ magnæ, qui vocantur אַנְשֵׁי כְּנֶסֶת הַגְּדוֹלָה *Viri Synagogæ magnæ*. Quandoquidem crebrò in Scriptis Rabbinorum hujus magni Concilii fit mentio, ideo pauca de illo, quantum quæstionis illustrationem attinet, *delibabo*. *Hierosolymæ*, sexto ferè sæculo ante nativitatem Salvatoris nostri, magnum Concilium, post solutam captivitatem Babylonicam, in quâ Judæi 70. annos captivi detenti fuerant, ab Esdra Sacerdote, jussu & auctoritate Regis Artaxerxis, fuit convocatum: uti videre est *Esdræ* cap. 7. Esdras fuit Caput & Præses hujus Concilii, & Nehemias ipsius coadjutor. Hi duo ex Primoribus & doctioribus alios collegas sibi elegerunt; ita ut Concilium illud excreverit in numerum centum & viginti Virorum. Inter hos electos multi fuerunt tum Legisperiti, tum etiam Prophetæ, qui in Babyloniâ cum Esdrâ ut captivi vixerant. Non è minimis erant hi sequentes: Haggæus, Zacharias, Malachias, Serobabel filius Schealtielis, Mordechai, Bilschan, Jeschua filius Jehotzedek Sacerdotis, Seraja, Realia &c. Esdras, Præses hujus Concilii, vocatur סוֹפֵר מָהִיר *Scriba promptus*: tum quia legem divinam promptissimè exscribebat; tum etiam, & qui-

quidem præcipue, quia S. Scripturæ erat peritus & doctus interpres: illam enim docte enarrabat, & populo optime explicabat. Scriba significat Legisperitum, sive Doctorem legis tam in Veteri quam in Novo T. Matthæus ait Cap. 7. v. 24. *Christus docebat eos, ut habens auctoritatem, non autem ut Scribæ.* Judæi Esdram cum Prophetâ Mose ratione doctrinæ & dignitatis comparant, & statuunt præter eum nullum fuisse dignum, cui lex traderetur, si Moses non fuisset. Hoc Concilium permagnæ fuit auctoritatis; adeo ut penes hoc fuerit omnis potestas ecclesiastica. Hoc Concilium fuit extraordinarium, ideoque non diu duravit: ultimus dicitur fuisse Simeon justus, qui Alexandro Macedoni, Hierosolymam vastare volenti, obviam Sacerdotali togâ indutus ivit, eumque ad clementiam erga Urbem movit. Buxtorfius in Tiberiade *Cap.* x. multis auctoritatibus antiquorum Rabbinorum & ipsius Talmudis probat veritatem talis convocati Concilii post liberationem ex captivitate Babylonica: ex. gr. In Talmude Hieros. Tract Megilla Cap. 3. circa finem sic scribitur: כיון שעמדו אנשי כנסת הגדולה החזירו את הגדולה ליושנה׃ *Quando exsurrexerunt Viri Synagogæ magnæ, illi restituerunt magnificentiam*, h. e. Coronam Legis, *in pristinum statum.* Idem confirmatur in Tractatu פרקי אבות *Pirke Abboth* Cap. I. *Moses accepit Legem de monte Sinai, & tradidit eam Josua, Josua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ tradiderunt eam* לאנשי כנסת הגדולה VIRIS SYNAGOGÆ MAGNÆ.

XVI Præter hoc Concilium extraordinarium fuerunt adhuc tria alia ordinaria inter Judæos Concilia, scil. maximum, majus & minimum.

XVII. *Primum* & maximum Collegium, à Mose jussu Dei *Numerorum* Cap. 11. ℣. 16. institutum, constabat, præter Præsidem, Viris septuaginta. Hoc Collegium tantum Hierosolymæ erat congregatum, & vocabatur unicâ voce סַנְהֶדְרִין *Sanhedrin.* Penes hoc Collegium fuit omnis potestas ecclesiastica & civilis. Ad aliud Collegium non dabatur provocatio, sed in hoc judicii terminus erat. Præterea hoc idem Collegium Reges & Magistratus eligebat, de bello gerendo vel de pace ineunda deliberabat, & nullum præter Deum & gladium superiorem agnoscebat.

XVIII. *Secundum* ordinarium Collegium constabat viginti tribus Viris; eratque in omnibus locis & urbibus, in quibus centum & viginti

ginti vel plures patresfamilias aut œconomiæ erant. Viri hujus Collegii de Capite & fortunis civium, an aliquis esset lapidandus, suffocandus, igne comburendus, vel gladio ê medio tollendus, judicabant. Hæ enim erant quatuor illæ ordinariæ suppliciorum capitalium species, quibus Judæi sontes occidebant.

XIX. *Tertium* & minimum Collegium constabat tantum tribus viris; & erat in illis locis, in quibus pauciores erant, quam centum & viginti familiæ. Hoc Collegium rebus parvi momenti judicandis erat præpositum; nempe sententiam dicebat de debitis pecuniariis, de damnis illatis, de restitutione dupli, quadrupli, de calcei extractione, & de nonnullis aliis. Hæc quasi in transitu de collegiis ordinariis. Vide plura de his tribus Collegiis in Philologo Mixto Dissert. 46.

XX. Per Viros Synagogæ magnæ intelliguntur illi, non qui membra fuerunt Conciliorum ordinariorum, sed qui ad Concilium illud extraordinarium centum & viginti Virorum fuerunt admissi. Hoc Collegium libros Veteris T. in unum volumen redegit, sacram scripturam à Pseudo-prophetarum falsis libris segregavit, & multa alia circa Ecclesiæ Reformationem, atque circa sacros Libros, eos ab adnatis erroribus emuscando, præstitit.

XXI. *Secundò quæritur*. An illud exemplar, cui Collegium magnum, Esra præside, medicam manum adhibuit, & ab eodem Collegio collectum, adhuc hodiè supersit?

Respondeo. 1. Quidam audaculi affirmativam defendunt sententiam, inter quos est Finus Adrianus in libro, cui nomen dat *Flagellum Judæorum*. Hic idem asserit, quod ipsa Biblia, ab Esrâ restaurata, custodiantur Bononiæ in Ecclesiâ S. Dominici; quia Judæi mutuo acceperant pecuniam ab illa Ecclesia: & propterea Biblia illa loco pignoris tradita erant illi Ecclesiæ, in qua tamdiu hæc Biblia asservarentur, donec pecunia mutuo data illi Ecclesiæ redderetur. Sed hæc ficta sunt, & in cerebro nugivendulorum & mirionum quorundum fabrefacta.

2. Nos itaque verosimilius esse existimamus ipsum exemplar ab illo Collegio collectum, & à vitiis repurgatum, nec hodie superesse, nec etiam post devastationem Templi secundi superfuisse. Prisci enim Judæi, qui circa illa tempora vixerunt, nullam ejus exemplaris faciunt mentionem. Præterea loca publica, in quibus hi aliique libri sacri asservati fuerunt, aliquoties sunt diruta, & igne combusta. Vide

plura apud Hottingerum in Thes. Philol. pag. 115.

XXII. *Tertiò quæritur*. An, degentibus Judæis in captivitate Babylonica, omnia exemplaria tam Autographa Mosis & Prophetarum, quam Apographa perierunt, & ab Esdra miraculosè restituta fuerunt?

Respondeo 1. Si libris Apocryphis fides adhibenda esset, facile in castra affirmantium descenderemus. Nam libro quarto Esdræ *Cap.* 14. *v*. 21. 23. 24. &c. dicitur, quod Lex exusta sit, & à quinque Scribis, Esrâ dictante, spatio quadraginta dierum restituta. Hoc argumento multi ex Veteribus moti sententiam affirmativam defenderunt. Pontificii ambabus ulnis hanc sententiam amplectuntur. Putant enim se inde probare posse, quod S. Scriptura non sit Ecclesiæ necessaria, quodque Ecclesia absque Scripturis possit conservari, ac quod tempore captivitatis Babylonicæ revera sit conservata. Hanc sententiam eum in finem defendunt, ut traditionibus suis auctoritatem concilient, easque statuminent.

2. Sed sententiam hanc affirmativam, utpote falso & stramineo fundamento innixam, rejicimus, & asserimus quod nunquam omnes libri tam Autographi quam apographi simul perierint: sed semper, licet perierint Autographi, quod libenter concedimus, quidam Apographi per providentiam divinam conservati fuerunt. Quæ enim fuisset divina illa in hominibus memoria, quæ plerosque libros Veteris T. tàm quoad phrases & voces, quàm quoad singulas anomalias in cerebro humano retinere potuisset. Vidi quidem Judæum, qui integrum Pentateuchum Hebraicè ad unguem callebat, & memoriter à quolibet dato loco recitare poterat: sed non videtur verosimile talem posse inveniri, qui omnes libros ita memoriter callet, ut absque ullo errore omnes libros recitare, & cum omnibus vocalibus ac anomaliis describere posset. Præterea obstat providentia divina, quâ S. Scriptura hactenus ab insultibus diaboli & ab insidiis aliorum clandestinorum hostium sarta tecta semper servata fuit. Non igitur videtur verosimile Deum unquam permisisse, ut S. Scriptura ita fuerit annihilata, ut plane nullum exemplar in toto mundo superfuerit.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA,

DE

Literis Majuſculis, Minuſculis, Suſpenſis, Inverſis, & Irregularibus Veteris. T.

§. 1. *Conſonæ ſunt quaſi materia & vocales quaſi forma vocum Hebraicarum.*

2. *Initia Librorum, Capitum, Sectionum, & nomina Propria V.T. non incipiunt à literis majuſculis.*

3. *Diverſitas literarum variis modis in V.T. occurrit.*

4. *Diverſitas literarum pertinet propriè ad Maſoram.*

5. *Ipſa loca Maſoræ, in quibus literæ majuſculæ occurrunt, allegantur.*

6. *Omnes literæ majuſculæ ordine alphabetico enumerantur.*

7. *Maſora magna enumerat 28. literas majuſculas, & parva addit adhuc tres.*

8. *Auctores literarum majuſcularum non ſunt S. Scriptores.*

9. *Diverſitas literarum majuſcularum, &c. ante Maſorethas Tyberienſes in Bibliis ſuit obſervata.*

10. *Literæ illæ diverſæ revera non denotant myſterium, licèt recentiores Judæi varia myſteria ex illis eliciant.*

11. *Tres ſententiæ de diverſis literis enumerantur.*

12. *Diverſitas illa literarum poſſet in Bibliis Hebraicis non obſervari.*

13. *Ipſa loca Maſoræ, in quibus literæ minuſculæ inveniuntur, recenſentur.*

14. *Omnes literæ minuſculæ ordine enumerantur.*

15. *Fere literæ 33. minuſculæ in V.T. annotantur.*

16. *Significatio literarum minuſcularum.*

17. *Ante confectum Talmud literæ minuſculæ fuerunt in V. T. annotatæ.*

18. *Origo literarum minuſcularum inquiritur.*

19. *Quatuor literæ ſuſpenſæ recenſentur.*

20. *In omnibus Bibliis hæ quatuor literæ non ſunt ſuſpenſæ,*

21. *Significatio earum literarum.*

22. *Auctores earum inquiruntur.*

23. *Ante confectum Talmud literæ ſuſpenſæ fuerunt in V.T. uſitatæ.*

24. *Novem loca enumerantur, in quibus dicitur eſſe Nun inverſum.*

25. 26. *Maſora non vult Nun eſſe invertendum: ergo Numer. cap.* 10. & 11. *non debet pingi Nun inverſum.*

27. *Tres literæ irregulariter ſcriptæ enumerantur.*

28. *Auctores harum literarum inquiruntur.*

SECTIO I.


Isseruimus hactenus de libris Veteris Test. in genere & in specie, ac libros nothos à veris & Canonicis separavimus; jam ordo nos monet, ut materiam & formam, id est, Consonas & Vocales tanquam partes essentiales vocum Hebraicarum penitius consideremus. Consonæ vocantur materia: quia quemadmodum materia, absolutè absque formâ considerata, ad plures formas recipiendas idonea est, ita etiam Consonæ, distitutæ vocalibus, multos & diversos sensus nonnunquam induere possunt. Primò de Consonis, deinde de Vocalibus agemus: quia Consonæ sunt ut fundamentum vocum Hebraicarum.

II. Hac dissertatione initium sumemus à figurâ quarundam Consonarum, quæ non eodem modo in omnibus locis pinguntur. In lingua Hebraica omnes literæ æqualiter, id est, eâdem æquali magnitudine in principiis vocum, in principiis nominum propriorum, in principiis librorum, & in principiis capitum ac sectionum scribuntur. Nam lingua Hebraica hac in parte non imitatur linguam Latinam, Belgicam, aliasque linguas, in quibus nomina propria, initia librorum, initia sectionum & capitum incipiunt à literis, quæ cæteris majores sunt: sed omnes literæ in lingua Hebraica ubique eâdem magnitudine scribuntur, exceptis quibusdam locis, in quibus secundùm doctrinam Masoræ nonnullæ literæ majori, vel minori, aut aliâ quâdam formâ, ab aliis locis ubique differenti, scribuntur.

III. In generere nonnullæ literæ pinguntur cæteris Majores vel Minores, vel in quibusdam locis quædam pinguntur supra communem regulam, vel in aliis locis quædam scribuntur figurâ inversâ, aut irregulari. Loca, in quibus hæc literarum differentia occurit, breviter annotabimus. In nonnullis Bibliis Hebraicis initia sectionum & librorum incipiunt quidem à majoribus literis, sed hoc est per accidens, & non secundùm Masoram; nec etiam illæ majores literæ denotant ex sententia Judæorum mysteria, sicuti volunt cæteras literas majores denotare.

IV. Hæc materia de literis Majoribus, Minoribus, &c, propriè pertinet ad Masoram, de quâ ex professo agemus in Dissertationibus 22. 23. 24. & 25. sed placet hanc diversam literarum figuram hic præmittere; quia in Dissertatione undecima & duodecima acturi sumus de antiquis literis Hebraicis. In genere omnes illas literas, quæ tali diversa figura scribuntur, post invicem enumerabimus. I.

I. *De Literis Majuſculis.*

V. Literæ cæteris majores annotantur in Maſora initiali, quæ ad libri primi Chronicorum Caput 1. v. 1. & ad principium Geneſeos annotatur. Et quia non eodem modo illæ literæ majuſculæ in utroque allegato Maſoræ loco enumerantur, ideo conſultum judico ipſam Maſoram hic deſcribere. Maſora præliminaris in principio Chronicorum enumerat tantum viginti duas literas, tali modo:

אלפא ביתא רבתי בקריאה וסי׳ם א׳ אדם שת . ב׳ בראשית
ברא אלהים . ג׳ והתגלח . ד׳ שמע ישראל יי׳ אלהינו אחד .
ה׳ הליי׳ תגמלו . ו׳ דגחון . ז׳ זכרו תורת משה . ח׳ חור
כרפס . ט׳ טוב שם . י׳ ועתה יגדל . כ׳ וכנה . ל׳ וישלכם .
מ׳ משלי שלמה . נ׳ ליני הלילה . ס׳ סוף דבר . ע׳ שמע
ישראל . פ׳ בארץ מלכא בשפרפרא פ׳ בתראה (posterius פ)
צ׳ צופיו עורים . ק׳ ודרור קן לה . ר׳ כי לא תשתחוה לאל
אחד . ש׳ שיר השירים . ת׳ תמים תהיה. Quia vulgo plures literæ majuſculæ in Bibliis Hebraicis enumerantur, quam hæ viginti duæ; & cæteræ fere inveniuntur *Gen.* 1. 1. in Maſora, circumcingente primam vocem בראשית, ideo inde eas cæteras literas, quæ *hic non recenſentur*, addam:

ו׳ של ויזתא . ט׳ יסר מעלי שבטו
נ׳ נצר חסד . ן׳ את משפטן . ף׳ ובהעטיף . ת׳ ותכתוב אסתר

Hic adhuc enumerantur ſex literæ majuſculæ, quæ in ſuperiori loco non inveniuntur: ſed è contra in hoc poſteriori loco non allegantur duæ literæ majuſculæ, ſcil. ו דנחון, & ט שם טוב quæ in priori Maſora habentur. Præter hæs viginti octo literas inveniuntur in Bibliis majoribus Buxtorfii adhuc tres literæ majores, ſcil. ל׳ in והלטאה *Levit.* 11. 30. & ם׳ in שלשים *Gen.* 50. 23. & ס׳ in ויהס *Num.* 13. 30.

Buxtorfius in Commentario Maſorethico omnes literas majores & minores enumeravit, ubique cum myſteriis, quæ Judæi ex illis elicere ſolent.

VI. Nos breviter omnia loca, in quibus literæ majuſculæ annotantur, in gratiam Studioſorum, ſecundùm ordinem Alphabeti profere-

feremus; & post earum recensionem judicium nostrum de illis addemus. Totum Alphabetum literarum Hebraicarum cæteris majorum in Veteri Test. invenitur; cujus tamen Alphabeti quædam literæ, ut ex sequentibus patebit, sunt geminæ, & una triplicata.

א Majusculum invenitur in voce אדם *Adam*. 1. Chron. 1.1. In omnibus Bibliis figura majuscula & minuscula literarum non accuratè observatur. In quibusdam Bibliis Typographi, non attendentes ad antiquum morem & consuetudinem, literas pauciores majores & minores, in aliis vero multo plures annotarunt: propterea in omnibus Bibliis Hebraicis hæc litera Aleph majori formâ non pingitur. Sed in Bibliis nostris correctissimis & famosissimis, Anno 1667. per Athiam editis, fere omnes illæ literæ majusculæ, quas Masora pro talibus agnoscit, majori forma pinguntur, addita fere nota marginali רבתי h.e. *majuscula*.

ב Invenitur scriptum majori figurâ in voce בראשית *In principio*, Gen. 1. 1. Litera illa, in numero denotans duo, indicat, secundum sententiam Judæorum, Deum creasse Cœlum & Terram.

ג Extat in voce והתגלח *& raditur*, Levit. 13. 33.

ד Occurrit in voce אחד *unus*, Deut. 6. 4. Litera Daleth, in numero denotans *quatuor*, indicat Deum esse solum Dominum & Regem in quatuor mundi partibus. Propterea, quando Judæi hunc Textum inter orandum recitant, in quatuor mundi plagas caput reflectunt, & aliquando per dimidiam vel integram horam vocem hanc Hebraicè clamando & cantando producunt.

ה Pingitur majusculum in voce הליהוה *An Domino*, Deuteronomii Cap. 32. v. 6.

ו *Vau* geminatum invenitur: primum est in voce גחון *Venter*, Levit. 11. 42. Hæc litera *Vau* majuscula denotat mediam literam totius Pentateuchi: id est, totidem literæ sunt ante hanc literam *Vau* in Pentateucho, quot sunt post eandem. Alterum *Vau* reperitur in nomine proprio ויזתא *Vaizatha*, Esth. 9. 9. Hic fuit decimus filius ventosi Hamanis, qui etsi quidem natu minimus inter fratres fuerit, tamen odio & invidiâ erga Judæos multis passibus fratres suos superasse putatur.

Litera

Litera ז *Zain* majuscula occurrit in voce זִכְרוּ *recordamini*, Malach. 3. 22. ut continuâ attentione recolerent quinque libros Mosis, libros Prophetarum & Hagiographorum, quibus septem quasi partibus, quæ literâ *Zain* denotantur, tota Scriptura continetur.

ח Majusculum legere est in voce חוּר *candidum*, Esth. 1. 6.

ט Bis occurrit majusculum: primum in voce שִׁבְטוֹ *virga ejus*, Job. 9. 34. Litera hæc ט, in numero denotans novem, significat, secundum sententiam Rabbinorum, novem calamitates, quas Jobus vel passus est, vel à se procul removeri à Deo obnixe petiit.

Alterum ט invenitur in voce טוֹב *bonus*, Eccles. 7. 1. Hæc litera majuscula indicat magnâ & assiduâ diligentiâ nomen bonum esse quærendum & servandum.

י *Jod* est majusculum in voce יִגְדַּל *Magnificetur*, Num. 14. 17.

כ Occurrit in voce וְכַנָּה *& surculus*, Psal. 80. 16

ל Bis occurrit: primum in voce וַיַּשְׁלִכֵם *& disjecit eos*, Deut. 29. 28. Alterum in voce וְהַלְּטָאָה *& lacerta*, Levit. 11. 30. Masora magna non enumerat vocem posteriorem והלטאה inter literas majusculas. Quare igitur in quibusdam Bibliis hæc litera ל majori forma depingitur? *Resp.* Quia Masora parva ad hanc vocem in margine annotat hoc Lamed esse majusculum: ל והלטּ֗ר רבתא *Non amplius extat vox* והלטאה, *& Lamed est majusculum.* Idem dicendum est de litera ם in voce שלשים, *Gen.* 50. 23. quæ non recensetur in Masora magna; sed Masora parva in margine notat מם רבתי *Mem majusculum.*

Litera מ bis in majori forma invenitur: semel in voce מִשְׁלֵי *Proverbia*, Prov. 1. 1. Et semel Genes. 50. 23. in voc שִׁלֵּשִׁים *Abnepotes.* Hæc litera in Bibliis Hebraicis Buxtorfii majori formâ depingitur; ideo voluimus eam hic etiam annotare.

נ Majusculum ter invenitur. Primum in voce נֹצֵר *Servans*, Exod. 34. 7. Alterum in voce לִינִי *pernocta*, Ruth. 3. 13. Orientalibus Judæis in hac voce non litera *Nun*, sed litera *Lamed* majuscula depingitur.

Ter-

Tertium est *Nun* finale in voce מִשְׁפָּטָן *judicium earum*, Num. 27. 5.

ס Bis invenitur: primum occurrit in voce סוֹף *summa*, Eccles. 12. 13. Hæc littera majuscula denotat summam attentionem esse adhibendam in lectione hujus versiculi; quia in hoc versiculo, tanquam in compendio, Summa Theologiæ sacræ proponitur. Alterum ס omissum quidem in Masora, annotatum tamen in multis libris, est in voce וַיַּהַס *& silere fecit*, Num. 13. 30. Nota marginalis in plerisque Bibliis adscribit has duas voces לֹ וּסָּמֶךְ רַבְּתִי *Non amplius extat, & Samech est majusculum.*

ע Notatur in voce שְׁמַע *audi*, Deuter. 6. 4. Hæc vox est prima dictio illius precatiunculæ, quam Judæi singulis diebus sub gravissimâ pœnâ recitare, sive potius deblaterare, tenentur.

פ Bis annotatur: primum occurrit in voce בִּשְׁפַרְפָּרָא *Summa aurora*, Daniel. 6. v. 20. Alterum invenitur in voce וּבְהַעֲטִיף *Et in serotinando*, Gen. 30. 42.

צ Majusculum est in voce צֹפָיו *Speculatores ejus*, Jes. 56. 10. Hoc majusculum צ denotat magni interesse, quales exploratores ad explorandam terram Canaan à populo Israëlitico mittantur.

ק Magnum est in voce קֵן *nidus*, Psal. 84. 4. Hæc litera indicat providentiam Dei versari etiam circa minimas aviculas, &c.

ר Magnum est in voce אַחֵר *alius*, Exod. 34. 14.

ש Invenitur in voce שִׁיר *Canticum*, Cantic. 1. 1. ad significandam præstantiam hujus cantici, quod alia omnia cantica longè superat.

ת Bis occurrit: primum reperitur in voce תָּמִים *Integer*, Deut. 18. 13. Alterum in voce וַתִּכְתֹּב *Et scripsit*, Esth. 9. 29.

Qui plura mysteria, quæ ex sententia Judæorum per has literas denotantur, desiderat, adeat Buxtorfium in Commentario Masorethico cap. 14.

VII. De his literis majusculis variæ quæstiones moveri possunt.

Primò

Primò quæritur. Quot literæ majusculæ in universum in Bibliis Hebraicis occurrunt?

Respondeo. Circiter triginta: attamen in omnibus Bibliis accurata ratio harum literarum non habetur. In quibusdam Bibliis tantum decem vel viginti præter propter literæ majori figurâ describuntur. Communiter in Bibliis, majori formâ impressis, plures majusculæ literæ annotantur, quàm in aliis Bibliis. Verum secundùm Masoram magnam viginti octo literæ majusculæ occurrunt, & secundùm parvam adhuc tres sunt addendæ, scil. ל *Lev.* 11. 30. ם *Gen.* 50. 23. & ם *Num.* 13. 30.

VIII. *Secundò quæritur.* Utrum hæ literæ tali majori figura sint descriptæ ab ipsis Auctoribus librorum; an vero à quibusdam Judæis?

Respondeo. Harum literarum diversitas non ab ipsis Auctoribus librorum, sed à quibusdam curiosis Judæis addita est, qui ubique mysteria venari, & quidlibet ex quolibet probare voluerunt.

IX. *Tertiò quæritur.* Quando hæc diversitas literarum primùm fuit inventa?

Respondeo. Tempus & seculum, quo hæc diversitas literarum tum majuscularum & minuscularum, tum etiam inversarum & suspensarum annotata fuit, est ignotum. Nihilominus licèt præcisum tempus non possit indicari, tamen certissimum est hanc diversitatem literarum non esse nuperrime inventam, & in Bibliis annotatam, sed esse perantiquam, & ipsos Masorethas Tyberienses, qui circa quintum aut *sextum sæculum à nativitate* Christi vixerunt, antiquitate sua longè superare. In ipso enim Talmude Tractatu סֹופְרִים *de Scribis*, cap. 9. fit mentio literæ ל majusculæ in voce וישליכם superiùs allatâ ex *Deut.* 29. 28. ubi textus Talmudicus sic fatur: לָמֶד דְּוַיַּשְׁלִיכֵם צָרִיךְ שֶׁיְּהֵא אָרוֹךְ *Lamed in voce* וישליכם *necesse est, ut sit longum, id est, majusculum.*

X. *Quartò quæritur.* An literæ hæ majusculæ, minusculæ, &c. denotant aliquod mysterium?

Respondeo. Nullum denotant mysterium à Prophetis in locis illis intentum; sed possent denotare mysterium aliquod, si sententia Judæorum esset eadem cum Prophetarum sententia. Judæi mysteria quædam contra mentem S. Scriptorum ex illis locis, in quibus literarum diversitas annotatur, elicuerunt, vel potius quædam mysteria

in Textum ſacrum intruſerunt, quæ revera in Textu ab ipſis Prophetis non fuerunt intenta.

In genere literæ majuſculæ, ex ſententia Rabbinorum, ſignificant accuratiorem & attentiorem Textus præſentis habendam eſſe conſiderationem, denotantque ſenſum quendam myſticum, qui hodiernis Judæis jam ignotus eſt, ſed priſcis apprimè notus fuit. Antiqui Rabbini procul dubio hujus diverſitatis literarum alias dederunt rationes, quàm hodierni: nam antiqua illa myſteria, quæ ſecundùm ſententiam Rabbinorum in diverſitate literarum continebantur, jam diu perierunt. Myſteria illa, quæ ad quaſdam literas ſuperius annotavi, ſunt nova, & à recentioribus poſt-Talmudicis quibuſdam Judæis excogitata, & non à primis Auctoribus, qui has literas tali diversâ formâ pinxerunt. Nam rationes diverſitatis in ſingulis literis, à veteribus Judæis obſervatæ, poſt longa tempora propter varia exilia, propter diverſas tranſmigrationes, & propter graviſſimas calamitates tandem ex memoriâ Rabbinorum fuerunt obliteratæ.

XI. *Quintò quæritur*. An non veriſimile eſt hanc diverſitatem literarum majuſcularum, minuſcularum, inverſarum & ſuſpenſarum fortuitò primùm in Biblia irrepſiſſe?

Reſpondeo. De hac literarum diverſitate tres poſſunt aſſignari ſententiæ; quarum *prima* eſt eorum, qui ſtatuunt hanc diverſitatem literarum tractu temporis ex oſcitantia quadam in Textum ſacrum irrepſiſſe. Hæc ſententia mihi maximè arridet. Res tota, ut mihi videtur, ſic poſſet eſſe peracta: Scribæ anteriores, exſcribentes ſacrum Codicem, animi gratiâ, vel ex oſcitantia, aut aliud quid cogitando pinxerunt quaſdam literas paulo majores, vel minores &c. Scribæ poſteriores exſcribentes iterum Textum ſacrum ex Codice quodam antiquo, invenerunt in Textu ſacro quaſdam literas cæteris paulo majores, vel minores. Hi poſteriores Judæi ab illis antiquis, ſuperſtitionis ergò, ne latum ſtramen diſcedere voluerunt; ſed eaſdem literas, utpote myſterii causâ, ut putabant, ita deſcriptas, in Bibliis Hebraicis ut plurimum retinuerunt; & myſteria quædam, ſive cum Textu quodammodo convenientia, vel à Textu diſcrepantia, modo viderentur myſteria, excogitarunt. Rabbini hæc myſteria ita excogitata diſcipulos ſuos docuerunt, & eandem diverſitatem literarum eſſe retinendam mandarunt: quia putarunt non tantum illam diverſitatem literarum ſed etiam ipſa myſteria ab ipſis Prophetis eſſe excogitata & intenta.

Secun-

Secunda sententia est eorum, qui putant, quod hæc diversitas literarum datâ operâ primùm à nugivendulis quibusdam Judæis, ad mysteria quædam indicanda, sit annotata: sed in mysteriis illis excogitandis omnes non convenerunt; nonnulli hæc, alii alia incerta, si non falsa, excogitarunt, & in Textum sacrum intruserunt.

Tertia denique sententia est eorum, qui volunt literas majusculas & minusculas tantum denotare numerum aliquem literarum, & non mysteria: & sic literæ illæ essent termini alicujus numeri literarum; qui numerus esset desumptus vel à præcedenti majuscula, vel à minuscula, vel à principio libri, vel à loco ex peculiari indice noto: ex. gr. Litera majuscula *Vau* in voce גחון, *Levit.* 11. 42, occurrens, est media litera totius Pentateuchi. De quibusdam quidem literis majusculis dici potest, quod denotent numerum: sed an de omnibus idem affirmari possit valde dubito. Ut ut sit: causæ diversitatis harum literarum veteribus Judæis fuerunt notæ, sed jam post longa tempora ex oblivione sunt deletæ, & in varia commenta mutatæ.

XII. *Sextò quæritur.* An hæ literæ majusculæ, minusculæ, inversæ & suspensæ possent mutari in alias literas communes?

Respondeo. Posset hæc diversitas literarum, utpote ab ipsis Scriptoribus Textui sacro non addita, oblivioni tradi, & in Bibliis non observari: sed Judæi hodierni, quorum operâ ut plurimum Biblia Hebraica typis mandantur, has diversas figuras, ut antiquæ sapientiæ & mysteriorum æterna testimonia, nolentes à Veterum sententia discedere, retinent, & in Bibliis annotant. Munsterus hanc literarum diversitatem, utpote à nugacibus Judæis inventam, è Bibliis Hebraicis extrusit. Sed parum refert, utrum in Bibliis retineantur, an vero ex iisdem extrudantur, modo talia nugacia mysteria non excogitentur.

Decisio quarundam harum quæstionum etiam literis minusculis, inversis & suspensis convenit.

II. *De Literis Minusculis.*

XIII. Jam sequuntur literæ minusculæ, quarum totum Alphabetum occurrit; sed quædam literæ sunt duplicatæ, aliæ triplicatæ, & una est quadruplicata. Hæ literæ minusculæ annotantur à Masore-

this in principio Levitici, & in initio Masoræ magnæ finalis: attamen ubique non eodem modo. Ut Lector certò cognosceret quales literæ minusculæ in Masora occurrant, placet ipsam Masoram hic allegare.

Alphabetum viginti novem literarum, quod in vestibulo quadrato *Levit.* 1. 1. circum vocem ויקרא à Masorethis enumeratur. אלף
זעירא מאותיות קטנות דאינון א׳ ויקרא אל משה . ב׳ שתי
בנות הב . ג׳ וגוש . ד׳ אים עשק בדם . ה׳ בהבראם . ו׳ בריתי
שלים . ו׳ ולא נשא לשיא . ז׳ ויתא . ח׳ יף אנכי . ט׳ טבעו
בארץ . ט׳ אחר וטהרתם . י׳ ילדך תשי . כ׳ ולבכתה . ל׳ לוא
אליכם . מ׳ מרים הייתם . מ׳ על מוקדה . נ׳ נטע ארן . נ׳
ונרגן . נ׳ ונבושובן . ס׳ יצפנני בסכה . ס׳ בסופה . ע׳ לעות . פ׳
דשפרפרא . צ׳ ויוחת . ץ׳ על פני פרץ . ק׳ קצתי בחיי . ר׳
יערי ארצים (pro vitiosè ארגים) ר׳ תיו פימשתא . ש׳ פרשנדתא :

Hæc eadem Masora, sed in nonnullis differens, invenitur in Masora magna finali *pag.* א, *col.* 1. Attamen non est animus eam totam hic repetere, sed solummodo illa annotabimus, in quibus à superiori differt: ח׳ וכבשה ונפשו לא חיה . מ׳ וטהרתים . נ׳ נעו עורים : בחוצות . ק׳ לשמרה בקמיהם . ר׳ ראשית בכורי : Hîc citantur quinque literæ minusculæ, quæ in vestibulo Levitici non inveniuntur: & è contra exemplum literæ ר, in superiori Masora allegatum, hic non numeratur.

XIV. Buxtorfius in Commentario Masorethico *Cap.* 15. literas minusculas unà cum fictis mysteriis ordine recenset, & nonnullas in Masora omissas addit. Nos ipsius vestigiis insistentes, alphabetum literarum minuscularum hic etiam describemus.

א Minusculum invenitur in voce וַיִּקְרָא *& clamavit*, Lev. 1. 1.

ב Est in voce הַב *da*, Prov. 30. 15.

ג In voce וְגוּשׁ *& gleba*, Job. 7. 5. Hæc litera minuscula denotat

notat corpus in minutissimas partes pulveris post mortem redigi.

ד Est minusculum in voce אדם *Homo*, Prov. 28. 17.

ה Occurrit in voce בהבראם *Quando creata erant illa*, Gen. 2. 4.

Hæc litera *He* dicitur scribi minuscula, quia omnia creata minuentur & peribunt: & quemadmodum hæc litera constat ex lineis non sibi invicem conjunctis, sed dissolutis, sic etiam creata tandem à se invicem dissolventur.

ו *Vau* bis reperitur; primum in voce שלום *pax*, Num. 25. 12. Alterum in voce לשוא *in vanum*, Psal. 24. 4.

ז *Zain* minusculum notatur in nomine proprio filii Hamanis ויזתא *Vaisatha*, Esth. 9. 9. Hæc litera minor contemptus causa ita scribitur; & indicat hunc filium natu quidem fuisse minimum, sed improbitate suos fratres superasse.

ח Minori forma scriptum invenitur in voce חף *nitidus*, Job. 33. 9.

ט Bis observatur; primum in voce טבעו *demersa sunt*, Thren. 2. 9. Alterum in voce וטהרתם *& mundi eritis*. Num. 31. 24.

י *Jod* in voce תשי *oblitus es*, Deut. 32. 18. Litera minuta *Jod* contemptus causa dicitur de decem tribubus, quæ Deum in æternum ex memoria obliterarant.

In Bibliis novissimis anni 1667. Jod in פינחס *Num.* 25. 11. minori forma scribendum vel scriptum esse monet nota marginalis.

כ In voce ולבכתה *& ad deflendum eam*, Gen. 23. 2. Hebræi volunt כ esse minusculum, quia Abraham parum luxit defunctam conjugem utpote jam vetulam, quasi jam sibi gratularetur potius. Sed alii melius conjectant, qui minusculi כ eam assignant rationem; eo videlicet doceri planctum & luctum propter defunctos viris minuendum esse, illudque cavendum uti ne modum excedat, ipsumque Abrahami luctum cum hac moderatione fuisse.

ל Occurrit in voce לוא *non*, Thren. 1. 12.

מ Minusculum ter legitur. Primò in voce ממרים *rebelles*, Deut. 31. 27. Secundò in voce מוקדה *adustio*, Lev. 6. 2. Tertiò, ם finale

ſcribitur minuſculum in voce וטהרתים *& mundavi eos*, Neh. 13. 30.

Litera נ quater invenitur ſcripta minori forma. Prima eſt in voce נעו *vagantur*, Thren. 4. 14. Reliquæ tres ſunt finales. Secunda invenitur in voce ארן *ornus*, Jeſ. 44. 14. Hæc litera in contemptum ita ſcribitur, ad indicandum, quod ex vili ligno magnum Deum ſibi faciebant. Tertia eſt in nomine proprio ונבושזבן *& Nebuſchazban*, Jerem. 39. 13. Quarta denique occurrit in voce נרגן *Suſurro*, Prov. 16. 28.

ס Bis legitur; primò in voce בסופה *in tempeſtate*, Nah. 1. 3. Secundò in nomine בסכה *in tabernaculo ſuo*, Pſal. 27. 5. Hac litera minuſcula indicatur etiam minimum tuguriolum ſufficere ad protegendos pios.

ע Minuſculum eſt in verbo לעות *ad pervertendum*, Thren. 3. 36.

פ Prius eſt minuſculum in nomine בשפרפרא *in ſumma aurora*, Dan. 6. 20. ad ſignificandum, quod Rex, prima aurora vix lucente, ſurrexerit ad viſitandum Danielem, de cujus ſalute admodum ſolicitus erat.

צ Bis annotatur; primo in voce וצוחת *& clamor*, Jerem. 14. 2. Secundò in voce פרץ *ruptura*, Job. 16. 14.

ק Similiter bis minori forma deſcribitur; primò in voce בקמיהם *Inter adverſarios ipſorum*, Exod. 32. 25. Secundò in verbo קצתי *tædet me*, Gen. 27. 47.

ר Etiam bis occurrit; primò invenitur in vocibus ראשית בכורי *Principium primitiarum*, Exod. 23. 19. & 34. 26. Hæ duæ voces in duobus illis locis occurrunt; ſed ad quem locum Maſora reſpexerit incertum eſt. Secundò in nomine proprio filii Hamanis פרמשתא *Parmaſta*, Eſth. 9. 9. In Bibliis noviſſimis anni 1667. litera ש ſcribitur minuſcula.

ש Parvum eſt in nomine proprio פרשנדתא *Parſchandatha*, Eſth. 9. 7.

9. 7. Eadem Biblia exprimunt ת minusculum in hoc nomine. ת In nomine proprio פַּרְמַשְׁתָּא *Parmasta*, Esth. 9. 9. Hoc nomen in litera *Resch* etiam fuit annotatum.

XV. De literis minusculis hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Quot literæ minusculæ in Veteri T. sunt annotatæ à Masorethis?

Respondeo. Circiter triginta tres: sed hæ omnes in Bibliis Hebraicis non annotantur. In quibusdam Bibliis pauciores, in aliis vero plures literæ minores inveniuntur: sed secundùm Masoram fere triginta tres literæ minori forma in Bibliis Hebraicis sunt depingendæ.

XVI. *Secundò quæritur*. Quid literæ minusculæ in genere significant?

Respondeo. Literæ minusculæ in genere denotant *diminutionem* rei, nonnunquam etiam *contemptum* eorum, quæ tali minori litera describuntur.

XVII. *Tertiò quæritur*. An hæc diversitas literarum minuscularum diu in Textu sacro fuit annotata?

Respondeo. Eo tempore, quo diversitas literarum majuscularum in Textum irrepsit, etiam videtur hæc diversitas literarum minuscularum in Textum irrepsisse: nam tam harum quam illarum fit mentio in Talmude. In Tractatu סוֹפְרִים *de Scribis* Talmudistæ faciunt mentionem literæ *Jod* minusculæ; quum ajunt: יוד שֶׁל תֶּשִׁי צָרִיךְ לִהְיוֹת קָטֹן מִכָּל־יוד שֶׁבַּמִּקְרָא *Jod in voce* תשי (Deut 32. 18.) *opus est ut sit minus præ omnibus Jod, quæ sunt in Scripturâ*. Hæ ergo literæ parvæ fuerunt modò annotatæ ante compositum Talmud, hoc est, ante quingentesimum annum post nativitatem Christi: sed præcisum tempus, quo hæ literæ minores primò sunt annotatæ nos latet.

XVIII. *Quartò quæritur*. Quis has literas minori forma primus in Veteri T. exaravit?

Respondeo. Auctores hujus diversitatis literarum sunt ignoti. Etiam nullo modo videtur verosimile ipsos librorum Auctores hanc literarum diversitatem primò annotasse. Fortasse hæc consuetudo scribendi tales minusculas literas vel ex incuriâ & negligentiâ Scribarum quorundam olim nata est, vel à curiosis quibusdam Judæis, volentibus mysteria quædam elicere, primam originem habet.

III. *De Literis Suſpenſis.*

XIX. Poſt literas majuſculas & minuſculas ſequuntur literæ quatuor ſuſpenſæ, quæ non juxta alias literas in eadem recta linea, ſed ſupra alias literas in Textu collocantur. Qui neſciens primâ fronte literas ſuſpenſas in Textu Hebræo adſpiceret, fortè putaret eſſe vitium Typographi; ſed melius à Maſorethis edoctus, ſciet hanc diverſitatem literarum ſuſpenſarum etiam diu in Bibliis fuiſſe annotatam; & alicujus rei, ſive myſterii alicujus, ſive certi cujuſdam numeri eſſe notam.

Prima litera ſuſpenſa eſt נ *Nun* in nomine proprio מְנַשֶּׁה *Menaſſeh*, Judic. 18. 30. Ad hanc literam nota marginalis annotat, quod ד תְּלוּיִם, id eſt, *quatuor literæ ſuſpenſæ* ſint in Bibliis Hebraicis à Maſorethis obſervatæ. Cauſa hujus ſuſpenſæ literæ *Nun* invenitur in Talmude, ubi quærunt Rabbini: Quare illa litera *Nun* ſit ſuſpenſa? *Reſpondeo*. Rabbini in cauſa aſſignanda non conveniunt: omnes tamen myſterium quærunt; quia putant hanc literam ab ipſo libri Auctore ita eſſe ſcriptam. Gerſom 1. *Chron.* 23. 14. vocatur filius Moſis, & hoc in loco nominatur filius Menaſſis. Rabbinus aliquis in Tractatu Talmudico *Bava Bathra*, *fol.* 109. *col.* 2. ſtatuit, quod Propheta ſtudio noluerit Gerſomum appellare filium Moſis; quia dedecori fuiſſet Prophetæ habere filium impium: ſed quod vocaverit eum filium Menaſſis, quum revera fuerit filius Moſis, literâ Nun ſuſpenſâ, ut indicaret eam literam potuiſſe abeſſe vel adeſſe; videlicet quod fuerit filius Menaſſis imitatione impietatis, ſed Moſis filius, generatione & proſapia.

Reliquæ literæ ſurſum elevatæ ſunt literæ ע *Ain*. Itaque *ſecunda* litera ſuſpenſa eſt ע, quæ invenitur *Pſal.* 80. 14. in voce מִיַּעַר *ex ſylva*. In plerisque Bibliis hæc litera tali ſuſpenſa forma depingitur. Judæi non eandem aſſignant cauſam, ob quam hæc litera ע in hoc Pſalmo ita ſit ſuſpenſa. Talmudiſtæ ſtatuunt hanc literam eſſe ſuſpenſam, quia eſt media litera in libro Pſalmorum. Alii alias rationes excogitarunt Rabbi Bechai in libro כַּד הַקֶּמַח *cap.* 1. ait, וְהָעַיִן הַתְּלוּיָה כִּי כֵן הֵם עוֹבְדֵי הַתָּלוּי, *Litera hac* Ain *eſt ſuſpenſa, quia cultores ſuſpenſi*, ſcil. Chri-

Christi, sunt quasi, uti dicitur in Textu, חֲזִיר מִיָּעַר *porcus sylvestris*; quia Templum Hierosolymitanum vastarunt. Christum per ignominiam vocant *suspensum*, & Christianos *cultores suspensi*.

Tertia litera suspensa est ע in voce רְשָׁעִים *improbi*, Job. 38. 13. Per literam *Ain* suspensam indicant עָפָר *pulverem*; quasi dicerent, impii instar pulvisculi, per aëra dispersi, peribunt.

Quarta & ultima litera suspensa est litera ע, quæ invenitur *versu* 15. ejusdem capitis in voce מֵרְשָׁעִים *ab improbis*.

XX. De his literis suspensis *primò quæritur*. Quot literæ suspensæ sunt annotatæ à Masorethis?

Respondeo. Communiter Masorethæ quatuor numerant, sed illæ quatuor in omnibus Bibliis Hebraicis ita non pinguntur. In plerisque Bibliis tantum litera *Nun*, Judic. 18. 30. & litera *Ain*, Psal. 80. 14. ita scriptæ inveniuntur. In Bibliis novissimis anni 1667. quatuor literæ suspensæ sunt, & singulis adscribitur in margine vox תלויה *suspensa*; etiam secundùm Masoram hæ quatuor literæ suspensâ formâ sunt pingendæ.

XXI. *Secundò quæritur*. Quid literæ suspensæ in genere denotant?

Respondeo. Hæc forma suspensa, ex sententia Rabbinorum, denotat has literas, sursum ita elevatas, abesse & adesse posse, manente nihilominus Textus integritate.

XXII. *Tertiò quæritur*. An hæ literæ tali suspensâ formâ fuerunt primum exaratæ ab ipsis Auctoribus librorum?

Respondeo negando: sed quidam prisci Judæi, qui ex omnibus fere Textibus Kabbalisticè alios sensus elicere voluerunt, harum literarum sunt primi inventores; & per consequens illæ literæ suspensæ, illæsâ Textus integritate, possent in Bibliis Hebraicis juxta alias literas collocari.

XXIII. *Quartò quæritur*. Quando primùm hæ literæ tali suspensâ formâ depictæ sunt?

Respondeo. Tempus nobis ignotum est; sed hoc est certissimum, quod ante confectum Talmud hæ suspensæ literæ fuerint annotatæ: nam Talmud meminit talium literarum: Ex. gr. In Sanhedrin fol. 103. col. 2. rogatur: Quare litera ע vocis רשעים *Job*. 38. 13. sit suspensa? Respondent: quando homo fit רָשׁ *pauper* infra, fit etiam pauper supra. Et quia hæ suspensæ literæ tam antiquæ sunt, ideo

propter venerabilem antiquitatem ut plurimum in hodiernis Bibliis Hebraicis retinentur. Vide plura de literis suspensis apud Buxtorfium in Comm. Masor. Cap. 16.

IV. *De Literis Inversis.*

XXIV. Masorethæ annotant in Masora magna textuali ad vocem בנסע *Numer.* 10. 35. dari novem loca, in quibus litera *Nun* inversa pingitur: sic ajunt ט׳ פסוקין אית בהון הדין סימן נון הפוכין *Novem sunt versus, in quibus est hujusmodi signum Nun inversi.* Masora ibidem loca illa novem annotat: sed duo sunt versus, in quibus ne quidem litera *Nun* occurrit, multo minus litera *Nun* inversa. Inde probabiliter colligimus Masorethas vel errasse in assignandis versibus, vel eos non voluisse ipsas literas esse invertendas, sed Nun, vel simile signum ad formam נ illis novem versibus esse præponendum.

In nonnullis Bibliis Hebraicis, sed vitiosè, duo loca inveniuntur, in quibus tales literæ inversæ pinguntur: prior locus extat *Num.* 10. 35. in voce בִּ׆סֹעַ *in proficiscendo.* Hæc litera *Nun* pingitur inversa ad indicandum sic omnes hostes Israëlitarum in fugam esse conjiciendos, & retrorsum agendos.

Altera litera *Nun* inversa invenitur in voce כְּמִתְאֹ׆נְנִים *ut quiritantes*, Num. 11. 1. Hæc litera inversa putatur denotare perversitatem populi.

In omnibus Bibliis hæ literæ eodem modo non pinguntur. In quibusdam Bibliis hæ literæ non sunt inversæ, sed ante initium duorum illorum versuum litera *Nun* inversa, sive potius signum aliquod, repræsentans quasi Nun, præponitur, ad indicandum illos duos versus non pertinere ad historiam quæ ibi narratur, sed eos esse quasi per duo illa signa, tanquam per duo signa Parentheseos, interpositos. In Pentateuchis MSS. ex quibus Judæi lectiones Sabbathinas in Synagogis prælegunt, tantum talia signa inveniuntur, qualia etiam in novissima editione Bibliorum expressa sunt.

Reliqui septem versus, qui adferuntur à Masorethis, inveniuntur in *Psal.* 107. Masora ad hunc Psalmum annotat dari tantum in Bibliis

bliis Hebraicis octo literas *Nun* inversas; sed in Masoram hic vel illic vitium aliquod irrepsit.

Septem reliqua loca, quæ in Masora *Numerorum cap.* 10. recensentur, in quibus secundùm crisin Masoretharum esset *Nun* inversum, sunt hæc sequentia.

Primus locus est *Psal.* 107. *vers.* 23. in בָּאֳנִיּוֹת *in navibus.*

Secundus in voce וְנִפְלְאוֹתָיו *& mirabilia ejus*, versu. 24.

Tertius est *versu* 25. in quo nullum est *Nun.*

Quartus in voce נַפְשָׁם *anima ipsorum*, versu 26.

Quintus est in verbo יָנוּעוּ *& vagantur*, versu 27.

Sextus locus est *vers.* 28. sed etiam in hoc versu nullum *Nun* invenitur.

Ultimus est in nomine נְדִיבִים *principes*, versu 40.

Hæc septem loca proferuntur à Masorethis, sed nulla, quod sciam, Biblia inveniuntur, in quibus litera *Nun* in supra septem allegatis textibus inversa pingitur.

XXV. De his literis, quas nonnulli invertendas esse putant, *primò queritur.* Utrum antiqui Rabbini voluerint ipsas literas Nun esse invertendas; an vero voluerint literam Nun, vel potius signum aliquod instar Nun inversi, illis novem versibus præponere, vel apponere?

Respondeo. Posterius videtur affirmandum. Nam Masora non dicit, quod in his vocibus sit Nun inversum, sed ait *Novem esse versus, in quibus est signum inversi Nun.* 2. Masora non potest intelligi de Nun: nam in duobus versibus ne quidem Nun invenitur, scil. *vers.* 25. & 28. Ergo est error in multis Bibliis, quando in בנסע & in כמתאננים Nun inversum pingitur.

XXVI. *Secundò quæritur.* An hæ literæ tali inversâ figurâ sint depictæ ab ipsis Auctoribus librorum?

Respondeo. Hoc nullo modo videtur verosimile: sed audaculi quidam Judæi, ante mille præter propter annos, ad venandum mysterium aliquod, sive potius nugas, has literas vel inverterunt, vel talia signa illis versibus præposuerunt: ideoque possent, illæsâ sacræ Scripturæ integritate, in Bibliis Hebraicis immutari, vel ex iisdem extrudi.

V. *De Irregularibus Literis.*

XXVII. Præter has diversitates jam annotatas, etiam in Bibliis Hebraicis annotatur quædam irregularitas circa literas *Mem* & *Nun*. Quinque literæ *Camnephatz* aliter scribuntur in fine, aliter in medio; sed in Bibliis annotantur tria loca, in quibus à communi regula occurrit exceptio.

Prima est in litera *Mem*, Jes. 9.6. quæ in medio vocis extensa reperitur, & eodem modo, uti in fine scribi solet, in voce לםרבה scribitur. Hinc Christiani quidam varia mysteria, sed absque ullo fundamento, collegerunt. Ajunt enim Prophetam hæc tria innuere: 1. Futuram regni Christi dilatationem, & æternam durationem; quia in hoc versu, in quo de dominio agitur, litera *Mem* in medio dilatatur. 2. Partum Mariæ clauso fore utero, & Christum etiam tali modo esse natum; quia litera *Mem* clausa est in media voce. 3. Christum sexcentis annis à tempore vaticinii esse incarnandum, eumque propterea jam diu esse incarnatum: *Mem* enim finale denotat in numero sexcenta.

Secunda exceptio, superiori contraria, etiam est in litera *Mem*, quæ semel contra communem regulam aperta est in fine Pronominis המ *Nehem*. 2. 13. Hinc quidam duo mysteria eliciunt. 1. Quod portæ urbis Jerosolymorum quandoque ad formam literæ *Mem* apertæ, aperientur & expugnabuntur. 2. Quod illæ portæ eodem anno quadragesimo à reditu Judæorum è captivitate Babylonica sint restauratæ & redintegratæ. Tale enim *Mem* denotat quadraginta. Sed tædet has nugas, à nugacibus quibusdam Judæis inventas, plenius hic enarrare.

Tertia exceptio est in litera Nun non finali, quæ tamen contra regulas invenitur in fine vocis מנ *ex*, Job. 38. 1. Nota marginalis *Keri* in quibusdam Bibliis Hebraicis annotat esse legendum מן, cum litera *Nun* finali in fine.

XXVIII. De his literis *quæritur*. An varietas harum trium literarum est ab ipsis Auctoribus librorum?

Respondeo. 1. Hoc mihi vix videtur verosimile: sed nugaces quidam Judæi vel datâ operâ has tres literas ita videntur mutasse ad elicienda quædam mysteria; vel hæ tres literæ fortuitò in Textum Hebræum eo modo videntur irrepsisse, quo literæ majusculæ, minusculæ, inversæ & suspensæ irrepserunt.

2. Si

2. Si quis putet hanc irregularitatem trium literarum esse ab ipsis Auctoribus librorum, tum dicendum est literam *Mem*, Nehem. 2. in voce םה, esse apertam; quia subintelligitur *He* paragogicum: & literam *Nun*, in voce מן, Job. 38. esse intermediam; quia post hanc vocem in multis exemplaribus sequitur *Maccaph*: atqui voces, conjunctæ per *Maccaph*, habentur à Grammaticis pro vocibus conjunctis: & per consequens litera *Nun* in voce מן non esset habenda pro litera finali; quia vox מן conjungitur cum *Maccaph*. Verum in quibusdam exemplaribus post מן non sequitur Maccaph; & ratione talium exemplarium hæc responsio non valet.

3. Non puto aliquem posse certas rationes dare, quare hæ tres literæ ita irregulariter sint exaratæ; sive quis dicat eas ita esse scriptas ab ipsis auctoribus librorum, sive à quibusdam curiosis Judæis. Saltem illa mysteria retrò allegata sunt nugatoria. Ut ut sit, hoc saltem verum est, quod hæc diversitas literarum non nuperrime demum sit inventa, sed quod ante conscriptum Talmud in Bibliis fuerit observata.

DISSERTATIO UNDECIMA,

DE

Literarum Hebraicarum Antiquitate.

PARS PRIOR.

§. 1. *Hodiernæ literæ Hebraicæ sunt antiquæ & primigeniæ literæ V. T.*

2. *Quod probatur ex testimonio doctorum qui Misnam conscripserunt.*

3. *Objectio R. Jose solvitur.*

4. *Ratio datur quare hodiernæ literæ Hebraicæ, olim sacræ, postea in Assyria communes factæ sint.*

5. *Tres allegantur sententiæ quare hodiernæ literæ vocentur Assyriacæ. Appellatur etiam scriptura* quadrata *&* Hebræa.

6. *Inter Gemaricos est Rab Chasda, qui statuit literas* ס *&* ם *miraculosè in tabulis stetisse.*

7. *R. Jeremias & R. Matthias ajunt literas finales à Prophetis fuisse usurpatas.*

8. *Alii dicunt quod literæ legis fuerint coronatæ apicibus, quibus literæ Samaritanæ destituuntur.*

9. 10. *Antiqui Hebræorum doctores, Geonim & Kabbalistæ, ut & recentiores Judæi statuunt hodiernas literas esse antiquas.*

11. *Idem statuunt multi Christiani.*

12. *Antiquitas literarum probatur etiam ex nummis.*

SECTIO I.



Uperiori dissertatione egimus de diversitate quarundam literarum; sequitur nunc non minus celebris quam difficilis controversia circa antiquitatem literarum Hebraicarum moveri solita, scilicet: An literæ hodiernæ Hebraicæ, quibus sacer Codex jam ubique descriptus est, sint genuinæ & primigeniæ literæ, quas tum Deus in monte Sinai tabulis lapideis inscripsit; tum etiam Moses aliique Scriptores sacri in Veteri T. usurparunt: An verò è contra literæ Samaritanæ pro veris & antiquis literis sint agnoscendæ?

Respondeo. Hæc quæstio diu doctorum exercuit ingenia, & adhuc sub judice lis ejus hæret. Quidam literas Hebraicas pro primigeniis agnoscunt. Alii firmiter asserunt Samaritanorum literas esse primas & germanas, quibus sacri Scriptores in scribendo usi fuerunt. Nos cum Cl. Buxtorfio illorum sententiæ subscribimus, qui statuunt literas hodiernas Hebraicas esse primigenias & antiquas; ac negamus has hodiernas Hebraicas literas vel ab Esdra post solutam captivitatem Babylonicam esse inventas, vel ab Assyriis mutuatas. Buxtorfius tum variis testimoniis Hebræorum & Christianorum, tum etiam diversis rationibus sententiam suam probat. Nos nolumus hic actum agere, & omnia testimonia late diducere: hoc enim abunde factum est à Cl. Buxtorfio in Dissertatione de literis Hebræorum. Sed cogitamus breviter testimonia Hebræorum pro sententia hac militantium in scenam producere.

II. Luculentissima sunt testimonia Hebræorum, quorum primi & præcipui sunt תַּנָּאִים *Tannaim, Doctores Mischnici*, utpote antiquissimi, qui Mischnam sive legem oralem scriptis mandarunt. Inter illos primus

mus est R. Jehudah, qui propter insignem pietatem & sanctitatem cognomento הַקָּדוֹשׁ *Sancti*, ac propter præstantiam, titulo הַנָּשִׂיא *principis* cohonestatus est. Hic Rabbi disertis verbis in Talmude Babylonico, Tractatu *Sanhedrin*, Cap. 2. fol. 21. 2. & fol. 22. 1. ac præcipuè in Talmude Hierosolymitano, Tractatu *Megilla*, statuit, quod תּוֹרָה נִתְּנָה אַשּׁוּרִית *Lex* sit *data lingua Aschurith.* Scriptura hodierna vocatur כְּתָב אַשּׁוּרִי *Scriptura Assyriaca*, quod secundùm quosdam significat *scripturam beatam*, à verbo אִשֵּׁר *beatum reddere*; quia Deus, scribendo Legem his characteribus, hos characteres omnium fecit beatissimos. Alii tamen volunt, quod hæc scriptura vocetur *Assyriaca*, quia Assyrii sive Chaldæi ea usi fuerunt, à quibus Judæi eam in captivitate Babylonica didicissent: sed illa sententia non approbatur.

III. Contra hanc originem appellationis vocis Assyriacæ, quod denotet scripturam beatam, fortè nonnemo *objiciet* verba Rabbi Jose, asserentis Israëlitas hanc scripturam vocare אַשּׁוּרִית, quia illi הֱבִיאוּהָ מֵאֶרֶץ אַשּׁוּר *attulerunt eam ex Assyria.*

Respondeo. Secundùm hunc R. Jose hodierna scriptura vocatur Assyriaca, quia Daniel & Ezras hanc scripturam, utpote sacram paucisque notam, in Assyria Israëlitas docuerunt: postea Israëlitæ hac scripturâ in Babylonia & in terrâ sanctâ deinceps usi fuerunt. Etiam verosimile videtur, ipsos Chaldæos ab Israëlitis, non vero Israëlitas à Chaldæis hos characteres mutuatos esse; & procul dubio propterea characteres Hebræi cum Chaldaicis conveniunt.

IV. *Quæret* forte aliquis. Ob quam causam Esras & Daniel hos characteres, qui antea plebi Israëlitarum erant ignoti, publicavit in Assyria?

Respondeo. Causa publicandi hanc scripturam sacram fuit ex sententia quorundam Angelus, qui in pariete palatii Regii hæc verba scripsit, מְנֵא מְנֵא תְּקֵל וּפַרְסִין *Numeravit, numeravit, appendit & dividunt*, Dan. 5. 25. Nonnulli statuunt hæc verba fuisse scripta hodiernis literis Hebraicis, quas Chaldæi & plerique Isaëlitæ non poterant legere: quia hæ literæ erant sacræ, quæ in arcis Judæorum recondi solebant; ad quas non nisi doctioribus dabatur aditus: quique propterea eas solum cognoscebant. Hinc Daniel, ut pote ex doctioribus, eos characteres legebat, & Regi explicabat; Daniel docebat eos characteres Assyriæ Principes & Magnates, & Esras Israëlitas.

V. Sunt alii qui arbitrantur hanc scripturam Assyriacam vocari, quia

quia Abraham, reliquique patres, venientes ex Aſſyria ad Cananæos hoſpites, iſta ſcribendi pingendique ratione fuerunt uſi. Tres ergo ſunt ſententiæ de origine appellationis vocis *Aſſyriaca*. 1. Quidam ſtatuunt, quod hæc ſcriptura vocetur Aſſyriaca, quia eſt ſcriptura beata. 2. Alii, quia in Aſſyria innotuit & ex parte communis facta eſt. 3. Denique, quia Patres eam ſecum ex Aſſyria in Cananæam tulerunt.

Hodierna ſcriptura Hebraica etiam vocatur כְּתָב מְרוּבָּע *ſcriptura quadrata*, quia figura harum literarum quadrata eſt.

Talmudiſtæ aliique Hebræi in libris ſuis eam vocarunt כְּתָב עִבְרִי *ſcripturam Hebræam*, quia Hebræi ea uſi fuerunt.

VI. E diverticulo in viam revertamur, deſcendendo ad Doctores, qui אֲמוֹרָאִים *Amoraim* ſive *Gemarici* audiunt, id eſt, qui Gemaram ſive alteram partem Talmudis compoſuerunt. Inter illos eſt *Rab Chaſda*, qui ſtatuit in Talmude Babylonico, Tractatu Megillah cap. 1. & de Sabbatho fol. 104. Col. 1. מֵם וְסָמֶךְ שֶׁבַּלּוּחוֹת בְּנֵס הָיוּ עוֹמְדִין *Mem & Samech, quæ in tabulis erant, miraculosè ſtabant.* Hujus Rabbini ſententia eſt literam *Mem* finalem & *Samech*, quæ ſunt literæ rotundæ ferè inſtar O, miraculosè in tabulis lapideis ſtetiſſe. Multi Judæorum putant tabulas Legis fuiſſe perforatas, & literas tam à parte anteriori quam à parte poſteriori fuiſſe legibiles. Hæ literæ igitur dicuntur miraculosè in Lege ſtetiſſe; quia media pars harum duarum literarum nulli parti circumferentiæ affixa fuit; & per conſequens immobilis ſtetit: & ſic fractis tabulis partes hæ interiores integræ manſerunt. Hinc ſequitur, quod hic Rab nobiſcum ſtatuerit literas hodiernas eſſe primigenias: nam in lingua Samaritana literæ *Mem* & *Samech* non ſunt planè rotundæ.

VII. Deinde (citante Buxtorfio) R. Jeremias in Talmude Babylonico, & R. Matthias in Talmude Hieroſolymitano ſtatuunt Prophetas literas finales כמנפץ *Camnephatz* in deſcribendis libris Propheticis uſurpaſſe. Etiam docent hanc diverſam formam ſcribendi eſſe Traditionem Moſis in monte Sinai. In linguâ vero Samaritanâ non ſunt hæ literæ quinque biformes, ſed omnes literæ eodem modo in medio & in fine vocum ſcribuntur. Verum in Bibliis hodiernis accurata hujus diverſæ figuræ habetur ratio, & tantum in tribus locis à communi regulâ & receptâ conſuetudine eſt exceptio; quæ loca diligenter annotata ſunt à Judæis: quod non ita factum fuiſſet, ſi credi-

didiſſent has literas non eſſe ab ipſis Auctoribus librorum.

VIII. Denique dicitur in *Talmude, Tractatu Menachoth*, fol. 29. 2. quod Moſes in monte Sinai invenerit Deum adſcribentem ſeptem literis שעטנז גץ coronulas ſive armaturas. Inde concluditur, ex ſententia illorum Talmudiſtarum, quod Deus literis hodiernis Hebraicis & non Samaritanis Legem in monte Sinai deſcripſerit: quia literæ Samaritanæ talibus apicibus ſive ſpinis nunquam coronantur, ſed tantum hodiernæ Hebraicæ; prout videre eſt in libris MSS Pentateuchi & Eſtheræ.

IX. His ſuperioribus aſtipulantur doctores Hebræorum antiqui, qui additiones Talmudicas compoſuerunt, ut & גְאוֹנִים *Geonim*, qui propter ſingularem eruditionem, quâ alios ſuperabant, excellentes ſive magnifici vocabantur.

Idem ſentiunt Kabbaliſtæ, qui ex literis hodiernis Hebraicis multa myſteria elicientes, ea omnia non ad Eſram ſed ad Moſen & Prophetas retulerunt. Ergo illi crediderunt has hodiernas literas Hebraicas eſſe primigenias: aliter enim originem myſteriorum Eſdræ & non ipſis librorum Auctoribus adſcripſiſſent.

X. Etiam recentiores Judæorum doctores ambabus ulnis anteceſſorum ſuorum Hebræorum ſententiam amplectuntur. Inter hos primum locum obtinent *Aben Ezra* & *Salomon Jarchi*, qui ambo circa ſeculum undecimum poſt nativitatem Chriſti vixerunt. Horum ille, propter inſignem ſcientiam tam in Theologia quàm in Philoſophia, vocatus eſt חָכָם *Sapiens*; hic vero κατ' ἐξοχὴν nominatus eſt *Interpres Legis*, & à Judæis pro ſemipropheta, quia futuros rerum eventus dicitur prædixiſſe, habetur.

XI. His teſtimoniis Judæorum accedunt diverſa teſtimonia Chriſtianorum, ut *Poſtelli, Marci Marini, Theodori Bibliandri, Baronii, Schickhardi, Hugonis Brughtoni* &c. qui omnes ſtatuunt hodiernas literas Hebraicas eſſe primigenias Veteris T. literas. Si quis eorum & Hebræorum teſtimonia allegata deſiderat, adeat Cl. Buxtorfium in Diatribâ ſuperiùs allegatâ, ubi videbit Hebræorum & Chriſtianorum ſententias ex Talmude & ex aliis libris verbotenus citatas. Nemini hoc mirum videri debet, quod auctoritatibus doctorum ſententiam hanc probavimus: nam hæc quæſtio hiſtorica eſt, quæ optimè auctoritatibus doctorum & præcipuè Judæorum probatur; quia Judæi multa per traditiones de manu in manum à majoribus ſuis acceperunt, quo-

rum veritas rationibus dilucidè demonſtrari non poteſt.

XII. Hactenus teſtimonia perſonarum in apricum protulimus; ſequuntur jam teſtimonia realia, deſumpta tum ex veteribus monetis, tum ex antiquis monumentis. R. Aſarias refert, quod apud Davidem Panſam, civem Mantuanum, viderit nummum argenteum, in cujus unâ parte erat figura capitis humani, cum his vocibus margini adſcriptis, שְׁלֹמֹה הַמֶּלֶךְ *Rex Salomon*; in altera verò parte erat figura Templi cum tali inſcriptione, הֵיכַל הַמֶּלֶךְ *Templum Regis*. Utraque ſcriptura erat quadrata ſive hodierna Hebraica.

Præterea Schickhardus in libro de nummis Hebræorum ſtatuit Hieroſolymis effodi antiquos æneos nummos, regno adhuc florente procuſos, ex unâ parte vultum Regis, ex alterâ vero parte templum continentes, cum literis, ab utraque parte, hodiernis Hebraicis.

XIII. Hi nummi, præcipuè poſteriores, Capello ſuſpecti ſunt propter quatuor rationes. 1. Quia ipſi non videtur veroſimile tam opulentum Regem permiſiſſe imaginem ſuam in nummis æneis excudi. *Reſp.* Sed penitius conſideranti hoc ipſum nullo modo mirum videbitur: nam ad merces viliores emendas fuerunt utiles, imo neceſſarii. Quis enim viliſſimam aliquam mercem, quæ obolo, vel triente, aut minori pretio venalis fuit, nummo aliquo aureo vel argenteo emiſſet?

2. Putat nummos æneos præcedentium Regum ſuffeciſſe. *Reſp.* Hoc nihil probat: nam nummi ſæpiſſime vel amittuntur, vel in alia regna ſive provincias mittuntur, vel quidam lucri cauſa eoſdem liquefaciunt: vel etiam Reges, ad augendam authoritatem, & notificandum nomen, effigiem ſuam in omnis generis nummis procudunt.

3. Capellus ait, ex ſententiâ Judæorum, eſſe contra ſecundum Decalogi præceptum, vultum & nomen ſuum nummis aliquibus inſculpere. *Reſp.* Hodierni Judæi credunt quidem non fuiſſe in uſu, & eſſe contra ſecundum præceptum; inde tamen non ſequitur, quod antiqui Judæi temporibus Prophetarum & Salomonis hoc idem crediderint. Rex ille & antiqui Judæi melius erant edocti, quam ut credidiſſent eſſe contra ſecundum præceptum imagines regum in nummis exprimere.

4. Denique conjectura Villalpandi Capello probabilis videtur, qui conjicit hos nummos ab Herode in honorem Marci Antonii eſſe

pro-

procuſos; quia effigies Antonii effigiem Salomonis optimè referebat. *Reſp.* Hæc Villalpandi conjectura abſque ulla probatione & ſpecie veritatis profertur.

XIV. Poſt nummos proferuntur monumentorum inſcriptiones, inter quas eſt *inſcriptio* ſepulchri, cujus Benjamin in Itinerario ſuo pagina Editionis Elzev. 49. mentionem facit. Hic teſtatur ſe vidiſſe in ſpeluncâ quâdam ſepulchra Patriarcharum; & inter cætera ſepulchrum Abrahami, cui literis חֲקִיקוֹת *ſculptis* hæc verba inſcripta erant, זֶה קֶבֶר אַבְרָהָם אָבִינוּ עו״ה *Hoc eſt ſepulcrum Abrahami patris noſtri beatæ memoriæ.*

Sed, ut verum fatear, hoc teſtimonium, etiamſi à quibuſdam proferatur, non videtur alicujus eſſe momenti; quia ab homine mendaciſſimo & ineptiſſimo prolatum eſt: non enim novum in ipſo mendacium eſt. Scribit enim pag. 15. Romulum metu Regis Davidis & Joabi ducis exercitus urbem Romam condidiſſe. Fortaſſe etiam à recentioribus Judæis hæc verba inſcripta ſunt: nam Phariſæi ſtudioſi admodum fuerunt in exſtruendis & ornandis Prophetarum ſepulchris. Etiam ipſe Benjamin pag. 48. ſcribit hæc ſepulchra in ſpeluncâ eſſe מִגּוֹיִם à *Gentibus*, id eſt, Chriſtianis extructa. Denique Benjamin expreſsè non dicit, quod hæ literæ fuerint hodiernæ Hebraicæ, ſed tantum ſcribit fuiſſe חֲקִיקוֹת *ſculptas*; & ſcimus omnis generis literas ſculpi poſſe.

Contra hæc *regeret* forte nonnemo: Benjamin, utpote Judæus, peregrinas literas non intellexit: ergo illæ literæ videntur fuiſſe hodiernæ Hebraicæ. Sed *reſponderi* poteſt, quod multi Judæi non tantum Hebraicam, verum etiam alias linguas calleant; quidni & characteres Samaritanos? Majemonides Arabicè conſcripſit librum ſuum, qui vocatur מוֹרֵה נְבוּכִים *Doctor perplexorum.* Aben Eſra Arabicam linguam novit. Præterea notitia diverſorum characterum in Benjamine non fuit mira, quoniam per diverſa regna profectus fuit.

XV. Hac inſcriptione Benjaminis præteritâ, ad aliam magis probabilem deſcendimus, ſcil. ad inſcriptionem, cujus mentio fit *Exod.* 28. 36. quæ laminæ aureæ ſummi Pontificis inſcripta erat. In hâc laminâ ſcripta erant hæc verba קֹדֶשׁ לַיהוָה *Sanctitas Dei.* Hieronymus teſtatur nomen Dei huic laminæ quatuor Hebraicis literis יהוה fuiſſe inſcriptum: ſi Hebraicis, ergo non Samaritanis. Literæ enim Samaritanæ tempore Hieronymi non vocabantur Hebraicæ. Præterea R.

Eliëzer in Talmude asserit, quod viderit laminam in urbe quadam, cui inscriptæ erant in una linea hæ voces קֹדֶשׁ לַיי׳ *Sanctitas Dei*. Si characteribus tum temporis, cum Rabbi hoc scriberet, non usitatis has voces insculptas invenisset, probabile videtur, quod verbulo hoc indicasset. Scio quidem argumentum negativum firmiter non probare, attamen probabile hic est.

XVI. Præter argumenta inartificialia, jam retrò allata, dantur adhuc rationes, quibus antiquitas literarum probari potest. Harum *prima* est desumpta à natura & ingenio Judæorum. Judæi enim ita tenaces sunt, quam qui tenacissimi, eorum scilicet, quæ semel defenderunt, & quæ crediderunt ad gloriam gentis suæ facere. Potius mortem obirent, quam ut paterentur minimùm in Lege vel traditionibus mutari. Quis verosimiliter judicare poterit, quod Judæi permisissent sibi adimi eos characteres, quos tam diu habuerant, quosque à Deo in Tabulis, & à Mose in Lege acceperant? Præterea non est credibile, quod Judæi permisissent, Esram sacros characteres, propter Samaritanos, quos vatiniano odio persequebantur, mutasse. Judæi quidem aliquid commune habere cum Samaritanis in rebus indifferentibus recusarunt; sed inde non sequitur, quod illos sacros characteres genti sibi tam invisæ reliquerint, & è contra profanos elegerint. Sed verosimilius est Esdram sacros characteres, in captivitate Babylonica ex parte communes, post solutàm captivitatem Babylonicam plane communes & vulgares effecisse, Samaritanas Samaritanis reliquisse.

XVII. *Objicit* Capellus, quod Judæi tum temporis non adeo superstitiosi fuerint, ut Legem Dei constituerint in cortice, in membranis sive in literis. Deinde ait, quod Lex æquè benè describi potuerit characteribus Hebraicis quàm antiquis Samaritanis.

Respondeo. 1. Judæi superstitionis insimulari hâc in parte non potuerunt, quod characteres sacros, sibi à Deo, summo legislatore & Mose Prophetâ traditos, retinere maluerint, quàm eosdem hominibus inimicissimis relinquere.

2. Licet non putarint fundamentum religionis in eo esse situm, tamen non videtur verosimile, eos absque ullâ urgente necessitate voluisse hos veteres characteres mutare.

3. Præterea, dato non concesso, Legem æquè commodè characteribus Hebraicis quam Samaritanis potuisse describi, inde tamen non sequitur, quod in arbitrio Esdræ fuerit literas antiquas

quas

quas Hebraicas levi de causa in Samaritanas mutare.

XVIII. *Secunda* ratio desumitur ab impossibili, quod Esdras non potuerit antiquos characteres mutare: tum propter præconceptam opinionem & pervicaciam Judæorum; tum etiam, quia exemplaria Veteris T. per totum orbem fuerunt dispersa. Multi enim Judæi erant in Babylonia, ubi Scholas & Academias suas habebant, & multi in Palæstina, penes quos plurima Legis exemplaria superfuerunt, quæ omnia in potestate Esræ non fuerunt: adeo ut Esras non potuisset, si vel voluisset, volumina Pentateuchi antiquis literis exarata vel Vulcano committere, vel in favillas redigere.

XIX. *objicit* Capellus, quod exemplaria Legis tum temporis ita rara fuerint, ut vix unum atque alterum exemplar Legis superfuerit; adeo ut veluti miraculo fuerit deputatum, quod Legis volumen in quâdam arcâ Templi tempore Regis Josiæ sit inventum, 2 *Chron.* 34. 14.

Respondeo. 1. Non mirum fuit, quod tale Legis exemplar fuerit rarum, & Pontifici admirationi. Hic enim Pontifex invenit in arca ipsum authenticum Mosis exemplar, quod Moses propriâ manu exaraverat; & ob illud authenticum Mosis exemplar ita admiratus fuit. Vidit fortè hoc exemplar sacris & non profanis characteribus fuisse exaratum, quod procul dubio nunquam viderat.

2. Posito & non concesso, Judæos ante captivitatem Babylonicam in exscribendis codicibus sacris fuisse negligentes, inde tamen non sequitur, quod etiam in ipsa captivitate Babylonica vel post eam æque negligentes fuerint: nam homines solent sæpe tempore afflictionum ardentiores esse in pietatis studio, quàm cum omnia ex animi voto succedunt. Præterea penuria exemplarium, si fuerit, non tam incuriæ quam quidem malitiæ Judæorum adscribenda esset. Sæpe enim Judæi odio habuerunt S. Scripturam, quia ex ea idololatriæ accusabantur.

3. Maxime probabile videtur Legis exemplaria, vulgari linguâ conscripta, tempore Regum & deinceps fuisse plurima; quia quilibet vulgaris Israëlita, artem scribendi edoctus, exemplar Legis sibi exscribere tenebatur; vel si literarum rudis esset, exemplar ab alio descriptum, ære suo emebat. Hoc probat Majemonides *Hal. Tephil. cap.* 7. *Quilibet sibi ipsi exemplar Legis exscribere tenetur, etiamsi parentes ipsi exemplar reliquerint; & si propria manu exscripserit, perinde est ac si de ipso*

monte Sinai accepisset. Sin literas nesciat, ab aliis pro se scribi curabit. Et non tantum vulgares Israëlitæ, sed etiam ipsi Reges Israëlitarum tenebantur sibi Legem exscribere. Et si Reges à parentibus suis non accepissent Legis exemplar, tum duo exemplaria exscribere tenebantur; quod probat idem Majemonid. *Hal Melachim cap.* 3. Præterea addit, quod Reges debuerint unum exemplar asservare in thesauris suis, & alterum nunquam à se removere, nisi cum irent ad latrinam, aut balneum, vel loca impura. Cum exirent in prælium, vel reverterentur ex prælio secum habebant idem exemplar; imo cum convivarentur etiam illud in conspectu habebant. Hinc concludimus exemplaria Legis inter Judæos non fuisse rara; & per consequens Esram non potuisse literas sacras in omnibus exemplaribus mutare.

XX. *Tertia* ratio, quæ à Postello adfertur, desumpta est ex verbis Christi, *Matth.* 5. 18. ubi ait: *Jota unum aut unus apex non transibit à Lege.* Per *jota* intellexit Christus minimam literam Alphabeti: necessarium ergo est eam esse antiquam & genuinam scripturam Legis, in quâ litera *Jod* est minima litera Alphabeti. Atqui hoc in linguâ Samaritanâ locum habere nequit: quia in linguâ Samaritanâ litera Jod est è maximis Alphabeti literis, referens fere inversum ש Hebræorum. Hiscè argumentis sententiam communem pro antiquitate hodiernarum literarum probavimus. Dissertatione sequenti, argumenta, pro contraria sententia afferri solita, examinabimus.

XXI. Ut unusquisque de hac quæstione melius judicare posset, placet totum alphabetum literarum Samaritanarum hic post invicem ob oculos ponere:

א ב ג ד ה ו ז ח ט י כ ל מ נ ס ע

ࠀ ࠁ ࠂ ࠃ ࠄ ࠅ ࠆ ࠇ ࠈ ࠉ ࠊ ࠋ ࠌ ࠍ ࠎ ࠏ

פ צ ק ר ש ת

ࠐ ࠑ ࠒ ࠓ ࠔ ࠕ

DIS-

DISSERTATIO DUODECIMA,

DE

Literarum Hebraicarum Antiquitate.

PARS POSTERIOR.

SECTIO I.



SUperiori dissertatione variis argumentis probavimus Samaritanos characteres non esse primigenios & authenticos Veteris T. characteres, à Mose in describendo Pentateucho, & à Deo in exarando decalogo in tabulis lapideis usurpatos. Quandoquidem tamen multi sunt magnæ auctoritatis & doctrinæ viri, qui contrariam defendunt sententiam, scil. hodiernos characteres Hebræos ab Ezra demum esse inventos, & è contra characteres Samaritanos esse primigenios, quibus Moses Legem, & Deus decalogum exaravit: ideo, quam veri speciem contraria sententia habeat, ex argumentis contrariis videbimus. Argumenta, quibus contrariæ sententiæ patroni suam opinionem statuminare conantur, sunt vel inartificialia sive testimonia tum Judæorum, tum etiam Chri-

Christianorum; vel artificialia sive rationes. Argumenta præcipua, in contrarium opponi solita, ordine recensebimus & confutabimus.

II. Ex veteribus Rabbinis tantum duorum Rabbinorum afferuntur testimonia, scil. Rabbi Josis, doctoris Mischnici, & Mar Sutræ, doctoris Gemarici. Quidam his duobus Rabbinis adhuc alios duos Judæos, Hieronymi præceptores doctissimos, annumerare solent; ex hoc solumodo fundamento, quia Hieronymus in illa sententia dicitur fuisse. Et si Hieronymus fuit in contraria sententia, ergo verosimile videtur ipsum contrariam hanc sententiam didicisse à præceptoribus suis. Duo priores Rabbini planè videntur esse in contraria sententia: statuunt enim in Talmude, Tractatu Sanhedrin cap. 2. Esram Legem Israëlitis dedisse בִּכְתָב אַשּׁוּרִי *Scripturâ Assyriacâ*.

Respondeo. Superiori dissertatione docuimus hodiernam scripturam vocari Assyriacam, vel quia Daniel & Ezras hodiernam scripturam, utpote sacram paucisque notam, in Assyria Israëlitas docuerunt; vel vocari à verbo אִשֵּׁר *beatum reddere* &c.

2. In allegato loco Talmudis est dissensio inter doctores. Rabbi Jose videtur statuere literas Hebraicas antiquas esse mutatas in Samaritanas. Sed huic *Rabbi Jose* contrariantur tres Rabbini, quorum primus & præcipuus est R. Jehuda, qui propter insignem pietatem nomine הַקָּדוֹשׁ *Sancti* fuit insignitus. Hic est ille Jehuda, qui, cum videret sapientiam Judæorum quotidie imminui, Legemque Oralem oblivioni tradi, cogitavit de ea conservanda: propterea omnes schedas Judæorum, in quibus unusquisque Legem Oralem memoriæ causa descripserat, collegit; & ex illis composuit סֵפֶר מִשְׁנָיוֹת *Librum traditionum*. Hujus Jehudæ auctoritas majoris æstimatur quam Rabbi Josis. Judæi enim ut plurimum sententiam, secundùm mentem R. Jehudæ decisam, amplectuntur; quod indicant circuli descripti in Mischnâ, cum punctis Anno 1646. Amstelodami editâ. Huic Jehudæ accedunt duo alii Rabbini, scil. R. Simeon & R. Eleasarus. Tres igitur pro nostra sententia pugnant, & secundùm regulam Talmudicam sententia ex plurium suffragiis determinanda est.

3. Verba R. Josis possunt intelligi de mutatione, qua Ezras scripturam sacram, vulgaribus Judæis ignotam, propter odium Samaritanorum in usum restituit. Duplex linguæ Hebraicæ character temporibus Esræ videtur fuisse usitatus, *sacer* scil. sive hodiernus Hebraicus, & *prophanus* sive Samaritanus. Sacro videntur & Deus exarasse

decem

decem verba in tabulis lapideis, & Moses Legem suam. Etiam illo sacro charactere videntur à Mose conscripta tredecim Legis volumina, quorum unum reposuisse dicitur eum in finem in arcam, ut illud, si quis Legem adulterare vellet, ex arca produceretur. Reliqua duodecim exemplaria in gratiam duodecim tribuum exscripta esse videntur. Præterea putamus licitum fuisse aliis Judæis hoc sacro charactere uti in Codicibus sacris exscribendis. Sed prophano charactere scripti fuerunt libri Legis vulgares, quibus in communi usu, vel in scholis usi fuerunt. Etiam in commerciis, in contractibus civilibus, in monetis & in omnibus vulgaribus scriptis prophanam scripturam adhibitam fuisse certum est. Respondemus igitur cum Judæis, Ezram sacras literas, quæ antea latitabant, doctioribusque tantum notæ erant, in lucem protulisse, & ex privatis easdem communes fecisse propter Samaritanos, qui vulgarem scripturam retinuerunt. Hac distinctione duplicis characteris semel admissa, pleræque objectiones, contra genuinam sententiam moveri solitæ, facili negotio solvi possunt. *Hæc sententia de duplici* charactere sacro & prophano plurium Judæorum & Christianorum nititur auctoritate, quorum testimonia verbotenus allegata videri possunt in Dissertatione Cl. Buxtorfii de literis Hebræorum.

III. Capellus, videns sententiam, quæ defendit olim duplicem characterem fuisse usitatum, maximè sententiæ suæ adversari, omnibus viribus conatur hunc duplicem characterem, sacrum scil. & prophanum, *exsibilare;* sic argumentando sive interrogando: Si extra Legis tabulas & Mosis Codicem autographum character sacer fuit usitatus, sed raro: Apud quos vel inter quos fuit tum usitatus?

Respondeo. Inter Judæos omnes, qui libros sacros tali charactere sacro vel ipsi scribere voluerunt, vel ab aliis exscribi curarunt. Non enim liber Mosis autographus sacro charactere tantum fuit insignitus, sed etiam apographi varii, quibus Judæi doctiores aliique fuerunt usi, & qui in synagogis publicis servati fuerunt. Etiam Judæi communiter in phylacteriis, & in מְזוזות *Mezuzoth*, quæ postibus ædium affigi solebant, exscribendis, secundùm hodiernam consuetudinem sacro charactere usi fuerunt. Hac responsione admissa omnes sequentes objectiones in fumum abeunt.

IV. Inter Judæos recentiores est *R. Josephus Albus*, qui in libro Ikkarim Orat. 3. cap. 16. fere solus contrariam sententiam defenden-

S dam

dam sumpsit: sed huic unico Judæo opponimus alios, & quidem doctiores, scil. *Aben Ezram*, *R. Salomonem* & *Rambam*, Hebraicarum literarum genuinam antiquitatem agnoscentes. Quemadmodum uni *Eliæ Levitæ* fides nulla adhibenda est in eo, quod dicat puncta vocalium & accentuum esse recentia, & à Masorethis Tyberiensibus inventa; ita etiam huic *Josepho*, ab omnibus fere Judæis discrepanti, nulla fides est adhibenda.

V. Omissis testimoniis Judæorum ad testimonia Christianorum descendunt; quæ quidem tanti non sunt facienda, quanti testimonia Judæorum. Christiani enim pleraque, quæ ad historiæ Judaicæ illustrationem faciunt, ex Judæorum scriptis excerpunt. Præcipuus ex Christianis, contrariam sententiam defendens, est D. Hieronymus, qui circa quartum sæculum vixit. Multi hunc quasi Numen in hac quæstione venerantur. Testimonium ipsius est desumptum ex Præfatione in libros Samuelis, ubi hæc verba inveniuntur: *Viginti & duas esse literas apud Hebræos, Syrorum quoque lingua & Chaldæorum testatur, quæ Hebrææ magna ex parte affinis est. Nam & ipsi viginti duo habent elementa, eodem sono, sed diversis Characteribus. Samaritani etiam Pentateuchum Mosis totidem literis scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes. Certumque est, Esram Scribam, Legisque Doctorem, post captam Hierosolymam, & instaurationem Templi, sub Zorobabele alias literas reperisse, quibus nunc utimur, cum ad illud usque tempus, iidem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.* Ex his verbis concludunt (quia Hieronymus dicit: *certum est Esram alias literas sub Zorobabele invenisse, quibus nunc utimur*) antiquas literas esse ab Ezra mutatas in hodiernas Hebraicas.

Respondeo. 1. Fortasse Hieronymus illud accepit ab Eusebio, vel à Judæis præceptoribus suis, qui forte in illa sententia fuerunt, vel ab ipsis Samaritanis, (qui olim gloriabantur, & adhuc hodie nostra memoria gloriantur se Mosis autographum penes se habere,) vel ab omnibus simul. Non mirum est, si viderit constantem vel Samaritanorum, vel præceptorum suorum, utpote doctiorum, sententiam, quod dixerit *certum est*. Discipuli enim ut plurimum præceptorum suorum defendunt sententiam, & illam solam fere omni exceptione majorem esse existimant; præcipue tum, quando discipuli judicant præceptores suos esse viros doctos. Sed Hieronymus magni fecit præceptores suos propter insignem eruditionem. Alicubi enim scribit se duos doctissimos Judæorum Rabbinos habuisse, quorum unus, scil.

Lyd-

Lyddensis magna apud Judæos fuit in admiratione propter eximiam doctrinam & rerum Judaicarum singularem peritiam. Non mirum ergo, quod hanc sententiam, tanquam certam, defenderit. Audiverat fortasse Samaritanos hoc constanter asseverare, & præceptores suos iisdem non contradicere, sed è contra in eandem inclinare sententiam. Fortasse etiam alios Judæos præter præceptores suos super hac quæstione non consuluit; aut si consuluerit, præconcepta opinio de præceptorum suorum doctrina facile contrariam sententiam tanquam falsam rejecit.

2. Alii, ut Picus Mirandulanus & Reuchlinus aliter respondent, scil. Hieronymum loqui de quinque literis כמנפץ, sive finalibus. Quinque sunt literæ in lingua Hebraica quæ aliter scribuntur in medio, aliter in fine; & scriptura Samaritana nullas literas finales agnoscit, sed omnes literæ ubique tam in medio quam in fine vocum eodem modo scribuntur. Arbitrantur igitur Hieronymi sententiam fuisse, quod Ezras quinque illas literas finales sive biformes literis viginti duabus uniformibus addiderit.

3. Wilhelmus Schickhardus explicat Hieronymi locum de vocalibus, quas secundùm sententiam multorum veterum & recentiorum Judæorum Ezras addidit.

4. Multis videtur probabile, quod Hieronymus intellexerit illam mutationem, qua Ezras characteres sacros, populo ignotos, & rarò à populo adhibitos, produxit, & communes fecit, relictis prophanis characteribus, Samaritanis, cum quibus Judæi non voluerunt ullam familiaritatem colere; tum quia Judæorum erant infensissimi hostes, tum quia religionem à Judæorum religione diversam profitebantur.

VI. Alter ex Christianis est Eusebius, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, qui in Chronico suo, ad annum 4740. hæc verba scribit: *Fuit Esras legis divinæ eruditissimus, & clarus omnium Judæorum magister, qui de captivitate regressi fuerant in Judæam, affirmaturque divinas scripturas memoriter condidisse, &, ut Samaritanis non miscerentur, literas Judaicas commutasse.*

Respondeo. 1. Ad hanc objectionem solvendam valet responsio quarta, quàm dedimus retrò sectione præcedente.

2. Eusebius videtur non tam ex propria sententia quàm quidem ex sententia aliorum loqui. Hæc conjectura valde probabilis videtur, quia Eusebius dicit: *Affirmatur divinam scripturam memoriter condidisse,*

& literas Judaicas commutasse. Affirmatur scil. ab aliis, non ab ipso Eusebio. Quod Eusebius ibi videatur loqui ex sententia aliorum, videtur ex eo probari posse: quia dicitur, *Ezram divinas scripturas memoriter condidisse*, quod falsum est. Etiam nullo modo videtur verisimile Eusebium putasse omnes leges tam autographas quàm apographas semel Vulcano esse commissas, & ab Ezra miraculoso modo esse restitutas: nam illud est figmentum, quod ab ipsis defensoribus characteris Samaritani non defenditur. Præterea quod Lex esset plane combusta refutatur à Nehemia *cap.* 8. *vers.* 2. *&* 4. *Omnes rogabant Ezram, ut afferret librum legis, & legit ex eo ante plateam illam, qua est ante portam aquarum, &c.* Hic non dicitur, quod ex cerebro suo finxerit legem, sed quod legerit ex lege, quam ibi invenit.

3. Si Eusebius ex propria sententia loquatur, dicendum est quod fortasse hanc sententiam didicerit à Samaritanis habitantibus Cæsareæ, ubi Episcopum egit. Cæsareæ enim multi Samaritani degebant, uti refert R. Benjamin in Itinerario suo, qui dicit se in itinere suo Cæsareæ ducentos Cuthæos, id est, Samaritanos invenisse. Nam Samaritani sæpissime in Talmude & in Itinerario Rabbi Benjaminis Cuthæorum nomine veniunt; cum dicit כותיים הם היהודים השומרונים *Cuthai sunt Judai Samaritani.*

VII. Præter auctoritates proferuntur nummi & sicli antiqui, qui olim & adhuc hodie in Terra Israëlis dicuntur effodi, signati antiquis characteribus Samaritanis, in quibus ab una parte depicta est urnula aurea, in quâ Manna tempore Veteris T. conservabatur, cum his vocibus שקל ישראל *Siclus Israëlis*: ab altera verò parte expressa erant hæc verba ירושלים הקדושה *Hierosolyma Sancta.* Hi sicli non sunt cusi à Samaritanis: nam illi Urbem Hierosolymam, sibi ita exosam, tali titulo non coronassent. Samaritani enim non Templum Hierosolymitanum, sed illud in monte Garizim pro sancto Templo habebant. Ergo illi nummi à Judæis sunt excusi: & per consequens Samaritanorum character fuit inter Judæos tempore Templi primi usitatus.

Respondeo. Largâ manu concedimus hodiernum characterem Samaritanum inter Judæos stante Templo primo fuisse usitatum: sed alia quæstio est, an solus ille character tantum in usu fuerit? Hoc nunquam contrariæ sententiæ patroni probabunt. Præterea contrarium demonstravimus superiori dissertatione ex Schickhardo, scil. Hierosoly-

ſolymæ effodi antiquos æneos ſiclos, regno florente excuſos, quibus ab utraque parte literæ hodiernæ Hebraicæ impreſſæ ſunt. Dicimus igitur, quod tempore Templi primi in uſu fuerit duplex character, ſcil. Hebræus hodiernus & Samaritanus: prior fuit ſacer poſterior vero prophanus & communis, quo ſicli ſignabantur, & aliæ inſcriptiones deſcribebantur.

VIII. Quidam adhuc conantur probare literas Samaritanas eſſe antiquas & primigenias Hebræorum literas: quia Samaritani adhuc hodie oſtendunt exemplar Legis authenticum, ab ipſo Moſe exaratum?

Reſpondeo. 1. Falſum eſt Samaritanos adhuc poſſidere ipſum authenticum Moſis exemplar. Dico exemplar illud, quod oſtendunt, eſſe ſuppoſititium. Nullum enim eſt dubium, quin illud exemplar Moſis authenticum vel igne fuerit conſumptum, vel alio modo diſruptum: nam loca *publica*, in quibus ſacri Codices ſervabantur, ſæpiſſime fuerunt diruta, combuſta, & ab hoſtibus ſpoliata.

2. *Si concederemus* exemplar aliquod Legis Moſaicæ apud Samaritanos hodie inveniri, illud ſcriptum eſſet charactere vulgari, quali pleraque particularia Legis exemplaria ſcribebantur: nam quædam Legis exemplaria tempore Veteris T. fuerunt exarata characteribus Samaritanis, qui prophani & communes characteres erant.

IX. Auctores, qui pro Samaritano charactere militant, nonnullas rationes opponere ſolent; quarum *prima* eſt deſumpta ab ipſa appellatione: vocatur enim ab ipſis Hebræis כְּתָב אַשּׁוּרִי *Scriptura Aſſyriaca*, quia Iſraëlitæ eam, uti R. Joſe aſſerit, ex Aſſyriâ ſecum attulerunt.

Reſpondeo. Superiori Diſſertatione Sectione tertia explicui, quare hæc ſcriptura vocetur aſſyriaca, & quomodo verba R. Joſis ſint intelligenda.

X. *Secundò* argumentantur ex Deuteronomii capite 17. verſiculo 18. ubi Moſes ſic loquitur: וְכָתַב לוֹ אֶת־מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה הַזֹּאת *& ſcribet ſibi* Miſchne *Legis hujus in libro.* Per מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה intelligunt mutationem Legis quoad ſcripturam.

Reſpondeo. משנה non derivatur à שנה, quatenus ſignificat *mutare*, ſed quatenus denotat *duplicare* ſive *iterare*. Radix enim utrumque ſignificat. Senſus verborum Moſis hic eſt, uti doctiſſimus Maimon bene explicat, quod ſinguli Reges, ſi parentes ipſis non reliquiſſent

& literas Judaicas commutasse. Affirmatur scil. ab aliis, non ab ipso Eusebio. Quod Eusebius ibi videatur loqui ex sententia aliorum, videtur ex eo probari posse: quia dicitur, *Ezram divinas scripturas memoriter condidisse*, quod falsum est. Etiam nullo modo videtur verisimile Eusebium putasse omnes leges tam autographas quàm apographas semel Vulcano esse commissas, & ab Ezra miraculoso modo esse restitutas: nam illud est figmentum, quod ab ipsis defensoribus characteris Samaritani non defenditur. Præterea quod Lex esset plane combusta refutatur à Nehemia *cap.* 8. *vers.* 2. *&* 4. *Omnes rogabant Ezram, ut afferret librum legis, & legit ex eo ante plateam illam, qua est ante portam aquarum, &c.* Hic non dicitur, quod ex cerebro suo finxerit legem, sed quod legerit ex lege, quam ibi invenit.

3. Si Eusebius ex propria sententia loquatur, dicendum est quod fortasse hanc sententiam didicerit à Samaritanis habitantibus Cæsareæ, ubi Episcopum egit. Cæsareæ enim multi Samaritani degebant, uti refert R. Benjamin in Itinerario suo, qui dicit se in itinere suo Cæsareæ ducentos Cuthæos, id est, Samaritanos invenisse. Nam Samaritani sæpissime in Talmude & in Itinerario Rabbi Benjaminis Cuthæorum nomine veniunt; cum dicit כותיים הם היהודים השומרונים *Cuthai sunt Judai Samaritani.*

VII. Præter auctoritates proferuntur nummi & sicli antiqui, qui olim & adhuc hodie in Terra Israëlis dicuntur effodi, signati antiquis characteribus Samaritanis, in quibus ab una parte depicta est urnula aurea, in quâ Manna tempore Veteris T. conservabatur, cum his vocibus שקל ישראל *Siclus Israëlis*: ab altera verò parte expressa erant hæc verba ירושלים הקדושה *Hierosolyma Sancta.* Hi sicli non sunt cusi à Samaritanis: nam illi Urbem Hierosolymam, sibi ita exosam, tali titulo non coronassent. Samaritani enim non Templum Hierosolymitanum, sed illud in monte Garizim pro sancto Templo habebant. Ergo illi nummi à Judæis sunt excusi: & per consequens Samaritanorum character fuit inter Judæos tempore Templi primi usitatus.

Respondeo. Largâ manu concedimus hodiernum characterem Samaritanum inter Judæos stante Templo primo fuisse usitatum: sed alia quæstio est, an solus ille character tantum in usu fuerit? Hoc nunquam contrariæ sententiæ patroni probabunt. Præterea contrarium demonstravimus superiori dissertatione ex Schickhardo, scil. Hierosoly-

ſolymæ effodi antiquos æneos ſiclos, regno florente excuſos, quibus ab utraque parte literæ hodiernæ Hebraicæ impreſſæ ſunt. Dicimus igitur, quod tempore Templi primi in uſu fuerit duplex character, ſcil. Hebræus hodiernus & Samaritanus: prior fuit ſacer poſterior vero prophanus & communis, quo ſicli ſignabantur, & aliæ inſcriptiones deſcribebantur.

VIII. Quidam adhuc conantur probare literas Samaritanas eſſe antiquas & primigenias Hebræorum literas: quia Samaritani adhuc hodie oſtendunt exemplar Legis authenticum, ab ipſo Moſe exaratum?

Reſpondeo. 1. Falſum eſt Samaritanos adhuc poſſidere ipſum authenticum Moſis exemplar. Dico exemplar illud, quod oſtendunt, eſſe ſuppoſititium. Nullum enim eſt dubium, quin illud exemplar Moſis authenticum vel igne fuerit conſumptum, vel alio modo diſruptum: nam loca publica, in quibus ſacri Codices ſervabantur, ſæpiſſime fuerunt diruta, combuſta, & ab hoſtibus ſpoliata.

2. *Si concederemus* exemplar aliquod Legis Moſaicæ apud Samaritanos hodie inveniri, illud ſcriptum eſſet charactere vulgari, quali pleraque particularia Legis exemplaria ſcribebantur: nam quædam Legis exemplaria tempore Veteris T. fuerunt exarata characteribus Samaritanis, qui prophani & communes characteres erant.

IX. Auctores, qui pro Samaritano charactere militant, nonnullas rationes opponere ſolent; quarum *prima* eſt deſumpta ab ipſa appellatione: vocatur enim ab ipſis Hebræis כְּתָב אַשּׁוּרִי *Scriptura Aſſyriaca*, quia Iſraëlitæ eam, uti R. Joſe aſſerit, ex Aſſyriâ ſecum attulerunt.

Reſpondeo. Superiori Diſſertatione Sectione tertia explicui, quare hæc ſcriptura vocetur aſſyriaca, & quomodo verba R. Joſis ſint intelligenda.

X. *Secundò* argumentantur ex Deuteronomii capite 17. verſiculo 18. ubi Moſes ſic loquitur: וְכָתַב לוֹ אֶת־מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה הַזֹּאת *& ſcribet ſibi* Miſchne *Legis hujus in libro.* Per מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה intelligunt mutationem Legis quoad ſcripturam.

Reſpondeo. משנה non derivatur à שנה, quatenus ſignificat *mutare*, ſed quatenus denotat *duplicare* ſive *iterare*. Radix enim utrumque ſignificat. Senſus verborum Moſis hic eſt, uti doctiſſimus Maimon bene explicat, quod ſinguli Reges, ſi parentes ipſis non reliquiſſent

exemplar Legis, bina Legis exemplaria exscribere tenerentur.

XI. *Tertiò* ita pergunt historicè argumentari. Judæi, in captivitate Babylonica delitescentes, linguam & scripturam Chaldæorum familiarem sibi fecerunt, & è contra proprios characteres oblivioni tradiderunt; ideoque probabile videtur Esram post solutam captivitatem Babylonicam, in commodum Judæorum, qui reversi erant ex Babyloniâ, Legem charactere Chaldaico descripsisse.

Respondeo. 1. Etiamsi concedamus Hebræos, in Babylonia habitantes, linguam Chaldaicam & characteres Chaldaicos didicisse, inde tamen non sequitur, quod Legem Dei, charactere sacro exaratam, in Babylonia non retinuerint.

2. Verosimile est, Esram post solutam captivitatem Babylonicam, (si characteres in Babylonia mutasset, quod tamen probari nequit,) antiquum Hebrææ linguæ characterem restituisse. Ezras quidem dicitur Legem restituisse: sed hoc non est Legem restituere, quando quis characteres divinos mutat in prophanos.

3. Nondum probatum est hodiernas Hebraicas literas fuisse Chaldæorum proprias: sed verosimilius est Chaldæos characteres illos ab Hebræis didicisse.

XII. Ultimò R. Josephus Albus argumentatur, quod Ezras propter sonticam causam characteres sacros cum Chaldaicis permutaverit, scil. ut hac ratione inter Judæos esset perpetuum memoriale liberationis ex captivitate Babylonicâ.

Respondeo. Hoc asseritur absque ulla verisimilitudine: nam si hoc ita esset, procul dubio Ezras aliquam illius memorialis sive monumenti fecisset mentionem: sed è contra Ezras aliique Scriptores alto silentio illud prætereunt. Ex his antecedentibus concludimus hodiernas literas Hebraicas esse antiquas & primigenias literas. Vide totam hanc quæstionem solide probatam, & ab exceptionibus vindicatam à Cl. Matthia Wasmuth in parte primâ doctissimarum Vindiciarum S. Hebrææ Scripturæ.

XIII. Illi, qui defendunt literas primigenias esse Samaritanas, etiam statuunt puncta vocalium & accentuum Veteris T. Hebraici non esse authentica. Nam literæ Samaritanæ destituuntur vocalibus: & per consequens, ex sententia eorum sacra Scriptura esset instar nasi cerei in multas formas mutabilis. Sed hoc & absurdum esse, & certitudini S. Scripturæ contrariari, proximis disputationibus probabimus.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA-TERTIA,

QUÆ EST

DE

Genuinâ Punctorum Vocalium & Accentuum In Veteri T. Antiquitate.

PARS PRIMA.

§. 1. *Erpenius edidit* Arcanum punctationis revelatum *à Capello compositum.*

2. *Buxtorfius refutavit Capellum anno* 1648.

3. *Quatuor quæstiones de antiquitate vocalium & accentum V.T. proponuntur.*

4. *Prima sententia, adscribens vocales V.T. ipsis sacris Scriptoribus proponitur.*

5. *Secunda sententia statuit vocales esse additas ab Esra & Viris Synagogæ magnæ.*

6. *Rationes dantur quare Esras Textui addidisset vocales & accentus.*

7. *De tertia sententia Eliæ Levitæ, statuentis Masorethas Tyberienses esse vocalium auctores, proponitur judicium variorum.*

8. *Differentia inter Eliæ & Capelli sententiam.*

9. *Limitatio Capelli rejicitur.*

10. *Differentia inter sententiam Eliæ & quorundam Christianorum.*

11. *Descriptio Masoræ & Masoretharum Tyberiensium.*

12. *Quarta sententia adscribens inventionem punctorum Ben Ascher & Ben Naphtali proponitur.*

13. *Illis tota inventio punctorum tribui non potest.*

14. *Capellus frustra illis partem punctorum tribuit.*

15. *Elias statuit vocales uno tempore simul & semel esse additas à Masorethis Tyberiensibus.*

16. *Quatuor sententiæ ad duas classes referuntur.*

17. *Ex duabus prioribus sententiis magis eligitur prima, quæ puncta vocalium & Accentuum adscribit ipsis Auctoribus librorum.*

SECTIO I.



CLarissimus Ludovicus Capellus, linguæ Sanctæ Professor Salmuriensis, anno hujus sæculi vigesimo quarto in lucem edidit librum, quem nominavit *Arcanum punctationis revelatum.* Hic liber nomine Capelli non fuit excusus, (for-

(fortaſsè quia novam ſententiam defendebat, quam multis ingratam fore credebat,) ſed Thomas Erpenius, Profeſſor Lugdunenſis, Lugduni Batavorum editionem illius libri procuravit; qui etiam peculiari ſuâ præfatione libro & ſententiæ illi novæ magnam auctoritatem conciliavit. Capellus in hoc libro omnibus viribus conatur probare puncta vocalium & accentuum, in Textu Hebraico jam uſitata, non eſſe addita à Moſe & à reliquis ſacris Scriptoribus; ſed è contra aſſerit eadem eſſe addita à quibuſdam Maſorethis Tyberienſibus, qui poſt ſeculum quintum à nativitate Chriſti vixiſſe putantur.

II. Hæc ſententia de novitate punctorum Hebraicorum multis arriſit, alios tamen, præcipue Cl. Buxtorfium, ſummopere offendit, qui etiam ſpeciali libro ſententiam & librum Capelli anno quadrageſimo octavo hujus ſeculi ſolidè refutavit: ea propter vix operæ pretium eſſet argumenta Capelli, quibus novitatem punctorum defendere conatur, hic repetere, eademque refutare. Sed quandoquidem liber Capelli propter raritatem vix comparari poteſt; & ille, ut & Buxtorfii Tractatus Capello oppoſitus valde prolixi ſunt, (quales ſpiſſos libros de unâ quæſtione Philologicâ perlegere non omnium patitur patientia & ſtudioſorum conditio,) ideo nos breviter, quantum fieri poterit, argumenta tum affirmantia, pro antiquitate punctorum adferri ſolita, in apricum producemus, eaque urgebimus, & ab exceptionibus vindicabimus; tum etiam argumenta contraria, quæ Capellus pro novitate punctorum profert, inſiſtens veſtigiis Eliæ Levitæ, Judæi Germani, refutabimus. Nos igitur argumenta ex illis duobus libris deſumemus, noſtraſque reſponſiones & animadverſiones addemus.

III. Verum antequam argumenta utriuſque partis in medium proferamus, prius ſtatus quæſtionis formari & dilucidè proponi debet, ne de lanâ caprinâ rixari videamur. Quæſtio, quæ hic movetur, tangit puncta Hebraica vocalium & accentuum, & quidem Biblica.

Quæritur igitur: Utrum puncta vocalium & accentuum, in Bibliis Hebraicis jam uſitata, ſint addita ab ipſo Moſe & à cæteris Veteris Teſtamenti Scriptoribus θεοπνεύϛοις, qui conſonantium Auctores ſunt, aut ab Ezra Propheta? An verò eadem illa puncta demum ſint adſcripta multis poſt ſeculis vel à quibuſdam Judæorum Criticis, qui vulgo Maſorethæ Tyberienſes vocantur, vel ab aliis celebribus Rabbinis?

Reſpon-

Respondeo. Hæc quæstio est quadrimembris: nam propriè hic quatuor quæruntur.

Primò: An puncta vocalium & accentuum Veteri T. sint addita ab ipsis Auctoribus librorum?

Secundò: An eadem sint addita à Propheta Esra & à Viris Synagogæ magnæ sexto seculo ante Christum?

Tertiò: An eadem sint Textui adjecta à Masorethis Tyberiensibus, qui fere circa sextum seculum post Christum vixerunt?

Quartò denique: An eadem demum sint adscripta anno Christi 1040. à duobus celebribus Rabbinis, scil. à Ben Ascher & Ben Naphthali?

Ut hæ quæstiones melius intelligantur, sententias Judæorum & Christianorum de antiquitate vel novitate punctorum Hebraicorum, & quidem Biblicorum, hic breviter enumerabimus; quæ etiam sunt quatuor, quas omnes post invicem recensebimus.

IV. *Prima* sententia statuit puncta vocalium & accentuum esse *adscripta ab iisdem* Auctoribus, à quibus consonæ sunt descriptæ, hoc est, à Mose & à cæteris Veteris T. sacris Scriptoribus. Non quærimus hic: An ante Mosen vocales Hebraicæ fuerint usitatæ? Nam de eo vix videtur esse dubium. Omnes cæteræ linguæ vocales suas habuerunt; Quare lingua Hebræa, quæ omnium aliarum linguarum quasi mater & regina est, etiam vocales suas non habuisset? Sed verosimile videtur cæteras linguas, ad imitationem linguæ Hebrææ, vocales suas effinxisse.

Præterimus ergo illam quæstionem, quâ quæritur: An vocales linguæ Hebraicæ fuerint consonantibus coævæ? Sed movemus aliam quæstionem magis necessariam de punctis vocalium & accentuum Veteris Test.

Quæritur igitur: An ipsi Auctores librorum sive consonarum Veteris T. etiam sint Auctores vocalium & accentuum? *Resp.* Auctores hujus primæ sententiæ hoc affirmant: attamen non concedunt hæc puncta consonantibus Biblicis semper fuisse apposita. Cum enim Judæi sub Templo primo, ex quotidiano loquendi & legendi usu, etiam sine vocalibus promptè & expeditè legerent, mos adscribendi vocales apud quamplurimos Judæos tum propter illam promptitudinem legendi, tum etiam propter difficultatem Codices sacros exscribendi, in oblivionem venit usque ad Esram Prophetam, qui pun-

cta in usum revocasset, & eadem secundùm antiquum modum restituisset.

V. *Secunda* sententia defendit puncta vocalium & accentuum esse multo recentiora, refertque eadem ad tempora Esdræ Prophetæ, qui in subsidium facilioris lectionis, & remedium oblivionis unà cum Collegis, Viris Synagogæ magnæ, puncta vocalium & accentuum consonantibus addidisset: adeò ut secundùm hujus sententiæ patronos ante Esram, qui circa sextúm seculum ante nativitatem Salvatoris nostri vixit, nunquam ulla puncta vocalium & accentuum consonantibus fuerint apposita. Hi Auctores statuunt nihilominus hæc hodierna puncta Textus Hebraici esse vera & genuina puncta, juxta mentem & sensum Mosis Prophetarum reliquorumque sacrorum Scriptorum expressa. Putant enim Auctores hujus secundæ sententiæ vocales & accentus Mosi in Monte Sinai fuisse traditos solummodo potentiâ, & non actu, hoc est, tantummodo juxta potestatem in pronuntiando & legendo, non vero secundùm ipsam scriptionem. Etiam arbitrantur genuinam & veram legendi rationem per traditionem oralem fuisse propagatam & conservatam: adeo ut Moses hanc genuinam punctorum rationem tradidisset, juxta cohærentiam catenæ Kabbalisticæ, Josuæ, Josua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Viris Synagogæ magnæ. Hujus Synagogæ magnæ Esras fuit caput & præses: & propterea illud sæpissime soli Esdræ adscribitur, quod propriè competit centum & viginti Viris Synagogæ magnæ, qui Hierosolymæ post solutam captivitatem Babylonicam congregati fuerunt. De his centum & viginti Viris vide suprà Dissertationem nonam

VI. *Quæret* fortè aliquis: Quare Esras puncta vocalium & accentuum consonantibus Veteris T. adjecisset?

Respondeo. 1. Esdras apposuisset vocales, ut Vetus Testamentum imposterum, deficientibus Prophetis, & invalescentibus Judæorum persequutionibus, per vocales quoad sensum tanto purius ab omni corruptione conservaretur.

2. Ut difficultatem libros sacros legendi tolleret. Notissimum enim est, Textum Veteris T. non punctatum esse lectu difficillimum, imo decuplo ferè difficiliorem textu Rabbinico non punctato. Ephodeus capite 7. ait, quod Esras viderit ignaviam & pigritiam Judæorum circa studium sacrorum librorum; cujus causam cum cogitasset

esse

esse difficultatem legendi, ex carentiâ vocalium ortam, prudentissimo consilio adjecit vocales, ut vocalium ope cuivis lectio Biblica esset facilior.

3. Esdras adscripsisset accentus: tum ut illi monstrarent quænam vocum syllaba esset acuenda, & ubinam sententiarum distinctio esset adhibenda; tum etiam ut iidem illi accentus redderent lectionem Biblicam suaviorem. Accentuum enim melodia cordibus hominum injicit voluptatem. Et propterea Judæi publicè in Synagogis & Scholis non legunt Textum Hebraicum, quemadmodum Christiani, sed eundem clarâ voce cantillant, illique cantillationi inserviunt varii illi accentus Hebraici.

VII. *Tertia* sententia arbitratur puncta vocalium & accentuum esse excogitata, ac consonantibus Hebraicis addita à Masorethis Tyberiensibus, qui post confectum Talmud, circa vel post annum à nato Sospitatore nostro quingentesimum vixerunt.

Hanc novam, & superioribus seculis inauditam sententiam, solus magno conamine defendendam suscepit Elias Levita, Judæus Germanus, qui superiori seculo vixit, & multorum Hebraicorum librorum editione non tantum inter Apellas sed etiam inter Christianos inclaruit: nam Munsterus varios illius Eliæ libros unà cum versione Latinâ in lucem emisit.

Hujus Eliæ opinionem Judæi ab eo tempore semper rejecerunt, & magno conatu se ei opposuerunt.

Christiani in diversa sententiarum iverunt divortia. Quidam sententiam Eliæ esse absurdam, omnique ratione destitutam, judicarunt: inter quos sunt Buxtorfii aliique quamplurimi. Alii sententiam Eliæ, etiamsi novam, tamen tanquam Divinam, & quasi cœlitus delapsam adorarunt: inter hos primus & præcipuus est Ludovicus Capellus, qui non tantum hanc Eliæ sententiam amplexus est, sed etiam speciali libro contra omnes contrariæ sententiæ patronos eandem defendit.

VIII. Verum enimvero Capelli sententia multum differt ab Eliæ opinione. Error unus est causa alterius erroris. Elias Levita, etiamsi defendat puncta esse nova, & recenter inventa à Masorethis Tyberiensibus, nihilominus statuit hodierna vocalium & accentuum puncta esse vera & genuina, juxta mentem sacrorum Scriptorum addita: & per consequens defendit hodiernam lectionem, vocalibus & accentibus notatam, esse infallibilem & Divinæ auctoritatis. Etiam

omnibus viribus conatur probare Textum ob illam novam vocalium inventionem nullo modo esse dubium, & sannis excipiendum, ac si illi Masorethæ puncta pro lubitu suo consonantibus addidissent: nam ille defendit veram punctandi & legendi rationem non fuisse in Masoretharum cerebro cusam, sed per traditionem oralem propagatam & conservatam.

Longè aliter sentit Capellus, qui statuit puncta hodierna posse mutari, aliaque eorundem loco substitui, si commodiorem sensum pariant. Verba ipsius habentur pag. 292. quæ sic sonant: *Ad loca autem obscura, dubia & ambigua quod attinet, quæ variam possunt admittere punctationem, quis jure conqueratur aut indignetur, si quis aliam preferat punctationem, quæ sensum alium tam verum, tam commodum, tam cohærentem, & consonum pariat, aut etiam veriorem & commodiorem, quam sit ille, qui oritur ex hodierna Masorethica?* Paulo inferius sic pergit: *Sane si nova punctatio clariorem, commodiorem, & veriorem sensum pariat, nulla Masoretharum religione teneri debemus, ut non istam novam potius, quam illam Masorethicam sequamur.* Mercerus idem statuit in Amosi caput 2. vers. 12. *Certe puncta adjecta non debent nos ita adstringere, quin si commodiorem videam sensum, illum sequi possimus.*

IX. Capellus etiamsi statuat Textum sacrum nonnunquam secundùm aliam & quidem diversam punctationem posse explicari, non tamen permittit illam novam punctationem in excusos Codices intra ipsum Textum inferri & intrudi, omissâ & deletâ illâ antiquâ punctatione Masoretharum. Putat enim tantum concedendum esse antiquitati, & Masoretharum diligentiæ, ac industriæ plane admirandæ & stupendæ, ut eorum lectio sive punctatio, licet fortè alicubi non satis commoda & apta, ubique sarta tecta maneat, & in Codicibus compareat inviolata.

Respondeo. 1. Quis non videt hanc Capelli restrictionem esse absurdam? Si enim puncta, Textui Hebræo adscripta, sint falsa, & contra mentem ac sensum sacrorum Scriptorum addita: Quare non liceret eadem rejicere, aliaque eorundem loco substituere? Antiquitas enim rem falsam non facit veram & genuinam.

2. Etiamsi puncta illa secundùm mentem Capelli modò ante mille annos fuerint Textui Hebræo à Masorethis addita, puncta tamen genuina, exprimentia mentem sacrorum Scriptorum, saltem juxta potestatem pronuntiandi, sunt longè antiquiora.

3. Sen-

3. Sensus in illis locis; in quibus punctatio est dubia, semper erit dubius. Eligat enim unus hanc hodiernam punctationem, alius forte aliam, tertius adhuc aliam eliget, & sic punctatio, per consequens explicatio literalis Textus Hebræi erit incerta: nam dependebit ab incerta opinione hominum. Sed de his postea uberius.

X. Christiani nonnulli in masorethica punctorum inventione dissferunt à sententia Eliæ Judæi. Elias enim statuit Masorethas Tyberienses in urbe Tiberiade eodem tempore simul & semel puncta vocalium & accentuum invenisse, atque Textui apposuisse. Verba Eliæ Levitæ translata ex libro טוב טעם cap. 2. sic sonant: *Meus animus mihi dicit, quod illi, qui invenerunt punctandi rationem, etiam sic invenisse accentus, ac utraque illa apposita esse literis tempore uno.* Multi verò ex Christianis statuunt puncta non esse ab uno aut altero homine, simul & semel paucis mensibus vel annis consonantibus addita; sed paulatim à variis hominibus, diversisque temporibus, aliis alia subinde excogitantibus, & loco aliquandiu receptorum alia nova addentibus. Initium hujus punctationis statuunt factum esse circa annum Salvatoris nostri quingentesimum, & ultimam manum huic operi impositam esse circa annum Christi millesimum & quadragesimum: & sic intra quingentos annos hoc opus punctationis vix ad umbilicum fuisset perductum.

XI. Ut sensus hujus sententiæ tertiæ meliùs intelligatur, breviter quædam de Masora & Masorethis Tyberiensibus hic proferemus. Infrà Dissertationibus 22. 23. 24. 25. uberius de Masora & Masorethis agemus. Illi Critici sacri vocantur Masorethæ à conscripta מָסוֹרָה *Masora*; quæ vox significat traditionem manualem vel oralem, à Radice מָסַר *tradidit*. Masora igitur, definiente Buxtorfio, est doctrina critica à priscis Sapientibus tradita circa Textum sacrum Hebræum, genuinæ ejus lectioni conservandæ inserviens.

Hæc Masora versatur. 1. Circa consonas Veteris Testamenti. Masora enim docet, quænam literæ præter morem cæteris sint majores, vel minores, quæ suspensæ supra lineam, aut inversæ, aut quæ extraordinariis apicibus notatæ sint. Etiam Masora numerum literarum considerat, scil. quoties talis vel talis litera in Bibliis occurrat.

2. Masora circa vocales diligentem operam præstat; omnes vocales à corruptione vindicat, aliter dispositas restaurat: non tamen vocalium inventio Masorethis tribuenda est.

3. Masora habet rationem accentuum: quoties enim talis vel alius quis accentus in aliquâ voce occurrit, circa illum accentum virgulam censoriam notat Masora.

4. Masora etiam ad singulas voces, vario modo cum aliis vocibus constructas, attendit.

5. Masora versatur circa versus Veteris T. & quidem variis modis. Masora numeravit omnes versus tam singulorum librorum quam singularum sectionum.

Illi Critici ab hac inventione, & à penitiori horum antecedentium & aliorum multorum consideratione vocantur Masorethæ. Sed quinam illi fuerint adhuc sub judice lis est. Quidam referunt Masoræ inventionem ad ipsum *Mosen*. Alii ad *Esram* & *Viros Synagogæ magnæ*. Nonnulli ad *Doctores Tyberienses*.

Quæritur: Quare vocantur Tyberienses? *Resp*. Ab urbe Tiberiade, sita in Galilæa ad lacum Genezareth. In hac urbe anno circiter post Templi eversionem quadringentesimo trigesimo sexto institutus fuisset celebris eruditorum conventus, in quo congregati fuissent, ut Elias ait, Sapientes maximi, & in S. Scripturâ exercitatissimi, disertissimique omnium reliquorum Judæorum, qui illis temporibus extiterunt.

Capellus statuit hos Judæos, in hoc conventu & urbe congregatos, fuisse præcipuos auctores punctorum vocalium & accentuum: sed ejus contrarium in sequentibus demonstrabimus.

Communior Judæorum chorus sentit Esram cum Viris Synagogæ magnæ esse Masoræ auctorem. Alii sub distinctione respondent, quod Moses fundamenta tam athlantici laboris jecerit, quod Esras continuaverit, & quod Masorethæ Tyberienses fuerint conservatores & simul augmentatores tam operosi operis. Vide plura de his præcedentibus apud Buxtorfium in lib. de Punctorum Antiquitate par. 2. cap. 1.

XII. Patroni *quartæ* & ultimæ sententiæ adscribunt inventionem punctorum duobus celebribus Hebræorum Criticis, scil. *Ben Ascher* & *Ben Naphtali*, quorum ille in Palæstina, hic in Babylonia docuit.

1. Hi duo Rabbini fuerunt Rectores Academiarum, sed singuli diversæ Academiæ, & vixerunt secundùm supputationem Judæorum circa annum Christi millesimum quadragesimum.

2. Studia ipsorum fuerunt præcipuè Critica circa veram & genuinam

Tex-

Textus Hebræi lectionem & scriptionem. Inter ipsos ortæ fuerunt crebræ dissensiones, tangentes tantum Grammaticam & non ipsam vocum significationem. Inter *beith Hillel* & *beith Sammai* etiam continuò gliscebant lites, sed majoris erant momenti, & rem ipsam moresque vivendi tangebant: ast horum Criticorum disputationes tantum erant de quibusdam vocalibus & accentibus, tum tonicis, tum euphonicis.

3. Auctoritas illorum duorum Rabbinorum semper fuit magna. Judæi Orientales sive Babylonii sequuntur lectionem ben Naphtali; Occidentales vero, degentes in Palæstina, eligunt lectionem ben Ascher.

4. Omnes hodierni Judæi tam Hispani quàm Germani, & omnia nostra exemplaria Biblica, quæ excuduntur, sequuntur lectionem ben Ascher.

5. Fini Bibliorum Buxtorfianorum subjungitur longus catalogus omnium vocum, nongentarum circitèr, circa quas controversia mota fuit inter ben Naphtali & ben Ascher.

XIII. De his duobus Criticis obiter *quæritur*: Num illi sint primi inventores punctorum Biblicorum?

Respondeo. Quidam statuunt hos duos Rabbinos omnia puncta vocalium & accentum invenisse: alii tantum ex parte inventionem eorum illis adscribunt. Nullus ex Judæis est, qui totam rationem punctationis duobus illis Rabbinis adscribit: sed Galatinus, nullo allato teste, hanc sententiam communiorem opinionem vocat; cum sic fatur libro 1. capite 8. *Quidam ajunt Ezram codices sacros punctasse. Alii vero non Ezram, sed alios quosdam duos, qui post Ezram fuerunt, quorum alter ben Naphtali, alter ben-Aser appellatus est, prima literis sacris puncta apposuisse affirmant. Quorum quidem opinio communior est.*

Sed prima sententia, quæ totam punctorum inventionem duobus illis Rabbinis adscribit, est falsissima; quod sic probatur. 1. Ex modo dissensionis: ipsorum enim dissidia non fuerunt circa voces punctandas, sed circa voces jam diu punctatas.

2. Quia biblia diu ante ipsorum tempora fuerunt punctata. Hi duo Rabbini vixerunt circa annum millesimum & quadragesimum à nato Christo; & Masora, quæ multarum vocum punctatarum facit mentionem, composita est ad minimum seculo sexto. Ex. gr. Masora notat ad Geneseos caput 19. v. 2. vocem הִנֵּה ubique occurrere

rere cum *Tzere*, excepto hoc loco, in quo invenitur cum *Segol*.

3. Doctissimi Rabbini, ut Aben Esra, David Kimchi aliique, qui circa illud tempus vixerunt, sicco pede hæc non transiissent, præcipuè cum nonnunquam eorum in scriptis suis recordentur: sed è contra docti Rabbini illius seculi punctationis Auctores constituunt Esram & Viros Synagogæ magnæ.

XIV. Capellus, videns primam sententiam non posse admitti, secundam eligit, quæ tantum partem inventionis punctorum illis duobus Rabbinis, sed præcipuè Ben Ascher, adscribit: & ait Masorethas Tyberienses punctationis opus quidem inchoasse, sed ben Ascher, operi, adhuc deficienti, nævisque quibusdam laboranti, ultimam manum & coronidem imposuisse. Sed hæc sententia absque ullo testimonio Judaico asseritur; ideoque etiam eâdem facilitate tanquam falsa rejicitur.

XV. Elias Levita (quem Capellus in hâc materiâ tanquam Numen aliquod adorat, & cujus unius testimonium, ut ipse ait, pluris in hâc causâ faciendum esse putat, quàm omnium aliorum contrà sentientium,) è contra statuit, puncta uno tempore simul & semel à Masorethis Tyberiensibus esse inventa. Si igitur eodem tempore sint excogitatæ: ergo non spatio quingentorum annorum, prout sentit Capellus.

XVI. Jam quatuor sententias de antiquitate punctorum proposuimus, & quæ ex quatuor illis verissima videbitur, ex sequentibus satis illucescet, cum argumenta utrimque ponderaverimus.

In summa hæ quatuor sententiæ ad duas classes commodè referri possunt, quarum *prior* defendit punctorum antiquitatem, nempe puncta vocalium & accentuum Biblicorum diu ante nativitatem Christi, ad minimum anno quingentesimo, fuisse inventa, & Textui adscripta. Hæc classis statuit puncta esse authentica & Divinæ auctoritatis: ideoque nullo modo à quovis, sive doctiori sive indoctiori esse mutanda, aliaque ipsorum loco substituenda.

Posterior classis novitatem punctorum defendit, refertque eorum inventionem ad summum ad Masorethas Tyberienses, qui post quingentesimum annum à nato Christo vixerunt. Qui se huic posteriori sententiarum classi adjungunt, sive qui duas posteriores sententias defendunt, fere statuunt & puncta habere tantum auctoritatem humanam, & sensum, quem puncta indicant, nonnunquam esse incer-

tertium: nam credunt puncta posse mutari, aliaque ipsorum loco substitui; quæ mutatio punctorum etiam diversum sensum indicare potest.

XVII. Nos duabus posterioribus sententiis tanquam falsis rejectis, alterutram ex prioribus eligimus: utram jam alteri præferamus, parum in eo situm esse putamus. Nam sive dicamus puncta esse ab ipsis Auctoribus librorum, sive ab Ezra Propheta & Viris Synagogæ magnæ, nihil refert: auctoritas enim summa & infallibilis sacræ Scripturæ nihilominus manebit. Cum enim statuimus puncta esse ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ, tum etiam asserimus eadem esse profecta à Viris Propheticis, qui illa in re mentem & sensum Spiritus sancti & Auctorum sacrorum optimè expresserunt. Secundam igitur sententiam, quæ statuit puncta esse inventa ab Esdrâ (sepositis tamen nugis Kabbalisticis de traditione orali illorum punctorum) tanquam probabilem & rationi consentaneam esse judicamus; præcipuè cum plerique Judæi in illam inclinent sententiam. Nihilominus, cum pace aliorum doctorum virorum, magis verisimiliorem judicamus sententiam primam, quæ punctorum inventionem ipsis Auctoribus librorum adscribit: secundam tamen sententiam etiam defendemus: & utramque argumentis nostris in sequentibus dissertationibus confirmabimus, contrariasque sententias, novitatem punctorum defendentes, debellabimus.

DISSERTATIO DECIMA-QUARTA,

QUÆ EST

DE

Genuinâ Punctorum Vocalium & Accentuum in Veteri T. Antiquitate.

PARS SECUNDA.

§. 1. *Ex quatuor sententiis probabilissima est prima.*
2. *Eaque confirmatur* primò *auctoritate omnium fere Judæorum.*
3. *Objectio Capelli, quasi argumentum tale esset in propria causa, solvitur.*
4. Secundò *ex consensu Judæorum in hanc hodiernam punctationem.*
5. Tertiò *ex Codice Hilleliano.*
6. *Objectio contra hunc Codicem enodatur.*

7. Quartò *à Masora & opera Masorethar um*:
8. *Qui irregularem punctationem annotarunt circa* vocales, *circa* accentus *& circa* Dagesch *ac* Mappik.
9. *Objectio Capelli rejicitur.*
10. Quintò *à difficultate legendi & in memoriâ omnia puncta retinendi propter absentiam matrum lectionis.*
11. *Matres lectionis enumerantur, & earum significatio indicatur.*
12. Sextò *à silentio historicorum de Masorethis.*
13. *Exceptio Capelli infringitur.*
14. Septimò *Theologorum difficultates probant vocales esse authenticas.*
15. *Quæ tribus exemplis confirmantur.*
16. *Instantia prima Capelli solvitur:*
17. *Item secunda.*

SECTIO I.



Superiori Dissertatione quatuor sententias de antiquitate & novitate punctorum vocalium & accentuum in medium protulimus; & diximus nos maxime improbare sententias illorum, qui statuunt puncta esse adscripta vel à Masorethis Tyberiensibus, vel à duobus celebribus Rabbinis, quorum illi post quingentesimum, hi post millesimum annum à nato Christo vixisse dicuntur: sed è contra laudavimus eorum sententias, (maxime tamen priorem) qui defendunt puncta esse adjecta vel ab ipsis Auctoribus librorum, vel ab Ezra Propheta & Viris Synagogæ magnæ.

II. Argumenta, quibus sententiam nostram probamus, sunt vel inartificialia, desumpta ab auctoritatibus & testimoniis Judæorum; vel sunt artificialia, desumpta à rationibus.

Primum argumentum inartificiale est desumptum ab universali omnium Judæorum, quotquot unquam fuerunt, consensu. Judæorum doctores communiter in tres classes dividi solent, scil. in Talmudicos, in Kabbalistas, & in Philosophos. Sub Philosophis etiam continentur Grammatici, Philologi, Critici & Historici. Hi omnes, unico excepto Eliâ Levitâ, defendunt Puncta ad minimum tempore Esdræ Prophetæ extitisse. Ne unum Judæum proferet Capellus, sive ante Eliam Levitam sive post ipsum vixerit, qui punctorum novitati Elianæ favet.

Si *Quantitatem* Judæorum consideremus, pondus additur argumento. Nam omnes Judæi cujuscunque nationis & terræ, ut Germani, Hispani, Itali, Orientales, Occidentales, & Arabes, sive sint recen-

recentiores sive antiqui : omnes illi unanimi consensu pro nostrâ stant sententiâ : sed excipitur solus Elias Judæus, cujus unius auctoritas tot præstantissimorum & doctissimorum Judæorum auctoritati ullo modo præponderare nec potest nec debet.

Qualitas Judæorum, defendentium antiquitatem vocalium, etiam expendenda est. Si Judæi, qui communi sententiæ favent, essent infimæ sortis & nullius auctoritatis, argumentum jam allatum non adeo stringeret: sed omnes, genuinam sententiam defendentes, longe auctoritate sua superant novitium Grammaticum Eliam. Quis comparabit Eliam cum Talmudistis & antiquis Kabbalistis? Imo, Quis comparabit eum cum Salomone Jarchi, cum Aben Esra, & cum Davide Kimchi, propter eruditionem longe celeberrimis? Quis solum Eliam Judæum præferet aliis sine numero Judæis, qui omnes vel expressis verbis Esram punctorum Auctorem constituunt, vel alto silentio Masorethas Tyberienses, ut punctorum inventores, prætereunt; cùm nonnulli ex illis etiam Masorethis coætanei fuisse statuantur.

III. ad hoc argumentum excipit Capellus. Testimonia Judæorum sunt domestica, & in propria causa ab ipsis prolata; ac proinde nullius ponderis & momenti sunt. Nam quis miratur, inquit, si Judæus, gloriæ gentis suæ sitientissimus, in hac sit sententia, ut existimet totum Vetus T. non modo quoad consonantes, sed etiam quoad singulos minutissimosque tum vocalium tum etiam accentuum apiculos esse à Deo, ejusque Spiritu profectum : & proinde unius Judæi, asserentis puncta Hebraica nuperum esse Masoretharum inventum, testimonium, sexcentis aliis Judæorum aliud asserentium testimoniis præponderare videtur.

Respondeo. 1. Nego hoc testimonium esse in causa privata, aut in proprium commodum, vel ad propriam gloriam effictum, sed est in causa publica: tangit enim omnes Judæos in genere, & non hunc vel illum in specie.

2. Si hæc exceptio Capelli valeret, tunc nunquam Historici, describentes historiam in laudem populi vel gentis suæ mererentur fidem. Tunc Arabes, egregia gesta Arabum, Turcæ Turcarum, Hispani Hispanorum, Belgæ Belgarum res gestas & victorias narrantes non essent consulendi; quum experientia contrarium testetur. Res enim Gallorum rogamus Gallos, & res Anglorum rogamus Anglos.

Ergo etiam Judæis, asserentibus punctationem esse antiquam, nullo modo fides est detrahenda: nam illud parum vel nihil ad gloriam gentis Judaicæ facit, sed magis ad majorem auctoritatem Scripturæ conciliandam. Vide plura de hoc argumento apud Buxtorfium in lib. de Punctorum Antiq. p. 2. cap. 3. & 4.

IV. *Secundum* argumentum, quod pro antiquitate vocalium & accentuum adfertur, est desumptum ab universali Judæorum consensu in hanc hodiernam punctationem. Omnes Judæi, quotquot fuerunt vel sunt, statuunt & statuerunt hodiernam punctationem esse genuinam, quæ mentem sacrorum Scriptorum optime exprimit. Si Judæi credidissent puncta esse inventa ab hominibus errori obnoxiis, semper fuissent quidam ex illis, qui hodierna puncta rejecissent, aliaque pro illis, variis in locis, substituissent: sed nunquam inventus est aliquis Judæus, qui punctorum Auctores erroris accusare tentavit, ac si illi genuina puncta consonantibus non addidissent. Nonnunquam quidem lites sunt motæ de diversis Codicibus quoad puncta, num hic Codex ita punctatus sit præferendus alii Codici aliter punctato: attamen nulli Judæi hodiernam punctationem, prout ab ipsis Auctoribus profecta est, in dubium vocarunt. Ergo secundùm sententiam Judæorum puncta non sunt à Masorethis Tyberiensibus. Ratio consequentiæ hæc est: quia si credidissent puncta vocalium & accentuum esse à quibusdam Masorethis, hominibus non infallibilibus, sane fuissent unquam aliqui ex Judæis, qui punctationem hodiernam, utpote tantum excogitatam ab hominibus infallibilem fidem non merentibus, improbassent, vel in dubium vocassent. Vide in suprà laudato libro p. 2. c. 5.

V. *Tertium* argumentum pro punctorum antiquitate est desumptum ex antiquo Codice Hilleliano, cujus mentionem faciunt Hebræi in libro Juchasin fol. 132. col. 1. Hic Codex punctis fuit instructus, prout testatur Kimchi in Michlol fol. 93. & in libro Radicum ad Rad. שׁוּם, ubi sic ait de voce תְשׁוּמֶת 2. *Sam.* 13. occurrente. *Mem est cum Segol præter morem, & est loco Patach. Et in libro Hilleliano, qui asservatur Toletolæ, notatum est cum Patach.* Hic liber vocatur Hillelianus ab Hillele, qui diu ante tempora Masoretharum Tyberiensium vixit.

VI. *Regeret* forte aliquis. Fuerunt plurimi Hilleles: inde igitur non sequitur, quod hic Codex sic denominetur ab Hillele sene, cujus crebra in Talmude fit mentio; sed fortasse sic denominatur ab Hillele

lele Hannasi, qui in Judæa circa annum Christi 340. vixit.

Respondeo. Posito, quod hic liber non sit descriptus ab Hillele sene, qui centum circiter annis ante destructionem templi secundi floruit, sed ab Hillele Hannasi, nepote Rabbi Jehudæ sancti, inde tamen sequitur puncta non esse à Tyberiensibus: nam hic Hillel ad minimum centum annis ante illos Masorethas vixit.

Præter hos duos Hilleles fuerunt quidem alii, sed omnes vel simul cum hoc Hillele, vel non diu post ipsum vixerunt: omnes tamen ante Masorethas Tyberienses floruerunt.

Præterea non videtur verosimile, hunc Codicem à vulgari Hillele esse compositum: nam à tali tam speciosum titulum scilicet *Codicis Hilleliani* Synechdochicè non fuisset adeptus. Buxtorfius in libro laudato parte 2. cap. 7. plura Biblia antiqua & punctata profert, quæ omnia ibidem videri possunt.

VII. *Quartum* argumentum desumitur à Masora & Masorethis. Masorethæ fuerunt versati circa voces punctis vocalium & accentuum vestitas, & ad illas voces, talibus vel aliis accentibus sive vocalibus ornatas, virgulam censoriam apposuerunt. Si vox aliqua in Textu insolenter contra communem regulam esset punctata, eam Masorethæ sub censuram revocarunt, & dixerunt: ubique vox illa talibus punctis notatur, sed excipitur hic vel ille locus. Ergo Masorethæ, qui sunt auctores illarum notarum, non sunt simul inventores punctorum. Quid enim eos movisset, ut voces quasdam irregulariter punctassent? Dedissent procul dubio rationes, ob quas unam vel alteram vocem contra communem regulam punctis ornassent: sed simpliciter dixerunt: hæc vox hoc in loco aliter hic punctatur quam omnibus aliis in locis.

VIII. Masorethæ hanc insolentem punctationem observarunt & annotarunt circa vocales, circa accentus, & circa Dagesch ac Mappik.

1. Masorethæ in *vocalibus* sæpissime irregularem punctationem annotarunt: ex. gr. Psalmo 128. v. 3. invenitur אֶֽשְׁתְּךָ *uxor tua.* Masorethæ in margine annotant לֹ֗, hoc est, *non reperitur amplius cum Segol.* Nomen אֵשֶׁת cum affixis habet אִשְׁתְּךָ cum Chirek sub א secundùm consuetam hujus vocis punctationem. Si Masorethæ sint punctorum Auctores: Quare illi hanc vocem contra regulas communes

ita punctassent, & simul notam masorethicam addidissent? Sane si illi fuissent auctores, procul dubio aliquam dedissent hujus irregularis punctationis rationem. Sed vera ratio hujus notæ masorethicæ, uti nobis videtur, hæc est: Masorethæ viderunt in manuscriptis exemplaribus hanc vocem insolenter esse punctatam: ideoque adjecerunt notam, ne quis putaret illam punctationem esse erroneam.

Sic etiam 1. *Sam*. 7. 17. occurrit vox שָׁפָ֑ט *judicavit* cum duobus Kametz & accentu Munath, quum secundùm communem regulam requirantur Kametz & Patach. Masorethæ annotarunt hanc vocem, quia tali modo præter regulam erat punctata: ergo Masorethæ non sunt auctores punctorum. Quare enim hanc vocem irregulariter punctassent, & simul notam irregularis punctationis addidissent?

Similiter *Dan*. 1. 13. invenitur verbum תִּרְאֵה *videbis* cum Tzere in fine contra Grammaticam, & contra frequentem S. Scripturæ usum. Masorethæ in libris hoc verbum, vocali Tzere irregulariter notatum, invenerunt: sed illi nullo modo videntur illius punctationis esse auctores. Infinita ferè talia exempla in medium ex Bibliis Hebraicis proferri possent, sed hæc jam sufficiant.

2. Masorethæ etiam annotarunt irregularem usum in *accentibus*: ergo non sunt illorum insolentium accentuum, & simul Masoræ auctores. Ex. gr. *Psal*. 27. 4. occurrit vox חַ֑י cum Patach in fine & cum accentu Atnach; quum secundùm regulam communem Atnach mutet vocalem Patach in Kametz. Quæ causa hic excogitari potest, quare hæc vox ita irregulariter sit punctata, & simul nota masorethica ab iisdem auctoribus addita? Quare non libentius voces secundùm regulas communes punctassent? Nam si voces regularibus & ordinariis punctis ornassent, tum non opus fuisset tam laboriosas notas masorethicas adscribere.

Præterea *Psal*. 84. 11. scribitur אֱלֹהַ֑י cum Patach in fine, & cum accentu Atnach. Masora annotat bis hanc vocem inveniri cum Patach & Athnach. Masora his similibusque notis clarè indicat non fuisse eosdem accentuum & notarum circa accentus auctores; sed docet Masorethas de vocalibus & accentibus jam inventis, atque consonantibus adscriptis, censuram suam tulisse.

3. Eodem modo Masora annotavit insolentem usum punctorum *Dages* & *Mappik*. Literæ quatuor gutturales non recipiunt Dages: ast Masora annotat quatuor loca Biblica, in quibus litera Aleph recipit

pit Dages contra usum sacræ Scripturæ. Quare Masorethæ his quatuor tantum in locis literam *Aleph* cum Dages punctassent. Quare tantummodo notam, & non simul rationem illius irregularitatis addidissent? Sed verosimilius est Masorethas his in locis invenisse literam Aleph puncto Dagesch notatam: & propterea notam censoriam apposuisse. Vide exemplum literæ Aleph dagessatæ *Job*. 33. 21. in verbo ראֻּו, ubi in novissima editione margini adscribitur הא בדגש *Illud Aleph est cum Dagesch*.

Similiter litera *Resch* ob soni naturalis asperitatem Dages excludit: sed Masora 1. *Sam*. 10. 24. ait literam Resch ter, vel ut Kimchi in Michlol vult, septies inveniri cum Dages contra communem linguæ Sanctæ usum. Vide alia loca 1 *Sam*. 1. 6. & 17. 25. 2 *Reg*. 6. 32. *Jer*. 39. 12. *Ezech*. 16. 4. ubi in novissima Bibliorum editione margini adscribitur ר׳ דגושה vel ריש *Resch est dagessatum*.

Etiam loca, in quibus *Mappik* omissum est, annotata sunt à Masorethis. Ex. gr. vox לָהּ ter occurrit sine Mappik, quum aliàs semper habeat Mappik.

Simile exemplum Mappik omissi occurrit 2. *Reg*. 8. 6. in voce שְׁבָה, ubi in margine annotatur לא מפיק ה *He non habet Mappik*:

Ex his concludimus, non eosdem esse punctorum & Masoræ auctores. Ergo Sapientes Tyberienses, qui vulgò statuuntur Masoræ auctores, non sunt primi punctorum inventores. Vide plura in Commentario Masorethico Buxtorfii cap. 9.

IX. Contra hæc superiora *regerit* Capellus, ipsos Masorethas Tyberienses voces sic irregulariter punctasse certo consilio, & peculiari quâdam de causâ; & posteriores Masorethas, qui antiquas notas masorethicas ex propriâ observatione auxerunt, censuram suam de anomala illa punctatione adhibuisse, ne quis erroneum putaret, quod certo consilio à Masorethis erat factum.

Respondeo. 1. Quod Capellus dicit, posteriores Masorethas notas suas apposuisse, hoc absque ullo teste affertur. Contrarium statuit Elias, nempe quod Masorethæ Tyberienses sint totius punctationis & notarum Masorethicarum circa puncta auctores. Si statuamus auctores punctorum & auctores Masoræ esse diversos, sed eodem tempore vixisse, procul dubio illi notarum Masorethicarum auctores rationem

tionem tam insolentis punctationis ab illis prioribus expetivissent, simulque ad notas masorethicas eandem annotassent. Si dicamus eos diverso tempore vixisse, sane nec illi posteriores notarum auctores, nec omnes alii Judæi per totum orbem dispersi, tam Orientales quam Occidentales, tam monstrosam & insolentem contra omnes regulas Grammaticæ punctationem unanimi consensu approbassent: sed extitissent certe aliqui, qui anomalam illam punctationem, utpote ab hominibus, errori obnoxiis, secundùm patronos novitatis, profectam, rejecissent, & corrigere tentassent.

2. Capellus jam præsupponit Masorethas Tyberienses esse punctorum auctores, quod plane pernegamus; præterea eosdem illos Tyberienses esse totius punctationis auctores, quod ipse antea negavit. Dixit enim punctationem demum post decimum à nativitate Christi sæculum à ben Ascher esse consummatam. Quomodo ergo hìc regerere potest Masorethas posteriores notas suas apposuisse ad punctationem jam absolutam?

3. Capellus nimiam auctoritatem Masorethis Tyberiensibus attribuit, cùm statuit illos pro sua auctoritate & libertate multas voces tam irregulariter & insolenter punctasse, & illam insolentem punctationem in sacrum Textum intrusisse. Sane nimia fuisset petulantia & superbia, quam alii Judæi in privatis sui similibus nunquam approbassent, sed omnibus viribus sese illi novæ & monstrosæ punctationi opposuissent. Vide Buxtorfium p. 2. c. 6.

X. *Quintum* argumentum, quo punctorum antiquitas probatur, desumitur ab impossibilitate Textum sacrum absque figuris vocalium & accentuum, quoad veram legendi rationem, purum conservandi. Si enim statuamus puncta vocalium & accentuum usque ad tempora Tyberiensium tantum fuisse oraliter conservata, & demum circa annum Christi quingentesimum consonantibus adscripta: ergo puncta circiter per bis mille annos memoriter fuerunt conservata. Nam si punctatio illa non fuisset memoriter conservata, tum lectio non tantum indoctis sed sæpissime etiam doctis fuisset dubia. Nam nulla memoria tot mille versuum pausas, tot vocum distinctam punctationem, pronuntiationem & accentuum notas retinere potuit. Divina requiritur memoria ad hæc omnia memoriter conservanda. Si ergo puncta in memoria non potuerint per viginti præter propter sæcula conservari: ergo Textus centenis in locis fuit dubius, & vix à quoquam recte legibilis.

Hanc

Hanc difficultatem legendi Textum Hebræum non punctatum auget *primò* Absentia trium literarum, scil. Aleph Vau & Jod, quæ vocantur matres lectionis. Hæ literæ, quæ multarum vocalium indicia sunt, in Textu Biblico plerumque sunt omissæ: ea propter lectio Biblica non punctata tam difficilis est lectu. In Scriptis Rabbinorum textus Hebraicus non punctatus proponitur, sed lectu facilis est; quia hæ tres matres lectionis, quæ absentes vocales indicant, & quarum absentia aliàs lectionem in multis maximè dubiam redderet, sunt adscriptæ. Ast Textus Biblicus non punctatus est lectu difficillimus propter creberrimam absentiam illarum trium literarum; etiam in locis, in quibus maxime sunt necessariæ. Ex absentia harum trium literarum in Textu Biblico videtur probari posse, quod Textus Hebræus in principio ab ipsis Auctoribus punctis vocalium & accentuum fuerit notatus. Est enim contra morem & consuetudinem omnium Rabbinorum, tam antiquorum quam hodiernorum, scribere Textum Hebræum non punctatum absque tribus illis literis: sed in omnibus scriptis Rabbinorum non punctatis expressæ sunt hæ tres literæ, ubi adeo necessariæ non essent, quam quidem in Textu Biblico. Nam stylus Biblicus præcipue in Prophetis est concisus, abbreviatus, & variis figuris, ut Ellypsi, Pleonasmo & Enallage abundans; etiam sunt voces, quæ quoad consonas aliter legi deberent, sed additis vocalibus plane alio modo leguntur.

Secundò. Ipsa materia etiam auget difficultatem legendi Textum non punctatum. Scripta Rabbinorum, præterquam quod contineant tres illas matres lectionis, agunt vel de rebus historicis, vel de talibus quæ tangunt Grammaticam sive constructionem vel verborum explicationem, sive de rebus aliis: sed Scripta sacra, præcipue prophetica, tractant res sublimes, abstrusas, nobisque sæpe ignotas.

Ex his sequitur: si vocales demum fuissent additæ à Masorethis Tyberiensibus: ergo lectio Textus sacri non punctati olim per viginti sæcula fuit difficillima, imo indoctis fere impossibilis.

Quid dico de temporibus antiquis, adhuc hodie lectio Biblica non punctata est non tantum indoctis, sed etiam quodammodo doctis lectu difficilis; etiamsi vera lectio jam non tantum auditu, ut olim tempore Prophetarum & post eorundem excessum fieri solebat, sed etiam proprio visu addiscatur. Jam enim quilibet, qui tantum legere didicit, ipsum Textum punctatum adit, eumque cum punctis legit:

sed secundùm novitatis patronos à Mose usque ad annum quingentesimum à nativitate Messiæ Textus Hebræus destitutus fuit punctis; & per consequens lectio fuit dubia, incerta, & vix perfectè legibilis.

Tertiò. Lectores post excessum Prophetarum non potuissent ullum infallibilem punctatorem de vera punctandi ratione consulere: si enim hunc consuluissent, ille sic voces punctandas esse dixisset; si illum, ille iterum aliter punctis ornandas esse asseruisset. Ergo Textus sacri lectio vel fuit plane incerta, vel Textus fuit punctis vestitus.

Quod Textus Hebræus fuerit punctatus videtur inde evinci posse: quia Veteris Test. lectio non tantum doctis & sapientibus, sed etiam indoctissimis, ut plebejis, mulierculis, adolescentibus, imo ipsis pueris fuit mandata. Etiam Rabbini S. Scripturæ lectionem semper pueris, etiam quinquennibus injunxerunt; quod experientia confirmatur. Etiam antiqua formula loquendi apud Judæos usitata hoc docet, quâ dicunt: *Filius quinque annorum ad Biblia*, scil. adhibendus est. Si Textus per tot sæcula fuisset punctis destitutus, quamplurimis in locis hæsissent docti, & innumeris in locis indocti; & S. Scriptura non potuisset à Psalmista vocari Lux & Lucerna, sed potius summæ tenebræ; quia infinitorum locorum vera lectio fuisset incerta, & à Judæis non tantum indoctis sed etiam à doctis per tot sæcula divinanda.

Quartò. Si adhuc Lingua Hebraica semper eo tempore fuisset Judæis vernacula, difficultas legendi tanta non fuisset: verum lingua Hebraica à captivitate Babylonica nunquam fuit amplius vernacula: sed è contra lingua Chaldaica initio fuit Judæis per aliquot sæcula vernacula. Et per consequens, hæc mutatio linguæ Hebraicæ ut vernaculæ in Chaldaicam, difficultatem, Textum Biblicum non punctatum legendi, maximoperè auxit.

XI. Matres lectionis.

Quia in hoc quinto argumento aliquoties mentionem feci literarum אוי, quæ vulgò matres lectionis vocantur, ideo placet eas hîc post invicem describere, & exemplis illustrare:

Matres lectionis sunt אוי (*Aleph*, *Vau* & *Jod*) quæ absentes vocales indicant:

I. א (*Aleph*) denotat A, aut E, sed rarissimè.

1. A, ut מלאכים *reges*, pro מְלָכִים 2 Sam. 11. v. 1. דאג pro דָּג *piscis*, Neh. 13. 16. ubi in margine additur יתיר א *abundat Aleph*.

2. E.

2. E, ut יִמָּאֵס *liquefit*, Job. 7. 5. pro יִמַּס à מָסַס.

II. ו (*Vau*) designat vel O longum aut O breve: vel U longum aut U breve.

1. O *longum*, ut פוקר pro פֹּקֵר *visitans*.

2. O *breve*, ut לקורעו *ad illud scindendum*, pro לְקָרְעוֹ. Vide Aben Esram ad cap. 2. v. 13. Joëlis.

3. U *longum*, ut פקוד pro פָּקוּד.

4. U *breve*, ut הצורים *rupes*, pro הַצֻּרִים. Vide Aben Ezram ad cap. 1. v. 1. Jonæ.

III. Geminum וו (*Vau*) indicat vel consonam Vau, vel dages forte:

1. *Consonam Vau*, ut חוורו *albi facti sunt*, in Paraphrasi Jonathæ Edit. Venetæ, Joël. 1. 6. pro חֲוַרוּ.

2. *Dagesch forte*, ut מצווריהון *à cervicibus eorum*: Jonathan in Hoseæ cap. 10. v. 11. Edit. Venet. pro מִצַּוְרֵיהוֹן, prout habetur in Bibliis Buxtorfii, ubi pleræque matres lectionis ex Paraphrasibus sunt abjectæ.

IV. י (*Jod*) denotat vel *J*, vel E, vel dagesch forte.

1. J, ut למישלט *ad dominandum*, pro לְמִשְׁלַט. Vide in Paraphrasi Jonathæ ad Cap. 2. v. 17. Joëlis, Edit. Venetæ

2. E, ut, קביל *accipe*, pro קַבֵּל. In Targum Jonathæ, Jonæ Cap. 1. v. 14.

3 *Dagesch forte*, ut דיבר pro דִּבֶּר *loquutus est*. Aben Ezra ad Capitis primi vers. 1. Jonæ.

V. Geminum Jod significat vel consonam Jod, vel affixum plurale, vel dagesch forte.

1. Consonam Jod, ut מניין *numerus*, in Paraphrasi Jonathæ Hos. 1. 10. Edit. Venet. pro מִנְיָן, sicuti etiam in Bibliis Buxtorfii habetur.

2. Affixum plurale, ut רחמיי *amatores mei*, in Paraphrasi eadem Hos. 2. 12. pro quo Buxtorfius, abjiciens matres lectionis, habet רָחֲמַי: nam Patach jam indicat pluralem numerum.

3. Dagesch forte, ut לביישׁ *ad pudefaciendum*, pro לְבַיֵּשׁ. Vide Salomonem Jarchi ad Cap. 2. v. 30. Joëlis.

XII. Sequitur *sextum* argumentum ex historia desumptum; & quidem ab universali Historicorum Judæorum silentio de Masorethis Tyberiensibus. Si doctores illi Tyberienses fuissent primi punctorum inventores, certè omnes Historici Hebræi illud inventum tam

admirandum & ſtupendum, ac rem tanti momenti alto ſilentio non præteriiſſent, ſed aliquam talium Tyberienſium punctatorum feciſſent mentionem. Ergo non videtur veroſimile tales Maſorethas Tyberienſes, qui tantum opus moliti fuiſſent, unquam in mundo fuiſſe. Robur huic argumento additur: quia hiſtoria Hebraica deſcribit curſum ſtudiorum & Sapientum ſingularum generationum in Babylonia uſque ad annum Chriſti 1000. in Palæſtina verò ad annum uſque 340. Atqui nullibi hiſtoria res geſtas talium Tyberienſium enarrat, cum ſane Hebræi rerum minoris momenti, ad ſtudia tantum pertinentium, perfectam faciant mentionem. Utriuſque Talmudis tam Babylonici quam Hieroſolymitani inchoationem, elaborationem, & auctores magnâ diligentiâ & indagine perſcrutati ſunt, ac annotarunt. Quare etiam non feciſſent mentionem operis majoris momenti, tangentis ipſam ſacram Scripturam, ejuſque veram & genuinam lectionem?

XIII. Capellus hoc argumentum conatur *infringere*, dicendo: Non mirum eſſe, quod hiſtoria Hebraica non meminerit eorum Tyberienſium punctatorum, quum fortaſſe circa annum Chriſti 500 Tiberiadi tantum habitaverit unus atque alter doctiſſimus Rabbinus, qui punctorum auctor fuit: non enim neceſſe eſt plures huic punctationis operi primum vacaſſe. Præterea ſæpiſſime contingit viros magnos & doctos nonnunquam latitare, & Hiſtoriographis ignotos eſſe.

Reſpondeo. Non mirum eſt aliquem ex doctis alicubi latitare & deliteſcere: ſed hoc fere inſtar miraculi videtur, quod unus vel alter Rabbinus tantam auctoritatem ſibi conciliaverit, ut omnes Judæi illius opus, quod ita privatim molitus fuiſſet, tanquam divinum & quaſi cœlitus delapſum approbaverint. Præterea mirandum eſt illius unius vel alterius Judæi nullam in hiſtoriis Judæorum fieri mentionem: nam ipſius opus fuiſſet præſtantiſſimum & utiliſſimum, reddens lectionem Biblicam plus quam decuplo faciliorem. Attendat hic lector, quid Capellus reſpondeat, ſcil. quod fortaſſe tantum unus aut alter fuerit doctor Tyberienſis, qui primus punctorum inventor fuit; quum antea cum Eliâ conceſſerit primos Maſorethas fuiſſe multo plures. Vide Buxtorfii partem 2. c. 11.

XIV. Jam *ſeptimò* argumentum Theologicum expendendum venit. Theologi Euangelici, quia vident ſententiam Capelli eſſe periculo-

culosam, eamque maxime favere adversariis; ideo quasdam consequentias ex sententiâ Eliæ eliciunt, quibus novitatem punctorum destruere conantur.

Hæ consequentiæ sunt variæ, nonnullas earum & quidem præcipuas hic attingemus. 1. Si puncta vocalium & accentuum sunt à Masorethis Tyberiensibus, ab hominibus quâ talibus, infallibilem Spiritum non habentibus: ergo sensus ille, quem vocales & accentus exhibent, tantum auctoritatem habet humanam & incertam; non autem *divinam*, infallibilem, & propheticam.

2. Tum ista puncta à quovis alio docto & perito possent in locis dubiis & ambiguis mutari, aliaque ipsorum loco substitui.

3. Tum Textus, nudis consonantibus constans, esset instar nasi cerei in diversas formas pro ratione additorum punctorum mutabilis.

XV. Ut vis harum consequentiarum melius intelligatur, exemplis tribus rem totam illustrabo. *Primò* depromam exemplum ex linguâ Latinâ. Quemadmodum enim in linguâ Latinâ solæ consonæ, *destitutæ vocalibus*, varios sensus induere possunt, eodem modo in lingua Hebraica hoc contingere potest. Ponantur, ex. gr. tres consonæ C R S. Ex illis tribus consonantibus vinginti tres voces pro ratione additarum vocalium possunt formari. 1. *Curas*, accusativus à cura. 2. Potest esse persona secunda à curo. 3. *carus*. 4. *curis* à cura. 5. *caros* accusativus à carus. 6. *caris*, dativus à carus. 7. *corus* ventus, vel mensura. 8. *coros*, accusativus à corus. 9. *coris* dativus. 10. *Cyrus*. 11. *ceras* à cera. 12. *ceris*, dativus à cera. 13. *Ceres*. 14. *Ciris* alauda. 15. *cures* à *curo* &c. Quis ex varia vocalium additione diversum sensum oriri non percipit?

Secundò. Simili modo ex solis consonantibus Hebraicis variæ voces per additionem diversarum vocalium formari possunt. Detur, verbi causa, vox שָׁמַיִם *cœli*. Hæc vox, distituta punctis vocalium, multorum sensuum capax est. 1. Significat *cœlos*. 2. שָׂמִים *ponentes*. 3. שׁוּמִים *Allia*. 4. שֶׁמִּיָּם *quod ex mari*. 5. שֶׁמַּיִם *quod aquæ*. Si quis eas literas in duas partes velit dividere, tum adhuc multi alii sensus possunt elici, ut 6. שָׁם יָם *Ibi mare*. 7. שֵׁם יָם *Nomen maris*. 8. שָׂם יָם *posuit mare*. 9. שַׁם יָם *desolavit mare*. 10. שׁוּם יָם *Allium maris*, &c.

Tertiò. Similiter tres literæ דבר novem diversis modis, pro ratione additarum vocalium, pronuntiari & explicari possunt. 1. דָּבָר *verbum*. 2. דֶּבֶר *pestis*. 3. דְּבִר *oraculum*. 4. דִּבֶּר *loquutus est*. 5. דֹּבֵר *loquens*.

loquens. 6. דִּבֻּר *dictum.* 7. דַּבֵּר *loqui.* 8. דַּבֵּר *loquere.* 9. דִּבֶּר *loquutus est.* Vide plura apud Morinum in Exercitationibus Biblicis lib. 1. Exercit. 6. cap. 2. Ex his exemplis videmus, quam necessariæ sint vocales ad Textum Hebræum bene legendum, intelligendum & explicandum.

XVI. Capellus, videns se hic quodammodo esse constrictum, regerit *primò.* Verum est, voces Hebraicæ nonnunquam diversum sensum induere possunt, si scilicet per se solæ extra orationis seriem considerentur: sed in orationis serie negat hoc procedere: nam si in ea voces aliter punctarentur, quam punctatæ sunt, exsurgeret sensus insulsus & ridiculus.

Respondeo. Falsum est, quod voces in orationis serie collocatæ non alium apud nos admittere possint sensum, ac proinde aliam punctationem, quam orationis scopus secundùm mentem Spiritus S. postulat. Qui hoc negat, sumat librum aliquem Veteris Testamenti, non punctatum & difficilem, quem raro vel nunquam legit, & experimentum sumat, an semper antecedentia & consequentia veram lectionem sint indicatura: contrarium sæpissimè experietur. Nonnunquam hærebit, nesciens, quæ puncta subscribere debeat: aliquando alia puncta, diversum sensum indicantia, substituet. Nolo hic exempla adferre. Nam si quis exempla desideret, adeat Biblia non punctata, & innumera inveniet, quæ aliis punctis possunt punctari; ex quibus tamen sensus absurdus & ridiculus non elicietur.

XVII. *Secundò* regerit Capellus: posito, quod quædam Scripturæ loca sint, quæ variam punctationem admittunt, & cum hac diversa punctatione sensum etiam diversum, sed utrumque commodum, aptum, cum contextu toto cohærentem, analogiæ fidei non repugnantem, nihil periculi esse, si Petrus sensum talem, Paulus vero sensum alium amplectatur, & sequatur; vel etiam si utrumque sensum eligat.

Respondeo. 1. Hic præsupponitur, quod probandum erat, scil. licere cuilibet pro beneplacito alias vocales consonis apponere, modò illæ vocales nullum absurdum & absonum sensum contra fidei analogiam pariant: hoc plane negamus, & asserimus cum Eliâ puncta hodierna esse genuina, eaque nullo modo à quovis esse mutanda.

2. Absurdum est dicere, quod perinde sit, quomodocunque S. Scriptura explicetur, modò sensus non eliciatur ineptus. Annon respi-

respiciendum est ad mentem Scriptoris? Certe, si non respiciatur ad mentem Spiritus S. & si cuilibet detur licentia Textum sacrum pro lubitu explicandi, tum tali modo fibula laxabitur ineptis hominibus, S. Scripturam pro lubitu contra mentem Scriptorum explicantibus. Nostri Theologi statuunt tantum dari unicum sensum, & quidem literalem; sed Capellus ita respondendo plures sensus literales concedere debet. Ipsi Judæi nobiscum statuunt dari tantum unicum sensum literalem, qui punctis expressus est. Scriptura igitur secundùm mentem Spiritus S. est explicanda.

3. Homines translatoribus & interpretibus non concederent, quod Capellus hic vult concedi à Deo hominibus. Si cui literas nostras transferendas vel interpretandas traderemus, an translatori vel interpreti concederemus talem sensum literis nostris affingere, qualem ille vult, & qualem verborum series posset permittere? An non diceremus, mentem nostram non expressisti, exprimas eam aliter? Puto quod sic. An ergo talis libertas hominibus à Deo in rebus cœlestibus concedi debet, quam homo homini in rebus mundanis concedere non vult? Jam absolvimus præcipua argumenta, quibus tum antiquitas punctorum probari, tum etiam eorum novitas destrui possunt. Vide Buxtorfii partem 2. c. 14.

DISSERTATIO DECIMA-QUINTA,

QUÆ EST

DE

Genuinâ Punctorum Vocalium & Accentuum in Veteri T. Antiquitate.

PARS TERTIA.

§. 1. *Sequentur argumenta pro novitate punctorum.*

2. *Verba Aben Ezra proponuntur & solvuntur.*

3. *Ut & Davidis Kimchi.*

4. *Duo alia testimonia Eliana refutantur à Buxtorfio.*

5. *Argumentum, desumptum à Pentateuchis MSS. non punctatis solvitur variis modis.*

6. *Argumentum trium membrorum (scil. à silentio punctorum in scriptis Kabbalisticis, deinde à silentio eorum in Talmude, denique quia Kabbalistæ nulla mysteria ex punctis elicuerunt) distin-*

distinctè proponitur & enodatur.

7. *Argumentum Capelli, quod elicitur ex literis Samaritanis, non probat novitatem vocalium.*

8. *Ad argumentum, desumptum à notis marginalibus Keri uketif, quatuor modis respondetur*

SECTIO I.



Ac Dissertatione sequuntur enodanda & refutanda argumenta adversariorum, quibus conantur probare puncta demum esse inventa à Masorethis Tyberiensibus, qui circa vel post quintum sæculum à nativitate Salvatoris nostri vixisse dicuntur. Nos superiori dissertatione probavimus punctorum antiquitatem inter cætera tali argumento, quod desumptum erat à negatione omnium Judæorum (excepto tamen unico Elia) negantium puncta esse à Tyberiensibus: sed è contra probavimus plerosque Judæos affirmare eadem puncta esse vel ab ipsis Auctoribus librorum, vel ad minimum ab Esdra Propheta. Capellus nihilominus *cap.* 2. &. 3. partis 1. libri suprà nominati, quosdam Rabbinos in medium profert, quorum verba sententiæ suæ favere asserit,

II. Primus auctor, qui videtur sententiæ Capelli favere, est Rabbi Aben Ezra, qui circa annum Christi 1150. vixit. Hic in libro צחות, id est, *Elegantiarum*, fol. 138. sic ait: וְכֵן מִנְהַג חַכְמֵי טְבֶרְיָא וְהֵם הָעִיקָר כִּי מֵהֶם הָיוּ אַנְשֵׁי הַמָּסוֹרֶת וּמֵהֶם קִבַּלְנוּ כָּל־הַנִּיקּוּד *Talis est consuetudo Sapientum Tiberiadis, qui nobis sunt pro fundamento vel norma: nam ex iis sunt viri Masorethæ, & ab illis accepimus totam punctationem.* Et in eodem libro *fol.* 193. sic scribit: יֵשׁ מְפָרְשִׁים רַבִּים מַטְעִים אֶת הַמַּפְסִיק *Sunt multi Interpretes, qui erroris arguunt Pausatorem*, id est, Auctorem distinctionis versuum. Et miratur admodum Aben Ezra in sequentibus, quomodo erraverit Pausator, quum ait: וְאַף כִּי אִם הוּא עֶזְרָא הַסּוֹפֵר *maximè verò, si ille sit Ezras Scriba.* Hinc conatur probare Aben Ezram credidisse puncta non esse ab ipsis Auctoribus librorum, vel ab Esdra Propheta, seb ab aliis inferioris sortis hominibus: nam si putasset puncta vocalium fuisse ab Ezra, nemo ausus fuisset eum erroris accusare.

Respondeo. Nego Aben Ezram hic statuere Masorethas Tyberienses esse primos inventores punctorum: nam Aben Ezra in allegato loco (cum dicit: *Nos ab illis accepisse totam punctationem*) non loquitur de prima inventione punctorum, vel de primis eorundem inventoribus:

bus: sed vult indicare, nos eandem punctationem in Bibliis nostris habere, & approbare, quam illi Masorethæ approbarunt, & in Codicibus suis manuscriptis expresserunt. Quod hic sit verborum Aben Ezræ sensus, patet evidenter ex Commentariis ad *Exod.* 25. *v.* 31. ubi sic ait: Vidi libros, quos perscrutati sunt Sapientes Tiberiadis, & jurarunt quindecim ex Senioribus eorum, quod tribus vicibus considerarint unamquamque vocem, & unumquodque punctum, ac singulas voces plenas & defectivas. Hinc ipso jubare clarius illucescit, Aben Ezram non credidisse puncta esse à Tyberiensibus: nam hic dicit illos Masorethas ter Biblia percurrisse, & inspexisse quamlibet vocem & quodlibet punctum. Lustrarunt ergo Biblia punctata, & circa eadem crisin suam instituerunt. Masorethæ tempore Aben Ezræ fuerunt noti non propter inventionem punctorum, sed propter veram Textus Hebræi lectionem, propter pronuntiationem & ejusdem conservationem. *Illi enim* dicuntur novisse differentiam pronuntiationis inter *Koph* & *Caph* degessatum, inter *Teth* & *Thau* dagessatum, & inter *Vau* & *Beth* Raphatum, inter quæ jam vix ulla differentia in pronunciando sive à Judæis sive à Christianis observatur.

III. Alter Rabbinus, qui pro novitate punctorum in scenam producitur, est Rabbi David Kimchi, qui in *Michlol*, mihi *pag.* 69. & 70. ubi agit de discrimine, quod intercedit inter Præteritum Niphal & ejusdem Benoni, quorum illud per Patach & hoc per Kametz scribitur, sic ait: מְתַקְּנֵי הַנִּקּוּד שָׂמוּ הֶפְרֵשׁ בֵּין אֶבֶן הָרֹאשָׁה וְהַבֵּינוֹנִי כִּי קְרִיאָתָם אַחַת וְנִקְּדוּ עֵין הַפֹּעַל בְּאֶבֶן הָרֹאשָׁה בְּפַתָּח וְהַבֵּינוֹנִי בְּקָמֶץ *Ordinatores punctationis posuerunt discrimen inter Lapidem fundamentalem* (hoc est, Præteritum) *& inter Participium: quia lectio utriusque* (respectu pronunciationis) *est eadem, & punctarunt secundam radicalem Præteriti per Patach, & Participium per Kametz.* Hinc sic argumentatur Capellus. Si David Kimchi credidisset puncta esse à Mose vel ab Esra, ergo dixisset מְתַקֵּן *Ordinator* punctationis, non verò מְתַקְּנִים *Ordinatores* posuerunt discrimen, &c.

Respondeo. 1. Hoc testimonium nihil probat. Kimchius statuit non unicum virum, sed plures esse inventores punctorum: ergo statuit illos esse Masorethas Tyberienses. Quis non videt hanc consequentiam nullo modo procedere? Quare non potius dicemus, Kimchium per *Ordinatores* intellexisse Mosen & reliquos Auctores librorum? Et si ita respondeamus, tum non opus erit refugere ad Masorethas.

2. Quando defendimus Ezram esse Auctorem punctorum, tum non solum Ezram intelligimus, sed præter Ezram etiam Viros Synagogæ magnæ. Ezræ quidem communiter inventio punctorum adscribitur, tum propter compendium, tum quia fuit Caput & Præses Virorum Synagogæ magnæ. Similiter in exercitu victoria Duci, in bello navali summo Gubernatori adscribitur, quam tamen nec Dux solus, nec Gubernator sibi acquisivit. Idem dicendum est de Propheta Ezra: etiamsi ille solus non sit inventor & ordinator punctationis, ei tamen soli hic honor tribuitur; quia ille fuit præcipua causa hujus punctationis.

3. Quod Kimchius punctorum inventionem attribuat Viris Synagogæ magnæ, hoc dilucidè evincitur ex Præfatione in Prophetas priores, ubi ait: quod Viri Synagogæ magnæ Legem in pristinum statum restituerint; & si difficultas quædam oriretur, quam per collationem variorum Codicum tollere non poterant, tum scripserunt unum, & non punctaverunt illud, aut scripserunt in margine. Ergo Kimchius credidit Viros illos Synagogæ magnæ fuisse versatos circa Textus Hebræi punctationem; & per consequens non putavit puncta demum à Masorethis Tyberiensibus fuisse inventa.

IV. Capellus ex Elia adhuc duo alia testimonia pro punctorum novitate adfert, unum ex libro צחות שפתים, & alterum ex libro Cosri: sed illa solidè refutata vide apud Cl. Buxtorfium *cap.* 3. *part.* 1.

V. *Secundum* argumentum, quod Cl. Capellus ex Elia objicit, est desumptum à libro Legis, qui veteri more & consuetudine in omnibus Judæorum Synagogis, absque ullis vocalibus & accentibus scriptus, in arcâ servatur. Inde talem elicit consequentiam: ergo Liber Legis à Mose olim conscriptus, & in arcam fœderis repositus, etiam fuit destitutus notis vocalium & accentuum. Ratio consequentiæ hæc est: quia libri Legis, qui in Synagogis Judæorum asservantur, sunt quasi Ectypi illius primi Archetypi Mosaici, hoc est, libri hodierni Legis adumbrant primum librum Legis Mosaicum. Si Pentateuchus Mosis fuerit punctatus, & Judæi hodierni utantur libris non punctatis: ergo Judæi non veram Legem sed tantum ejus partem in Synagogis suis asservant: ast hoc nullo modo videtur verosimile; quia Judæi admodum superstitiosi sunt non tantum circa consonas & Legis vocales, sed etiam circa ejus corticem. Potius centies mortem obirent, quam ut paterentur aliquid in Lege mutari. Ergo nullo

modo

modo videtur probabile eos Legem punctatam à Mose accepisse.

Respondeo. 1. Concedimus, quod omnia volumina Legis, quæ passim per totum terrarum orbem in Judęorum Synagogis asservantur, & ex quibus singulis Sabbathis lectiones sabbathinas recitant, jam sint destituta punctis vocalium & accentuum. Ipsemet propriis oculis sæpissime talia volumina in Synagogis Judæorum conspexi, & quotidie adhuc in meis ædibus, quia tale exemplar Legis possideo, conspicere possum. Sed inde non sequitur primum volumen à Mose conscriptum fuisse destitutum punctis.

2. Posito & non concesso, Mosen suum primum volumen Pentateuchi non punctasse, inde tamen nemo bonâ consequentiâ eliciet: ergo puncta sunt à Masorethis Tyberiensibus. Quare non possent esse ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ, qui mille annis præter propter post Mosen vixerunt. Possem eodem modo argumentari de Sectionibus & Capitibus Pentateuchi. Moses non distinxit librum suum in Sectiones & Capita: ergo illa distinctio est à Masorethis, qui mille circiter annis post Ezram vixerunt. Sed quis non videt eam consequentiam non procedere?

3. Nondum probatum est Pentateuchos, qui in Synagogis asservantur, semper sine punctis fuisse conscriptos. R. Bechai ad Numer. 11.15. fol.162. col.3. citante Buxt. pag.45. contrarium videtur innuere, cum ait: *Jussi sumus non punctare librum Legis*: causam addit: *quia vox punctata omnem sensuum varietatem & multiplicationem excludit, sed ablatio punctorum eam parit* Nam vocales sunt instar formæ, & consonæ instar materiæ. Sicuti materia, carens formâ, apta est ad multas formas recipiendas, ita consonæ Hebraicæ, destitutæ punctis, aptæ sunt ad varios sensus recipiendos. Et quemadmodum quando materia est informata, etiam est determinata, sic etiam consonæ, punctis vocalium ornatæ, sunt determinatæ. Ergo secundùm hunc Rabbinum Pentateuchi sine punctis primùm descripti sunt eo tempore, quo Cabbala & varii illi modi S. Scripturam interpretandi à Judæis eum in finem sunt introducti, ut sensus S. Scripturæ esset fœcundior & aptior ad plures allegoricos sensus recipiendos.

4. Fortasse puncta vocalium & accentuum à posterioribus Judæis sunt omissa: *primò* quia Pentateuchi, qui in publicis Synagogis asservantur, debent esse emendatissimi, absque ullo, etiam minimo, vitio. Atqui, quoniam omnes illi Pentateuchi solent exscribi, difficillimum

mum est Pentateuchum, ornatum vocalibus & accentibus, absque ullis mendis & vitiis exscribere. *Secundò*. Vel fortasse puncta vocalium & accentuum in Pentateuchis sunt omissa: quia fuit dissensio inter Orientales & Occidentales circa quarundam vocum puncta. Si Orientales suo modo voces illas punctassent, talis Pentateuchus non placuisset Occidentalibus; & vice versa, si Occidentales suam punctandi consuetudinem observassent, talis Pentateuchus rejectus fuisset ab Orientalibus. Ut ergo Judæi litem illam dirimerent, & Pentateuchos omnibus gratos exscriberent, videntur vocales omisisse. Etiam puncta ad veram illorum manuscriptorum Pentateuchorum lectionem hodie non sunt admodum necessaria; quia ex illis MSS libris in Synagogis publicis non omnes & singuli, sed tantum doctiores legunt, qui à juventute Biblia punctata legerunt, & ita continuò legendo fere memoriter eadem didicerunt. Vide in Buxtorfio part. 1. cap. 4.

VI. Pergit Cl. Capellus, & *tertium* profert argumentum, quod desumit à punctorum vocalium & accentuum silentio tum in Kabbalisticis Judæorum scriptis, tum etiam in Talmude. Tali modo Capellus argumentatur.

1. Nulla fit mentio vocalium & accentuum in scriptis Kabbalisticis sive in libris Allegoricis Judæorum: ergo Kabbalistarum tempore, qui vixerunt ante confectum Talmud, non fuerunt in Bibliis ulla puncta. Si enim fuissent puncta, procul dubio Kabbalistæ eorum mentionem fecissent; & per consequens puncta demum inventa sunt à Masorethis Tyberiensibus.

2. Etiam Talmudistæ in nulla parte Talmudis, hoc est, nec in Misna nec in Gemara ullibi citant nomina accentuum Hebraicorum sive vocalium; etiam non in illis locis, in quibus necessario vocales essent nominandæ: ex. gr. In Talmude alicubi dicitur, *Ne legas* בָּנַיִךְ *filii tui*, uti secundùm Textum punctatum legendum esset, sed בֹּנַיִךְ *ædificatores tui*. Hic Talmudistæ nullam vocalium faciunt mentionem, quum hoc in loco maxime necessarium sit. Si verò vocales tum temporis fuissent usitatæ, dicendum fuisset, *ne legas* בניך *per Kametz*, sed בוניך *per Cholem*.

3. Kabbalistæ, tam antiquissimi quam recentiores, nugas suas Kabbalisticas & allegorias, hoc est, mysticos quosdam sensus elicuerunt semper ex solis consonis, scil. ex earum inversione, ex metathesi,

&

& ex varia earundem permutatione, sed nunquam ex vocalibus & accentibus. Ex. gr. Kabbalistæ probarunt ex prima Veteris T. voce בְּרֵאשִׁית mundum esse creatum primo die Septembris; quia ex hac voce per transpositionem literarum hæc eliciuntur א׳ בתשרי, hoc est, *primus in Septembri*: ergo inde concludunt mundum illo die esse creatum; quia in illo versu agitur de ejus creatione. Simili modo Kabbalistæ ex ב *Beth*, primâ literâ Pentateuchi, varia elicere solent mysteria: ex. gr. Litera *Beth* in numeris significat duo: ergo sunt duæ leges, videlicet lex oralis & lex scripta. Adhuc: ergo erunt duo mundi, scilicet mundus hic & mundus futurus. Has & similes nugas quæsiverunt Kabbalistæ in consonantibus, & non in vocalibus: ergo vocales tum temporis non fuerunt. Vel, si posteriores Kabbalistæ credidissent vocales fuisse â Mose, etiam quædam mysteria ex iisdem elicuissent.

Respondeo. 1. in genere. Argumentum negativum non probat. Kabbalistæ & Talmudictæ nullam faciunt punctorum mentionem, ergo ea tempore ipsorum non fuerunt. Adhuc multo minus sequitur: ergo puncta sunt inventa quingentis annis post Christum à Masorethis Tyberiensibus.

Respondeo in specie ad *primum* membrum negando, quod in antiquis Kabbalistis nulla fiat mentio vocalium & accentuum. Diversa enim exempla luce clariora proferuntur ex זוהר *Zohar*, libro plane Kabbalistico, cujus auctor statuitur Rabbi Schimeon filius Jochai, qui vixit anno circiter centesimo post Christum, quique circa annum 120. martyrio in bello Adriani contra Judæos vitam finiisse dicitur. Hic Rabbi in principio libri sui ex Danielis Capite 12. v. 3. profert locum, & occasione illius loci sic ait: *Istud punctum est semen in medio istius palatii, semen trium punctorum Cholem, Schurek & Chirek*. Idem Kabbalista etiam accentuum recordatur in eodem libro, Col. 106. *Secretum rei est Zarka, Makkaph, Schophar holech, Segolta* &c. Quis clarius indicium vocalium & accentuum ex antiquis Kabbalistis desideraret? Similia plura exempla ex antiquioribus & recentioribus Kabbalistis afferuntur à Cl. Buxtorfio in libro de antiquit. punct. *cap*. 5. *partis*. 1.

Respondeo 1. ad *secundum* membrum. Non mirum est quod in Talmude nulla expressa mentio punctorum vocalium & accentuum fiat. Nam Talmudistæ non versantur circa tales minutias, sive circa tales nugas Grammaticales: has enim Grammaticis reliquerunt: sed oc-

cupati fuerunt circa ritus & mores vivendi à Judæis ubique terrarum observandos, ut & circa res dubias, jus quarundam rerum spectantes, quarum tantum obiter sacra Scriptura recordatur. De talibus rebus dubiis Talmud prolixè disputat, & variis modis easdem determinat. Non igitur quærenda est Grammatica in libris Historicis, nec in libris ritus & jus Judæorum describentibus.

Adversus hanc responsionem *regerunt*. In Talmude allegantur loca, in quibus necessariò mentionem punctorum, si fuissent, facienda esset, cum dicunt, *ne legas sic, sed sic*. Respondeo *primò*. Talmudici doctores non fuerunt sic loquuti ex dubitatione, quasi propter defectum punctorum de certâ lectione dubitaverint, sed quia voluerunt literali vocis explicationi aliam allegoricam & mysticam addere. Hoc inde clare probatur: quia hic mos loquendi *ne legas sic, sed sic*, non tantum fuit observatus respectu vocalium, sed etiam respectu consonarum. Ex. gr. Ad *Gen.* 49. 22. dicunt, *ne legas* עלי עין, uti in Textu habetur, sed עולי עין. Talia quamplurima exempla possent adferri. Inde tamen non sequitur Talmudistas credidisse consonas non esse descriptas ab ipsis auctoribus librorum. Per consequens hic mos loquendi, *ne legas sic sed sic*, non est natus ex eo vel quia Textus respectu punctorum fuit dubius; vel quia crediderunt puncta non esse prolata ab ipsis Auctoribus librorum. *Secundò* Recentiores Rabbini, qui post Elianam punctorum inventionem vixerunt, etiam sic loquuntur. Quis sanâ mente inde concluderet, eos Rabbinos de verâ legendi ratione dubitasse, aut eorum tempore puncta non exstitisse?

2. Etiamsi nomina vocalium & accentuum expressê in Talmude non allegentur, nihilominus eorundem implicita fit mentio. Hebræi varia loca ex Talmude proferunt, ex quibus hoc conantur probare. Unum atque alterum locum in medium proferre sufficiet.

In Tractatu *Nedarim*, fol. 37. pag. a. disputant Talmudistæ, num liceat docere legem pro mercede? Diverso modo respondent; tandem R. Jochanan ait, licere accipere שְׂכַר פִּסּוּק טְעָמִים *mercedem pro pausis accentuum* docendis. Raschi in margine explicat שֶׁמְּלַמְּדוֹ נִיקּוּד וּטְעָמִים *quia ipsum docet punctationem & accentus*. Ergo actualis punctatio debuit existere: Quomodo enim aliter docere potuissent?

Alter locus invenitur in primo Tractatu Talmudis, *Berachoth* nominato, *fol.* 62. Quærunt ibidem Rabbini: *Quare non abstergantur sordes manu dextra, sed sinistra? Rab Nachman filius Isaaci dixit propterea, quia osten-*

ostendunt eâ טַעֲמֵי תּוֹרָה *accentus Legis.* Vox טַעַם non rem, sive potestatem accentuum, sed ipsum signum denotat; & in tali significatione semper sumitur ab Hebræis. Accentus illi dextrâ, ut referunt, ostendebantur: ergo tempore Talmudistarum Textui Biblico fuerunt adscripti: aliter enim ostendi non potuissent.

3. Fortasse puncta tempore Talmudistarum nondum certa habuerunt nomina, quibus eadem ab omnibus æquali modo denominabantur. In libro *Zohar* expressa quidem nominum accentuum & vocalium fit mentio, sed fortasse illa nomina tum temporis nondum fuerunt ab omnibus recepta & approbata. Deinde si antiquitatem libri *Zohar* in dubium vocaremus, uti facit Capellus, possemus dicere, quod accentus & vocales tum temporis certa nomina nondum habuerint, uti fit in lingua Latina & Belgica. Belgæ enim & Latini solent sono, ut a. e. i. o. u. vocales suas denotare. Quare etiam antiqui Rabbini eodem modo vocales suas exprimere non potuissent?

4. Denique nonnulli ajunt, quod ipsæ figuræ punctorum in Talmude *fuerint expressæ;* quod propterea eadem nominare, non fuerit necessarium. Refert Rabbi Asarias, quod viderit duo exemplaria Misnica, quingentis annis antiquiora, utraque notata punctis & accentibus distinguentibus. Fortasse etiam hodierna punctatio libri Misnajoth, qui editus est Amstelodami anno 1646. secundùm antiquum illud punctatum exemplar est instituta. Vide cap. VI. in lib. Buxtorfii.

Respondeo ad *tertium* membrum. 1. Fortasse Kabbalistæ propterea in dispositione vocalium non quæsiverunt mysteria, quia crediderunt consonas immediatè à Deo esse profectas, & vocales tantum ab Esdra.

2. Kabbalistæ ex vocalibus & earundem permutatione tanta Mysteria elicere non potuerunt: quia consonæ instar materiæ varias formas induere possunt, quum vocales instar formæ omnem sensuum multiplicationem excludant.

3. Falsum est, quod Kabbalistæ antiquiores & recentiores nulla mysteria venati sint ex vocalibus. Suprà ex Zohar, libro antiquo Kabbalistico, conscripto circitèr anno centesimo post Christum, tulimus exempla, in quibus antiquiores Kabbalistæ mysteria elicuerunt ex vocalibus & accentibus. Si quis desideret recentiores Kabbalistas, legat librum Kabbalisticum R. Josephi ben Gecatilja *lib.* 1. qui

locus

locus citatur à Buxtorfio de punctorum antiq. pag. 59. & 60. Ibi inveniuntur varia mysteria, quæ dictus auctor ex vocalibus & earum transpositione elicuit. Dicit enim quinque vocales *Cholem Schurek Chirek Tzere* & *Kametz* nos docere secretum dispositionum totius mundi; *Cholem* respondere mundo supremo sive intelligentiæ, *Schurek* mundo medio, *Chirek* mundo inferiori, &c. Hic auctor ante ducentos præter propter annos vixit. Similiter Rabbi Asarias profert rationem ex Kabbala desumptam, ob quam litera Jod in nomine JEHOVA notetur cum simplici *Scheva*, & non cum *Chateph-patach*. Ex his ergo apparet falsum esse, quod dicunt adversarii, Kabbalistas tam recentes quam antiquos nulla mysteria ex vocalibus exstruxisse.

VII. Pergit Cl. Capellus, & *quartum* argumentum deducit ex antiquâ scripturâ Hebraicâ, quam hodie Samaritanam vocamus. Ut vis hujus argumenti melius intelligatur, explicandum prius est, quid Capellus de antiquis Veteris Testamenti literis statuat. Capellus asserit Judæos fateri literas illas, quibus Biblia à temporibus Esdræ sunt descripta, non esse antiquas Hebræorum literas, quibus Moses & cæteri sacri Scriptores Vetus Test. exararunt: sed è contra statuit hodiernas Hebraicas literas esse antiquas Chaldaicas, quas Esdras, loco antiquarum Samaritanarum literarum recepit. Si Capellus probaverit antiquas Veteris Test. literas fuisse Samaritanas, ultro sequitur, quod puncta vocalium & accentuum non sint ab ipso Mose, & à cæteris Veteris Test. Scriptoribus. Ratio est manifesta: nam literis Samaritanis nunquam puncta vocalium & accentuum fuerunt adscripta.

Respondeo. 1. Falsum est & antiquas literas, quibus Moses cæterique sacri Scriptores in exscribendis libris Canonicis Veteris Test. usi fuerunt, fuisse Samaritanas; & hodiernas esse Chaldaicas, quas Esdras in odium Samaritanorum mutavit. Hoc quidem verum est, quod hodiernæ literæ Hebraicæ non fuerint vulgares, & communiter usurpatæ à Notariis & ab aliis Scribis in exscribendis rebus profanis. Ad res enim profanas exscribendas usi fuerunt literis hodiernis Samaritanis, sed ad sacra Legis exemplaria exaranda utplurimum usi fuerunt charactere hodierno Hebraico. Duplex igitur character ante tempora Esdræ fuit usitatus, scil. Hebræus & Samaritanus: horum prior erat sacer, & rebus sacris exscribendis inserviebat; posterior verò erat profanus, & in rebus vulgaribus exscribendis usurpabatur.

Qui

Qui plura de hâc quæſtione cupit, legat Diſſertationes decimam & undecimam hujus libri. Ibi enim Lector ex profeſſo hanc quæſtionem diſcuſſam videbit.

2 Poſito & non conceſſo has hodiernas Hebraicas literas ab Eſra demum eſſe inventas, & loco antiquarum literarum Samaritanarum, vocalibus ſemper deſtitutarum, ſubſtitutas: inde tamen non ſequitur, quod puncta demum ſint inventa à Maſorethis Tyberienſibus. Hoc quidem tum evinceretur, quod puncta non ſint adſcripta ab ipſis librorum Auctoribus; ſed nullo modo probaretur, quod eadem non ſint addita ab Eſra Propheta. Nos maxime illud probabile eſſe judicamus: ſi Ezras hodiernas literas invenerit, quod ſimul etiam iiſdem novis literis puncta, ut literas novas lectu difficiles faciliores redderet, addiderit. Saltem non ſequitur, etiamſi ſtatuamus literas Samaritanas fuiſſe antiquas & punctis deſtitutas, quod puncta demum ſint inventa & addita à Maſorethis. Elias Levita, primus Maſoretharum excogitator, ſcivit quidem procul dubio hanc quæſtionem de antiquitate literarum in Talmude moveri; non tamen iſto elumbi argumento, ad novitatem punctorum defendendam, uſus fuit.

3. Nondum probatum eſt antiquas literas Samaritanas ante tempora Ezræ punctis vocalium & accentuum ſemper caruiſſe: hodiernæ quidem literæ Samaritanæ illis carent, inde tamen non probatur, quod ſemper iiſdem caruerint.

4. Probandum etiam ipſis incumbit, hodiernas literas Hebraicas, ſi concederemus eaſdem fuiſſe Chaldæorum literas, olim ſemper fuiſſe punctis deſtitutas. Quare Chaldæi non potuiſſent eodem modo ſcripturam ſuam conſonis & vocalibus exarare, quemadmodum Hebræorum ſcriptura jam exaratur? Quod Chaldæi etiam vocales adhibuerint, hoc inde probabiliter evincitur: quia nomina vocalium, ex ſententia adverſariorum, ſunt Chaldaica: & per conſequens veroſimilius eſt eaſdem vocales ab illis Chaldæis fuiſſe inventas, quam à Maſorethis Tyberienſibus.

VIII. *Quintum* argumentum, quod pro Novitate punctorum à Capello Capite ſeptimo adfertur, eſt deſumptum ex notis marginalibus, quæ vulgo קְרִי וּכְתִיב (*Keri uketif*) nominantur. Hæ notæ marginales, quæ ab Elia Levita numerantur 848. verſantur circa conſonantes, & nulla earum circa vocales aut accentus. Sed ſi vocales ſemper aut ſaltem Ezræ temporibus fuiſſent conſonantibus ſubſcri-

ptæ, etiam hæ notæ marginales habuissent rationem non tantum consonarum sed etiam vocalium & accentuum. Nam hæ notæ sunt valde antiquæ, & nonnullæ earum antiquiores sunt ipso Talmude, congesto circa quintum à nato Christo seculum. Sive jam dicamus notas illas *Keri uketif* esse à Mose & à cæteris sacris Scriptoribus; sive esse correctiones vocum vitiosè scriptarum; sive ex Codicum variorum inter se collatorum dissensione ortas, nihil attinet: nam variæ illæ lectiones nihilominùs fuissent observatæ, & quidem sæpius circa vocales & accentus, quam circa consonantes. Puncta enim corruptioni magis sunt obnoxia, quam ipsæ literæ: & per consequens, cum notæ hæ non recordentur vocalium, etiam puncta Textui Hebraico eo tempore non videntur fuisse adscripta.

Respondeo. 1. Si statuamus Ezram esse auctorem punctorum, & simul secundùm sententiam Judæorum notarum marginalium annotatorem, tum nullæ potuerunt observari variæ lectiones circa vocales & accentus, natæ ex variorum Codicum discrepantia. Nam tum temporis nondum Biblia fuissent punctis vocalium & accentuum ornata: ergo etiam non potuerunt fuisse notæ circa illa puncta. Nam Esras à solutâ captivitate Babylonica, postquam Codices omnes considerasset, & inter se contulisset, variasque notas circa consonantes annotasset, puncta consonantibus subjecisset: & propterea nullas varias lectiones circa vocales potuisset observasse.

2. Si dicamus puncta esse à Mose & à cæteris Auctoribus librorum, tum dicendum est puncta non semper fuisse omnibus Bibliis adscripta; sed tantum illis, quæ hic & alibi in Judæorum Synagogis fuerunt conservata; quorum Bibliorum puncta non tam facile mutationi & corruptioni obnoxia fuerunt. Verum quamplurima Biblia, quæ in populi manibus versabantur, constabant tantum consonantibus, & paucissima punctis: & propterea notas circa vocales non observarunt. Fortasse etiam Biblia punctata, quæ pauca fuerunt, tempore captivitatis Babylonicæ fuerunt disrupta, & igne aliove modo perdita, & ab Esdra additis punctis in pristinum statum restituta.

3. Esras non est auctor omnium notarum marginalium, sed multarum inventores fuerunt Masorethæ Tyberienses, & alii recentiores Rabbini, qui Masorethas sequuti sunt. Quare etiam nullus ipsorum notam marginalem circa vocales annotavit? An propterea, quia Textus non fuit punctatus? Non dicet hoc Capellus. Quare igitur illas

illas notas marginales ſicco pede tranſierunt? Ratio aliqua debet aſſignari, aliter Capelli objectio nos non ferit. Non putem Capellum defenſurum eſſe omnes illas 1826. notas marginales, quarum in nova ſua Critica mentionem facit, eſſe inventas ab Eſra Propheta, vel à famoſis illis Maſorethis. Si jam concedatur nonnullas notas marginales eſſe inventas poſt tempora Maſoretharum: Quare illi Rabbini etiam in notis marginalibus rationem punctorum non habuerunt?

4. Falſum eſt, quod hæ notæ marginales etiam non fuerint obſervatæ circa quaſdam vocales: contrarium enim evincitur ex omnibus illis locis, in quibus vocales ſcribuntur in Textu, & conſonantes in margine. Exemplum unum inter cætera occurrit Ruth *Cap.* 3. *v.* 5. ubi in Textu ſcribuntur duæ vocales, ſcil. Tzere & Patach, quibus nota marginalis adſcripta eſt, quæ indicat Maſorethas etiam fuiſſe occupatos circa vocales: nam judicant illas vocales eſſe legendas per vocem Hebraicam אֵלַי *ad me*. Ex hoc & ex ſimilibus locis probabiliter quis probare poteſt puncta non tantum eſſe ab Ezra Propheta, ſed ab ipſis Auctoribus librorum; ſi nempe ſtatuamus tales notas marginales eſſe additas ab Ezra. Nam Ezras hæc puncta conſideravit, & cogitavit aliquem poſſe hæc puncta fortè aliter explicare; ideo notam marginalem addidit, ne quis illam vocem aliter explicaret. Nemo facile dicet hæc puncta conſonantibus eſſe interpoſita à Maſorethis Tyberienſibus, vel à vulgari quodam Rabbino. Quis Rabbinorum tam audax fuiſſet, qui ſacrilegas ſuas manus in Textum ſacrum injicere unquam auſus fuiſſet? Præterea, ſi talia puncta à vulgari quodam Rabbino conſonantibus, in nonnullis locis, eſſent interpoſita, procul dubio fuiſſent aliqui, qui hæc puncta vel ex Textu ejeciſſent, vel auctores eorundem temeritatis accuſaſſent. E contra exiſtimo illas interpoſitas vocales ab ipſis Auctoribus librorum compendii causâ eſſe adſcriptas: quod ſi hoc verum ſit, pondus addetur ſententiæ noſtræ. Illæ vocales ſolæ, in Textu Hebræo occurrentes, ſunt quaſi abbrevaturæ Hebraicæ; & non mirum eſt Auctores in nonnullis locis abbreviaturas quaſdam adſcripſiſſe. Abbreviaturæ enim in omnibus linguis ſunt uſitatæ: ex. gr. Latinorum filii per vocalem ē cum linea ſuperſcripta denotant *eſt*, & per ō indicant *non*, & ſic porro. Tales & ſimiles abbreviaturæ vocalium videntur temporibus Prophetarum fuiſſe uſitatæ. Sed hodiernæ abbreviaturæ Hebraicæ nonniſi reſpectu conſonarum ſunt: quia Rabbini nunc commentaria

& epiſtolas ſuas abſque punctis vocalium & accentuum conſcribere ſolent. Vide ſimilia puncta, conſonantibus deſtituta Judic. 20. 13. Ruth. 3. 17. 2 Sam. 8. 3. & Cap. 16. v. 23. & Cap. 18. v. 20. &c.

DISSERTATIO DECIMA-SEXTA, *QUÆ EST* DE

Genuinâ Punctorum Vocalium & Accentuum in Veteri T. Antiquitate.

PARS QUARTA & ULTIMA.

§. 1. *Sequuntur argumenta ex hiſtoria, ſive ex antiquis ſacrorum Bibliorum tranſlationibus petita.*

2. *In ſpecie probat Capellus novitatem punctorum ex verſione LXX. Interpretum.*

3. *Hiſtoria illius verſionis breviter deſcribitur.*

4. *Hodierna verſio Græca non eſt antiqua famoſa verſio.*

5. *Titulus verſioni Græcæ præfixus non probat eam verſionem eſſe antiquam.*

6. *Diverſitas verſionis Græcæ à contextu Hebræo oſtenditur variis exemplis.*

7. *Abſurda conſequentia elicitur ſi dicamus hodiernam verſionem Græcam eſſe antiquam.*

8. *Fortè fuerunt quidem alicubi Biblia punctata, quibus tamen Interpretes non fuerunt uſi vel propter raritatem, vel propter nimiam confidentiam, &c.*

9. *Argumentum à paraphraſibus Chaldaicis deſumptum habet duas partes*

10. *Hiſtoria Paraphraſium deſcribitur.*

11. *Paraphraſium in genere & Onkeloſi in ſpecie differentia à Textu Hebræo etiam eſt reſpectu conſonarum. Earum differentiarum cauſæ variæ aſſignantur.*

12. *Cauſæ dantur quare vocales non ita ſint neceſſariæ in Paraphraſibus quam quidem in Textu Hebraico V. T.*

13. *Argumentum Capelli, quod ex verſione Hieronymi elicit, eſt bimembre.*

14. *Verſio Vulgata non eſt Hieronymi verſio. Hieronymus videtur uſus codice punctato.*

15. *Non ſequitur: Hieronymus non fecit mentionem punctorum, ergo ejus temporibus non extiterunt Biblia punctata.*

16. *Concluſio totius quæſtionis.*

SECTIO

Sectio I.

Uperiori Dissertatione discussimus quinque argumenta pro novitate punctorum vocalium & accentuum adferri solita, quæ desumpta erant à variis testimoniis. Jam sequitur argumentum *sextum*, ex historia petitum, hoc est, ex antiquis sacrorum Bibliorum translationibus in genere, & ex Lxx Interpretum versione Græcâ in specie; & quidem tali modo. Nulli Auctores translationum sive Græci fuerint, sive Latini, sive Chaldæi, sive etiam ipse Hieronymus, usi fuerunt Bibliis Hebraicis punctatis: ergo tum temporis Biblia punctata non extiterunt. Nam si talia punctata Biblia extitissent, procul dubio Interpretes, & præcipuè illi Lxx, qui vocati erant à Ptolomæo Rege, & à Synedrio magno deputati ad versionem Græcam adornandam, talibus punctatis codicibus usi fuissent.

II. In specie Capellus urget versionem Lxx Interpretum Græcam, quam septuaginta Interpretes ex Bibliis non punctatis adornarunt; quod clarè evinci videtur ex multis locis, in quibus voces aliter fuissent transferendæ, si punctatæ fuissent, quàm jam translatæ sunt.

Nonnullas voces, ut vis argumenti clarius innotescat, in medium proferemus: ex. gr. *Psal.* 7. *v.* 7. in Textu Hebraico occurrit אֵלַי *ad me*, cum Tzere & Patach: Lxx Interpretes legerunt אֵלִי *Deus meus* cum Tzere & Chirek; & propterea verterunt per ὁ Θεός μου.

Sic *Psalmo* 40. *v.* 5. invenitur verbum שָׂם *posuit* cum Sin & Kametz. Hoc verbum Lxx. Interpretes transtulerunt per τὸ ὄνομα *nomen*, quasi in Textu Hebræo scriptum fuisset שֵׁם *nomen*, cum Schin & Tzere.

Similiter *Psalmo* 91. *v.* 3. legitur nomen מִדֶּבֶר *à peste*, cum duobus Sægol: Lxx Interpretes putarunt esse מִדָּבָר *à sermone*, cum duobus Kametz: & propterea transtulerunt per ἀπὸ λόγου *à sermone*. Centena fortè talia loca adferri possent, si necessitas rei exigeret.

Ex his omnibus exemplis concludit Capellus, quod illi Lxx. Interpretes non fuerint usi textu punctato: nam si eo usi fuissent, voces illas supradictas aliter interpretati fuissent: & per consequens Biblia tempore Lxx Interpretum non fuerunt punctata. Et si Biblia

eo tempore non fuerint punctata: ergo puncta non sunt addita à Mose vel ab Ezra. Ratio est manifesta: nam Lxx. Interpretes aliquot sæculis post Ezram vixerunt.

III. Antequam in specie ad hanc objectionem respondeamus, prius quædam, historiam versionis Lxx. Interpretum concernentia, præmittenda erunt.

1. Versio Græca Lxx. Interpretum adornata fuit trecentis circitèr annis ante nativitatem Christi.

2. In causa hujus versionis procatarctica assignanda omnes non conveniunt Nonnulli statuunt ipsos Judæos Alexandrinos, quia Textum Hebræum non intelligebant, petiisse ab aliis Judæis, linguæ Hebrææ & Græcæ peritis, ut Textum Hebræum in linguam Græcam transferrent. Sunt alii, qui eam versionem adscribunt Ptolomæo Lago Regi Ægyptiorum. Denique sunt nonnulli, qui judicant filium hujus superioris Regis, scil. Ptolomæum Philadelphum quosdam convocasse ad versionem hanc componendam; & quidem eum in finem, ut Bibliothecam suam, quam Alexandriæ extruxerat, & quam 50. vel ut alii volunt, 70. millibus voluminum impleverat, etiam hoc sacro libro exornaret.

3. Hæc versio communiter quidem vocatur versio Lxx. Interpretum, sed multi hunc Interpretum numerum in dubium vocant, putantes non fuisse Lxx. Interpretes. Quare in dubium vocant? Quia numerus septuagenarius à Judæis videtur effictus. Quare? Quia Judæi semper multa mysteria ex hoc numero fuerunt expiscati. Quare? Quia Synedrium maximum Hierosolymæ congregatum Lxx. Viris constabat. In Talmude expresse dicitur, quod tantum quinque Seniores Legem transtulerint Regi Ptolomæo. Idem etiam statuit R. Azarias, qui fortasse suam sententiam inde deprompsit. Auctores, qui statuunt hanc versionem esse translatam à Lxx Interpretibus, semper intelligunt Lxxii. sed brevitatis causa sumunt numerum rotundum pro non rotundo. Nos hunc Interpretum numerum sic conciliamus: Lxxii Viri, in Synedrio Hierosolymitano congregati, deputarunt ex petitione Regis Ptolomæi quinque viros ex eodem collegio, qui Alexandriam profecti, Textum Hebræum in linguam Græcam transtulerunt. Vocatur ergo communiter opes 70. vel 72. Seniorum, quia ipsorum auctoritate hæc versio translata est. Sæpè opus aliquod toti collegio adscribitur, cujus tantum pauci ad id delegati

gati auctores sunt. A nonnullis versio Græca appellatur opus quinque Seniorum, quia quinque Seniores, à Synedrio toto Alexandriam missi, hoc opus actualiter effecerunt.

4. Corruit jam ultro fabula illa de LXXII cellulis sive ædiculis, quibus singuli Interpretes tam diu inclusi fuissent, usquedum singuli totam versionem ad umbilicum perduxissent. Justinus Martyr, hujus fabulæ præcipuus effictor, dicit se in insula Pharo, dissita septem stadiis ab Alexandria, adhuc rudera & vestigia illarum ædicularum vidisse. Sed Interpretes Græci, quotquot fuerint, simul convenerunt in Regia sive magna quadam domo, in qua communi operâ versionem hanc Græcam adornarunt.

5. Fabulantur etiam, cum dicunt singulos ex LXXII. Interpretibus totam versionem spatio LXXII. dierum composuisse.

6. Admodum hallucinantur, quando ajunt omnes Interpretes, etiamsi in distinctis cellulis sederint, nihilominus convenisse non tantum in verbis & phrasibus, sed etiam in omnibus punctis, distinctionibus sententiarum, & in aliis rebus. Philo propter illam convenientiam eos numine Prophetico fuisse indutos asserit. Sed non mirum est omnes Interpretes consensisse, cum simul hanc versionem composuerint. Errant ergo, qui eos propterea Prophetas vocant. Bellarminus peculiarem Spiritus sancti assistentiam illis tribuit, ne quâ in re errarent. Augustinus putat eundem Spiritum Propheticum in LXXII. Interpretibus fuisse, qui fuit in Prophetis.

7. *Fabulâ unâ admissâ* adhuc aliæ inde nascuntur. Plerique, qui statuunt exacté fuisse LXXII. Interpretes, non tantum defendunt ex duodecim tribubus Jacobi Patriarchæ viros senos ad Ptolomæum esse ablegatos, (sexies enim duodecim sunt LXXII) sed etiam nomina singulorum Interpretum enumerant: verbi gratia: Ex tribu Juda hi sex Interpretes missi fuissent: Josephus, Ezechias, Zacharias, Johannes, Ezechias alter, Elisæus. Ex tribu Gad Nehemias, Josephus, Theodosius, Baseas, Ornias, Datis. Totidem ex reliquis tribubus.

8. Præterea opinantur hos LXXII. Interpretes fuisse Assessores sive Seniores magni illius Sanhedrin, quod Hierosolymis ad negotia ecclesiastica & civilia decidenda erat congregatum. Hoc totum collegium unà cum omnibus viris Hierosolymâ Alexandriam migrasset, & clavum imperii tam diu deposuisset. Sed quis non videt totam hanc historiam multis fabularum involucris esse involutam? Nam

Sanhe-

Sanhedrin Judæorum post solutam captivitatem Babylonicam non amplius ex duodecim tribubus, sed solummodo ex tribu Judæ constabat.

9. Quia nonnulli tot fabulis fidem adhibuerunt, ideo etiam hæc versio magni à multis fuit æstimata. Singulis annis in memoriam hujus versionis adornatæ à Græcis & Ægyptiis anniversarium festum in insula Pharo fuit celebratum.

10. Judæi Græci longo tempore in Synagogis suis hanc translationem Græcam singulis Sabbathis publice prælegerunt.

11. Circa annum à nato Christo 552. maximæ rixæ, occasione hujus versionis, inter Judæos obortæ sunt: quia quidam Textum Hebræum, alii vero Textum Græcum in Synagogis prælegendum esse contendebant. Ecclesiæ Græcæ & Latinæ magni semper Græcam versionem fecerunt. Latini versione Latinâ, translatâ ex versione Græca, quadringentis annis in ecclesiis suis usi fuerunt, & dogmata sua exinde probarunt: quia judicabant versionem illam Græcam divinitùs esse inspiratam.

12. Hæc voluimus hic obiter de versione Lxx Interpretum præmittere: tum quia ejus historia etiamsi jucunda non ubivis obvia est; tum etiam, quia maximopere necessaria est ad solvendam Cl. Capelli objectionem. Vide plura de versione Græca in Philologo Hebræo-Mixto Dissert. 2. 3. 4.

IV. Respondeo *primò*. Nego hodiernam Lxx Interpretum versionem Græcam esse eandem illam versionem, quam famosi illi Interpretes jussu Ptolomæi Philadelphi transtulerunt: illa enim versio diu, si non in totum, saltem magnâ ex parte periit. Præterea versio hæc hodierna, quæ specioso hoc Lxx Interpretum titulo circumfertur, est mixta ex aliis versionibus Græcis. Celebris illa antiqua translatio Græca cum ipsis fontibus Hebræis maximè conveniebat: nam, antequam in Regiam Bibliothecam inferebatur, à quamplurimis fuit discussa, & ad Hebræum Textum examinata, & ab omnibus fuit acclamatum, Textum sanctè & fideliter esse translatum; & propterea nihil ei esse vel addendum, vel ex eodem delendum. Verum versio hodierna Græca mirum in modum dissentit à fonte Hebræo; plurima enim sunt addita, plurima etiam adempta & mutata, prout statim videbimus.

Deinde adhuc disputant & quærunt eruditi; Utrum Interpretes illi

illi transtulerint totum Vetus T. an vero tantum Legem Mosaicam? Nonnulli conantur probare quod Josephus statuerit illos Interpretes Legem tantum transtulisse. In hac sententia videntur etiam fuisse doctores Talmudici. Etiam multi ex Christianis assentiuntur Talmudicis. Si igitur Interpretes illi tantum verterint Mosis Pentateuchum, uti nonnulli volunt, ergo argumentum Capelli tantum stringeret respectu Pentateuchi Græci, & quidem tum demum, quando prius probatum erit, textum Pentateuchi Græci esse illum eundem textum, quem supradicti Interpretes composuerunt.

Denique nondum consentiunt Doctores in Codice, ex quo Interpretes textum Græcum interpretati fuissent: nonnulli asserunt eos ex Hebræo Codice textum Græcum vertisse, alii ex Chaldæo, alii verò ex Samaritano. Multis verosimile videtur eos Samaritano Pentateucho in translatione sua usos fuisse: quia est maxima convenientia inter textum Samaritanum & inter textum Græcum; imo in multis locis est major convenientia quàm inter Textum Hebræum & Græcum.

Plurimis exemplis possem, si opus esset, probare majorem esse convenientiam inter Textum Samaritanum & Græcum, quàm inter Hebræum & Græcum; sed uno atque altero exemplo hoc ostendisse sufficiet: ex. gr. *Genes.* 4. 8. relinquitur spatium aliquod vacuum in multis Bibliis Hebraicis, & quidem in medio illo versu, quasi ibi voces quædam deessent. Textus Samaritanus hunc hiatum supplet his vocibus נֵלְכָה הַשָּׂדֶה *eamus in agrum*, quas versio Græca ita transfert, *διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον.* Inde videmus majorem in illo octavo versu esse convenientiam inter Textum Græcum & Samaritanum, quam inter Græcum & Hebræum.

Similiter *Gen.* 3. 6. Textus Hebræus habet וַיֹּאכַל *& comedit*, Samaritanus ויאכלו *& comederunt*, & Græcus *καὶ ἔφαγον & comederunt.*

Sic etiam *Deut.* 1. 28. in Textu Hebræo est וָרָם *& Altus*, in Samaritano ורב *& multus*, & in Græco *καὶ πολύ.* Vide plurima alia exempla in Thesauro Philol. Hottingeri pag. 294. & seqq.

Ex his videre est, quomodo illi, qui statuunt Interpretes Græcos usos fuisse Textu Samaritano, sententiam suam confirment. Saltem ex his exemplis apparet, quod hodierna versio Græca non sit eadem illa famosa antiqua translatio, vel quod Interpretes illi in multis locis Pentateuchi sequuti fuerint textum Samaritanum; vel quod versio-

sionem suam adornarint ex textu aliquo valde corrupto, vel quod nimiâ licentiâ in versione sua usi fuerint, scilicet addendo vel adimendo pro lubitu quæcunque placuerint.

V. *Dicet* fortè aliquis sine causa negari, quod versio hodierna Græca sit composita à Lxx Interpretibus: nam ipse titulus hoc satis indicat. Etiam Græca versio, quæ anno 1653. Londini, juxta exemplar Vaticanum, olim Romæ editum, excusa est, hunc titulum præ se fert, ἡ παλαιὰ διαθήκη κατὰ τοὺς ἑβδομήκοντα, hoc est, *Vetus testamentum* Græcum *ex versione septuaginta Interpretum*. *Resp*. Illa versio Græca nomine quidem vocatur versio Lxx Interpretum, sed non reipsa: illa enim versio antiqua magnâ ex parte periit, prout multi ostenderunt. Similiter versio Vulgata Pontificiorum à multis etiam Hieronymo adscribitur, & Hieronymiana vocatur, quum tamen certum sit ipsum Hieronymum illam non composuisse.

VI. Respondeo *secundò*. In versionem Lxx Interpretum non tantum occurrit disconvenientia, quæ orta est ex diversitate vocalium, sed etiam maxima discrepantia à contextu Hebræo conspicitur in consonantibus & integris sententiis.

Nonnunquam pro *Beth* legerunt *Zain*: ex. gr. *Jes*. 60. 15. in Textu Hebræo occurrit וְאֵין עוֹבֵר *& non est transiens*, versio Lxx Interpretum transfert per καὶ οὐκ ἦν ὁ βοηθῶν *& non est adjuvans*, quasi in fonte Hebræo scriptum esset וְאֵין עוֹזֵר.

Proverb. cap. 28. v. 28. invenitur Verbum, quod Interpretes, adjungendo literam Mem per Prosthesin, interpretati sunt per Nomen. Textus Hebræus ait בְּקוּם רְשָׁעִים *surgentibus improbis*, quæ Interpretes Græci transtulerunt per ἐν τόποις ἀσεβῶν *in locis impiorum*, quasi in Textu Hebræo esset nomen במקום *in loco*.

E contra *Hosea* cap. 14. v. 3. abjiciendo per Aphæresin literam Mem, Lxx Interpretes plane diversum ex Textu elicuerunt sensum. Textus Hebræus habet וּנְשַׁלְּמָה פָרִים שְׂפָתֵינוּ *& rependemus juvencos labiis nostris*, quæ Textus Græcus Interpretatur per καὶ ἀνταποδώσομεν καρπὸν χειλέων ἡμῶν *& reddemus fructum labiorum nostrorum*, ac si Propheta scripsisset פְּרִי *fructus*. Centena similia loca in Textu Græco occurrunt, in quibus est discrepantia à Textu Hebræo respectu consonarum.

Præter hanc diversitatem invenitur adhuc multo major disconvenientia à Textu Hebræo: quapropter nonnulli concludunt illos Inter-

ter-

terpretes linguam Hebraicam ejusque Grammaticam non bene calluisse. Aliquando Græci Interpretes nomina Appellativa explicarunt per Propria: ex. gr. *Nehem.* cap. 7. v. 70. legitur כְּתְנוֹת כֹּהֲנִים *tunicæ Sacerdotum,* quæ Lxx Interpretes verterunt per χοθωνὼθ τῶν ἱερέων; ac si esset nomen Proprium.

E contra *Levit.* cap. 18. v. 21. לַמֹּלֶךְ *Moleco*, nomen Proprium, verterunt per nomen Appellativum, scil. per ἄρχοντι *dominanti*,

Aliquando Interpretes Græci sensum inconvenientem vocibus per se claris affinxerunt: ex. gr. 1. *Sam.* 25. 11. occurrit מֵימַי *aquas meas*, Lxx Interpretes explicarunt per τὸν οἶνον μου *vinum meum*.

Sæpe dicti Interpretes vocibus Hebraicis Chaldaicum, Syriacum vel Arabicum sensum indiderunt; quod quidem non mirum est: nam tum temporis nitor linguæ Hebraicæ per vicinarum linguarum confusionem quodammodo perierat: ex. gr. *Jes.* 53. 10. legitur vox דַּכְּאוֹ *conterere ipsum*, quam Lxx Interpretes ex Chaldaica hujus verbi significatione transtulerunt per καθαρίσαι αὐτὸν *purgare eum*. Nam דְּכָא Chaldaicé denotat *purum esse, purgari*: sed Hebraicè significat *conterere*.

Haud raro plane falsum effinxerunt sensum: verbi gratia *Jonæ* 3. 4. Textus Hebræus ait, *Adhuc* QUADRAGINTA DIES *& Nineve subvertetur*: versio Lxx Interpretum habet ἔτι τρεῖς ἡμέραι *adhuc tres dies*. Quanta hic differentia sive potius falsitas occurrit? Hinc jam videmus argumentum Cl. Capelli desumptum à versione Lxx Interpretum planè in fumum abire.

VII. Respondeo *tertiò*. Posito, sed non concesso, hanc hodiernam Græcam versionem esse illam, quam Lxx Interpretes composuerunt, inde tum sequeretur Textum Hebræum jam esse corruptum. Ratio est: quia versio illa Græca olim optimè cum Textû Hebræo conveniebat, sed jam multùm ab eodem differt: & per consequens, hæc versio Græca vel non est eadem cum antiqua, vel Textus Hebræus jam est corruptus: sed hoc posterius nemo ex Reformatis facile concedet. Vel dicendum est illos Interpretes nimiâ cum licentiâ vel potius ignorantiâ versionem suam adornasse, vel eosdem fuisse usos in translatione sua Bibliis corruptis & vitiosè punctatis. Judæi eo tempore, quo hæc versio Græca fuit adornata, admodum socordes fuerunt circa Legis studium, & circa ejusdem puram conser-

vationem: & propterea non mirum esset, si Interpretes illi corrupto codice fuissent usi. Præterea illis temporibus lingua Hebraica non amplius erat plebi vernacula in communi sermone. Etiam in publicis synagogis Lex Chaldaicè propter ignorantiam linguæ Hebraicæ exponebatur. Non mirum ergo quod Bibliorum Hebraicorum illis temporibus tam accurata ratio non sit habita, quàm quidem tum, cum lingua Hebraica Judæis erat vernacula.

VIII. Respondeo *quartò*. Potuit fieri, ut alicubi fuerint Biblia punctata, quibus tamen Interpretes illi non fuerunt usi propter raritatem exemplarium. Vel Interpretes Græci, ut viri docti & in sacris optime versati, propter nimiam confidentiam, voluerunt subsidio punctorum carere; & sic facile potuerunt voces quasdam contra punctationem receptam legere. Vel ex sententia quorundam ita à recepta punctatione in quibusdam vocibus recesserunt Interpretes; quia Græcis, utpote Gentilibus, non ausi fuerunt verum Legis sensum, quem punctatio exhibet, tradere. Ratio est: quoniam puncta pertinent ex sententia Judæorum ad Legem Oralem, quam Gentiles docere Judæis semper prohibitum fuit. Ex his responsionibus clare apparet argumentum, ex versione LXX Interpretum petitum, esse elumbe & stramineum.

IX. Cl. Capellus punctorum novitatem conatur *septimò* probare ex Paraphrasibus Chaldaicis, præcipuè Onkelosi in Pentateuchum, & Jonathæ in Prophetas; & quidem duplici modo.

1. Illi Paraphrastæ usi fuerunt in versionibus suis adornandis Bibliis non punctatis: hoc ita esse, manifestum fit ex multis vocibus, quæ, si in Textu Hebræo punctatæ fuissent, aliter fuissent translatæ ab illis Paraphrastis:

Ex. gr. *Hos.* cap. 11. v. 12. occurrit וְעִם קְדוֹשִׁים *& cum sanctis*, quæ Jonathan vertit per עַמָּא קַדִּישָׁא *populus sanctus*, ac si legisset pro עִם cum Chirik, עַם Cum Patach, quod significat *populum*.

Sic *Zachariæ* cap. 14. v. 5. in Textu Hebræo invenitur וְנַסְתֶּם *& fugietis*, cum Patach sub Nun; quod Paraphrastes interpretatur per וְיִסְתְּתִים *& obturabitur*, quasi in fonte Hebræo scriptum fuisset וְנִסְתַּם *& occlusum est*, cum Chirek sub Nun. Hæc loca quidem non adferuntur à Capello, sed ex talibus similibusque exemplis argumentum suum illustrare & urgere debet. Si ergo Biblia Hebraica tum temporis fuissent punctata, illi Interpretes procul dubio iisdem fuissent usi:

sed

ſed non fuerunt uſi: aliter enim tam abſurdè has ſimilesque voces non tranſtuliſſent.

2. Illi Paraphraſtæ non videntur verſionem ſuam ex Bibliis punctatis adornaſſe: aliter enim Paraphraſes ſuas etiam punctaſſent: ſed eaſdem non punctarunt, conſentientibus omnibus Judæis & Chriſtianis.

X. Reſpondeo *primò* in genere. Antequam duas illas Capelli objectiones ſolvamus, prius quædam de Paraphraſibus Chaldaicis in genere dicenda ſunt, quæ ſolutioni argumentorum plurimam lucem adferent.

Paraphraſis Chaldaica propriè hic ſignificat verſionem Chaldaicam factam ex Textu Hebraico, quam Hebræi unica voce vocant תַּרְגּוּם *Thargum* à תִּרְגֵּם *expoſuit.*

Onkeloſus, qui eſt auctor verſionis Chaldaicæ in Legem, vixit, ſecundùm communem opinionem, paulo poſt Chriſtum: Jonathan vero, qui tranſtulit Prophetas Anteriores & Poſteriores, vixit paulo ante Chriſtum.

3. Hæ Paraphraſes magni fiunt à Judæis. Ipſarum enim auctores à Talmudiſtis, tanquam Viri Divini, ſimul cum tranſlationibus ſuis ſunt canonizati: tum quia doctrinam ſuam à Prophetis; ſcil. à Zacharia, Haggæo & à Malachia dicuntur accepiſſe; tum etiam quia tot tantaque miracula facta ſunt parturientibus Paraphraſtis fœtum ſuum Chaldaicum. Cum enim Jonathan Prophetas transferret, tota Palæſtina terræ motu dicitur concuſſa; & vox cœlitus delapſa, quæ rogabat; *Quis eſt iſte, qui filiis hominum arcana mea revelat?* Præterea ſi forte muſca vel aliquod aliud volatile Jonathæ in vertendo moleſtias aliquas pareret, ilico, illæſo ipſo vel ipſius chartâ, volatilia illa cœlitus exuſta fuerunt.

4. Paraphraſes Chaldaicæ ſunt variæ: tres ſunt compoſitæ in Pentateuchum. Prima eſt Onkeloſi. Secunda Paraphraſis vulgò Jonathæ, qui Prophetas tranſtulit, adſcribitur: ſed nomine Jonathæ falsò indigitatur, cum quædam contineat, quæ diu poſt tempora Jonathæ acciderunt. Tertia Paraphraſis eſt tranſlata à quodam incerto auctore, quæ vulgo vocatur Thargum Hieroſolymitanum. Quarta Paraphraſis eſt in Prophetas anteriores & poſteriores, cujus auctor eſt Jonathan. Auctores, qui Paraphraſes Chaldaicas in cæteros libros compoſuerunt, non ſunt noti. Liber Eſtheræ bis in linguam

Chaldaicam translatus est; sed è contra tres libri, scil. Ezras, Nehemias & Daniel ex linguâ Hebræâ in Chaldaicam translati non inveniuntur.

5. Paraphrastæ, præcipué posteriores, nimium fabulis Talmudicis indulserunt: sed è contra nonnunquam abstrusissima mysteria ita acu tetigerunt, ut meritò aliquando Talmudistæ coacti fuerint dicere: *Nisi Targum illius loci esset nesciremus, quid textus sibi vellet, nec sensum ejus intelligeremus.* Vide plura de Paraphrasibus Chaldaicis in Bechinath Happeruschim Schickhardi Disp. 1. & 2. & in Philologo Mixto Dissert. 5. 6. 7.

XI. *Respondeo* in specie ad *primam* objectionem. 1. Hæc discrepantia à Textu Hebræo in Paraphrasibus non tantum observatur respectu vocalium, sed etiam respectu consonarum, quæ videtur orta ex Codicum pugnantia. Ipse quidem Capellus talem varietatem circa consonas concedit, sed ait varias lectiones respectu vocalium esse frequentiores. Sed regero: In totâ Paraphrasi Onkelosi vix unum exemplum invenitur, in quo observatur varia interpretatio, quæ originem sumpsit ex vocalibus. Sed posito, quod in Jonathane sint plures falsæ interpretationes natæ ex vocalibus, quàm quæ natæ sunt ex consonantibus, inde tamen non sequitur, quod Interpretes transtulerint Textum Chaldæum ex Bibliis non punctatis: nam non mirum est, quod differentiæ respectu vocalium sint frequentiores, cum in universum in Bibliis punctatis vocales consonantibus sint corruptioni obnoxiores.

2. Onkelos, qui pleraque de verbo ad verbum transtulit, nonnunquam sententias aliquas addidit; ita ut in illis locis non tam simpliciter Interpres, quam quidem Paraphrastes videatur esse: ex. gr. *Genes.* 4. 8. adduntur hæc verba: *Eamus in agrum*, quæ tamen in Textu Hebræo non habentur. Jonathan ubique fere aliquot voces explicationis ergo addit. Ex Jonathæ igitur Paraphrasi non potest probari Textum olim vocalibus fuisse destitutum, quia hîc & alibi aliquando Textum secundùm aliam punctationem explicavit. Onkelos aliquando vocibus plane alium sensum indidit, etiamsi easdem forte legitimis vocalibus legerit: ex. gr. *Genes.* 49. 11. occurrit nomen עִירֹה *asellus ejus*, quod Onkelos transtulit per לְקַרְתֵּיהּ *civitatem ejus*; cum tamen hæc explicatio sit contra sensum. Ex his sequitur quod omnis differentia Textus Chaldaici à Textu Hebraico non sit orta

ta

ta ex eo, quod Textus Hebraicus non fuerit punctatus.

Quæret fortè nonnemo: Unde natæ sunt illæ discrepantiæ inter Textum Hebræum & versionem Chaldaicam? *Resp.* Causæ illarum discrepantiarum multæ & variæ possunt assignari. 1. Quia Interpretes multis in locis sectati sunt, omisso sensu literali, sensum allegoricum & mysticum. 2. Quia iidem usi fuerunt Bibliis corruptis sive vitiose punctatis. 3. Quia Interpretes illi judicarunt sensum alium cum antecedentibus & consequentibus melius convenire. 4. In nonnullis locis hæc discrepantia fortasse exinde est orta, quia Paraphrastæ propter exemplarium punctatorum raritatem ex non punctato versionem suam adornarunt.

XII. *Respondeo* in specie ad *secundam* objectionem Capelli, quâ probat Textum Hebræum non fuisse punctatum, quia Interpretes illi Paraphrases suas non punctarunt. Punctatio in Textu Chaldaico ad veram ejus lectionem percipiendam non fuit tam necessaria, quàm quidem in Textu Hebraico; & quidem propter has sequentes rationes.

1. Quia lingua Chaldaica, sive proprie loquendo Syriaca, tempore Salvatoris nostri erat Judæis vernacula sed non lingua Hebraica: ergo puncta in Paraphrasibus illo tempore ad Textum Chaldæum bene legendum non erant tam necessaria, quam quidem in Textu Hebræo: quia id quod est vernaculum & familiare facilius cognoscitur, quam illud quod est peregrinum.

2. In Paraphrasibus Chaldaicis olim inveniebantur, & adhuc hodie in nonnullis editionibus inveniuntur tres literæ Aleph, Vau & Jod, quæ matres lectionis vocantur; quia multarum vocalium indicia sunt. Hoc ipse Capellus fateri tenetur, cum ait pag. 61. *Locis necessariis additæ sunt* matres *lectionis, quæ ad legendum valde accommodatæ & utilissimæ sunt.* Hæ superfluæ literæ, quæ vocantur matres lectionis, ex Bibliis Cl. Buxtorfii fere ejectæ sunt, sed in Venetis editionibus adhuc inveniuntur. Verum hæ tres literæ, denotantes multas vocales, in Textu Biblico rarissimè inveniuntur, etiam in illis locis, in quibus maxime ad Textum bene legendum essent necessariæ: ergo vocales fuerunt magis necessariæ in Textu Hebræo quàm in Chaldæo.

3. Judæi verum sensum Paraphrasium quoad puncta potuerunt in multis locis elicere ex Textu Hebraico, quem etiam continuò legebant, & post cujus lectionem in Synagogis Textum Chaldaicum addebant.

4. Po-

4. Potuerunt in Paraphrasibus Chaldaicis omisisse puncta: tum ut facilius eas absolverent; tum quia Judæi communiter scripturæ Hebraicæ vocales addere non solebant. Quod Rabbini communiter scribant sine vocalibus apparet ex omnibus commentariis Rabbinorum, quæ sine vocalium & accentuum punctis scribuntur & excuduntur.

XIII. *Octavum* argumentum, quod à Capello pro novitate punctorum in medium profertur, desumitur ex D. Hieronymo; & quidem dupliciter.

1. Hieronymus, qui vixit quadringentis circiter annis post nativitatem Sospitatoris nostri, & ducentis ferè annis ante Masorethas Tyberienses; in versione suâ Latinâ non fuit usus punctato codice: ergo non extiterunt punctati codices. Si enim punctati codices extitissent, Hieronymus nullis sumptibus, nullisque laboribus pepercisset, ut tale aliquod punctatum exemplar sibi comparasset. Quod vero Hieronymus non adornarit versionem suam ex punctato codice, patet ex multis locis, in quibus ab hodiernâ punctatione in versione suâ dissentit.

2. Hieronymus etiam punctorum vel punctatorum codicum nullibi, nec in Commentariis suis Biblicis, nec in aliis suis Scriptis ullam facit mentionem: ergo puncta non videntur extitisse.

XIV. *Respondeo ad primam* objectionem. 1. Si per Hieronymi versionem intelligatur Vulgata Pontificiorum versio, dico, quod illa non sit composita ab Hieronymo, sed quod sit versio mixta ex aliis versionibus. Ipse Bellarminus, vi veritatis adactus, ait versionem non esse unius auctoris, sed esse mixtam ex versione Hieronymi, Luciani, Theodotionis, & alîus Interpretis anonymi. Baronius testatur versionem Vulgatam Pontificiorum esse conflatam & mixtam tempore Gregorii ex Veteri Itala versione, quæ translata erat ex translatione Græca; & ex Hieronymi versione. Sed quare ex duabus illis versionibus unica facta fuit? Propter rixas, inquit Baronius, quæ inter Ecclesias Latinas oriebantur. Nonnullæ enim Ecclesiæ versione Itala, aliæ verò versione Hieronymi utebantur: sed postea propter pacem ex illis duabus unicam versionem fecerunt, quam vocarunt *Vulgatam*; quia quæ antea huic & illi Ecclesiæ erat particularis, postea omnibus Ecclesiis communis sive vulgata facta est.

2. Si intelligatur alia versio Latina, quæ in Operibus Hieronymi inve-

invenitur, dico quod de eâ hoc tempore mihi judicandi non detur potestas: nam talis versio ad manum non est. Attamen ex multis locis, quæ passim ab Hieronymo allegantur, satis manifeste apparet ipsum in versione sua codice punctato fuisse usum: ex. gr. *Gen.* 15. 11. habentur duæ voces, quæ, vocalibus destitutæ, satis sunt ambiguæ; scil. וַיַּשֵּׁב אֹתָם *& abegit eas.* Ne centesimus quidem, qui punctatas has voces nunquam vidit, talem sensum inde eliceret. Ipsi Græci Interpretes malè transtulerunt per: *& sedit cum eis*, quasi descenderet à Radice יָשַׁב *sedit*, cum sit à נָשַׁב *perflavit*. Quare Hieronymus LXX Interpretes, quorum versio tum temporis magnæ erat auctoritatis, non libentius sequutus fuisset, quàm magistros Judæos; quum uterque sensus, sepositis punctis, possit admitti? Sed verosimile videtur Hieronymum ob nullam aliam causam eas voces ita transtulisse, quam quia illas in Hebræo codice ita punctatas vidit. Possem quamplurima similia exempla ex Hieronymo proferre, ex quibus probarem Hieronymum ex punctato codice versionem suam adornasse; sed qui eadem desiderat, adeat ipsum Hieronymum in Commentariis & Epistolis, in quibus videbit ipsum vix unquam aut saltem rarissime sequutum fuisse aliam lectionem, præter illam, quam hodierni nostri punctati codices exprimunt.

3. Posito, quod Hieronymus in quibusdam locis expresserit aliam lectionem: inde tamen non sequitur, quod usus fuerit non punctato codice. Fortasse formavit versionem suam ex codice vitiose punctato, vel ex corrupto; & sic non mirum esset quod nonnunquam aliter transtulerit.

XI. *Respondeo ad alteram* objectionem. 1. Non sequitur: Hieronymus non fecit mentionem punctorum vel punctatorum Bibliorum, ergo non fuerunt: nam argumentum negativum non probat. Etiam Hieronymus aliarum rerum, scilicet קְרִי וּכְתִיב, hoc est, notarum marginalium, quæ Textum Hebræum tangunt, ut & Paraphrasium Chaldaicarum non meminit. An quis legitima consequentia inde concludet: ergo non fuerunt? Quis non videt illam consequentiam nullo modo procedere? Nam illæ notæ marginales ad minimum tempore Hieronymi fuerunt observatæ. Etiam Paraphrases Chaldaicæ tempore Christi, vel paulo post extiterunt: & tamen nec illarum nec harum Hieronymus ullam fecit mentionem.

2. Hieronymus, etiamsi punctati codices extiterint, tale exem-

 plar

4. Potuerunt in Paraphrasibus Chaldaicis omisisse puncta: tum ut facilius eas absolverent; tum quia Judæi communiter scripturæ Hebraicæ vocales addere non solebant. Quod Rabbini communiter scribant sine vocalibus apparet ex omnibus commentariis Rabbinorum, quæ sine vocalium & accentuum punctis scribuntur & excuduntur.

XIII. *Octavum* argumentum, quod à Capello pro novitate punctorum in medium profertur, desumitur ex D. Hieronymo; & quidem dupliciter.

1. Hieronymus, qui vixit quadringentis circiter annis post nativitatem Sospitatoris nostri, & ducentis ferè annis ante Masorethas Tyberienses, in versione suâ Latinâ non fuit usus punctato codice: ergo non extiterunt punctati codices. Si enim punctati codices extitissent, Hieronymus nullis sumptibus, nullisque laboribus pepercisset, ut tale aliquod punctatum exemplar sibi comparasset. Quod vero Hieronymus non adornarit versionem suam ex punctato codice, patet ex multis locis, in quibus ab hodiernâ punctatione in versione suâ dissentit.

2. Hieronymus etiam punctorum vel punctatorum codicum nullibi, nec in Commentariis suis Biblicis, nec in aliis suis Scriptis ullam facit mentionem: ergo puncta non videntur extitisse.

XIV. *Respondeo ad primam* objectionem. 1. Si per Hieronymi versionem intelligatur Vulgata Pontificiorum versio, dico, quod illa non sit composita ab Hieronymo, sed quod sit versio mixta ex aliis versionibus. Ipse Bellarminus, vi veritatis adactus, ait versionem non esse unius auctoris, sed esse mixtam ex versione Hieronymi, Luciani, Theodotionis, & alîus Interpretis anonymi. Baronius testatur versionem Vulgatam Pontificiorum esse conflatam & mixtam tempore Gregorii ex Veteri Itala versione, quæ translata erat ex translatione Græca; & ex Hieronymi versione. Sed quare ex duabus illis versionibus unica facta fuit? Propter rixas, inquit Baronius, quæ inter Ecclesias Latinas oriebantur. Nonnullæ enim Ecclesiæ versione Itala, aliæ verò versione Hieronymi utebantur: sed postea propter pacem ex illis duabus unicam versionem fecerunt, quam vocarunt *Vulgatam*; quia quæ antea huic & illi Ecclesiæ erat particularis, postea omnibus Ecclesiis communis sive vulgata facta est.

2. Si intelligatur alia versio Latina, quæ in Operibus Hieronymi inve-

invenitur, dico quod de eâ hoc tempore mihi judicandi non detur potestas: nam talis versio ad manum non est. Attamen ex multis locis, quæ passim ab Hieronymo allegantur, satis manifeste apparet ipsum in versione sua codice punctato fuisse usum: ex. gr. *Gen.* 15. 11. habentur duæ voces, quæ, vocalibus destitutæ, satis sunt ambiguæ; scil. וַיַּשֵּׁב אֹתָם *& abegit eas.* Ne centesimus quidem, qui punctatas has voces nunquam vidit, talem sensum inde eliceret. Ipsi Græci Interpretes malè transtulerunt per: *& sedit cum eis*, quasi descenderet à Radice יָשַׁב *sedit*, cum sit à נָשַׁב *perflavit*. Quare Hieronymus LXX Interpretes, quorum versio tum temporis magnæ erat auctoritatis, non libentius sequutus fuisset, quàm magistros Judæos; quum uterque sensus, sepositis punctis, possit admitti? Sed verosimile videtur Hieronymum ob nullam aliam causam eas voces ita transtulisse, quam quia illas in Hebræo codice ita punctatas vidit. Possem quamplurima similia exempla ex Hieronymo proferre, ex quibus probarem Hieronymum ex punctato codice versionem suam adornasse; sed qui eadem desiderat, adeat ipsum Hieronymum in Commentariis & Epistolis, in quibus videbit ipsum vix unquam aut saltem rarissime sequutum fuisse aliam lectionem, præter illam, quam hodierni nostri punctati codices exprimunt.

3. Posito, quod Hieronymus in quibusdam locis expresserit aliam lectionem: inde tamen non sequitur, quod usus fuerit non punctato codice. Fortasse formavit versionem suam ex codice vitiose punctato, vel ex corrupto; & sic non mirum esset quod nonnunquam aliter transtulerit.

XT. *Respondeo ad alteram* objectionem. 1. Non sequitur: Hieronymus non fecit mentionem punctorum vel punctatorum Bibliorum, ergo non fuerunt: nam argumentum negativum non probat. Etiam Hieronymus aliarum rerum, scilicet קְרִי וּכְתִיב, hoc est, notarum marginalium, quæ Textum Hebræum tangunt, ut & Paraphrasium Chaldaicarum non meminit. An quis legitima consequentia inde concludet: ergo non fuerunt? Quis non videt illam consequentiam nullo modo procedere? Nam illæ notæ marginales ad minimum tempore Hieronymi fuerunt observatæ. Etiam Paraphrases Chaldaicæ tempore Christi, vel paulo post extiterunt: & tamen nec illarum nec harum Hieronymus ullam fecit mentionem.

2. Hieronymus, etiamsi punctati codices extiterint, tale exem-

plar sibi fortasse comparare non potuit propter exemplarium punctatorum raritatem: nam tum temporis codices omnes exscribebantur, non verò typis excudebantur; & propterea erant rariores.

XVI. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ à Cl. Capello pro novitate punctorum in medium proferuntur; reliqua sunt minoris momenti, quæ facile ex antedictis solvi possunt. Ex his jam concludimus puncta vocalium & accentuum esse consonantibus Bibliorum adscripta vel ab ipsis Auctoribus librorum, vel ad minimum ab Ezra Propheta, qui circa sextum ferè sæculum ante Christi nativitatem vixit: sed negamus eadem esse addita vel à Masorethis Tyberiensibus, qui demum circa sextum sæculum post Christum ex sententiâ Capelli vixerunt; vel à duobus illis celebribus Rabbinis, scil. à Ben Ascher & Ben Naphtali, qui demum post annum millesimum à nato Christo floruerunt. Si quis plura desideret, legat Cl. Matthiæ Wasmuth solidas *Vindicias S. Hebrææ Scripturæ*, laboriosissimo & doctissimo *Hebraismo Restituto* adjunctas, quibus divinam vocalium & accentuum auctoritatem luculenter & non sine justo zelo probat.

DISSERTATIO DECIMA-SEPTIMA, DE

Linguæ Hebrææ Origine & Antiquitate.

§. 1. *Lingua Hebræa alias linguas respectu antiquitatis, utilitatis, & respectu necessitatis longè superat.*

2. *Diversæ Synodi decreverunt Studiosos Theologiæ non esse admittendos ad examen nisi ostensis testimoniis Professorum Theologiæ & linguarum.*

3. *Laudatur Ecclesiæ Tigurinæ diligentia, quæ circa Candidatos Theologiæ observatur.*

4. *Tribus rationibus probatur linguam Hebraicam homini non esse naturalem.*

5. *Etiamsi Adamus statim Deum Hebraicè loquentem intellexerit, inde tamen non probatur eam homini esse naturalem.*

6. *Nullam linguam homini esse naturalem probatur duobus exemplis.*

7. *Prima linguæ Hebrææ origo est à Deo.*

8. *Ex impositione nominum non probatur quod lingua Hebraica sit homini naturalis.*

9. *Deus videtur Adamo instillasse linguam Hebraicam quoad solas Radices.*

10. *Linguam Hebraicam omnium linguarum esse antiquissimam confir-*

confirmatur auctoritatibus.

11. *Deinde idem probatur ex perfectione & simplicitate ejus.*

12. *Ut & ex nominibus propriis primorum Patriarcharum.*

13. *Non videtur verosimile Mosen illa nomina propria mutasse, & ex alia lingua in suam transtulisse.*

14. *Denique antiquitas probatur ex vocibus Hebraicis occurrentibus in aliis linguis.*

15. *Linguæ puræ Hebrææ non sunt ullæ voces alienæ, ex aliis linguis mutuatæ, immixtæ.*

16. *Lingua Hebræa est antiquior linguâ Germanicâ & Chaldaicâ.*

SECTIO I.



Uperioribus aliquot Dissertationibus egimus de partibus constituentibus linguam Hebraicam, de consonantibus scil. & vocalibus; jam ordo nos monet, ut de ipsa hac lingua Hebræa disseramus. Linguam Hebræam omnes alias linguas multis parasangis superare experiemur, si ejus antiquitatem, auctorem, utilitatem & necessitatem exactâ trutinâ expendamus. Si antiquitatem ejus indagemus, videbimus eam multis sæculis ante omnes alias linguas in mundo extitisse. Si Auctorem ejus consideremus, experiemur eam divinis & cœlestibus natalibus esse ortam. Si utilitatem, imo summam necessitatem ejus investigemus, experientia probabit militem æque difficulter armis militaribus carere posse, ac Mystam notitiâ linguarum originalium verbi divini. Si enim Adversarii nostros Pastores ad ipsos fontes, uti sæpenumero fieri solet, vocarent: an non maximo cum pudore (si linguarum originalium imperiti essent, uti proh dolor! sæpissime fit,) discedere cogerentur? Præterea qui aliorum versionibus confidere tenentur, tantum est, ac si in alieno cerebro habitarent: nam tales & proprio ingenio judicioque valedicere, & aliorum judicio se subjicere tenentur. Nam ipsos fontes adire non possunt; quum tamen tutius ex ipso fonte bibantur aquæ, uti sonat commune proverbium.

II. Propter hanc linguæ Hebrææ necessitatem, & ne fibula socordiæ & negligentiæ linguarum originalium magis laxaretur, decreverunt variarum Synodorum Theologi & Pastores Anno hujus sæculi vigesimo quarto, ut nemo, nisi ostensis testimoniis tam DD. Professorum S. Theologiæ quam Linguarum, ad examen Theologiæ admitteretur. Vide diversa Synodorum decreta in Antibarbaro Biblico pag. 147. & sequentibus. Laudabile quidem decretum, sed quàm segniter sit observatum quotidiana experientia (ut OEdipo nullo opus

 sit)

sit) satis superque ostendit.

III. In aliis Ecclesiis major Candidatorum S. Theologiæ habetur ratio, quàm in nostris Ecclesiis. Tiguri in Helvetia nemo ad ministerium ecclesiasticum admittitur, nisi ad minimum integrum librum Veteris T. Hebraicum optimè explicare possit: & ne fraudi esset locus, solet ibidem (ut mihi à quodam Tigurino narratum est) examen linguarum non fieri à quodam Pastore, sed coram Pastoribus ab ipso linguæ S. Professore Cum hæc legisset Cl. Hottingerus, ita in Dedicatione ad D. Johannem Rodolphum Stuckium, S. S. Theologiæ in Illustri Tigurinorum Gymnasio Professorem, præmissâ Grammaticæ quadrilingui, præfatur. *Alta mente manet reposta magna illa animi præsentia, qua examinibus nostris Philologicis, in patria nuper habitis, & ab exteris Doctoribus non ad exemplum modò propositis, sed etiam scriptis publicis commendatis (luculentum certè de Examinibus Linguarum Originalium apud Tigurinos extat Testimonium in Philologo Hebræo M. Leusden, Professoris apud Ultrajectinos publici, p. 162.) interesse solebas.* Hæc breviter in laudem linguæ sanctæ procemii loco dicta sufficiant: jam porro linguæ sanctæ originem investigabimus.

IV. *Primò quæritur.* An linguæ Hebraicæ origo sit à naturâ? hoc est, An homo, si nullam linguam didicisset, Hebraicè à naturâ loqueretur?

Respondeo negando. Talis homo nullas voces articulatas, quæ à quodam intelligi possent, proferret. Sed posito, quod quidam pueri, separati ab aliis hominibus, educarentur, illi cum tempore sibi formarent novam linguam, quæ à nullo alio homine in mundo posset intelligi. Illi non loquerentur Hebraicè; quia jam omnis loquela oritur ex auditu: atqui tales pueri, soli alicubi relicti, nullum audivissent Hebraicè loquentem: ergo etiam Hebraicè non loquerentur. Fortasse quædam voces Hebraicæ illi novæ linguæ essent immixtæ; sed hoc fieret per accidens, & non quia Hebræi iisdem vocibus utuntur.

Quod lingua Hebraica non sit à naturâ, his sequentibus rationibus evinci potest.

1. Si lingua Hebraica esset à natura, facilius homines eam addiscerent, & ad eam discendam magis proclives essent: sed quotidiana experientia docet linguam Hebraicam difficilius addisci, quam aliæ linguæ addiscuntur; & homines minus proclives esse ad linguam Hebrai-

braicam diſcendam, quàm ad alias linguas Occidentales.

2. Si lingua Hebraica eſſet naturalis, ergo ſurdi à nativitate Hebraicè loquerentur: ſed experientia probat tales ſurdos etiam ſemper eſſe mutos. Imo ſurdi vix poſſent abſtinere ab illa lingua.

Naturam expellas furcâ tamen uſque recurret.

Nam deprimas vel per annum fumum deorſum, tamen ſemper aſcendet; quia fumus naturâ ſuâ ſemper ſurſum tendit. Similiter lapidem vel millies ſurſum projicias tamen ſemper deſcendet.

3. Varietas illa in Conjugationibus & Declinationibus Hebraicis ac derivatio certa à quibuſdam Radicibus non videtur eſſe à naturâ ſed ex inſtituto, vel ex certo quodam conſilio.

V. atqui *regeret* fortè aliquis. Lingua Hebraica videtur homini fuiſſe naturalis: quia primus homo Adamus ſtatim à creatione Deum Hebraicè loquentem intellexit. Si verò lingua Hebraica fuiſſet tantum ex inſtituto & conſuetudine, tum homo ad minimum aliquot menſes inſumere debuiſſet, antequam Deum Hebraicè loquentem intelligere, & animantibus nomina convenientia naturæ ipſorum indere potuiſſet.

Reſpondeo. Cognitio illa linguæ Hebraicæ in primis parentibus non fuit à natura, nec ex inſtituto humano; ſed fuit à Deo homini immediatè præter naturam inſtillata & infuſa. Fuit ergo donum extraordinarium & præternaturale: & propterea primi noſtri parentes illam cognitionem linguæ Hebraicæ, utpote extraordinariam, & ad habitus infuſos pertinentem, non propagarunt in liberos, ſed liberi didicerunt eodem modo linguam Hebræam à parentibus, quemadmodum pueri linguam Belgicam Anglicam aliasque linguas quotidie à parentibus ſuis addiſcunt.

VI. *Secundò quæritur.* Si lingua Hebræa homini non eſt naturalis: Quænam igitur lingua homini eſt naturalis: nam loquela eſt proprietas hominis, & proprietas eſt à natura?

Reſpondeo. Nulla lingua homini eſt naturalis. Præterea loquela eſt quidem homini propria: inde tamen non ſequitur, quod Hebræa vel alia certa quædam lingua homini ſit innata. Gravis olim de generis vetuſtate & quænam lingua naturalis eſſet, inter Ægyptios & Phryges nata eſt controverſia; qui ut rei veritatem experirentur, duos infantes recens natos paſtori procul ab omni hominum conſortio inter pecora educandos tradiderunt, prohibentes ne ullus coram eis vocem

ullam ederet; ut ſic prima vox, quæ ex his infantibus erumperet, ubi vagire deſiiſſent, litem hanc dirimeret. Exacto biennio infantes tantum *beccos* clamare inceperunt, quomodo Phryges *panem* appellabant. Inde Phryges ſuam linguam primam & naturalem eſſe putabant; & Ægyptii ita ſuperati laudem primævæ & naturalis linguæ Phrygibus libenter conceſſerunt. Hæc refert Herodotus lib. 2. Huic haud abſimile exemplum etiam legitur in epiſtolis Patrum Societatis de magno Regno & Rege Magor. Hic Rex tringinta infantes loco ſolitario incluſerat, & cuſtodibus interdixerat, ne voculam ullam coram eis ederent; ut experiretur, quânam linguâ aliquando eſſent uſuri; atque adeo ut ejus nationis religionem amplecteretur, cujus infantes linguam proferrent. Sed Rex tandem cognovit & profeſſus eſt, hunc laborem fuiſſe vaniſſimum: nam nullus eorum diſtinctas proferebat voces: quam ob cauſam etiam Rex ille nullam adhuc religionem dicitur eſſe amplexus. Vide hoc exemplum latius diductum apud Beſoldum in Diſcurſu Philologico pag. 57. Ex his ergo ſatis evincitur, quod nulla lingua homini ſit naturalis.

VII. *Tertiò quæritur.* Si lingua Hebraica non ſit à naturâ; Quis ergo eſt primus inventor & auctor hujus linguæ?

Reſpondeo. I. Quidam inventionem linguæ Hebraicæ adſcribunt ipſi Adamo, ac ſi ipſe ex propriâ induſtriâ & ingenio hanc linguam ſibi effinxiſſet; quemadmodum jam omnes hodiernæ linguæ ab ipſis hominibus excogitantur. Sed hæc ſententia rejicitur: nam Adamus non potuit tam cito linguam hanc efformare & addiſcere, quâ Deum loquentem intelligeret, & quâ Eum & Evam alloqueretur.

Reſpondeo. II. Alii ſtatuunt primum linguæ Hebraicæ auctorem eſſe ipſum Deum. Hæc ſententia à nobis approbatur propter ſequentes rationes.

1. Si lingua Hebræa homini non ſit innata, vel ſi non ſit inventa ab ipſo Adamo: ergo à Deo eſſe oportet: nam non datur quartum. Hanc ſententiam defendunt etiam Hebræi: qui propterea linguam Hebræam vocant *linguam creatam*, vel *creaturam divinam*; quia Deus hanc linguam in Adamo creavit, eique quaſi miraculosè inſtillavit. Nam homo non utitur certâ quâdam linguâ, niſi aliquem audiverit loqui illâ linguâ; ſed Adamus cum Deum Hebraicè loquentem intelligeret, neminem ita loqui audiverat, à quo hanc linguam diſcere potuiſſet.

2. Lin-

2. Lingua Hebraica propterea videtur esse à Deo, quia ad Adami perfectionem requirebatur talis facultas, quâ conceptus suos aliis exprimere posset: alitér enim in principio non fuisset perfectus respectu loquelæ, sed fuisset similis illis hominibus, qui novas terras invisitant, & linguas illarum non intelligunt; quique eatenus etiam sunt imperfecti.

VIII. *Objiciet* fortasse nonnemo, quod lingua Hebræa videatur esse naturalis: quia ipse Adamus imposuit bestiis agri & volucribus cœli nomina, *Genes.* cap. 2. v. 19. 20. ergo cognitio linguæ Hebraicæ non videtur Adamo instillata à Deo, sed ab ipso Adamo inventa.

Respondeo. Deus ante hanc nominum impositionem Adamum modò alloquutus fuerat *vers.* 16. & 17. & sic Adamus, antequam nomina bestiis & volucribus imponeret, linguam Hebraicam callebat.

IX. *quartò quæritur.* Cum certum sit Deum linguam Hebraicam creasse in Adamo, quæritur porro, Quomodo Deus hoc effecerit? An solummodo secundùm Radices & fundamenta linguæ Hebrææ, quibus cognitis cætera derivata facile formari possunt? An vero etiam secundùm omnia derivata, secundùm omnes literas, secundùm puncta & accentus, secundùm verba & nomina, & secundùm eorum conjugationes & declinationes?

Respondeo. Utramque sententiam defendunt tum Christiani, tum etiam Judæi. Sed nobis videtur illa sententia verosimillima, quæ statuit Deum tantummodo infudisse Adamo linguam Hebraicam quoad Radices; & tum Adamum per propriam scientiam & sapientiam, quâ erat præditus, reliqua derivata, à Radicibus descendentia, formasse. Hæc omnia derivata formare non fuit difficile Adamo, cùm majori sapientia præditus fuerit, quàm ullus hominum, qui jam facillime, positâ Radice, aut primigeniâ quadam voce in quacunque notâ linguâ, reliquas voces inde per additionem vel per detractionem quarundam literarum formare possunt: ex. gr. Adamus ex Radice זָרַע *seminavit*, à Deo sibi instillatâ, facile potuit derivata, in significatione quodammodo convenientia, excogitare; scil. זֶרַע *semen*, quia seminatur, זְרוֹעַ *brachium*, quia brachio serere solemus, & sic deinceps.

X. Ex his antecedentibus jam facilis est responsio ad quæstionem *quintam*, quâ *quæritur*: An Hebraica lingua omnium linguarum sit prima & antiquissima?

Respon-

Respondeo affirmando. Si enim Deus statim à creatione hanc linguam Adamo infuderit, ergo hæc lingua est prima, & per consequens antiquissima. Adstipulantur huic sententiæ fere omnes doctores tam Hebræi quam Christiani, quorum longus catalogus videri potest in Dissertatione primâ Buxtorfii. Addatur his M. Augustus Pfeifferus, Professor Wittenbergensis, qui in Synopsi quæstionum Philologicarum Disp. 1. quæst. 3. hanc antiquitatem approbat; quem Auctorem amatoribus quæstionum philologicarum, (quales plurimas in dicta Synopsi tractat) de meliori nota commendo. Sed, missis auctoritatibus, videamus, quibus rationibus linguæ Hebraicæ vera antiquitas probari possit.

XI. *Primum* argumentum, probans linguæ Hebrææ ultimam antiquitatem, est desumptum à summâ linguæ Hebraicæ perfectione & simplicitate. Indubitatum est apud Philosophos, & rationi maxime consentaneum axioma, *Perfectum imperfecto, & simplex composito prius est*: & propterea lingua Hebræa, quâ nulla datur perfectior & simplicior in mundo, cæteris omnibus tempore antiquiorem esse ipsa recta ratio indicat.

Perfectio hujus linguæ manifesta fiet, si penitius consideretur. 1. Efficacia significationis vocabulorum. Nulla enim lingua in toto terrarum orbe invenitur, quæ tantâ efficaciâ naturam & proprietatem rerum effert, quam hæc ipsa Hebræa: ex. gr. *Ciconia* vocatur חֲסִידָה à benignitate, quam illæ aves erga se invicem exercent. In Talmude quæritur: Quare ciconia sic vocetur? Respondent Talmudistæ, quia exercet חֲסִידוּת *benificentiam* erga socios suos, alimentum cum illis communicando. Similiter *columba* appellatur יוֹנָה, quia oppressioni & prædæ exposita est, à Rad. ינה *oppressit vi vel fraude*. Centena similia exempla proferri possent, in quibus voces simili modo exprimunt naturam sive proprietatem rerum significatarum. Ergo auditis nominibus animalium etiam quodammodo natura illorum animalium nota fit.

2. Loquutiones Metaphoricæ in lingua Hebræa sunt elegantissimæ; & quoties adhibentur tropi, toties micantes videas radiantesque figurarum stellas tantâ dignitate ac gratiâ, ut eas omnes facile videant, qui Hebræa vident.

3. Cum omnes aliæ linguæ multas peregrinas voces plerumque admixtas habeant, hæc sola nullas alias voces exoticas ex aliis linguis mutuatur.

4. Plu-

4. Plurimum etiam ad perfectionem linguæ Hebrææ facit ejusdem constantia in omnibus libris Veteris Testamenti. Miratus sæpissime fui quod tanta sit linguæ Hebraicæ convenientia in omnibus libris Veteris T. cum sciamus libros illos à diversis Viris, qui sæpe proprium stylum expresserunt, diversis temporibus, & diversis in locis esse conscriptos. Scribatur liber à diversis viris in eadem civitate habitantibus, videbimus fere majorem differentiam in illo libro vel respectu styli, vel copulationis literarum, vel respectu aliarum circumstantiarum, quam in totis Bibliis. Verum si liber sit scriptus, verbi causa, à Teutonico & Frisio, vel si intercedat inter Scriptores differentia mille annorum, quanta in multis libris Veteris T. respectu scriptionis intercessit, eheu! quanta esset differenta linguæ. Qui unam scripturam intelligit, vix alteram intelligeret: imo erit tanta differentia, ut vix ullus eas linguas, ob differentiam temporis & loci ita discrepantes, regulis Grammaticæ & Syntaxeos comprehendere possit. Verum in Veteri Test. tanta est constantia, tanta convenientia in copulatione literarum & constructione vocum, ut fere quis putare posset omnes illos libros eodem tempore, iisdem in locis, à diversis tamen auctoribus esse conscriptos.

5. Omittimus jam multa alia, quæ etiam ad perfectionem linguæ Hebraicæ plurimum conducunt; nempe quod hæc lingua sit omnium linguarum antiquissima, quod sit ab ipso Deo creata, quod Deus sæpe hâc linguâ Prophetas suos alloquutus fuerit, & oracula sua populo hâc linguâ dederit.

Simplicitas linguæ Hebrææ consistit magnâ ex parte in paucitate literarum, quibus Radices sive voces primitivæ constant. Pleræque Radices communiter tribus tantum constant literis, & ex illis cætera Derivata formantur. Raro occurrunt voces compositæ, nisi eædam sint nomina propria personarum vel locorum: nam ad voces compositas non referimus nomina ornata pronominibus præfixis aut affixis, sive etiam aucta aliis literis servilibus. Non occurrunt in hâc linguâ aliquæ dialecti, uti apud verbosos & mendaces Græcos, quorum singuli fere auctores novam linguam cacozelo quodam videntur sibi fabricasse.

XII. *Secundum* argumentum, quod Judæi ad linguæ Hebrææ antiquitatem demonstrandam adferunt, petitur ex *Etymologia nominum propriorum* in historia primæva Veteris Testamenti occurrentium.

Nam nomina propria Hebraica, quæ in principio creationis & sequentibus temporibus indita hominibus fuerunt, sunt Hebraica, & derivantur à Radicibus Hebraicis: ergo lingua Hebraica illo tempore fuit usitata: & per consequens lingua Hebraica est lingua prima & antiquissima. Ex. gr. אָדָם *Adam* dicitur ab אֲדָמָה *Adamah*, *terra*; quia ex terra creatus est. Similiter חַוָּה *Eva* vocatur *vivificatrix*: quia erat futura mater omnium viventium: hanc Etymologiam ipsa S. Scriptura dat. Falsa igitur est Kabbalistarum Etymologia, qui statuunt Evam derivari à חִוָּה *indicavit*, *annunciavit*, verbo Chaldæis usitato; quia quodam tempore decem cabi sive mensuræ loquelæ sive potius garrulitatis cœlitùs descendissent, de quibus novem mensuras sibi fœminæ abstulissent: & propterea Eva ita quasi *garrula* vocata fuisset. Eodem modo פֶּלֶג *Peleg* derivatur à Radice Hebraica פָּלַג *divisit*: quia divisio linguarum eo tempore facta est. Ex his similibusque nominibus propriis ipso jubare meridiano clarius illucescit linguam Hebraicam esse primam linguam; quia nomina illa propria sunt desumpta ex illa lingua, quæ temporibus illorum Patriarcharum fuit usitata; atqui illa nulla alia est nisi lingua Hebraica. Urgent admodum hoc argumentum Hebræi & multi ex Christianis Scriptoribus, qui hac de materiâ scripserunt. Si nomina Hebraica Adami, Hevæ, Kaini aliorumque fuissent vel Gallica, vel Latina, aut Belgica, descendentia etiam ab illis linguis, inde quis concludere posset: ergo lingua prima fuit vel Gallica, vel Latina aut Belgica. Sed cum nomina prima illorum Patrum sint purè Hebraica, quorum origo etiam in Scriptura ex lingua Hebraica elicitur, firmiter concludimus linguam Hebræam esse omnium linguarum primam.

XIII. *Objiciet* fortassè aliquis, quod Moses illa nomina propria mutaverit, & ex aliâ linguâ in suam transtulerit.

Respondeo. Hoc nullo modo videtur verosimile: nam Scriptores & Historici non solent nomina propria personarum & locorum immutare; sed solent eadem illibata & invariata retinere, parumper tantum ad linguæ suæ flexionem accommodata, ut origo prima illorum nominum semper adhuc appareat.

XIV. *Tertium* argumentum, quo antiquitas linguæ Hebrææ evincitur, est desumptum ex *vocibus Hebraicis* occurrentibus in omnibus aliis linguis. Vix ulla lingua est, in qua non inveniuntur voces vel puræ Hebraicæ, vel Hebraicæ originis, quæ ut filii linguam Hebræam matrem

matrem suam indicant. Quidam Lexica ediderunt, in quibus harmoniam aliarum linguarum cum linguâ Hebrææ ostenderunt. Ut vis hujus argumenti clarius innotescat, exempla quædam in medium proferam: ex. gr. Ad imitationem Hebrææ vocis סִימָן Græci fecerunt vocem *σημεῖον signum*. Ad imitationem Hebrææ vocis פִּגֵּר Latini fecerunt *piger*: nam פגר significat *piger fuit*. Similiter רֵיק Belgæ vocant *reuck*. Similes aliæ comparationes cum aliis linguis possent institui, nisi res clara esset: sed res illa ita clara est ut nulla tali demonstratione indigeat. Ast in lingua Hebræa nullæ occurrunt voces, quæ ex aliis linguis mutuatæ sunt.

XV. Fortasse *objiciet* nonnemo, quod lingua Hebraica non videatur esse pura: quia hodiernæ linguæ Hebraicæ multæ voces Arabicæ, Persicæ, Græcæ, aliæque, ex aliis linguis mutuatæ, sunt immixtæ. Hoc ita esse, videri potest in commentariis Rabbinorum, in Talmude & in aliis Judæorum Scriptis: ex. gr. voces פִּלְסוֹף *Philosophus* & פִּילֹסוֹפִיָּא *Philosophia* sunt desumptæ ex lingua Græca. Imo etiam in ipsis Bibliis nonnullæ tales voces peregrinæ inveniuntur: ex. gr. in Esthera occurrit vox Persica פּוּרִים significans *sortes*. Multæ similes peregrinæ voces possent in medium proferri, nisi res satis clara esset. Ergo argumentum tertium non videtur procedere.

Respondeo. 1. Verum est, quod in hodierna lingua Hebræo-Rabbinica & Talmudica multæ voces ex aliis linguis desumptæ, occurrant: sed tales peregrinæ voces non inveniuntur in antiqua lingua Hebraica, quæ purà est in Veteri Test. & de qua solummodo quæstio est. Rabbini debuerunt multas voces Hebraicas excogitare: quia omnium rerum in Veteri Testamento non fit mentio. Sicuti in Novo T. Græco non inveniuntur omnes voces Græcæ, sic etiam in Veteri T. Hebræo non inveniuntur omnes voces Hebraicæ.

2. Lingua, qua Talmud conscriptum est, non est Hebraica, sed fere Chaldaica: ideoque argumentum desumptum à lingua Talmudica ad Hebraicam nullius ponderis & momenti est.

3. In Veteri Testamento Hebraico occurrunt quidem quædam voces alienæ, sive ex aliis linguis mutuatæ, sed illæ non fiunt Hebraicæ: ex. gr. Gen. 31.47. Laban vocavit tumulum illum יְגַר שָׂהֲדוּתָא *Cumulum testimonii*. Hæ voces alienæ sunt quidem Textui Hebræo immixtæ, sed eæ non fiunt Hebraicæ. Similiter vox Persica פורים significat quidem *sortes*, sed ea vox in tali significatione nunquam ab Hebræis

 bræis

bræis usurpatur, nec etiam unquam fit vox Hebraica. Lingua ergo Hebræa Veteris Testamenti nullas voces ex aliis peregrinis linguis ita mutuatur, ut easdem faciat suas proprias.

XVI. Ex his concludimus, quod lingua Hebræa sit omnium linguarum prima.

Rejiciuntur ergo, qui statuunt vel linguam *Germanicam*, ut vult Johannes Goropius Becanus; vel *Chaldaicam*, ut sentit Theodoretus, esse linguarum omnium antiquissimam.

Qui defendunt linguam Germanicam esse primam, risu potius exsibilandi sunt, quam rationibus refutandi: sed qui hunc primatum linguæ Chaldaicæ adscribunt, errant quidem, attamen majori veritatis specie sententiam suam defendunt. Nam linguam aliquam Orientalem fuisse primam, extra controversiæ aleam nobis positum esse videtur; quia nostri primi parentes in Assyria, quæ in Oriente sita est, habitarunt: atqui in Assyria saltem tempore captivitatis Babylonicæ Chaldaicè loquebantur.

Verum enimvero, qui aliqualem cognitionem harum duarum linguarum adeptus est, facile videbit linguam Hebræam Chaldæà multo simpliciorem & antiquiorem esse. Pleræque enim voces Chaldaicæ à Vocibus vel à Radicibus Hebraicis, additis vel mutatis quibusdam literis, formantur. Ex gr. Pro אֱלוֹהַּ *Deo* Chaldæi dicunt אֱלָהָא; pro מֶלֶךְ *Rege* מַלְכָּא cum adjectione literæ Aleph. Ex his videmus voces Hebraicas multo simpliciores esse vocibus Chaldaicis; & per consequens verum est linguam Hebraicam multo antiquiorem esse linguâ Chaldaicâ.

DISSERTATIO DECIMA-OCTAVA,
QUÆ EST
DE
CONFUSIONE LINGUARUM.
PARS PRIOR.

§. 1. *Lingua Hebræa variis post invicem seculis incorrupta permansit.*

2. *Quod lingua Hebræa diu fuerit sola probatur ex Genes.* 11. 1. *licet nonnulli illum Textum explicent de eadem lingua & phrasibus, aut de unitate animorum.*

3. *Quod unitas linguæ intelligatur, probatur auctoritatibus & ratione.*

4. *Objectio, desumpta ex Cap.* 10. *v.* 5. *Genes. solvitur.*

5. *Falsum est singulos architectos calluisse* 70. *linguas, & Deum introduxisse in singulos oblivionem* 69. *linguarum.*

6. *Can-*

6. *Causa confusionis non est aër Borsippæ vel ipsa natura, vel homo, vel Angelus, sed ipse Deus.*
7. *Deus solus est auctor confusionis linguarum.*
8. *Objectio desumpta ex verbis Gen.* 11. 7. descendamus *&c. non probat Deum usum esse operâ Angelorum. Nec ille modus loquendi usurpatur de unica persona.*
9. *Prava explicatio Judaica verborum Gen.* 1. 26. faciamus hominem *recensetur.*
10. *Deus non est usus hominibus vel mutando eorum corda, vel inducendo oblivionem linguæ primæ, vel producendo voluntatem eligendi novas linguas.*
11. *Confusio linguarum non videtur facta per vocis unius variam significationem, aut per novarum linguarum creationem, sed per permutationem &c.*
12. *Architecti, non intendentes legitimum finem, peccarunt in ædificatione Turris Babylonicæ.*
13. *Non ædificarunt Turrim ut bellum Deo inferrent, vel ut tuti essent à diluvio, vel ab incendio.*
14. *Sed ut nomen sibi compararent, & ne dispergerentur per terras.*
15. Facere sibi nomen *non significat Genes.* 11. 4. facere idolum *propter tres rationes.*
16. *Peccatum illorum architectorum recensetur.*
17. *Alter finis ædificationis turris allegatur.*
18. *Illos architectos revera peccasse probatur contra Aben Esram & Tostatum ex singularibus pœnis.*
19. *Prima pœna fuit confusio linguarum.*
20. *Magna est differentia inter confusionem linguarum Babylonicam, & inter effusionem linguarum in Apostolos.*
21. *Altera pœna est dispersio populorum.*
22. *Incolæ orbis fuissent quidem cum tempore dispergendi sed non tam repente, non ex odio, & unitatem linguæ nihilominus servassent.*

SECTIO I.


POstquam Deus ab initio creationis linguam Hebræam in Adamo creasset, eandem etiam variis post invicem sæculis in posteris ejus incorruptam conservavit. Lingua enim Hebræa non fuit subjecta tali mutationi, quali communiter hodiernæ linguæ subjectæ esse solent. Nam hodiernæ linguæ tractu temporis varias subeunt mutationes, ex quarum mutationibus nonnunquam diversæ linguæ oriuntur: sed lingua Hebræa semper pura permansit, & non passa est tales mutationes, quales cæteræ lin-

guæ quotidie patiuntur. Vidimus ſuperiori Diſſertatione quod Deus linguam Hebræam in Adamo creaverit; jam porro originem & cauſas diverſarum linguarum inveſtigabimus; & videbimus an hæc lingua in principio creationis ſola in mundo fuerit.

II. *Primò quæritur.* An lingua Hebræa in principio creationis ſola fuit in mundo? Et quamdiu fuit ſola?

Reſpondeo. Hæc lingua Hebræa ſola & unica fuit in mundo, & quidem ultra mille & ſeptingentos annos; toto illo tempore homines tantum Hebraicè loquebantur; etiam nulla lingua præter Hebræam in initio creationis fuit uſitata. Hoc probatur ex Geneſeos *Cap.* 11. *v.* 1. *Erat tota terra* (id eſt, omnes incolæ terræ) *labii unius* (ſermonis unius) *& verborum eorundem.*

Hæc verba Moſis ab omnibus eodem modo non explicantur. 1. Hebræi nonnulli hic magis ſubtilius quam ſolidius diſtinguunt inter labium & verba, quaſi hæc eandem linguam, illud verò modum pronuntiandi & orationem contexendi ſignificaret. Senſus ergo illorum verborum ex ſententia illorum Hebræorum talis eſt, ſcil. non tantum eandem omnium fuiſſe linguam, ſed etiam eaſdem phraſes & modos loquendi fuiſſe adhibitos; ita ut docti non ſplendidioribus & elegantioribus phraſibus ac verbis mentem ſuam expreſſerint quàm indocti.

2. Sunt etiam ex Hebræis, qui verba *ſermonum eorundem & labii unius* explicant de conſenſu & unitate animorum & conſiliorum in ædificanda turri; nempe quod eoſdem ſermones inter ſe miſcuerint, & in conſilio optime convenerint.

III. Nos ſimplicitatem Textus Moſaici retinemus, quæ hanc gloſſam non admittit: nam in Textu dicitur, quod in initio labium fuerit unicum, & quod lingua ipſorum & non mens fuerit diviſa. Auctoritatibus & ratione hæc ſententia poteſt confirmari.

Nam eam approbat. 1. Targum Hieroſolymitanum in hunc locum, cum ait: והון כל־דריא דארעא לישן חד וממלל חד ועיצה חדה ארום בלישן קודשא הוו ממללין *Et fuerunt omnes generationes terræ linguæ unius, & loquelæ unius, & conſilii unius: nam lingua ſancta loquebantur.*

Deinde Paraphraſis Onkeloſi, & illa, quæ vulgo Jonathani adſcribitur, etiam eandem ſententiam confirmant.

Similiter Salomo Jarchi, Aben Ezra, & alii multi *labium unum* explicant per *linguam ſanctam.*

2. Ipſi etiam Ethnici cognoverunt fuiſſe tantum unicam linguam in

in mundo: sic Abydenus apud Eusebium & Cyrillum ait: *Cum vero ad id usque tempus homines unius linguæ fuissent, linguam diversam ipsis a Diis esse immissam.* Imo Ethnici, quod magis est, statuerunt unicam illam linguam etiam brutis fuisse communem; adeo ut homines cum brutis & bruta inter se hac lingua conceptus suos expresserint.

3. Ipsa ratio hanc unitatem linguæ videtur evincere: nam in principio creationis & deinceps omnes ab unica Adami familia dependebant. Hic Adam, cum hanc linguam à Deo accepisset, eandem etiam filios suos docuit, filii nepotes, illi iterum alios, & sic deinceps; uti solet fieri apud nos. Filii enim tamdiu imitantur parentes suos in vernaculo sermone, usque dum ab aliis alias linguas discunt, vel in alias terras proficiscuntur, in quibus alia lingua vulgaris est: sed non legimus in S. Scriptura, quod Adami posteri ante confusionem visitaverint alias terras, in quibus aliæ linguæ præter Hebræam fuerunt usitatæ.

IV. Sed *objiciet* fortè nonnemo verba Mosis, quæ habentur Geneseos *cap.* 10. *commate* 5. ubi Propheta ante linguarum confusionem dicit: *Ab his divisæ sunt regiones gentium per terras earum, cuique secundùm linguam suam.* Hinc videtur probari, quod ante famosam illam linguarum confusionem aliæ linguæ præter Hebræam fuerint usitatæ; quia dicitur, quod *regiones fuerint divisæ secundùm linguam suam.*

Respondeo. Est πρόληψις *anticipatio*, quæ usitatissima est in S. Scriptura. Moses hìc narrat, quod demum post ædificationem turris Babylonicæ fieret. Sic *Saul* dicitur quæsivisse asinos patris sui, qui tum temporis nondum sic vocatus videtur: sed tum demum, postquam electus esset à Samuele in Regem, insignitus videtur nomine Saulis, quia petebatur à populo. Saul enim significat *petitus.*

V. Ex his igitur sequitur falsum esse quod dixerunt R. Elieser in Talmud Hierosolymitano & auctor libri Chaskuni, scil. singulos structores turris Babylonicæ calluisse septuaginta linguas, quæ etiam ab omnibus & singulis intellectæ fuissent; & quando Deus dixisset, *descendamus & confundamus illic labium*, tum tantum oblivionem sexaginta novem linguarum in singulos architectos introduxisset: adeo ut quam linguam nosceret hic, non noverit ille, sed omnes simul scivissent septuaginta linguas: nam, inquit, nihil novi est sub terra.

Verum absurda est eorum Rabbinorum glossa: nam si ea procederet, tum eodem modo possem concludere, quod quidem trecentæ linguæ, imo multo plures ante confusionem fuerint usitatæ; quia jam

jam quidem totidem linguæ in mundo inveniuntur. Concludimus ergo linguam Hebraicam usque ad confusionem linguarum fuisse solam in mundo.

VI. *Secundò quæritur*. Quis est auctor confusionis linguarum tempore ædificationis turris Babylonicæ?

Respondeo. 1. Causa efficiens illius confusionis non est *aër Borsippæ*, qui, ex sententia quorundam Hebræorum, inducit homines in oblivionem omnium eorum, quæ didicerunt: unde factum esset, ut quisque, perfusus illo aëre, linguæ suæ fuisset immemor, & aliam sibi de novo fabricasset.

2. Ipsa *natura* non est causa confusionis linguarum. Nam si diversitas linguarum esset â natura, ergo homines, qui diversis linguis loquuntur, vel divisi essent in diversas species pro diversitate linguarum, vel linguæ variarent pro diversitate climatum: sed utrumque falsum est. Nam genus humanum non dividitur in varias species, nec linguæ oriuntur ex diversis climatibus: aliter omnes sub eodem climate cœli habitantes, vel eo proficiscentes, & degentes, eandem proferrent linguam.

3. Causa confusionis non est ipse *homo*: quia confusio linguarum superat potentiam hominis. Nam in confusione linguarum duo erant facienda. Primò, lingua vernacula, quam homo cum lacte materno imbiberat, erat è memoria ejus delenda, quam vix spatio viginti annorum, imo fere nunquam, etsi eâdem nunquam uteretur, obliterare posset. Secundò: nova lingua erat excogitanda & discenda, quâ pater filios & mater filias posset alloqui & intelligere. Hæc duo non potuerunt ab ipsis hominibus unquam effici, imo multo minus in momento: nam confusio linguarum quasi in momento introducta est.

4. *Angeli* non introduxerunt linguarum confusionem: nam hæc etiam superat angelicam potestatem. Hebræi quidam statuunt septuaginta angelos effecisse omnes illas varias linguas, cum tamen in libro *Zohar* dicatur angelos tantum Hebraicam callere linguam. An ergo Angeli infuderunt & docuerunt linguas, quas ipsi non callebant? Sed videant ipsi Judæi, quomodo hæc conciliare possint.

5. Ipse *Deus* invexit diversitatem linguarum. Divina enim potentia hic adhibenda fuit: tali etiam potentiâ usus fuit Deus cum linguam primam Adamo indidit, & cum varias linguas tempore Festi Pentecostes in Apostolos effudit. Quod Deus linguas confuderit, pro-

probatur ex Geneseos cap. 11. v. 9. ubi dicitur, quod *confuderit Dominus labium universæ terræ*. Ex his jam evincitur, quod Deus sit auctor confusionis linguarum.

VII. *Tertiò quæritur*. Utrum Deus solus fuerit auctor confusionis linguarum; an verò adhibuerit Angelos sive homines, ut causas instrumentales ad confusionem efficiendam?

Respondeo. Deus nec Angelos nec homines, ut causas instrumentales & physicè ad confusionem introducendam adjuvantes & operantes adhibuit.

VIII. Contra hæc fortè nonnemo *objiciet* verba Mosis, Geneseos *cap*. 11. *v*. 7. ubi Deus videtur usus operâ Angelorum; quia eos videtur alloqui, cum ait: *Descendamus & confundamus ibi sermonem eorum*.

Respondeo primò. Sic quidem Paraphrastes Jonathan explicat illa verba, nempe, quod Deus cum 70 Angelis effecerit confusionem 70 linguarum. Sed illa expositio falsa est. 1. Nam in Textu sacro nulla fit mentio Angelorum: etiam in singulari dicitur versu quinto; *Descendit Jehova ad videndum urbem illam & turrim*. 2. Si Deus Angelos alloquutus fuisset, tum quasi æquales Deo hîc introducerentur, & Deus quasi unus ex illis esset, constitutus quodammodo cum illis in eodem dignitatis & potentiæ gradu. Sed nullibi in tota S. Scriptura aliquis locus invenitur, in quo Deus in primâ personâ pluralis numeri ita Angelos alloquutus est.

Secundò. Alii aliter respondent, nempe quod Deus, dicendo *descendamus & confundamus*, hominum & magnorum præsertim Principum more de se in prima persona plurali loquatur, quemadmodum reges aliique solent scribere in decretis suis: nos Carolus, nos Ludovicus &c. sic decrevimus. Sed Textus Hebræus illum modum loquendi plane respuit: nam nunquam unica persona, se solam intelligens, utitur prima persona plurali, uti Textus Hebræus hic facit. Rabbini nonnulli sex loca (scil. *Job*. 18. 2. 2. *Sam*. 16. 20. *Dan*. 2. 36. *Cant*. 1. 4. *Gen*. 29. 27. *Num*. 22. 6.) ex Veteri T. proferunt, ex quibus hunc loquendi modum conantur probare: sed ea loca nihil probant; & eorum solutiones videri possunt in Spicilegio Philologico capite XVIII.

IX. Eodem modo solent Judæi explicare verba Mosis, quæ leguntur *Gen*. 1. 26. ubi Deus ait, נַעֲשֶׂה אָדָם *Faciamus hominem*. Lipmannus, ne cogeretur concedere pluralitatem personarum, statuit Deum quasi in adjutorem vocasse terram; ac si dixisset, ô terra, des tu

corpus, ego animam inſpirabo. Fingunt Judæi Moſen, cum ad illa verba in ſcribendo perveniſſet, ſubſtitiſſe, & ita Deum alloquutum fuiſſe: Quare præbes anſam errandi hominibus? Nam homines errabunt, & ex hoc modo loquendi plures eſſe Deos occaſionem cogitandi capient. Deus reſpondiſſet, erret qui vult errare, ſcribas, quæ ego jubeo. Nos exiſtimamus Deum Patrem, quando dicit *deſcendamus & faciamus*, &c. alloquutum fuiſſe reliquas S. S. Trinitatis perſonas, quæ in confuſionis & creationis opere, utpote tranſeunte, etiam operatæ ſunt.

X. Deus etiam in linguarum confuſione non eſt uſus hominibus, tanquam cauſis inſtrumentalibus phyſicè concurrentibus ad confuſionem linguarum. Sunt tamen nonnulli qui hoc defendunt, ſed eodem modo ſententiam ſuam non explicant. Cl. Buxtorfius in Diſſertatione ſecunda varios modos enarrat, quibus hoc confuſionis opus mediantibus hominibus ex ſententiâ Judæorum factum fuiſſet.

1. Quod Deus tantum *cor* illorum hominum mutaverit; & quod, cum antea eſſent amici, facti ſint inimici: ita ut ſinguli propter odium, quo ſe mutuo perſequebantur, novam linguam ſibi fabricarint.

2. Alii ſtatuunt, quod Deus tantum induxerit *oblivionem* linguæ primæ; ita ut homines fuiſſent inſtar tabulæ raſæ, apti ad recipiendum omnes linguas. Ex ipſorum ergo ſententia lingua Hebræa fuiſſet obliterata, quâ obliteratâ ſinguli novam ſibi linguam iterum effeciſſent.

3. Quod Deus tantum in ipſis produxerit *voluntatem eligendi* novas linguas, per quam tales linguas, quales voluiſſent, elegiſſent. Buxtorfius adhuc alios modos dicto loco deſcribit: ſed nos, illis omiſſis & rejectis, ſoli Deo immediatè confuſionem linguarum adſcribimus.

XI. *Quartò quæritur.* Quomodo Deus linguas confudit?

Reſpondeo. Scriptura non expreſsè deſcribit modum illius confuſionis, ſed dicit tantum, quod Dominus בָּלַל *confuderit* labium terræ. Verbum hoc ſignificat *miſcere rem cum re*, ut ſtramen cum avena, aut farinam cum aquâ. Tres ſunt ſententiæ de modo ſecundum quem confuſio linguarum facta fuiſſet.

1. Nonnulli putant, quod linguæ ſint confuſæ non per variarum linguarum multiplicationem, ſed per unius vocis variam *ſignificationem*: ex. gr. vox מַיִם *aqua* in quorundam auribus ſignificaſſet *lapidem*,

dem, in aliorum verò auribus *perpendiculum*, *lignum*, vel aliquid aliud. Sed hoc absque ullâ specie veritatis asseritur: nam sic ipsæ linguæ non fuissent confusæ, sed tantummodo vocum Hebraicarum diversa significatio fuisset per Deum introducta.

2. Hæc multiplicatio linguarum non videtur facta per *creationem* novarum linguarum; quasi Deus tot novas linguas ita creasset, sicuti in principio mundi unicam fecit: nam in Textu Hebræo *Genes.* 11. 7. non scribitur פִּלֵּג *divisit*, aut הִבְדִּיל *distinxit*, sed נָבְלָה *confundamus*.

3. Verosimillima videtur eorum sententia, qui statuunt confusionem illam factam esse non per creationem novarum linguarum, sed per vocalium & literarum radicalium *permutationem*, transpositionem, detractionem, & per productionem syllabarum, quâ prosodiâ mutatâ nonnunquam alius sensus educitur: ex. gr. *In sylvis leporem, in verbis quære lepôrem.* Hæc diversa pronunciatio diversum parit sensum. Tali modo, ut & addendo, vel detrahendo quasdam literas, vel easdem transponendo Deus linguas miraculoso modo confudisse videtur. Nihilominus lingua Hebræa in posteris Heberi mansit pura & incorrupta; quod postea fusius explicabimus.

XII. *Quintò quæritur.* Ob quam causam Deus linguas ita confudit?

Respondeo. Ædificatio turris Babylonicæ occasionem præbuit confusioni linguarum.

An igitur Architecti in ædificatione turris illius peccarunt? An non licet turrim aliquam etiam altam fabricare? *Respondeo* affirmando. In ipsâ quidem ædificatione turris non consistit peccatum ipsorum; sed in eo consistit, quod non intenderint legitimum finem in hoc opere.

XIII. *Sextò quæritur.* In quem finem ædificarunt turrim illam Babylonicam?

Respondeo. 1. Ab omnibus non iidem fines hujus ædificationis assignantur. Saltem non ideo ædificarunt turrim illam, ut ad cœlum viam sibi pararent, & Deo *bellum* inferrent. Ex hac ædificatione turris Babylonicæ nata est fabula illa apud Ovidium, quod Gigantes montes montibus imposuerint, & bellum Jovi inferre voluerint. Sed quis sanæ mentis credere posset illos Architectos omnes, inter quos fuerunt multi sapientes, tam vesanos fuisse, ut putassent se posse contra Deum belligerare? Satis enim Dei potentiam & cœli altitudinem

noverant: quia, testante Josepho, Sethi nepotes jam ante diluvium Astrologiæ operam dederant; qui etiam sua inventa columnis inscripserant, quarum una, vivente Josepho, adhuc in Syria supererat. Ex illis columnis & ex aliis rebus facilè magnam illam & inaccessibilem distantiam cœli potuerunt cognoscere.

2. Non ideo extruxerunt turrim illam, ut in ea tuti essent contra *vim aquarum*, si fortassè novum diluvium iterum terram inundaret, uti sentit Josephus. Nam nullum est dubium, quin satis cognoverint illud fœdus, quod Deus pepigerat cum Noacho, ejusque posteris, & quod sacramento iridis confirmaverat de non amplius perdendo genere humano per aquas diluvii.

Deinde si propterea ædificassent turrim illam, ut in ea tuti essent contra vim aquarum; Quare ergo, relictis altissimis montibus Ararat, in locum depressum descendissent, extructuri turrim illam in valle humili inter duos amnes vastissimos, Euphratem scil. & Tigrim, quorum inundationibus Babylonia erat obnoxia? An non potius in altissimis montibus Ararat eandem ædificassent, ubi magis tuti fuissent à futuro diluvio?

3. Non ideo ædificarunt molem illam Babylonicam, ut tuti essent à futuro *incendio,*

Quo mare, quo tellus, correptaque regia cœli
Ardeat.

Nam quis putasset se forte in turri illa tutum in generali orbis incendio ab igne cœlitus delapso?

XIV. Tribus præcedentibus sententiis rejectis, ipsum Textum sacrum inspiciamus, qui ait eos turrim ædificasse propter duos fines: 1. Ut *nomen* sibi compararent: dicunt enim Genes. 11. 4. נַעֲשֶׂה־לָּנוּ שֵׁם *faciamus nobis nomen*. 2. Ne *dispergerentur*: dicunt enim ibidem פֶּן־נָפוּץ עַל־פְּנֵי כָל־הָאָרֶץ *ne dispergamur in faciem terræ.*

XV. Prior finis ædificationis turris Babylonicæ continet comparationem *nominis*: voluerunt enim sibi comparare nomen.

Rogabit fortè nonnemo: An non licet comparare sibi nomen? An non viri generosi egregiis factis committendis famam & nomen sibi comparant? An non viri docti libros conscribunt ut celebres evadant? Et an hoc est peccatum?

Respondeo. Hebræi, quia non vident, quomodo architecti illi potuerint peccare in comparando nomine, si nomen in Textu simpliciter

ter

ter significet famam, excogitarunt aliam explicationem vocis שֵׁם *nominis*. Putant enim vocem שֵׁם *nominis* eo in loco significare *Deum*, quemadmodum sumitur *Levit.* 24.11. ubi filius mulieris Israëlitidis dicitur nuncupasse אֶת־הַשֵּׁם *nomen*, id est, Deum. Itaque illa phrasis, *faciamus nobis nomen*, secundùm Hebræos denotaret idem, ac si dixissent, *faciamus nobis Deum sive idolum*, quod in illa turri collocabimus & adorabimus.

Sed hæc expositio Judæorum falsa est. Turris illa postmodum quidem fuit consecrata Belo, id est, Nimrodo: sed hic Nimrod tempore ædificationis vix erat natus. Deinde Nimrod ille demum post obitum colebatur: ergo illi propterea turrim non ædificarunt.

Præterea verba Textus tali modo de idolo explicari non possunt propter has sequentes rationes.

1. Quia vox שֵׁם *nomen* significat quidem in S. Scriptura & in scriptis Rabbinorum Deum verum, sed nunquam idolum: nam idem denotat quod JEHOVA: & Rabbini sæpissime pro JEHOVA, in Textu occurrente, dicunt הַשֵּׁם *nomen*.

2. Quando שֵׁם *nomen* sumitur pro Deo, tum habet præfixum articulum הַ, & dicitur הַשֵּׁם, ut *Levit.* 24. 11. sed hic simpliciter dicitur שֵׁם sine articulo.

3. *Facere sibi nomen* est phrasis Hebraica, in S. Scripturâ satis usitata, significans idem, quod famam sibi factis suis comparare: sic scribitur de Davide 2. Sam. 8. 13. *David fecit sibi nomen*, hoc est, David factis suis se celebrem fecit. Ædificarunt igitur turrim illam, ut immortale nomen sibi apud posteros compararent.

XVI *Rogabit* nonnemo: In quo consistit peccatum illorum architectorum?

Respondeo. Fuerunt ambitiosi & superbi in hoc opere. Tantummodo enim ad pompam turrim illam ædificarunt, & non ad aliquem usum; vel ut esset templum, in quo Deum adorarent; vel ut esset altare, super quo sacrificia sua offerrent. Non quærebant gloriam Dei, quæ ante omnia quæri debebat, sed propriam, ut posteris suis essent admirationi.

XVII. Alter finis ædificationis turris Babylonicæ exprimitur his verbis: Genes. 11.4. *Ne fortè dispergamur*. Ædificarunt turrim illam, ne dispergerentur; sed illa è contra causa fuit, ob quam longè latèque dispersi fuerunt. Quæsiverunt arctam conjunctionem, qualem

quærere per ſe non eſt illicitum, ſed rebus publicis maxime neceſſarium. Nam, uti etiam eſt ſententia DD. Ordinum harum Unitarum Provinciarum, *Concordia res parvæ creſcunt, Diſcordia maximæ dilabuntur.* Licet igitur quærere arctam unionem, ſi modò talis unio non repugnet voluntati & ordinationi Divinæ. Illi quærebant unionem arctam, ne diſpergerentur per terram, ſed Deus volebat eos diſpergi per terram, eosque eandem implere: nam Geneſ. 1. 28. dicitur: *Creſcite, multiplicamini, & replete terram.* Huic voluntati Divinæ reſtiterunt.

XVIII. Hallucinantur igitur Aben Esra, Toſtatus aliique, qui architectos hujus turris à crimine omni liberant, quique ſtatuunt Deum propter nullam aliam cauſam niſi propter beneplacitum ſuum linguas confudiſſe, & populum diſperſiſſe. Sed præterquam, quod jam peccata eorum architectorum demonſtraverimus, eadem adhuc apparent ex pœnis ſingularibus, quibus Deus architectos turris illius punivit. Eæ pœnæ *Geneſ.* 11. dicuntur eſſe duæ, ſcil. confuſio linguarum & diſperſio populorum.

XIX. *Confuſio* linguarum fuit prima pœna. Ante illam enim ſe mutuo intelligebant: ſed propter confuſionem inſtar mutorum erant, non potentes conceptus ſuos ſibi mutuò revelare.

XX. *Regeret* fortè aliquis: Creatio variarum linguarum in Apoſtolis erat egregium donum, & ſpeciale beneficium Spiritus ſancti: ergo in architectis turris Babylonicæ non videtur fuiſſe pœna.

Reſpondeo. Magna eſt differentia inter confuſionem linguarum Babylonicam, & inter donum diverſarum linguarum in Apoſtolis: nam 1. In ſingulis Apoſtolis variæ producebantur linguæ, quibus mediantibus utrimque conceptus ſuos exprimebant; ſed in ſingulis architectis tantum erat unica lingua, & quidem diverſa, ob quam linguæ diverſitatem alter alterum non intelligebat.

2. In Apoſtolis erat beneficium: quia per hoc donum linguarum amiſſa unitas primigeniæ linguæ quodammodo in illis reſtituebatur. Nam quo quis plurium conceptus intelligit, eo magis ad unitatem linguæ primæ accedit, per quam ante confuſionem conceptus aliorum intelligebat: ſed è contra in architectis per confuſionem linguarum unitas illa linguæ, & potentia aliis revelandi conceptus ſuos fuit diminuta, & fere annihilata.

XXI. Altera pœna ſingularis, quæ ædificationem turris & confuſionem linguarum ſequuta eſt, fuit *diſperſio* populorum.

XXII. *Objiciet* fortè nonnemo: Ædificatores turris aliique incolæ orbis habitabilis cum tempore necessariò fuissent dispergendi: ergo dispersio populorum non videtur fuisse pœna ob ædificationem turris introducta.

Respondeo. Imo illi fuissent dispergendi: nam terræ Babylonicæ angusta capacitas tantam hominum multitudinem non potuisset comprehendere. Sed magna est differentia inter dispersionem populorum tempore ædificationis turris Babylonicæ factam, & inter eam quæ cum tempore facta fuisset.

1. Incolæ terræ non fuissent tam repente eodem tempore ab invicem disjuncti.

2. Non fuissent à se invicem separati ex odio, sed successu temporis crescentibus hominibus ad alia loca colonias quasdam deduxissent communi consensu.

3. Fuissent quidem dispersi, sed in unitate linguæ Hebraicæ convenissent, quemadmodum ante confusionem conveniebant. Reliqua de confusione linguarum & ædificatione turris Babylonicæ proximâ Dissertatione sequentur.

DISSERTATIO DECIMA-NONA, QUÆ EST DE CONFUSIONE LINGUARUM.

PARS POSTERIOR.

§. 1. *Plures quæstiones, tangentes confusionem linguarum, sunt enodandæ.*

2. *De numero linguarum non est eadem Hebræorum Græcorum & Latinorum sententia.*

3. *Hebræi statuunt confusionem esse factam in LXX linguas: quia totidem numerantur nepotes Noachi* Genes. 10.

4. *Christiani nonnulli probant ex 70 discipulis Christi totidem populos & linguas.*

5. *Judæis non est facile adhibenda fides quando loquuntur de numero septuagenario: quia semper varia mysteria ex hoc numero elicuerunt.*

6. *Ex 70 nepotibus firmiter non probantur 70 gentes sive populi:*

7. *Nec ex 70. gentibus linguæ 70.*

8. *Non sequitur: fuerunt 70 discipuli Christi, ergo fuerunt totidem populi & linguæ.*

9. *Græci & Latini defendunt confusionem esse factam in 72 linguas: quia in versione Græca*

Gen.

SECTIO I.



Uperiori Dissertatione egimus de auctore, & de modo confusionis linguarum, tempore ædificationis turris Babylonicæ factæ; ut & de causis, ob quas Deus tot varias linguas effecit: sequuntur jam aliæ quæstiones, quæ circa materiam confusionis linguarum moveri solent.

II. *Primò quæritur.* In quot linguas confusio linguarum tempore ædificationis turris Babylonicæ est facta?

Respondeo. Non est eadem omnium doctorum sententia: alia enim est Hebræorum, alia verò Græcorum & Latinorum sententia.

III. *Prima* sententia est *Hebræorum*, qui statuunt confusionem linguarum esse factam in *septuaginta* linguas: quam sententiam conantur præcipue probare ex 70 nepotibus, qui ex Noacho descenderunt. Nam sacra Scriptura Geneseos capite 10. ex tribus Noachi liberis septuaginta colligit nepotes; scil. ex Japheto colligit nepotes quatuordecim, ex Chamo triginta, & ex Schemo viginti sex; qui simul collecti constituunt septuaginta nepotes, & totidem familiarum capita. Ex his LXX nepotibus colligunt etiam fuisse LXX populos: quia putant quod singuli nepotes constituerint singulos populos. Hunc numerum LXX populorum deducunt ex Deuter. 32. 8. *Quando hæredita-*

ditates distribuit Excelsus gentibus, quando divisit filios Adam, statuit terminos populorum secundum numerum filiorum Israëlis; atqui LXX homines dicuntur ingressi in Ægyptum, *Gen.* 46. 27. Ergo fuerunt 70 populi. Horum 70 populorum crebra in scriptis Rabbinorum fit mentio. Si igitur fuerunt 70 populi, ergo ex sententia Judæorum etiam fuerunt 70 linguæ: quia divisio linguarum est causa divisionis populorum, uti dicitur Gen. 10. 5. *Ab his divisæ sunt regiones gentium per terras earum cuique juxta linguam suam, & juxta familias ipsarum in gentibus suis.* Rabbini passim in scriptis suis faciunt mentionem 70 linguarum & septuaginta populorum, in quos posteri Noachi sunt divisi.

IV. Sunt nonnulli ex Christianis, qui numerum septuagenarium populorum & linguarum probant ex 70 discipulis, quos Christus *Luc.* 10. 1. vocavit, & in mundum emisit, ut unaquæque gens haberet proprium suum doctorem.

V. *Respondeo* 1. in genere. Judæi vix merentur fidem, quando loquuntur de numero septuagenario: quia varia & plura mysteria semper ex hoc numero elicuerunt quàm ex ullo alio. Quare? Fortassè vel quia Sanhedrin, jussu Dei à Mose institutum, septuaginta Viris constabat; vel quia 70 homines tempore Jacobi Patriarchæ ingressi fuerunt in Ægyptum. Ob alterutram ex his causis procul dubio plurima multiplicanda cancellis hujus numeri incluserunt, & è contra alia ad tantum numerum non multiplicanda auxerunt, uti ex sequentibus clarè apparebit.

Si quis Judæos interroget: Quot gradus alta fuerit turris Babylonica, cum Deus confusionem linguarum introduceret? Respondebunt fuisse altam 70 gradus versus Occidentem, & totidem versus Orientem.

Si pergat quis rogare: Quot fuerint architecti? Respondebunt, septuaginta.

Quot fuerunt Angeli, qui quodammodo ut causæ instrumentales linguas confuderunt? Septuaginta.

Quot linguas singuli Viri, congregati in magno Sanhedrin, calluerunt? Respondent iterum more suo septuaginta. Quare tot? Ut omnes & singulos ex septuaginta populis (qui secundùm sententiam Judæorum 70 linguis loquebantur) coram Sanhedrin venientes & litigantes, audire, judicare, & absque interprete intelligere possent. Si enim singuli Viri illius Sanhedrin non calluissent tot linguas, tum

quosdam per interpretem judicare debuissent. Nam omnes Judæi, petentes decisionem rerum gravium, Hierosolymam ad Sanhedrin venire debuerunt. Atqui videtur Judæis absonum Viros tam eruditos & sapientes judicasse per interpretes: ergo singuli ex 70 Viris etiam 70 linguas ex sententia Judæorum calluerunt. Hinc fingunt Mardochæum 70 novisse linguas. Et quia Josephus & Salomo non minori sapientia fuerunt præditi, quam multi ex Sanhedrin, ideo etiam necessariò 70 debuerunt calluisse linguas. Ob hanc mysteriorum venationem facilius & libentius concedunt divisionem populorum & confusionem linguarum esse factam in 70 populos, & in totidem linguas.

VI. *Respondeo* 2. Verum quidem est quod fuerint septuaginta Noachi nepotes: attamen inde nemo bonâ consequentiâ probabit, quod etiam totidem populi sive gentes fuerint. Nam non est verosimile patrem à filio, & fratrem à fratre ita fuisse tum temporis separatos, ut terrâ & linguâ sibi invicem fuerint peregrini & barbari. Si vero pater non fecerit diversam à filio gentem, ergo non potuerunt tot esse gentes: nam inter 70 Noachi nepotes etiam decem patres numerantur, qui non videntur peculiarem à filiis suis gentem constituisse, & linguam diversam effecisse. Si ergo decem à 70 sint detrahendi, manebunt tantum sexaginta; & sic sententia illa de 70 populis & de 70 linguis non erit certa.

Deinde ex *Deut.* 32. 8. non clarè evincitur, quod per *filios Israëlis* intelligantur illi 70, qui ingressi sunt in Æpyptum: nam verba Prophetæ (*constituit terminos gentium secundùm numerum filiorum Israëlis*) aliud sonant, scil. Deum inter populos orbem ita distribuisse, ut Israëlitis olim nascituris tantum terrarum reservaverit, aut in consilio suo destinaverit, quantum requiri noverat genti numerosissimæ ad commodam habitationem. Sic explicat hunc locum Doctissimus Bochartus in libro Phaleg cap. 15.

Denique si præcisam supputationem ingressorum in Ægyptum instituere vellemus, erunt plures quàm septuaginta: nam in Actis Apostolorum *Cap.* 7. *vers.* 14. expresse dicitur, quod fuerint 75 homines, qui in Ægyptum profecti sunt.

VII. *Respondeo* 3. Posito, sed non concesso, quod fuerint 70 populi, inde tamen nondum sequitur, quod fuerint etiam 70 linguæ. Nam non est necesse concedere populos terrâ à se invicem segregatos, etiam

etiam novas linguas constituisse: nec hoc etiam evincitur ex Genes. 10. 5. ubi dicitur: *Divisa sunt regiones per terras earum, cuique secundùm linguam suam.* Ex his verbis tantùm elicitur unicuique populo suam fuisse linguam; sed nullo modo sequitur illam linguam fuisse propriam, & à cæteris in unoquoque populo distinctam. Eodem modo, quia Estheræ *Cap.* 8. *versu* 9. dicitur ex Assueri mandato literas fuisse scriptas ad Præfectos provinciarum centum viginti septem *secundùm scripturam cujusque Provinciæ, & secundùm linguam cujusque populi*, nemo colligere potest totidem fuisse linguas, totidemque scribendi modos.

VIII. *Respondeo* 4. Septuaginta discipuli à Christo electi non ad singulas totius orbis gentes sunt emissi, sed tantummodo ad solos Judæos, qui 70 populos non constituerunt: nam dicitur in suprà allegato textu *Luc.* 10. 1. Quod miserit illos 70 discipulos *in omnem urbem & locum, in quem ipse erat venturus.* Atqui Christus non erat iturus ad Garamantas & Indos, nec ultra Sauromatas & glacialem Oceanum; sed, uti ipse dicit Matth. 15. 24. *Non sum missus, nisi ad oves perditas domus Israëlis.* Ex his jam clarè sequitur, quod illi 70 discipuli à Christo emissi non probent tempore confusionis linguarum fuisse septuaginta populos vel 70 linguas.

IX. *Secunda* sententia de numero linguarum, ortarum ex confusione, est *Græcorum* & *Latinorum* Patrum, qui statuunt hanc confusionem esse factam in *septuaginta duas* linguas. Hi Patres etiam sententiam suam stabiliunt ex numero familiarum.

Sed *rogabit* fortè aliquis: Quare illi Patres Græci & Latini numerum familiarum binario auxerunt? *Resp.* Patres Græci & Latini numerum 72 familiarum desumpserunt ex Bibliis Græcis, in quibus Geneseos *capite* 10. duo Noachi nepotes, scil. duo Kainan adduntur, qui in Textu Hebræo non inveniuntur: prior est filius Schemi vers. 22. alter verò est filius Arphachschadi *vers.* 24. Alii adhuc paulo aliter hunc familiarum numerum colligunt, sed in numero tamen conveniunt. Hanc sententiam de septuaginta duabus linguis defendunt Eusebius, Epiphanius, aliique quamplurimi. Eusebii in Chronico lib. 1. verba translata sic sonant: *Nunc autem redeamus ad turris ædificationem, & confusionem 72 gentium & linguarum.* Epiphanii vero adversus hæreses lib. 1. §. 5. verba sic sese habent: *Deus dissipavit illorum linguas, & ex una distribuit in septuaginta duas pro hominum numero, qui eo tempore repertus fuit.*

Respondeo breviter. 1. Hæc sententia de 72 populis, totidemque linguis nullâ specie veritatis asseritur. Saltem illi duo Kainan (quia non inveniuntur in Textu Hebræo, sed tantum in Textu Græco non auctentico) non sunt numerandi inter nepotes Noachi. 2. Posito, quod dentur 72 Noachi nepotes, inde nondum sequitur, quod etiam in totidem linguas confusio linguarum sit facta. Hoc nullo modo sequi paulo ante fusius probavimus.

X. *Tertia* sententia est cujusdam *Euphori*, qui statuit confusionem esse factam in *septuaginta quinque* linguas; quia totidem animæ cum Josepho in Ægyptum descenderunt. Ita asserit Clemens: *Euphorus & alii plures historici, gentes & linguas referunt esse septuaginta quinque.*

Respondeo. Nulla est consequentia: si septuaginta quinque animæ descenderunt in Ægyptum, ergo totidem fuerunt gentes & linguæ.

XI. *Quarta* sententia est *Paciani*, Episcopi Barcinonensis, qui in opusculo contra Novatianos (cujus meminit Hieronymus) defendit linguarum confusionem esse factam in *centum & viginti* linguas.

Respondeo. Absque ullo fundamento & ratione hoc asseritur: & propterea eâdem facilitate, quâ asseritur, etiam à nobis rejicitur.

XII. His quatuor præcedentibus sententiis rejectis, sequitur *quinta & ultima*, quæ statuit numerum linguarum, tempore confusionis ortarum, esse *ignotum*. Nam nullibi in sacris literis numerus linguarum describitur, nec rationes suprà allegatæ ullo modo probant sententias illas: & per consequens tutius est hic doctam ignorantiam fateri, quàm aliquid, quod incertum est, magistrali auctoritate determinare.

Hanc sententiam defendunt multi viri eruditi, & Philologi saniores: conveniunt tamen cum sententiis superioribus, quod confusio illa facta sit in diversas linguas; sed in quot, vel in quas non determinant. Hanc quintam sententiam nos etiam defendendam suscipimus: nam rationes suprà allegatæ nihil certi probant.

Etiam non licitum est ex hodierno linguarum numero antiquum colligere: jam enim fortè plures linguarum centuriæ dantur, quàm olim linguæ tempore confusionis. Plinius à Timosthene memoriæ proditum ait, in unam Dioscuriadem, Colchorum emporium, trecentarum linguarum homines convenire fuisse solitos: & addit à Romanis postea per centum & triginta interpretes negotia ibi gesta fuisse. Mithridates non magnam Asiæ partem, si toti conferatur imperio, tenens, viginti duas linguas in sua ditione habuisse constanti

Scri-

Scriptorum consensu asseritur; quibus si addantur cæteræ linguæ, quæ toto terrarum orbe tum temporis diversæ fuerunt, maximus numerus linguarum inde evadet.

Complures etiam aliæ linguæ, post Christi natalem, ex unâ primigeniâ sunt ortæ. Quis enim nescit ex Germanica natam esse Belgicam, Anglicam, Danicam aliasque linguas? Quis ignorat ex linguâ Latinâ natas esse linguas Gallicam, Italicam, Hispanicam &c? Maledictio illa, quâ Deus punivit homines, occasione turris Babylonicæ, non fuit momentanea, sed continua, quæ adhuc durat, & usque ad consummationem sæculi durabit. Hinc est, quod omnes linguæ, exceptis paucis, sint in perpetuo fluxu, singulis propè sæculis magnâ sui parte mutentur.

XIII. *Secundò quæritur.* In quas linguas famosa illa confusió linguarum facta est? Et an adhuc hodie quædam ex illis primis linguis supersunt?

Respondeo. Nemo hoc facilè determinare potest; quia nomina populorum & regionum sunt variata. Præterea ipsæ linguæ olim sunt mutatæ, & adhuc quotidiè mutantur.

Mihi maxime probabile videtur linguas Græcam, Germanicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, Cananæam, Philistæam, Aramæam & Chaldæam ex confusione esse natas: quia illæ linguæ nomina sua retinuerunt à Principibus familiarum, hoc est, à nepotibus Noachi: ex. gr. Lingua Græca nomen accepit à Javan, *Genes.* 10. 2: hinc lingua Græcorum vocatur לָשׁוֹן יָוָן. Lingua Germanica nomen habet ab Aschenaz: hinc *Germania* vocatur, אַשְׁכְּנַז, *Germanus* אַשְׁכְּנַזִי, Lingua Ægyptiaca nominatur à Mitzrajim: hinc *Ægyptus* vocatur מִצְרַיִם &c. In quas alias linguas confusio facta sit, & quæ adhuc ex confusione supersunt difficile est determinare. Saltem quædam linguæ, ex confusione natæ, adhuc videntur superesse: sed illæ procul dubio magnam mutationem sunt passæ.

XIV. In sacris Literis viginti fere linguarum, præter Hebræam, fit mentio, quarum quædam sine dubio sunt primigeniæ, natæ ex confusione.

Prima lingua, cujus mentio fit in S. Scriptura, est Chaldæa, quæ in Daniele & Ezra est usitata. Hæc lingua vocatur Dan. 1. 4. לְשׁוֹן כַּשְׂדִּים *Lingua Chaldæorum*; estque linguæ Hebrææ maximè affinis, & originem habet ex confusione linguarum. In confusione omnes linguæ

non erant planè diversæ, sibique mutuo oppositæ; sed magna fuit convenientia linguarum cum matre Hebræa. Et quo populus dispersus Hebræis, Hebraicè loquentibus, erat vicinior, eo viciniorem etiam linguam, propriùs ad Hebræam accedentem, nactus est & retinuit. Omnia illa capita Chaldaica Danielis & Ezræ in linguam Hebraicam transtuli, & edidi in fine Philologi Græci anno 1685.

Secunda lingua, cujus meminit sacra Scriptura, est lingua Arabica: *Actor.* 2. 11.

Tertia lingua est lingua Chanaan, cujus Jesaias *cap.* 10. *v.* 18. facit mentionem. Hæc lingua Chananæa, ex sententia multorum Judæorum & Christianorum, non planè fuit distincta à lingua Hebræa. Quidam putant quod lingua Hebræa vocetur Chananæa: tum quia Judæi, loquentes sermone Hebræo, terram Chanaan inhabitabant; tum etiam quia lingua Chanaan linguæ Hebrææ valde erat affinis. Nos existimamus primam rationem esse veram, scil. quod lingua Hebræa vocetur Chananæa, quia Judæi loquentes Hebraicè Chananæam inhabitabant. Ergo Jesaias per linguam Chananæam non videtur intelligere linguam novam ab Hebraicâ diversam.

Quarta lingua est lingua Ægyptiaca, cujus fit mentio Psal. 81. v. 6. & 114. v. 1. *Quum processisset contra terram Ægypti, ubi sermonem ignotum audiebam.* Per ignotum & peregrinum sermonem necessariò intelligitur lingua Ægyptiaca.

Quinta lingua est lingua Aschdodæa, cujus meminit Nehemias *capite* 13. *v.* 24. *Filii eorum partim loquebantur Aschdodicè.*

Sexta lingua est lingua Persica, cujus nonnulla vocabula continentur in libro Estheræ: nam in illo describitur historia sub Persis gesta: ex. gr. פורים est vox Persica denotans *sortes.*

Septima & *Octava* linguæ, scil. Græcæ & Romanæ fit mentio *Luc.* 23. 38. in titulo crucis.

Nona linguæ meminit Lucas in Actis *cap.* 14. *v.* 11. ubi dicitur, quod turba sustulerit vocem, & *Lycaonicè* loquuta fuerit.

Reliquæ linguæ, quarum mentio fit in S. Scriptura, scil. Parthorum, Medorum, Elamytarum, Cappadociæ, Ponti, Asiæ, Phrygiæ, Pamphiliæ, Libyæ, Cyrenaicæ, Cretæ recensentur *Actorum cap.* 2. Hæ sunt viginti circiter linguæ, quarum in sacris Literis obiter fit mentio: quæ ex illis linguis à primâ confusione natæ sint, non satis constat: saltem verosimile est suprà allegatas linguas, quæ nomen retinuerunt

à Prin.

à Principibus familiarum, originem habuisse ex confusione.

XV. *Tertiò quæritur* Quo tempore confusio linguarum est facta?

Respondeo. Eodem tempore linguæ sunt confusæ, quo homines sunt dispersi. Geneseos capite 10. v. 25. dicitur, quod *Hebero nati fuerint duo filii, quorum uni nomen Phaleg: quia in diebus ejus divisa fuit terra.* Textus innuit temporibus Phalegi terram fuisse divisam. Per divisionem terræ etiam divisio linguarum intelligitur: hæc enim illius causa fuit. Temporibus igitur Phalegi linguarum confusio facta est.

XVI. Cum certum sit temporibus Phalegi confusionem esse factam, *quæritur*: An ea sit facta circa mortem Phalegi? An circa mediam ejus ætatem? An verò circa ejus nativitatem?

Respondeo 1. Non est eadem omnium Doctorum sententia. Qui *primam* sententiam defendunt, scil. quod confusio sit facta circa mortem Phalegi, statuunt hanc confusionem esse factam circa annum trecentesimum & quadragesimum post diluvium. Nam Phaleg, natus anno centesimo primo post diluvium, uti Geneseos capite XI. dicitur, vixit ducentos & triginta novem annos. In hac sententia sunt plerique Hebræi; qui præterea statuunt Abrahamum fuisse 48 annorum, quando confusio à Deo introducta fuit.

2. Patroni *secundæ* sententiæ adscribunt confusionem mediæ Phalegi ætati: sed non eodem modo. Cornelius à Lapide adscribit confusionem anno ætatis Phalegi septuagesimo, hoc est, post diluvium anno 171. Augustinus Torniellus refert confusionem ad annum Phalegi 140. hoc est, ad annum post diluvium 241.

3. Doctores *tertiæ* sententiæ statuunt confusionem esse factam circa nativitatem Phalegi, hoc est, circa annum post diluvium centesimum primum. Eo enim tempore natus est hic Phaleg, uti apparet ex Geneseos capite XI.

XVII. Hæc ultima sive tertia sententia videtur verosimillima propter has duas sequentes rationes. 1. Quia hic Phaleg nomen accepit ab hac divisione: ergo circa ejus nativitatem confusio videtur introducta. Nam infantibus, non vero viris circa mediam ætatem, vel circa mortem, nomina imponuntur. Judæi adhuc hodie pueris octavo die, & puellis post sex à nativitate hebdomadas nomina imponere solent. Hic mos infantibus nomina imponendi apud plerasque gentes etiam usitatus est.

2. Si Phalego nomen impositum fuisset circa mediam ejus ætatem,

tem, procul dubio S. Scriptura dedisset aliquam rationem, ob quam hoc nomen magis impositum fuisset Phalego, quam aliis tum temporis viventibus: sed nulla assignari potest ratio. Ideoque verosimilior est illa sententia, quæ statuit Phalego impositum esse nomen non circa mediam ejus ætatem, sed circa nativitatem.

XVIII. Contra hanc sententiam tres *objectiones* possunt formari, quarum *prima* desumpta est à contraria Judæorum consuetudine; scil. quod non tantum nomina imponantur pueris circa nativitatem, sed etiam provectioribus circa mediam ætatem, imo etiam circa mortem. Ex. gr. Saul nomen accepit circa mediam ætatem, cum in Regem eligeretur. Saul enim idem significat quod *postulatus, petitus*. Antequam Saul in Regem electus fuit, tali nomine non videtur insignitus. Sic etiam Apostolus Paulus, postquam factus esset Christianus, vocatus est Paulus, cum antea vocaretur Saul, Actorum cap. 9. *Saul Saul, quid me persequeris*?

Respondeo. Verum quidem est quod aliquando nomina imposita sint hominibus, vel potius mutata circa mediam ætatem: sed hoc factum est ob specialem rationem, quæ illos præcipue tangebat. Verum nulla potest assignari ratio, ob quam Phaleg hoc nomen magis accepisset, quam cæteri ipsius fratres. Sed Saul tali nomine fuit insignitus, quia Israëlitæ Regem petebant, per quam petitionem Saul ipsis concedebatur. Fuit etiam specialis ratio, ob quam gentium Apostolus loco Saulis postea vocatus fuit Paulus, quasi pusillus. Nam Paulus nomen suum secundùm consuetudinem Iudæorum mutavit.

Judæi olim nonnunquam nomina sua mutarunt ob unam ex tribus sequentibus rationibus. 1. Ob morbos periculosos, qui corpora invaserant. Ægroti hâc mutatione nominis indicabant mutationem esse sequuturam vel ad vitam, vel ad mortem.

2. In signum mutationis vitæ anteactæ. Hâc mutatione indicabant se facere votum, quo testabantur & vovebant se unà cum nomine vitam anteactam in melius esse commutaturos, ita ut plane alii & novi homines viderentur. Ob hanc secundam rationem videtur Paulus mutasse nomen suum; quasi voluisset indicasse, Saul quidem persequutus est ecclesiam, non vero Paulus; jam sum alius homo; jam non amplius ecclesiam Christi persequar. Per mutationem ergo nominis sui in memoriam revocabat turpitudinem & detestationem vitæ anteactæ, & simul quasi tacitè pollicebatur se non amplius illam ecclesiam ita persequuturum esse.

3. Qui

3. Quidam Judæi mutabant nomina sua, ut irritum facerent decretum Divinum, quod Deus contra tales conceperat. Quatuor enim res ex sententia nonnullorum Judæorum rescindunt decretum judiciale Dei. *Primò* Eleëmosyna. *Secundò* Precatio. *Tertiò* Mutatio nominis, & *quartò* Mutatio operum sive conversio. Paulus ad hanc decreti divini annihilationem non respexit. Decretum enim Dei non potest irritum fieri. Sed Paulus intendit conversionem; quia voluit indicare se jam esse hominem alium, quem vitæ anteactæ pœnitet.

Concedimus ergo, quod aliquando hominum nomina circa mediam ætatem sint mutata, sed fuit semper specialis ratio, quæ illos in particulari tangebat, & non alios. Atqui potest assignari specialis ratio, ob quam Rex ille vocatus fuerit Saul; & quare Apostolus nomen suum mutaverit in Paulum. Verum in Phalego nulla potest assignari specialis ratio: nam divisio, undè ille nomen accepit, non tantum illum sed etiam alios fratres tangebat.

XIX. *Secunda* objectio etiam est desumpta à consuetudine Judæorum, scil. quod ipsi circa mortem imo post mortem infantibus suis nomina imponant. Nam Judæi solent, si infans ante octavum diem incircumcisus moriatur, talem supra sepulchrum circumcidere, nomenque ei imponere, ut Deus illius infantis etiam esset memor, & erga eum misericordiam suam exerceret in mortuorum resurrectione.

Respondeo. Circa mortem vel post mortem imponuntur quidem nomina, sed tantum infantibus, nomen nondum habentibus. Ast si Phalegus nomen accepisset circa aut post mortem, tum non accepisset nomen suum, cum esset infans: nam erat annorum 239. cum moreretur. Deinde illud nomen non fuisset primum Phalegi nomen; cum infantium hoc sit primum nomen, quod post mortem accipiunt.

XX. *Tertia* objectio potest esse bimembris. 1. Impossibile est quod confusio linguarum facta sit circa nativitatem Phalegi, hoc est, anno 1757. post creatum mundum. Nam si tum temporis facta esset confusio, tum dicendum erit quod spatio annorum centum & unius (nam Phaleg natus est anno 101. post diluvium, qui incidit in annum Mundi 1757.) per illos octo homines, qui fuerunt in arca, mundus ita vehementer fuerit multiplicatus, ut tot fuerint gentium capita, & tot diversæ familiæ, quæ tot terras invadebant, tot nationes constituebant, & tot mundi plagas occupabant.

2. Adhuc augetur hoc dubium, cum attendimus ad brevitatem vitæ Patrum postdiluvianorum: nam Patres antediluviani duplo fere diutius vixerunt quam postdiluviani. Quidam ex antediluvianis ultra nongentos annos vixerunt, cum Patres postdiluviani tantum quadringentos præter propter annos vixerint. Arphacsad primus post diluvium Patriarcha tantum vixit annos 433. Etiam alii Patres postdiluviani respectu Patrum antediluvianorum non diu vixerunt.

Respondeo 1. Quidam hanc objectionem solvunt dicendo, quod plures homines in arca Noæ fuerint quam octo; & quod in Textu tantum supputentur præcipui, quodque famuli, ancillæ, pueri & puellæ subintelligantur. Putant enim in arca non supputari eos, sicuti in curru non supputatur auriga. Si enim aliquis quærat, Quot homines fuerint in curru? Respondebitur quatuor aut sex, omisso semper aurigâ: ideo idem, quia non numeratur, etiam non solvit vectigal. Idem observari solet in nuptiis & conviviis: si enim quis roget, quot fuerint convivæ nuptiales? Respondebit alius, quinquaginta aut sexaginta, aut plures vel pauciores, omissis ancillis & famulis, qui non numerantur, etiamsi in nuptiis etiam edant & bibant. Idem putant nonnulli etiam dicendum esse de octo hominibus in Arca Noæ contentis. Narravit mihi nonnemo, qui audiverat Pastorem in publicâ concione hanc sententiam defendisse. Mihi tamen hæc sententia non videtur verosimilis: nam in Textu dicitur, quod fuerint octo homines, qui contradistinguuntur cæteris hominibus, qui in diluvio perierunt.

2. Alii majori specie veritatis adscribunt hanc humani generis multiplicationem Dei benedictioni, quâ Deus humano generi affatim benedixit. Hanc benedictionem Deus hominibus pollicitus est, Gen. 9. 1. quando dixit: *Fœtificate, multiplicamini, & replete terram*, & vers. 9. *Abundè progignite in terra*. Simili benedictione Deus benedixit Israëlitis in Ægypto sub jugo Pharaonis habitantibus: ibi enim septuaginta circiter homines, qui cum Jacobo Patriarcha in Ægyptum descenderant, in aliquot centena hominum millia trecentis circiter annis excreverunt; adeo ut Ægyptii decreverint Israëlitas variis modis opprimere, ne ab illis, utpote cum tempore futuris fortioribus, vincerentur, & ex regno suo pellerentur. Unde videri est, quid Dei benedictio efficere possit.

3. Vita Patrum postdiluvianorum fuit quidem multo brevior vitâ

Patrum

Patrum antediluvianorum; sed Patres antediluviani multo serius etiam inceperunt generare quàm Patres postdiluviani. Plerique enim Patres, post diluvium viventes, circa annum trigesimum circiter generabant, cum Patres, ante diluvium viventes, demum circa annum centesimum ferò generare inceperint. Adamus cœpit generare anno 130. Seth anno 105. Sed Schelah, cum esset 30. & Heber cum esset 34. annorum, genuerunt.

XXI Concludimus ergo sententiam illam, quæ statuit linguarum confusionem esse factam circa nativitatem Phalegi, hoc est, anno centesimo primo post diluvium, sive anno 1757. post creationem mundi, nullo modo esse absurdam, vel S. Scripturæ contrariam; sed potius sacræ Scripturæ & sanæ rationi consentaneam. Nam nomina hominibus imponuntur non circa mediam ætatem, vel circa mortem, sed circa nativitatem, & quidem sæpe ob oblatam aliquam occasionem. Ergo Phalego, qui sic denominatus est à divisione linguarum, nomen impositum est circa tempus nativitatis: quia illo tempore linguæ confusæ sunt. Hæc dicta sufficiant de linguarum confusione.

DISSERTATIO VIGESIMA, DE

Linguæ Hebrææ post confusionem conservatione, & ejusdem propagatione.

§. 1. *Lingua Hebraa tempore confusionis permansit pura.*
2. *Lingua Hebraa est conservata in unica familia.*
3. *Quinque rationibus probatur quod ea in familia Heberi sit conservata.*
4. *Ratio datur quare ea potius sit conservata in familia Heberi, quàm in aliis impiis familiis.*
5. *Schem vocatur pater filiorum Heberi, & non pater aliorum filiorum. Nomen Hebrai est nomen patronymicum & nomen professionis.*
6. *Quod Schem non fuerit Melchisedek duabus rationibus probatur contra Judaos.*
7. *Lingua Hebraa fuit conservata in Mesopotamia, in Canaan, (cujus terra linguam Abrahamus facile propter vicinitatem potuit intelligere) in Ægypto, in deserto, iterum in Canaan (quod tribus rationibus probatur) & tandem in Babylonia.*
8. *Cum in Capt. Babyl. lingua Hebraa desierit esse vernacula, in*

ejus locum successit pura lingua Chaldaea: deinde illa dialectus pura successu temporis impurior facta est.

9. *Lingua Chaldaica vocatur nomine generaliori Syriaca.*

10. *Lingua Hebraea post captivitatem Babylonicam nunquam alicubi Judaeis fuit vernacula.*

11. *Verosimile est beatos in coelo post ultimum judicium sermone articulato, & quidem Hebraico esse usuros.*

SECTIO I.



Uperioribus duabus Dissertationibus egimus de confusione linguarum, & de earundem diversitate; sequitur nunc, ut porro investigemus, ubi & apud quos lingua Hebræa in . & post confusionem fuerit conservata. De hac materia has sequentes quæstiones movebimus.

Primò quæritur. An lingua Hebræa tempore confusionis permansit in sua puritate?

Respondeo affirmando. Deus hanc linguam utpote sanctam servavit puram in illis, qui nec consilio nec auxilio structuram turris Babylonicæ promoverunt. Illi enim non peccarunt in ædificatione illâ: & per consequens non videtur verosimile, quod Deus illos in linguâ puniverit

II. *Secundò quæritur*. Utrum lingua Hebræa tempore confusionis sit conservata in populis & familiis pluribus; an verò tantummodo in unicâ familiâ?

Respondeo 1. Quidam statuunt linguam Hebræam in multis familiis & locis, ut in tota Syria, Assyria, & in terra Canaan, ut & in posteris Chami incorruptam mansisse. Ab hac sententia non plane alienus est Scaliger, qui expresè in Epistolis suis ait linguam Hebræam partim in Assyria, partim etiam in Canaan integram mansisse. Et si in Canaan lingua Hebræa etiam mansisset integra, tum etiam inter posteros Chami mansisset. Nam in divisione terræ posteris Chami concessa est Cananæa. Sed hæc prima sententia videtur improbanda: nam Cham & familia ejus consenserunt in ædificationem Turris, propter quam Deus linguas confudit. Si ergo posteri Chami sint participes peccati, procul dubio etiam participes fuerunt confusionis linguarum: & propterea in posteris Chami lingua Hebræa nullo modo videtur in puritate sua permansisse.

2. Alii putant non sine ratione eam sententiam esse verosimiliorem, quæ statuit linguam Hebræam in unicâ certâ familiâ,

non

non vero in pluribus familiis esse conservatam.

III. *Tertiò quæritur.* Si lingua Hebræa in unicâ familiâ sit conservata; Quænam illa familia fuit?

Respondeo Receptissima Doctorum tam Hebræorum quam Christianorum sententia est eam familiam fuisse Heberi familiam: inde enim lingua Hebræa nomen suum accepit. Hæc sententia his sequentibus rationibus probatur.

1. Quia hæc familia Heberi non consensit in impium Babylonicorum fabrorum consilium de ædificanda Turri. Patres enim illius familiæ fuerunt viri pii, Deum timentes, qui nullo modo videntur tam insanum & impium opus approbasse. Qui verò non fuerunt participes peccati, etiam non videntur fuisse participes pœnæ, quam Deus specialiter ob illud peccatum inflixit.

2. Dispersio populorum per terras fuit sequuta linguarum confusionem; verum Schemi familia, per Heberi lineam descendens, tempore confusionis non fuit dispersa more aliarum familiarum per terras, sed mansit tamdiu in suis sedibus, donec Abrahamus speciali vocatione inde vocatus fuit. Si ergo hæc familia non fuit passa dispersionem per terras, non videtur etiam passa linguarum confusionem.

3. Posteri Schemi & Heberi loquuti fuerunt Hebraicè; ergo in illa familia lingua Hebræa fuit conservata: nam non est verosimile posteros Schemi, per lineam Heberi descendentes, aliâ linguâ fuisse usos, quàm quâ usi fuerunt patres ipsorum. Quod posteri Schemi Hebraicè loquuti fuerint, apparet tum ex nominibus Patriarcharum, Abrahami, Isaaci, Jacobi, omniumque ipsius filiorum; tum etiam ex nominibus locorum, ut Zoar, Beerzebah &c. Hæc omnia nomina sunt purè Hebraica; & per consequens illi, qui hæc nomina imposuerunt, Hebraicè loquuti fuerunt. Sed illi fuerunt posteri Schemi per lineam Heberi descendentes: ergo lingua Hebraica videtur in familia illa conservata. Nam illi, qui multis seculis pòst ex illa familia descenderunt, loquuti fuerunt Hebraicè.

4. Lingua Hebræa magis videtur conservata in familia Heberi quam in aliis familiis: quia posteri Schemi, per lineam Heberi descendentes, semper in vera pietate permanserunt. E contra posteri patris Cham à Deo & vera religione discesserunt; & multo probabilius est linguam sanctam fuisse conservatam in illa familia, quæ veræ religionis & pietatis fuit conservatrix, quam in alia, quæ à Deo fuit maledi-

 cta.

cta. Sic enim dicitur Geneseos Capite 9. v. 25. *Maledictus Canaan, benedictus sit Dominus Deus Schem*. Vide plura de hac materia in Dissert. 3. Cl. Buxtorfii. Hinc est, quod Hebræi meliores prærogativas tribuant posteris Schemi quam posteris aliorum filiorum Noachi. Statuunt enim, quum Deus inter septuaginta angelos per sortem distribueret septuaginta populos, (in tot enim populos homines omnes tempore confusionis linguarum esse distributos asserunt,) quod sors Dei ceciderit in familiam Abrahami, ex Heberi familia & linea descendentem; ita ut illa familia fuerit quasi peculium Dei, in qua, quum vera religio permanserit, etiam linguam sanctam permansisse probabile est.

5. Denique si lingua Hebræa etiam fuisset in aliis familiis conservata, quam in Heberi familia; ergo non solum vocata fuisset Hebræa ab Hebero, sed etiam aliis nominibus, desumptis ab aliis posteris filiorum Noachi, fuisset insignita: verum lingua hæc sancta nullis aliis nominibus posterorum Noachi fuit denominata. Vocatur quidem lingua Canaan, sed hoc fit propterea, quia posteri Heberi, loquentes hanc linguam, terram Canaan inhabitarunt.

IV. *Quartò quæritur*. Quare lingua Hebræa potius in Heberi familia, quàm in aliorum filiorum Schemi familiis fuit conservata.

Respondeo. Deus voluit potius linguam suam conservare in familia, quæ sinceri cultus & veræ pietatis erat conservatrix, quàm in aliis familiis, quæ alienos deos colebant. Verbum Dei linguâ sanctâ conscribendum erat, & cultus Dei hâc linguâ peragendus: & propterea illi, per quos ecclesia Dei erat propaganda, linguam sanctam callere debuerunt. Etiam ecclesia Dei fuit ordine propagata per Hebræos, scil. à Noacho per Schemum, per Heberum, per Pelegum, per Rehu, per Serug, per Nachorem, per Terachum, per Abrahamum, per Isaacum, per Jacobum &c. Hi omnes linguæ Hebrææ usum constanter retinuerunt, & Hebræi κατ' ἐξοχὴν fuerunt vocati; cum cæteri posteri Schemi, etiamsi ab Hebero etiam descenderint, hoc nomine fuerint destituti. Vera ecclesia in cæteris Schemi posteris non fuit conservata. Hinc Schem Genes. 10. 21. vocatur *Pater omnium filiorum Heberi*.

V. *Quintò quæritur*. Quare Schem non vocatur etiam pater aliorum suorum filiorum, quorum æque pater erat quam Heberi?

Respondet Abarbaniel, quod Schem vocetur tantum pater filiorum Heberi ob amorem, quo Heberum ejusque posteros præ omnibus aliis filiis prosequebatur: nam videbat Heberum esse justum coram facie

sua,

sua, & filium sapientem, ex cujus lumbis descenderent, qui Deo adhærerent. Hinc posteri Heberi vocati sunt Hebræi; quod nomen non solum est Patronymicum & Gentile, sed etiam nomen professionis, fidei & doctrinæ. Lingua Hebræa ergo in posteris Schemi per lineam sive familiam Heberi fuit conservata.

VI. Hic Schem, pater Heberi, falsò ab Hebræis cum Melchisedecho confunditur. Paraphrasis, quæ vulgo Jonathæ adscribitur, explicat in Genesi *cap.* 14. *v.* 18. Melchisedechum per הוא שֵׁם בַּר נֹחַ *ille est Schem filius Noachi.* Etiam Paraphrasis Hierosolymitana, Midrash Agada, & Kabbalistæ idem statuunt. Quare? Quia putant non esse verosimile alienigenam Abrahamo benedixisse, eumque ab eo tanquam Sacerdotem ordinis superioris decimas exegisse.

Sed Judæorum sententiam, (quæ asserit Schemum esse eundem cum Melchisedecho) esse falsam probatur his duabus rationibus. 1. Melchisedech dicitur Hebr. 7. 3. Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, *sine patre, sine matre, sine genealogia*: hoc est, ipsius parentes non fuerunt noti, & ipsius genealogia latuit: dicitur enim versu 7. *quod ejus generatio non annumeretur in eis.* Verum Schemi parentes fuerunt noti, & Abrahamus fuit ex descendentibus Schemi: sed ad ejus genus non pertinuit Melchisedech; ergo Melchisedech non fuit Schem. 2. Melchisedech regnavit in terra Canaan, in qua Schem non videtur regnasse. Nam terra Canaan pertinuit ad sortem Chami.

VII. *Sextò quæritur.* Cum lingua Hebræa in posteris Heberi aliquandiu fuerit vernacula: quæritur porro, Quando eadem vernacula esse desierit? Et ubi tamdiu fuerit conservata?

Respondeo 1. Lingua Hebræa ab Hebero usque ad Abrahamum fuit propagata in Mesopotamia, quæ Hebræis vocatur אֲרַם-נַהֲרַיִם, *Syria duorum fluviorum*: quia sita fuit inter duos fluvios, Euphratem scil. & Chiddekel sive Tygrim.

Resp 2. Abraham specialiter vocatus à Deo ex Mesopotamia in terram Canaan, secum hanc linguam in Canaan apportavit; & sic lingua Hebræa in terra Canaan inter Abrahamum & ipsius amicos fuit vernacula.

Rogabit fortasse aliquis. Quomodo Abraham cum Cananæis, & illi iterum cum ipso loqui potuerint? *Respondeo.* Cananæi erant Syris propinqui; & propterea videtur verosimile eos fuisse usos linguâ, quæ non multum differebat à linguâ tum temporis usitatâ in Mesopota-

potamiâ: & si non magna fuerit differentia inter illas linguas, tum facilè alter alterius linguam potuit intelligere.

Resp. 3. Jacobus, quum ad Josephum proficisceretur, linguam Hebræam secum in Ægyptum detulit, ibique linguam illam immutatam retinuit. Hoc passim testantur Rabbini; qui præterea ajunt Israëlitas propter meritum quarundam rerum ex Ægypto esse liberatos. Inter cæteras res, ob quas Israëlitæ illam liberationem à servitute Ægyptiaca meriti fuissent, etiam numeratur hæc, quod linguam suam sanctam in Ægypto non mutaverint.

Resp. 4. Israëlitæ omnes, liberati ex Ægypto, in deserto Hebraicè fuerunt loquuti; etiam hanc linguam per totum illud tempus, quo in deserto vixerunt, retinuerunt.

Resp. 5. Israëlitæ linguam Hebræam secum, expulsis Cananæis, attulerunt in Canaan; in qua omnes docti & indocti, viri & fœminæ, principes & subditi, juvenes & senes Hebraicè fuerunt loquuti.

Quod Judæi in Canaan loquuti fuerint Hebraicè, *primò* patet passim in Veteri Test. ex variis nominibus locorum & personarum purè Hebraicis, ut גִּלְגָּל *Gilgal*, שְׁמוּאֵל *Schemuel*, נָעֳמִי *Noomi*, quæ, *Ruth.* 1. 20. vocata est מָרָה *Mara*, כִּי־הֵמַר שַׁדַּי לִי *quia*, dicit, *Omnipotens me amaritudine affecit*. Hæc omnia nomina sunt pure Hebraica: ergo illo tempore in illis locis Hebraicè fuerunt loquuti. Sunt quidem nonnulli, qui absque ullo fundamento statuunt Israëlitas in terra Canaan Chaldaicè fuisse loquutos: sed illi refutantur *secundò* ex Danielis *capite* 1. ubi dicitur, quod, postquam Nebucadnezar Judæos ex Canaan in Babyloniam abduxisset, jusserit eligere ex illis captivis quosdam juvenes, eosque docere linguam Chaldæorum. Ergo Judæis, in terrâ Canaan habitantibus, lingua Chaldaica non fuit vernacula. Verum quidem est, quod nonnulli ex doctioribus etiam linguam Chaldaicam intellexerint; sed populus in terra Canaan Hebraicâ linguâ ut vernaculâ utebatur. Hoc *tertiò* invictissime evincitur ex 2 Regum *cap.* 18. *v.* 26. ubi ministri Regis Hiskiæ dicebant Rabsaki: *Alloquere servos tuos Aramicè*, (Chaldaicè) *quia nos intelligimus*; *ne alloquitor nos Judaicè*, (Hebraicè) *audiente populo hoc*, *qui est super murum*. Colloquium hoc institutum est in Canaan annis circiter centum & viginti tribus ante captivitatem Babylonicam. Hinc ergo illucescit ipsâ luce diurna clarius populum in Cannan Hebraicè fuisse loquutum.

Resp. 6. Judæi, transportati ex terra Canaan in Babyloniam, adhuc

huc Hebraicè loquebantur; sed quum aliquandiu ibi fuissent, linguam Hebræam oblivioni tradiderunt, & linguam illi terræ vernaculam, h. e. Chaldæam, didicerunt. Sic enim communiter fieri solet; homines præcipuè plebeji communiter addiscunt linguam usitatam in terra, in qua habitant. Hoc idem etiam accidit Judæis in Babylonia captivis: ibi enim linguæ Hebrææ familiaris usus cessavit, & non amplius sub Veteri Test. unquam Judæis vernacula fuit. Nehemias in libro suo *cap.* 13. *v.* 23. 24. dicit se vidisse suo tempore Judæos, quorum filii Asdodicè loquebantur, & nesciebant loqui Judaicè, hoc est, Hebraicè: ergo lingua Hebraica tum temporis desiit esse plebi Judaicæ vernacula. Vide plura apud Cl. Buxtorfium in Dissertatione *tertia.*

VIII. *Septimò quæritur.* Quum lingua Hebraica in captivitate Babylonica desierit Judæis esse vernacula: Quæ igitur lingua in locum ejus successit? Vel quâ linguâ Judæi in & post captivitatem Babylonicam tanquam vernaculâ fuerunt usi?

Respondeo 1. In ipsa captivitate Babylonica didicerunt linguam in Babylonica vernaculam, hoc est, Chaldæam. Omnes enim Babylonii tam Principes quam subditi in Babylonia Chaldaicè loquuti fuerunt; & filii Judæorum, qui in captivitate nascebantur, facillime absque ullo labore à Chaldæorum pueris linguam Chaldæam addiscebant. Sed procul dubio Patres, qui ex terra sancta abducti fuerant, adhuc in ipsa captivitate usque ad finem vitæ Hebraicè fuerunt loquuti. Idem etiam concedendum videtur de Sacerdotibus & Judicibus; uti videre est in libro Cosri, ubi dicitur, *quod cognitio Legis & linguæ Hebrææ manserit in corde Sacerdotum & Judicum.*

2. Judæi fere omnes post liberationem ex captivitate Babylonica, in qua 70 annos habitaverant, & reducti in terram sanctam, Chaldaicè loquebantur, & quidem secundùm dialectum puram, quâ Daniel in libro suo usus est. Sed cum aliquandiu in terra sancta habitassent, etiam linguam illam Chaldaicam parumper corruperunt. Sic enim ferè solet fieri in omnibus linguis: nam eæ varias tractu temporis patiuntur mutationes, & quotidiè magis magisque à primæva puritate degenerant.

3. Sequentibus seculis post captivitatem Babylonicam, scil. stante Templo secundo usque ad confectum Talmud, hoc est, usque ad quingentesimum fere annum post nativitatem Christi, imo adhuc

diu post illud tempus, Judæi Chaldaicè sed dialecto impuriori loquuti fuerunt; & non tantum ita loquuti fuerunt, sed etiam libros suos tali linguâ & tali impurâ dialecto conscripserunt; uti videre est in Thalmude Babylonico & Hierosolymitano, & in aliis libris circa illud tempus tali dialecto conscriptis. Præterea quo libri Chaldaici citius post captivitatem Babylonicam sunt conscripti, eo etiam elegantiori & puriori dialecto Chaldaica sunt exarati. Hoc verum esse apparet ex Paraphrasibus Chaldaicis Onkelosi & Jonathæ, quæ circa tempora Christi conscriptæ sunt; quia populus linguam Hebræam non amplius intelligebat. Ante illud tempus, fortassè adhuc in ipsa Captivitate Babylonica, vel paulo post procul dubio Paraphrases quædam Chaldaicæ fuerunt conscriptæ; sed illæ jam diu perierunt. Hæ Paraphrases, Onkelosi scil. & Jonathæ, puriori dialecto Chaldaica constant, quam Thalmud & alii libri Chaldaici, posterioribus temporibus conscripti. Noster Salvator, in cruce pendens, etiam partim Chaldaicè, sive Syriacè, loquutus est, cum exclamaret אֵלִי אֵלִי לְמָה שְׁבַקְתָּנִי *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquisti*? Ultimum verbum est Chaldaicum occurrens in Paraphrasi Chaldaicâ Jonathæ *Psal.* 22. 2. In Textu enim Hebræo habetur verbum Hebraicum עֲזַבְתָּנִי *dereliquisti me*, quod in significatione cum voce illa Chaldaica sive Syriaca convenit.

IX. *Objiciet* fortè nonnemo, quod Judæi tempore Salvatoris propriè loquuti fuerint Syriacè, & non Chaldaicè: ergo falsò dicitur, quod Salvator loquutus fuerit Chaldaicè.

Resp. Lingua Chaldaica & Syriaca non sunt diversæ linguæ, sed tantummodo diversæ dialecti: ideoque qui loquitur Chaldaicè etiam Syriacè loqui dicitur. Daniel in libro suo *cap.* 2. *vers.* 4. dicit Chaldæos Regem alloquutos fuisse אֲרָמִית *Syriacè*, cum propriè Chaldaicè loquuti fuerint. Lingua Chaldaica sæpissime nomine generaliori vocatur Syriaca; quia Syria comprehendebat Babyloniam, in qua propriè Chaldaicè loquebantur.

X. *Octavò quæritur.* An lingua Hebraica post captivitatem Babylonicam illo tempore alicubi fuerit vernacula?

Respondeo negando. Lingua Hebræa, postquam semel ejus familiaris loquendi usus desiit, nullibi nec olim Hierosolymis, nec jam vel ullo tempore in Germania, Hispania, Portugallia, vel in ullis aliis locis amplius vernacula fuit. Inveniuntur quidem hodie multi inter Judæos, qui Hebraicè loquuntur; sed illa loquela ipsis non est verna-

nacula: nam Judæi, etsi quidem citius, tamen eodem modo, quo Christiani, linguam Hebræam addiscunt. Judæorum pueri quinquennes ita ad scholas Hebraicas mittuntur ad discendam linguam Hebræam, quemadmodum Christianorum filii mittuntur ad scholas Teutonicas ad discendam linguam Teutonicam. Lingua igitur Hebræa non est vernacula Judæis hodiernis, nec illis, qui temporibus Christi & multis sequentibus seculis vixerunt, unquam fuit vernacula.

Quæ lingua igitur Judæis est vernacula? Illa lingua ipsis est vernacula, quæ est usitata in illis locis, in quibus habitant: ex. gr. Judæis Germanis in Germania habitantibus lingua Germanica est vernacula, Hispanis Hispanica, Belgis Belgica & sic deinceps.

Multi ex hodiernis Judæis linguam Hebræam nec intelligunt, nec loqui possunt; nihilominus, etiamsi multi ex iis linguam Hebræam non intelligant, tamen solent ut plurimum preces suas Hebraicè recitare: nam credunt talem vim & efficaciam illi linguæ inesse, ut nihilominus, etiamsi ipsi preces suas intelligant vel non intelligant, putent Deo eas gratiores esse, quàm si in nota aliquâ linguâ recitarent.

Si quidam Judæi scripturam Hebraicam ne quidem legere possint, quales multi Amstelodami inter Hispanos & Germanos inveniuntur, illi solent preces suas quotidianas Hispanicè vel Germanicè in Synagogâ recitare.

Et quandoquidem lingua Hebræa desiit esse vernacula, ideo illa fortasse jam diu è memoria fuisset deleta, nisi extitissent Biblia Hebræa, quæ speciali providentia Divina hactenus fuerunt conservata.

Ex illis Bibliis quidam Rabbini ante aliquot sæcula Grammaticam conscripserunt, ut linguam Sanctam conservarent, & studium illud Hebraicum promoverent ac facilius redderent.

XI. *Nonò quæritur*. An beati in futuro sæculo articulatè loquentur & quidem Hebraicè?

Respondeo. Melius conjecturis ad has & similes quæstiones responderi potest, quàm certis rationibus, petitis vel ex S. Scriptura, vel etiam ex rectâ ratione. Nam ipsa S. Scriptura nullibi ejus rei facit mentionem; nec rationes, quæ pro affirmativa sententia afferuntur, certò probant. Nihilominus nobis videtur maxime probabilis ea sententia, quæ statuit beatos post resurrectionem in futuro seculo articulatè, & quidem Hebraicè esse loquuturos. Rationes probabiles, quibus sententiam nostram confirmamus, sunt hæ sequentes.

Primò. Beati in futuro sæculo videntur articulatè loquuturi. 1. Quia loquela pertinet ad perfectionem hominis, eaque etiam pertinuit in statu innocentiæ ad perfectionem Adami; sed è contra mutum esse dicit imperfectionem. Atqui in futuro sæculo summe beati & perfecti erimus; & per consequens non videtur illa perfectio beatis deneganda in futuro sæculo, quæ Adamo concessa fuit in statu innocentiæ.

2. Organa loquelæ inservientia, ut lingua, guttur &c. non videntur beatis frustra esse concedenda.

3. Beati Deum laudabunt, eique laudes cantabunt: sed illæ laudes non videntur posse commodiori modo fieri quàm per externum sermonem. Nam non videtur verosimile, quod beati Deum laudaturi sint motitando tantum caput, manus, pedes, aliaque membra; cum laudes proprie fiant ore.

4. Beati in cœlo aliis beatis procul dubio conceptus suos indicabunt: sed non est verosimile eos indicaturos esse conceptus suos digitis vel annuendo aut motitando caput, ut muti solent. Ergo videtur verosimile, quod beati articulato sermone aliis beatis conceptus suos in futuro sæculo sint revelaturi.

Secundò. Jam etiam probabimus rationibus probabilibus beatos in futuro sæculo post ultimum judicium loquuturos esse Hebraicè: nam 1. Si beati articulatè loquentur, quod jam quasi concedimus: ergo non utentur linguâ Græcâ, Latinâ, Germanicâ, Gallicâ, aliisve linguis natis in & post linguarum confusionem. Ratio est: quia omnes illæ linguæ natæ sunt ex peccato; & non videtur verosimile beatos in statu omnium perfectissimo usuros esse linguâ aliquâ, quæ nata est ex peccato; quum peccatum & omnia quæ communicationem habent cum peccato in beato sæculo sint annihilanda.

2. Si beati nullâ ex omnibus linguis, natis in & post confusionem ex peccato, utentur, ergo loquentur Hebraicè: nam illa lingua est omnium linguarum perfectissima, statui perfectissimo etiam optime conveniens; est lingua omnium prima, creata ab ipso Deo & Adamo instillata. Deus ipse hâc linguâ Adamum, cæterosque Viros sanctos & Prophetas sub Veteri fœdere est alloquutus; sacrum suum verbum Veteris Testamenti hâc linguâ consignavit. Et sicuti hæc lingua fuit prima usitata in Paradyso terrestri, sic etiam videtur fore ultima in Paradyso cœlesti.

3. Assentiuntur huic sententiæ plærique Judæi & plurimi Christia-

ſtiani, quorum priores ſtatuunt beatos non tantum in futuro ſæculo Hebraicè eſſe loquuturos, ſed etiam tempore adventus Meſſiæ, quando liberantur à tyrannide Chriſtianorum. Sed poſteriores, ſcil. Chriſtiani, qui Chiliaſtarum defendunt ſententiam, ſtatuunt Chriſtianos mille annis ante ultimum adventum Meſſiæ Hebraicè eſſe loquuturos. Nos illis omiſſis, judicamus ſententiam illam eſſe veram, vel ſaltem maxime probabilem, quæ ſtatuit beatos in futuro ſæculo articulato ſermone & quidem Hebraico eſſe uſuros. Sed cum erimus in cœlo, melius & certius de hâc utrâque quæſtione judicabimus.

DISSERTATIO VIGESIMA-PRIMA, DE

Appellationibus, quibus *lingua prima* poſt confuſionem fuit inſignita.

§. 1. *Lingua prima uſque ad confuſionem non indiguit ſpecialibus nominibus.*

2. *Nomina linguæ primæ poſt confuſionem fuerunt quinque.*

3. *Lingua prima in V. T. nunquam vocatur Hebræa. In N. T. per linguam Hebræam ſæpè intelligitur Syriaca.*

4. *Lingua prima vocatur Hebræa ab Hebræis.*

5. *Nomen Hebræi, datum Abrahamo, poſtea diu in ejus poſteris fuit continuatum.*

6. *Quadruplex etymologia nominis Hebræi vulgo aſſignatur.*

7. *Prima Hebræum malè derivat ab Abramo.*

8. *Secunda itidem malè à* עבר transſivit: *quia Abram tranſiiſſet Euphratem, vel Jordanem, vel Tigrim, quod rationibus probatur.*

9. *Nomen* עברי Hebræi *remotè derivatur à* עבר tranſivit, *ſed non immediatè.*

10. *Tertia ſententia etiam non ſatis convenienter Hebræum deducit à* עֵבֶר trans.

11. *Quarta denique ſententia verè ſtatuit Hebræum denominari à* עֵבֶר Hebero, *filio Schemi.*

12. *Non ſequitur: ſi Hebræus deſcendat ab Hebero, ergo omnes poſteri ſic denominarentur: nam Hebræus etiam denotabat talem, qui religionem Heberi profitebatur.*

13. *Judæus derivatur à Juda, filio Jacobi.*

14. *Nomen Judæi innotuit poſt deportationem decem tribuum: Jam omnes poſteri Jacobi vocantur Judæi.*

15. *Objectio deſumpta ex* 2 *Reg.* 16. 6.

16. 6. *solvitur.*
16. *Non certò constat, quando lingua Hebræa primùm vocata sit Judaica.*
17. *Judæus denotat & generationem naturalem & professionem religionis Judaicæ.*
18. *Lingua Hebræa vocatur Cananæa: quia Hebræi Canaan inhabitarunt.*
19. *Explicatur* Labium Canaan, *cujus Jesaias meminit.*
20. *Lingua Hebræa vocatur Sancta non propter auctorem sanctum, vel propter formam internam, vel propter populum aut terram sanctam, vel propter defectum vocabulorum obscœnorum, sed propter materiam Veteris Test. sanctam.*
21. *Lingua Hebræa jam propter multas causas potest vocari sancta.*
22. *Lingua Hebræa videtur in vel paulo post captivitatem Babylonicam, ut distingueretur à Chaldaica, vocata lingua Sancta.*
23. *Lingua Hebræa vocatur* labium purum.
24. *Quod Zeph.* 3.9. *non denotat puram professionem veræ religionis, sed ipsam linguam Hebræam.*
25. *Lingua Hebræa nominatur* pura *propter eloquia Dei pura.*

SECTIO I.



Ingua prima per septendecim sæcula usque ad confusionem linguarum non videtur fuisse specialibus quibusdam titulis insignita: quia usque ad illud tempus sola & unica in mundo fuit. Etiam scimus nomina vulgo rebus imponi distinctionis ergo. Sed cum hæc lingua diu sola fuerit in mundo, non indiguit specialibus nominibus, quibus ab aliis linguis distingueretur. Verum postquam linguarum confusio in mundum introducta fuisset, necesse fuit linguam primam aliquo nomine sive quibusdam nominibus insignire, ut hæc ab aliis linguis, quæ variæ post confusionem fuerunt, distingueretur.

II. Nomina illa, quibus lingua prima post confusionem fuit insignita, sunt quinque; suntque desumpta vel ab *hominibus*, in quibus hæc lingua fuit conservata, & sic fuit vocata Hebræa: quia fuit conservata in Hebræis; vel à *Tribu*, in qua post dispersionem tribuum permansit, & sic fuit *Judæa* nominata; vel à *terra*, in qua fuit usitata, & sic appellata fuit *Cananæa*; denique duo reliqua nomina sunt desumpta à *dignitate* & *puritate*, atque sic fuit vocata lingua *Sancta* & *Pura*. De singulis ordine differemus.

I. *De*

I. *De Appellatione* Hebræa.

III. Primum nomen, desumptum ab hominibus, in quibus lingua prima fuit conservata, est, quo vocatur lingua *Hebræa*. In Veteri T. nullibi lingua prima vocatur *Hebræa*, etiamsi *Hebræi* creberrima ibidem mentio fiat. Verum in Novo Test. Apostoli sæpissime linguæ Hebrææ meminerunt. Paulus ait *Actor*. 26. 14. se audivisse vocem, quæ loquebatur τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ *Hebraicâ dialecto sive linguâ*, Saul Saul, quid me persequeris? Sic etiam *Actor*. 21. 40. Paulus dicitur *loquutus linguâ Hebræâ*; & ejusdem libri capite 22. v. 2. habetur, quod Judæi audiverint Paulum *Hebræa lingua* ipsos *alloqui*. Etiam in Euangelio Johannis cap. 19. v. 13. locus Lithostrotos dicitur vocari Ἑβραϊστὶ *Hebraicè* Gabbatha. Attamen certum est vocem *Hebraicam*, utpote vocem generalem, in Novo Test. ambiguam esse: sæpissime enim per eam denotatur lingua Syriaca, quæ Judæis tempore Christi fuit vernacula. Lingua Syriaca sæpe vocatur lingua Hebraica; quia illa non tam est nova lingua quàm quidem linguæ Hebrææ diversa dialectus.

IV. Unde, quæso, hæc prima lingua vocatur *Hebræa*? *Resp.* Ab Hebræis qui hac lingua utebantur.

De hoc nomine Hebræo hæ duæ quæstiones moveri possunt.

V. *Primò quæritur*. Quis primus Hebræi nomine fuit insignitus?

Respondeo. Primus omnium nomine Hebræi fuit vocatus Abrahamus, Genes. 14. 13. *Venit profugus*, *& indicavit* לְאַבְרָם הָעִבְרִי Abrahamo Hebræo.

Hoc nomen posteri Abrahami & posteri cæterorum Patriarcharum diu retinuerunt. Josephus *Genes*. 39. 14. vocatur *servus Hebræus*. Posteri Jacobi in Ægypto habitantes vocantur Exod. 1. 15. *Hebræi*. Et 1 *Sam*. 4. 6. fit mentio vociferationis, quæ fiebat *in castris Hebræorum*; etiam Jonas *cap* 1. *v*. 9. dicebat *Hebræus sum*. In Novo Test. Apostolus Paulus scripsit Epistolam ad Hebræos. Ex his omnibus apparet nomen *Hebræi* à temporibus Abrahami fuisse usitatum. Sed qui antiquitus vocabantur Hebræi, hodie plerumque *Judæi* nominantur.

VI. *Secundò quæritur*. Unde hoc nomen Hebræi derivatur?

Respondeo. Quatuor occurrunt sententiæ circa Etymologiam nominis *Hebræi*.

VII. *Prima* sententia statuit Hebræos derivari ab *Abramo*; quia

Abramus

Abramus *Genes.* 14. 13. primus vocatur Hebræus : sic Hebræi dicti essent quasi *Abraæi.* Hanc sententiam olim defenderunt Ambrosius & Augustinus, quorum posterior tamen hanc sententiam revocavit in libro Retractationum Capite 16.

Sed hæc sententia est absurda propter has sequentes rationes.

1. Quia in ipsa prima linguæ sanctæ principia impingit. אַבְרָם *Abram* enim incipit ab *Aleph*, estque vox composita ex אָב *patre* & רָם *excelso*: sed עִבְרִי *Hebræus* in principio habet *Hajin* literam radicalem, estque vox simplex.

2. Hebræus non potest derivari ab *Abram*; quia tum Abram, qui primus est vocatus Hebræus, à se ipso fuisset denominatus. Sed nihil à se ipso denominatur: non enim dicimus *Jonas Jonæus*, *Moses Mosæus*, &c.

VIII. *Secunda* sententia defendit Hebræos derivari à verbo עָבַר *transivit*: & sic Abram vocatus esset עִבְרִי, hoc est, *transitor*, quia trajecisset fluvium aliquem; sed in fluvio illo assignando non conveniunt.

1. Nonnulli putant Abramum vocatum esse à Cananæis עִבְרִי *Transitorem*; quia, quum ille *Jos.* 24. speciali vocatione à Deo ex Mesopotamia in terram Canaan vocabatur, trajicere debebat fluvium *Euphratem.*

2. Alii è contra Hebræos nominatos volunt *Transitores*, non à transitu Euphratis, sed à transitu *Jordanis* fluvii; & sic Chaldæi Cananæos vocassent Hebræos sive transitores : quia cum Cananæi se separarent à Chaldæis, & in Canaan migrarent, *Jordanem* transibant.

3. Denique nonnulli, rejectis his duobus fluviis, tertium excogitarunt, scil. *Tigrim*, à cujus transitu Hebræos dictos volunt; quia Arphacsad filius Schem cum aliis fluvium Tigrim versus Occidentem transivit.

Primi auctores hujus sententiæ videntur esse LXX Interpretes: nam illi vocem עִבְרִי *Hebræi*, Genes. 14. 13. transtulerunt per *περάτην transitorem.* Sed hæc sententia etiam rejicitur propter has sequentes rationes.

1. Quia nomina populorum in *Jod* desinentia sunt Patronymica vel Gentilia, ut יהודי *Judæus*, עמלקי *Amalekita*: ergo nomen *Hebræi* non est desumptum à transitu alicujus fluvii. Nam nomen desumptum ab actione aliqua non est Patronymicum aut Gentile. Præterea si עִבְרִי à transitu fluvii derivaretur, tum non haberet hanc formam,

formam, sed Abram potius vocatus fuisset עוֹבֵר in Participio, vel עֹבֵר *transiens*.

2. Quia nullo modo videtur verosimile populum tam sanctum, & ita semper in Veteri Test. à Deo dilectum, nomen accepisse à transitu alicujus fluvii: nam transitus alicujus fluvii non est res tanti momenti, ut inde tota illa gens tam longo tempore denominaretur.

3. Populus Hebræus etiam videtur vocatus à patre suo secundùm morem aliorum populorum, in Veteri Test. memoratorum, qui denominati sunt à patribus suis: ex. gr. Ammonitæ denominantur ab Ammon, Moabitæ à Moab, &c.

4. Est etiam contra morem aliarum linguarum, in quibus nomina populorum nunquam desumuntur ab actione quadam transitoria, sed semper à Patribus, vel à terra quam inhabitant: ex. gr. Galli, Angli, Hispani, Germani aliique sic denominantur, quia ex Gallia, Anglia, Hispania, vel ex Germania sunt oriundi. Similiter etiam in lingua Hebræa מִצְרִי *Ægyptius* nomen habet à terra Ægypti. Ex his concludimus nomen Hebræi non derivari à עָבַר *transivit*.

IX. *Objiciet* fortè nonnemo, quod nomen Hebræi videatur derivari à verbo עָבַר *transivit*: quia in omnibus Lexicis Hebraicis, etiam in Lexico Buxtorfii nomen עִבְרִי *Hebræi* collocatur sub עָבַר tanquam Radice sua.

Respondeo. Verùm quidem est nomen עִבְרִי *Hebræi* derivari à Radice עָבַר *transivit*, sed remotè, non proximè. Hic verò movetur quæstio, unde nomen עִבְרִי *Hebræi* proxime & immediate derivetur? Nos negamus proximè derivari à עבר *transivit*.

X. *Tertia* sententia deducit nomen *Hebræi* à עֵבֶר *trans*, per compendium pro עֵבֶר הַנָּהָר *trans fluvium*, hoc est, transfluvialis: quia *Jos.* 24.3. dicitur: *Et accepi patrem vestrum Abrahamum* מֵעֵבֶר הַנָּהָר è TRANS FLUVIUM. Abrahamus ergo hoc nomen accepisset à terra, in qua natus aut educatus fuit, aut in qua diu habitavit. Hæc terra sita fuit in Mesopotamia trans fluvium; & Abraham, postquam cum suis ex Mesopotamia, sita trans fluvium Euphratem respectu terræ Canaan, migrasset in Cananæam, vocatus fuisset עִבְרִי, (concisè pro עִבְרִי נָהָרִי) nomine desumpto à terra nativitatis. Hæc etymologia majorem speciem veritatis habet quàm ulla ex præcedentibus: nam non est præter morem populum nominari à terra, in qua natus vel educatus est. Deinde tales etymologiæ etiam sunt frequentes in aliis linguis;

 sic

sic quidam denominantur Transmarini, Transalpini, Transylvani, &c.

Attamen nec hæc sententia nobis plane arridet propter sequentes rationes.

1. Quia nullibi in S. Scriptura עֵבֶר sumitur pro עֵבֶר הַנָּהָר: ergo עִבְרִי non videtur idem esse, qui Transfluvialis. Si unicum exemplum posset produci, in quo עֵבֶר sumeretur pro עֵבֶר הַנָּהָר, tum sententia hæc haberet majorem speciem veritatis: atqui nullum tale exemplum potest in medium proferri.

2. Moses nullibi Abrahami patriam vocavit עֵבֶר הַנָּהָר *trans fluvium.* Dicitur quidem *Jos.* 24. quod patres Abrahami habitaverint בְּעֵבֶר הַנָּהָר *trans fluvium*, & quod Deus Abrahamum inde vocaverit; attamen illa terra, vocata אֲרַם נַהֲרַיִם *Syria interamnis* sive *Mesopotamia*, nunquam à Mose nominatur עֵבֶר הַנָּהָר: ergo Abrahamus inde non videtur nominatus.

3. Si nomen עברי *Hebræi* desumptum esset à terra, ergo omnibus filiis Heberi conveniret: quia omnes ex regionibus, trans fluvium Euphratem sitis, nati sunt. Sed nullibi legimus quod ullis hoc nomen, etiamsi etiam trans fluvium habitaverint, sit datum præter quosdam, qui ex Abrahami lineâ descenderunt, ejusque fidem & professionem sequuti sunt. Ergo nomen Hebræi videtur respicere populum & non terram. Hoc confirmat Jonas, quum rogantibus, ex quonam populo esset, respondit *cap.* 1. *v.* 9. *Hebræus sum.*

XI. His tribus superioribus sententiis rejectis superest *quarta*, statuens nomen Hebræi derivari ab עֵבֶר *Hebero* filio Schemi, cujus mentio fit Genes. 10. 21. *ubi Schem* vocatur *pater omnium filiorum Heber.* Nomen igitur Hebræi secundùm hanc quartam sententiam est nomen Patronymicum deductum à patre Heber. Hæc ultima & quarta sententia à nobis etiam approbatur propter has sequentes rationes.

1. Quia tales locutiones sunt frequentes in sacris Literis: ex. gr. Uti per *filios Israël* intelliguntur Israëlitæ, & per *filios Juda* Judæi, sic etiam per *filios Heber* denotantur Hebræi.

2. *Num.* 24. 24. Posteri Heber nomine primi patris *Heber* nominantur, mutato nomine proprio in Patronymicum. Textus sic ait: *Et affligent Assur, & affligent Heber.* Sicuti hic per Assur intelliguntur filii Assur, hoc est, Assyrii, sic etiam per Heber denotari debent filii Heber, hoc est, Hebræi. Ergo nomen Hebræi derivatur ab Heber. Hanc explica-

plicationem etiam confirmat versio Græca, quæ vulgo vocatur Lxx Interpretum: illa enim explicat vocem *Heber* per Ἑβραίυς *Hebræos*. Etiam Paraphrasis, quæ Jonathæ adscribitur, exponit vocem Heber per *filios Heberi*.

3. Nomen *Hebræi* non est desumptum à *Terra*, uti jam probavimus; nec etiam ab *Urbe* quadam: ergo derivatur ab Auctore sive primo patre. Ratio est: quia nomina Hebraica Gentilia & Patronymica in *Jod* desinentia à nullis aliis desumuntur, quàm ab his supradictis. Ergo remotis illis antecedentibus causis appellationum necessariò sequitur nomen Hebræi desumptum esse ab auctore.

XII. *Objicere* posset aliquis. Si Hebræi deriventur ab Hebero, filio Schemi, ergo omnes posteri, scil. filii Keturæ, filii Esau, aliique etiam vocati fuissent Hebræi: sed falsum est consequens: nam nullibi legimus filios Esau, filios Keturæ, aliosque fuisse vocatos Hebræos.

Respondeo. Si nomen Hebræi tantum esset nomen gentile, denotans tantummodò descensum & generationem naturalem, tum argumentum procederet: sed jam non procedit: quia hoc nomen postea etiam & quidem præcipue, transivit in nomen professionis & religionis; atque illi solummodò Hebræi vocati sunt, qui linguam, doctrinam, religionem & pietatem Heberi retinuerunt. Ex. gr. Jonas interrogatus de quonam populo esset, respondit *Hebræus sum*, & immediatè, majoris explicationis ergo, addit, JEHOVAM *Deum cœlorum imeo*. Hinc est, quod Ægyptii noluerint edere cum Hebræis: non quia ex Mesopotamia vel simpliciter ab Hebero descenderant, sed quia diversam religionem profitebantur. Nam Hebræi jumenta illa, quæ Ægyptii venerabantur, comedebant. Nomen igitur Hebræi non tam denotat generationem naturalem, quàm quidem eandem professionem & veram religionem, quam Heber professus fuit.

Ex his omnibus apparet nomen *Hebrææ* linguæ derivari ab *Hebero*; & quidem eum in finem, quia illa lingua tempore confusionis in ipsius familia fuit conservata. Atque hæc dicta sufficiant de prima linguæ primæ appellatione. Qui plura cupit, adeat Dissertationem tertiam Buxtorfii, in qua multis testimoniis Judæorum & Christianorum hanc sententiam confirmatam videbit.

II. *De Appellatione* Judaica.

XIII. *Alterum* primæ linguæ nomen est, quo יְהוּדִית *Judæa* sive *Judaica* vocatur. De hoc nomine hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Unde יְהוּדִית *Judæa* derivatur?

Respondeo. Judæa descendit à *Judæis*, & *Judæi* à *Juda* quarto filio Jacobi Patriarchæ, & *Juda* à verbo Hiphil הוֹדָה *confessus est, laudavit*, quasi Juda esset *celebrationis filius*: quia mater à partu Deum celebravit; quæ propterea etiam hujus nominis rationem dat, Gen. 29. 35. *Et dixit* Lea אוֹדֶה CELEBRABO *hâc vice* JEHOVAM, *idcirco vocavit ejus nomen Jehudam.* Quod Judæi deriventur à יְהוּדָה *Juda*, etiam apparet ex Psal. 76:2. *Notus est in Jehudah Deus: in Jisraël magnum nomen ejus.* Hîc per יְהוּדָה nomen proprium intelliguntur Judæi sive posteri Judæ.

XIV. *Secundò quæritur.* Quando nomen *Judæorum* incepit innotescere?

Respondeo 1. Nomen Judæorum plane fuit ignotum ad illud usque tempus, quo posteri Jacobi fuerunt in regimine & religione conjuncti.

2. Quum tempore Rehabeami, filii Salomonis, decem tribus ab ipso discederent, & duæ tantum tribus, scil. Judæ & Benjamin, ipsi adhærerent, non tamen legimus eo tempore posteros Jacobi vocatos fuisse *Judæos*: sed decem abscissæ tribus nominabantur בֵּית יִשְׂרָאֵל *domus Israël*, & duæ tribus domui Davidis adhærentes, vocabantur בֵּית יְהוּדָה *domus Jehuda*.

3. Postquam decem tribus à Salmanesare Assyriorum Rege in Assyriam & Mediam transportatæ fuerunt, posteri Jacobi, ex Iuda descendentes, primò vocati sunt *Judæi*.

Deinde quoniam tribus Benjamin unum cum tribu Iudæ regnum faciebat, ideo etiam Benjamitæ nomine Iudæorum fuerunt insigniti. Hoc verum esse probatur ex *Esth.* 2. 5. ubi Mordechai vocatur אִישׁ יְהוּדִי *Vir Judæus*, qui tamen fuit ex tribu Benjamin: nam additur אִישׁ יְמִינִי *vir Jemini*, hoc est, Benjamita.

Denique omnes posteri Jacobi, ex omnibus tribubus descendentes, postea vocati fuerunt generali nomine *Judæi*. Hanc consuetudinem Paraphrastæ Chaldæi ut plurimum observarunt: nam illi nomen *Hebræi* fere semper, præterquam in libro Geneseos, transtulerunt per *Judæum*:

deum: exemplum ejus occurrit *Jon.* 1.9. ubi verba *Hebræus sum*, Paraphraſtes transfert per יְהוּדָאָה אֲנָא *Jehudæus sum.* Similiter per Hebræos in Veteri Teſt. denotantur omnes poſteri Jacobi. Etiam hoc tempore omnes poſteri Patriarchæ Jacobi generali nomine vocantur *Judæi*. Poſt deportationem ergò decem tribuum nomen *Judæi* demum innotuit.

XV. Contra hæc forte *objiciet* aliquis verba 2 *Reg.* cap. 16. v. 6. occurrentia, ubi S. Textus Judæorum meminit, quando dicit: *Rezin expulit Judæos*; cum demum in capite ſequenti fiat mentio deportationis factæ per Regem Aſſyriorum: ergo ante illam deportationem nomen *Judæi* fuit notum.

Reſpondeo. Hìc eſt anticipatio, quæ ſæpiſſime in S. Scriptura uſurpatur. Deinde liber ille Regum poſt tranſportationem decem tribuum conſcriptus eſt, quando poſteri Jacobi modo vocabantur Judæi. Etiam Textus dicit, quod Rezin expulerit eos, qui tum, cum liber conſcriberetur, vocabantur Judæi. Hanc ſententiam confirmat Elias Levita in *Thisbi* in voce יהודי, ubi dicit: לא נִמְצָא בַּמִּקְרָא שֶׁנִּקְרְאוּ יְהוּדִים רַק מִזְּמַן גָּלוּת עֲשֶׂרֶת הַשְּׁבָטִים *Non invenitur in Bibliis, quod* Hebræi *vocentur Judæi, niſi ab eo tempore, quo decem tribus abducta fuerunt in captivitatem.*

XVI. Jam ſatis innoteſcit, quando Hebræi vocati ſunt Judæi. Jam porro *quæritur*: An eodem illo tempore etiam lingua Hebræa vocata fuerit *Judaica*?

Reſpondeo. Hoc non adeò clarum eſt. Saltem 2 *Reg.* 18. 26. & *Jeſ.* 36. 11. fit mentio linguæ יְהוּדִית *Judaica*, quando Hiskiæ miniſtri dicebant Rabſaki: *ne alloquitor nos Judaicè*, id eſt, Hebraicè. Hoc colloquium dicitur inſtitutum annis 123. ante captivitatem Babylonicam: ergo ad minimum illo tempore lingua Hebræa vocata fuit *Judaica*.

XVII *Tertiò quæritur*. Utrum nomen *Judæi* ſit tantummodo nomen generationis naturalis; an vero etiam profeſſionis?

Reſpondeo. Aff. poſt. Nam ſi nomen Judæi tantummodo denotaret generationem naturalem, tum nemo poſſet fieri Judæus: ſed in libro Eſtheræ cap. 8. v. 17. legimus, quod רַבִּים מֵעַמֵּי הָאָרֶץ מִתְיַהֲדִים *Multi ex populis terræ facti ſint Judæi.* Atqui illi non ſunt facti Judæi per generationem. Quare ergo dicuntur facti Iudæi? Quia fidem Iudæorum profeſſi fuerunt. Paraphraſtes exponit hoc verbum מתיהדים *Judæi facti ſunt* per מִתְגַּיְּרִין *proſelyti facti ſunt.* Ex his mani-

festum est, quod nomen *Judæi*, præter generationem naturalem, etiam significet professionem religionis Judaicæ.

III. *De Appellatione* Cananæa.

XVIII. Tertium nomen primæ linguæ est, quod *Cananæa* nominatur. Ejus appellationis fit mentio *Jes.* 19. 18. ubi Textus sacer ait: *Tempore illo erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes* שְׂפַת כְּנַעַן *labium*, id est, linguam *Canaan*.

Quæritur. Quare hæc lingua prima vocatur lingua *Canaan*?

Respondeo 1. Non vocatur ideo lingua Canaan, quia Cananitæ sive posteri Canaan eâ fuerunt usi. Nam Canaan fuit maledictus, & cum aliis etiam auctor ædificationis molis Babylonicæ: & propterea ipse & posteri ejus participes fuerunt confusionis linguarum. Per consequens, cum hic per linguam Canaan intelligatur lingua Hebræa, quâ Cananitæ non fuerunt usi: ergo hæc lingua, cujus Jesaias facit mentionem, non vocatur Canaan, quia Cananitæ eâ fuerunt usi. Nan incolæ Canaan aliam linguam, natam ex confusione, usurparunt.

2. Nullibi in S. Scriptura legimus, quod lingua Cananæorum tum vocata fuerit *Cananæa*, cum Cananæi adhuc terram Canaan possiderent: sed postquam diu pulsi fuerunt Cananæi, tum demum hæc lingua nomine Canaan fuit insignita.

3. Per linguam Canaan intelligitur ipsissima lingua Hebræa, quæ vocatur Canaan, quia Judæi, expulsis Cananæis, terram Canaan inhabitabant; non vero quia Cananæi linguâ Hebræâ fuerunt usi. Sunt nonnulli, qui statuunt linguam Hebræam etiam vocari Cananæam, quia Hebrææ valde fuit affinis; sed illam sententiam ut minus probabilem suprà refutavimus.

XIX. Sed *rogabit* nonnemo: An ergo Jesaias in loco prædicto prædicit Ægyptios tempore gratiæ loquuturos esse Hebraicè?

Respondeo. In Annotationibus versionis Belgicæ *labium Canaan*, cujus Jesaias facit mentionem, sic explicatur: *Ægyptii loquentur de verbo Dei quod linguâ Canaan, id est, Hebraâ conscriptum est*. Vatablus verò paulo aliter exponit: *Labio Canaan, quasi Scriptura diceret tempore gratiæ erit tantum commercii Judæis cum Ægyptiis, ut multæ urbes Ægypti sint loquuturæ sermone Hebræo*:

IV. *De*

IV. *De Appellatione* Sancta.

XX. Sequitur nunc quartum nomen, quo lingua prima vocatur Lingua *Sancta.* Judæi hodierni vix ullo alio nomine linguam primam indigitant quàm hoc nomine: Hebraicè enim eam vocant לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ *linguam sanctitatis*, vel לְשׁוֹן הַקֹּדֶשׁ vel הַקְּדֹשָׁה *linguam sanctam.*

Primò queritur. Ob quam causam lingua prima à Judæis vocatur *lingua sancta*?

Respondeo. Auctores in assignandâ causâ, ob quam hæc lingua vocetur *Sancta*, non conveniunt.

1. Quidam ajunt, quod hæc lingua prima vocetur *Sancta*, quia Deus, qui est Sanctus, hujus linguæ auctor est. Deus enim linguam Hebræam Adamo instillavit: & quia opus aliquando nomen accipit ab auctore, ideo putant hanc linguam vocari sanctam, quia Deus sanctissimus hanc linguam creavit.

Sed hæc sententia rejicitur. Nam sic omnia Dei opera possent vocari sancta, quia Deus omnium operum auctor est; & sic hoc epitheton sanctitatis soli linguæ Hebrææ non competeret.

2. Alii rejectâ hâc sententiâ statuunt linguam primam etiam ab Auctore vocari sanctam; sed tum *Sanctam* explicant per incorruptibilem & æternam: quia sicuti Deus, qui est auctor hujus linguæ, est æternus, sic etiam hæc lingua est æterna, & in æternum mansura.

Sed nec hæc sententia placet: quia tum potius lingua prima esset vocanda lingua *æterna* & *incorruptibilis* quàm *sancta.*

3. Sunt qui propter *formam internam* hanc linguam titulo sanctitatis coronant, scil. ob summam ejus perfectionem, quæ consistit in emphasi verborum, quâ verba exprimunt naturam & proprietatem rerum: ex. gr. חַוָּה *Eva* nomen accepit ab effectu, quia fuit vivificatrix & mater omnium viventium.

Verum efficacia significationum dat huic linguæ quidem excellentiam quandam, sed ea non acquirit ipsi titulum sanctitatis.

4. Non desunt, qui hanc linguam nominari *sanctam* volunt, quia populus Judaicus, utpote in Veteri Test. Sanctus, eâ linguâ usus fuit. Rationem hujus assertionis hanc dant, quia linguæ sæpissimè nomen accipiunt à populo qui eâ utitur. Hoc apparet in Danielis Capite 1. ubi

ubi mentio fit *lingua Chaldæorum*, quæ sic vocabatur, quia Chaldæi eâ utebantur.

5. Alii hanc linguam sanctam nominari ajunt à *Terra sancta*, scil. à terrà Israëlis, in quâ Israëlitæ usi fuerunt hâc linguâ: nam terra illa vocatur terra sancta, Ezech. 20.40. *In monte sanctitatis meæ*: & Jes. 64.9. urbes terræ Israëlis vocantur *urbes sanctitatis*. Sic lingua Gallica nomen accepit à terra: nam vocatur *Gallica*, quia habitatores, habitantes in Gallia, eâ linguâ utuntur.

Sed hæ duæ sententiæ, quæ vel à subjecto scil. populo, vel à terra hanc linguam vocari *sanctam* ajunt, non arrident: nam nec populus nec terra in se inhærentem habuerunt sanctitatem, à quâ hæc lingua vocari potuit *sancta*. Præterea populus Judaicus sæpissime præcepta Dei graviter transgressus est; unde non videtur verosimile hoc epitheton sanctitatis huic linguæ propter populum concessum fuisse.

6. Nonnulli defendunt hanc linguam vocari *sanctam*, quia in hac lingua nulla occurrunt vocabula proprie denotantia pudenda viri aut mulieris, vel etiam actum venereum; sed hæc omnia exprimuntur & circumscribuntur vocabulis tropicis & metaphoricis. Hanc sententiam defendit Maimonides.

Sed hæc sententia falsa est propter has duas rationes. *Primò*: quia in lingua Hebræa occurrunt tales voces, quæ auditu quodammodo sunt obscœnæ: ex. gr. verbum שָׁגַל *coïre* significat propriissimè ipsum actum venereum; ac proinde Judæi pro eo utuntur verbo honestiori שָׁכַב *cubuit*.

Secundò: Posito & non concesso, quod non dentur in lingua sancta talia vocabula, inde tamen hæc lingua non potuit vocari *sancta*, sed potius vocanda fuisset *Casta & Verecunda*.

7. Denique quamplurimi inveniuntur auctores, qui ajunt hanc linguam à Veteribus *sanctam* fuisse vocatam, quia Vetus Testamentum, in quo sunt oracula & præcepta Dei sancta, hâc linguâ conscriptum est; & sic à materiâ Veteris Testamenti sanctâ hæc lingua vocata fuisset *sancta*. Hæc sententia ultima maximè arridet; quam etiam videtur confirmare Apostolus tum in 2. Epistola ad Timotheum *cap.* 3. *v.* 15. ubi Idem Scripta Veteris T. vocat τὰ ἱερὰ γράμματα *sacras literas*, tum etiam in Epistola ad Romanos *cap.* 1. *v.* 2. ubi eadem appellat γραφὰς ἁγίας *scripturas sanctas*.

XXI. Ex his antecedentibus concludo: quod si auctores ad unam tantum-

tantummodo causam respexerint in dando titulo *sanctitatis*, quod ad nullam aliam causam respexerint, quàm ad hanc ultimam, quâ lingua prima vocatur *sancta*, quia materia Veteris Test. est sancta. Sed fortasse primi auctores etiam ad alias ex præcedentibus causis respexerunt. Utut sit, arbitror ultimam sententiam esse verosimiliorem. Nihilominus jam lingua prima propter alias causas etiam potest vocari sancta, scil. (uti ait doctissimus Buxtorfius in Dissertatione prima) „Quia immediatè auctorem habet *Deum*, qui ipsa est קֹדֶשׁ *San-* „*ctitas*, qui etiam eâ primò usus est in primo hominum alloquio, „uti visum: *Sancta* merito dicitur, quia *Lex* Dei *sancta*, Oracula Dei „*sancta*, Scriptura Prophetarum *sancta*, &c. hâc linguâ sunt conscri- „pta; imo quia illa hodie nullibi amplius pura, quam in *Libris Sacris* „existit: *Sancta* meritò dicitur, quia niveo pudore ubique verecun- „da, profana *sanctè*, turpia castè & verecundè profert, & vocabulis „obscœnis, quæ à pudoris lege abeunt, vel destituta est, vel non *sæpe* „utitur. *Sancta* est ob summam perfectionem, quam à perfectissimo „auctore consecuta est, prout etiam alia hanc ob causam *Sancta* vel „*Divina* appellare solemus. *Sancta* etiam vocari potest propter *Popu-* „*lum* olim *Sanctum*, cujus hæc lingua erat peculium; propter *Terram* „*Sanctam*, in qua exercebatur; propter *Urbem Sanctam* & *Tem-* „*plum Sanctum*, ubi Sacra eâ linguâ peragebantur.

XXII. *Secundò quæritur.* Quando & ubi lingua prima vocata est lingua *sancta*.

Respondeo. Tempus hujus denominationis difficulter potest determinari: nam lingua prima nullibi in toto Veteri T. vocatur *sancta*; sed in Paraphrasi Hierosolymitana ad Geneseos Caput 11. v. 1. voces שָׂפָה אֶחָת *sermo unus* explicantur per לִישָׁן קוּדְשָׁא *linguam sanctam*. Etiam Paraphrasis Ionathæ eodem modo *sermonem unum* explicat: sed quando illæ Paraphrases sint compositæ, non adeo certum est. Etiam Salomon Jarchi, Aben Ezra, qui circa undecimum à nato Christo sæculum vixerunt, primam linguam vocant *sanctam*.

Communis Doctorum sententia est hoc epitheton *sanctitatis* linguæ primæ esse datum in ipsa captivitate Babylonica, vel paulo post eandem; & quidem eum in finem, ut linguam Hebræam à lingua Chaldaica, utpote profanâ, & quam in captivitate Babylonica didicerant, distinguerent. Pentateuchus olim & adhuc hodie prælegitur, preces etiam linguâ sanctâ recitantur: & propterea illa lingua in vel post

captivitatem Babylonicam videtur vocata *sancta*, ut distingueretur à lingua Chaldæorum, quam Judæi in captivitate Babylonica didicerant. Quod Judæi à temporibus Ezræ Legem in publicis synagogis Hebraicè, etiamsi eandem in tali lingua non intelligerent, prælegerint, hoc testatur Maimonides in Pandectis Juris Hebræi de precibus & benedictione Sacerdotum *cap.* 12. §. 10. ubi præterea addit, quod lector publicus unum tantum versum ex Lege Hebraicâ legerit, & tum tam diu tacuerit, usque dum interpres eundem interpretatus fuisset; & quod tum iterum lector publicus alium versum tali modo legerit, & sic deinceps. Putamus linguam primam vocatam fuisse linguam *sanctam* ad distinguendum hanc linguam à lingua Chaldaica. Etiam nullo modo videtur verosimile, quod hæc lingua hoc epitheton sanctitatis acceperit ante captivitatem Babylonicam; quia nullibi S. Scriptura ejus tituli mentionem facit.

A captivitate igitur Babylonica usque ad hodiernum diem hæc lingua prima hoc titulo sanctitatis fuit insignita. Etiam Professores, qui hanc linguam docuerunt, vocati sunt *linguæ sanctæ* Professores. Hunc titulum sanctitatis nemo ex Doctoribus tam Judæorum quàm Christianorum linguæ Hebrææ ademit; sed omnes Doctores tam antiqui quàm recentes hanc linguam vocarunt *sanctam*, & procul omni dubio usque ad finem mundi eodem titulo denominabunt.

V. *De Appellatione* Pura.

XXIII. *Quintum* & ultimum epitheton linguæ primæ est, quo nominatur lingua *Pura*. Nomen hoc perquam rarum est, imo fere inter Judæos obsoletum; attamen in S. Scriptura est usitatum, scil. Zeph. 3. 9. *Tum mutabo in populis* שָׂפָה בְרוּרָה labium purum *sive electum*, *ut omnes invocent nomen* JEHOVÆ, *ut serviant ei humero uno*. Explico בְּרוּרָה per *purum* sive *electum*: quia Radix ברר utrumque significat, scil. *purgare* & *eligere*. Paraphrasis Jonathæ explicat vocem ברורה per בְּחִיר *electum*, & Versio Belgica per *purum*.

XXIV. De hoc titulo *quæritur primò*. Utrum per *labium purum* intelligatur peculiaris quædam lingua, & quidem Hebraica; an vero tantummodo pura professio veræ religionis.

Respondeo. Mihi verosimile videtur, quod hîc intelligatur certa quædam lingua, & quidem Hebraica. Hanc sententiam confirmat Aben Ezra ad hunc locum, qui expressè in Commentariis suis שָׂפָה

ברורה

בְּרוּרָה *labium purum* exponit per לשון הקדש *linguam sanctam*. Etiam David Kimchi allegat in Commentariis suis ex Aben Ezra hanc expositionem. Abarbaniel in Commentariis super Prophetis posterioribus ad hunc locum *pag.* 272. etiam *labium purum* explicat per *linguam sanctam*. Etiam scimus in explicatione verborum non facile esse recedendum à sententia Rabbinorum, nisi sufficiens ratio contrarium suadeat.

Deinde *labium purum*, cujus *Zephaniæ* capite tertio fit mentio, vocatur Jes. 19. 18. *labium Canaan*; & probavimus suprà per labium Canaan intelligi linguam Hebræam, & in Zephaniæ loco per *labium purum* intelligitur lingua Canaan: nam eadem est utrobique prophetia. Ergo per *labium purum* intelligitur lingua Hebræa. Zephanias tamen in dicto loco non vult, quod gentes tempore Novi Test. loquuturæ sint *labium purum* sive *Hebraicum*. Nam verba Textus sic videntur explicanda: *Reddam in populis labium purum*, hoc est, ego faciam eos loqui verba Dei, quæ linguâ purâ, hoc est, Hebræâ descripta sunt.

XXV. *Secundò quæritur*. Quare lingua prima vocatur *labium purum*? *Respondeo*. Quia eloquia Dei sunt pura: sic ait Psalmista Psal. 19. 9. *Præceptum Dei est* בָּרָה *purum*.

Atque hæc hoc tempore dicta sufficiant de quinque nominibus, quibus lingua prima insignitur.

DISSERTATIO VIGESIMA-SECUNDA, QUÆ EST

DE MASORA.

PARS PRIMA.

§. 1. *Hic datur plenior explicatio Masoræ, quam in Jona illustrato.*

2. *Masora tribus modis Hebraicè scribitur.*

3. *Descendit à* מָסַר tradidit, *cujus correlatum est* קִבֵּל accepit.

4. *Ea definitur. Auctores ejus vocantur Masorethæ.*

5. *Docetur ubinam habeatur Masora. Ea magna ex parte periit.*

6. *Masorethæ in genere versati sunt circa totum Vetus Test. & in specie circa octo partes Veteris Testamenti.*

7. *Primò circa* literas *majores, minores, suspensas, inversas, irregulares, medias librorum, finales, non finales, & circa numerum literarum cujusque libri & sectionis.*

 8. *Secun-*

8. *Secundò Masoretha crisin suam circa* vocales, *vocibus jam adscriptas, instituerunt.*

9. *Tertiò etiam circa* acccentus.

10. *Quartò Masoretha considerarunt* voces *plenas, defectivas; earum situm, locum & significationem; etiam eas de quarum Syntaxi & structura quis dubitare posset; etiam multas voces simplices & quindecim voces punctis supernè coronatas numerarunt.*

11. *Ipsi auctores librorum non adscripserunt quindecim vocibus superna puncta.*

12. *Illa puncta sunt adscripta ante confectum Talmud.*

13. *Quintò. Masoretha numerarunt* versus *singulorum librorum, Sectionum legalium, medios versus, & multorum librorum simul; etiam varias affectiones versuum considerarunt; denique* 27 *versus annotarunt, in quorum medio est hiatus.*

14. *Enumerantur octodecim loca quæ vulgò* תקון סופרים Ordinatio *sive* correctio Scribarum *vocantur.*

15. *Galatinus ex* 18. *illis vocibus male probat Textum esse corruptum.*

16. *Scribæ sunt ipsi auctores librorum, qui octodecim illa loca ita scripserunt uti jam in Textu scripta inveniuntur.*

17. *Recensentur quinque voces, quæ vocantur* עטור סופרים ablatio Scribarum.

18. *Ipsi auctores librorum non addiderunt illis quatuor ad minimum vocibus literam Vau.*

SECTIO I.



N Jona Illustrato nonnulla de Masora proposuimus; quia ibi Masoræ parvæ & Masoræ magnæ varia exempla, in Bibliis majoribus ad Jonam annotari solita, in medium protulimus: sed quandoquidem multo plura de Masora proferri possunt, ideo in hoc Philologo Hebræo, in quo ex professo quæstiones Philologicas tranctamus, pleniorem Masoræ tractatum damus.

II. Antequam de materia Masoræ in specie agamus, prius nomen, ejusque origo & definitio inspicienda veniunt.

Masora est vox origine Hebraica, & apud Hebræos tribus modis hebraicè solet efferri. Dicitur enim Hebraicè מְסוֹרָה *Masora*, מָסוֹרֶת *Masoreth*, & מַסּוֹרֶת *Massoreth*. Horum trium nominum primum est omnium frequentissimum: dicimus enim communiter Masora, & rarò Massoreth.

III. Hæc

III. Hæc tria nomina in genere significant *traditionem* manualem vel oralem: derivantur enim à מָסַר *tradidit*. Hoc verbum מסר, significans *tradidit*, tantum bis in Bibliis, scil. Numerorum *capite* 31.*v*.5. & ejusdem capitis versu 16. invenitur. In genere hoc verbum מסר dicitur (ut Elias Levita ait) *de rebus*, nonnunquam etiam de personis, *quas homo tradit sive committit in manum alterius, ut eam pro lubitu recipiat in potestatem suam*. Hoc in loco מסר *tradidit* sumitur de rebus animo conceptis, de doctrina & scientia, de consiliis & secretis, quæ unus alterum docet, & quasi in manus tradit.

Verbi מָסַר correlatum est קָבַל *accipere*, à quo derivatur קַבָּלָה *Kabbala*, quæ propriè, ex sententia Judæorum, denotat studium, quod versatur circa altissima Legis mysteria, quæ vocibus, punctis, accentibus musicis, & præcipue literis continentur, ex quarum mutatione, transpositione, in numeros resolutione, aliisque modis mysteria, sed sæpissimè tantum nugatoria, eliciuntur.

IV. Vidimus nomen & originem Masoræ, jam porro definitionem inspiciamus. *Masora* (definiente Buxtorfio) est doctrina Critica, à priscis Hebræorum sapientibus, circa Textum Hebræum sacræ Scripturæ, ingeniosè inventa, qua versus S. Scripturæ, ejusque voces & literæ numeratæ, omnisque ipsarum varietas notata, & suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est; ut sic genuina ejus lectio conservetur, & ab omni mutatione aut corruptione in æternum præservetur, & validè præmuniatur.

Vel brevius: Masora est doctrina critica, quæ versatur circa rectam lectionem vocum, quoad literas, vocales, accentus, &c.

Auctores, qui hanc Masoram conscripserunt, vocati sunt Masorethæ. Et quia illi Masorethæ versus, voces & literas cujusque libri etiam numerarunt, ideo vocati sunt סוֹפְרִים *Numeratores*.

V. Per Masoram ergo intelliguntur illæ annotationes, quæ in Bibliis Cl. Buxtorfii immediatè supra & infra Textum Hebræum, & nonnunquam ab ejus latere, atque præcipuè in fine illorum Bibliorum post Textum Hebræum ordine Alphabetico collocantur. In Jona Illustrato & in Joële Explicato Masora parva disposita est à latere Textus Hebraici, sed magna immediatè sub Textu Hebræo, hoc est, inter Textum Hebræum & Commentaria Rabbinorum collocata est. Ubique ferè per tota Biblia Buxtorfiana & Bombergiana conspicitur Masora: attamen non integra, prout olim fuit, in illis Bibliis

invenitur. Nam Maſora magnâ ex parte periit; adeo ut jam vix dimidium ejus amplius ſuperſit; quod etiam non mirum: nam Judæis jam longo tempore nullibi tutò vivere licuit: ſed ſemper ſub aliorum, & nonnunquam ſub tyrannorum dominio habitarunt, qui aliquando Judæorum ſcripta diſruperunt, & Vulcano dederunt.

VI. Explicato nomine Maſoræ, & propoſitâ ejus origine ac definitione, ad ejus cauſas tum internas, tum etiam externas deſcendemus.

Quæritur igitur in principio: Quænam eſt materia Maſoræ? Sive circa qualia Maſorethæ fuerunt verſati?

Reſpondeo. Maſorethæ in genere criſin ſuam inſtituerunt circa totum Vetus Teſtamentum Hebraicum, numerando omnes libros ſacros & canonicos, ac eliminando è numero canonicorum libros profanos & non canonicos; ſed in ſpecie etiam verſati fuerunt circa minimas partes S. Scripturæ, hoc eſt, circa hæc octo ſequentia.

1. Circa *conſonantes* Veteris Teſtamenti.
2. Circa ejuſdem *vocales*.
3. Circa *accentus* Hebraicos.
4. Circa *integras voces* Veteris T.
5. Circa *verſus* Biblicos.
6. Circa *octodecim voces*, quæ vulgo vocantur תִּקּוּן סוֹפְרִים *ordinatio* ſive *correctio Scribarum*.
7. Circa *quinque voces*, quæ vulgo nominantur עִטּוּר סוֹפְרִים *ablatio Scribarum*.
8. Circa *notas marginales*, quæ vulgo קְרִי וּכְתִיב *Keri & Cetib* vocantur.

De ſeptem prioribus partibus agemus hâc Diſſertatione, & de ultimâ parte diſſeremus Diſſertationibus vigeſima tertia & vigeſima quarta.

I. *De Conſonantibus.*

VII. *Primò*. Maſorethæ verſati fuerunt circa *conſonantes* Veteris Teſtamenti variis modis.

1. Maſorethæ annotarunt in Veteri Teſt. triginta circiter literas, quæ cæteris literis, alibi occurrentibus, multo *majores* ſunt: duo exempla occurrunt *Deut*. 6.4. in verbo שמע *audi* & in nomine אחד *unus*. In his vocibus pinguntur literæ ע & ד majores quàm in aliis locis pingi

pingi solent. Hinc posteriores Judæi varia mysteria elicuerunt, quæ fere in nugas mutata sunt.

2. Etiam Masorethæ observarunt circitèr triginta tres literas *minores*. Exemplum occurrit *Genes.* 2.4. in verbo בהבראם *quando creata erant illa*. Hæc Litera He in plerisque Bibliis minori formâ describitur

3. Masorethæ etiam annotarunt quatuor literas *suspensas*, quæ non in eâdem regulâ juxta alias literas collocantur, sed quæ supra easdem scribuntur. Ex. gr. *Psal.* 80. 14. in nomine מיער *ex sylva*, litera ע in multis Bibliis non scribitur in eâdem rectâ lineâ cum aliis literis, sed multum eminet supra alias literas.

4. Etiam attenderunt ad novem literas *inversas*, quarum duæ in nonnullis Bibliis inversâ figurâ scriptæ inveniuntur: ex. gr. *Num.* 10. 35. in verbo בנסע *in proficiscendo*: sed in quibusdam Bibliis Hebraicis nullæ literæ inversâ figurâ exaratæ occurrunt.

5. Masorethæ considerarunt tres literas irregulares, scil. duas literas *Mem* & unam *Nun*: harum una litera *Mem* finalis occurrit in medio *Jes.* 9. 6. in voce לםרבה. Deinde altera litera Mem intermedia invenitur in fine, *Nehem.* 2. 13. in pronomine הם. Denique litera *Nun* intermedia scribitur in fine, *Job.* 38. 1. in præpositione מנ. De his quinque antecedentibus, scil. de literis majoribus, minoribus, suspensis, inversis, & de tribus aliis literis vide suprà Dissertationem decimam, ubi omnia loca enumerantur, in quibus hæ diversæ literæ occurrunt.

6. Masorethæ annotarunt cujusque libri tam majoris quàm minoris *mediam* literam: ex. gr. *Levit.* 11. 42. occurrit vox גחון *venter*. Masora notat literam *Vau* in illa voce esse mediam literam totius Pentateuchi. In *Psal.* 80. 14. occurrit vox מיער *ex Sylva*, in qua, ut ajunt Talmudistæ, litera ע (*Ajin*) est media litera totius Psalterii.

7. Masorethæ numerarunt omnes literas *finales*, scil. quoties hæc vel illa litera finalis in Bibliis occurit. Exempli gratia, in Bibliis Hebraicis inveniuntur, secundùm supputationem Masoretharum, literæ *Caph* finales 10981. literæ *Mem* 24973. literæ *Nun* 8719. literæ *Pe* 1975. & literæ *Tzade* 4872. Hæ simul collectæ constituunt literas 51520. finales. Ergo ex sententia Masoretharum 51520. literæ finales in Veteri Test. occurrunt.

8. Etiam numerarunt illas quinque supradictas in medio scriptas: ex. gr. in Veteri T. inveniuntur literæ *Caph* intermediæ 37272. literæ

Mem

Mem 52805. literæ *Nun* 32977. literæ *Pe* 20750. & literæ *Tzade* 16950.

Raf Saadia Gaon circa annum Christi 927 composuit carmen Hebraicum, in quo subtiliter expressit numerum literarum, quoties unaquæque litera tam finalis quam intermedia in Veteri Test. contineatur. Carmen hoc invenitur in Tiberiade Buxtorfii capite 18. Nos breviter hic schema dabimus, ex quo numerus omnium literarum tam finalium quàm intermediarum in Veteri Testamento (vel ut aliis placet in solo Pentateucho; aut in Prophetis & Hagiographis simul) occurrentium innotescet:

א	*Aleph*	42377.	ל	*Lamed*	41517.
ב	*Beth*	38218.	מ	*Mem*	77778.
ג	*Gimel*	29537.	נ	*Nun*	41696.
ד	*Daleth*	32530.	ס	*Samech*	13580.
ה	*He*	47754.	ע	*Ajin*	20175.
ו	*Vau*	76922.	פ	*Pe*	22725.
ז	*Zain*	22867.	צ	*Tzade*	21822.
ח	*Heth*	23447.	ק	*Koph*	22972.
ט	*Theth*	11052.	ר	*Resch*	22147.
י	*Jod*	66420.	ש	*Schin*	32148.
כ	*Caph*	48253.	ת	*Tau*	59343.

Hæ literæ in unam summam collectæ constituunt 815280 literas. Nonnulli hunc numerum literarum interpretantur de toto Veteri Testamento; alii de solo Pentateucho; alii de Prophetis & Hagiographis simul. Ut ut sit, an hic numerus singularum literarum bene sit collectus & numeratus, non adeo constat.

Ipse supputationem literarum totius Veteris T. rudi minervâ institui, & dinumeravi primò paginas, deinde unius paginæ literas, & has per illas multiplicavi, sed inveni circiter 1128800 literas. Qui otio abundat, instituat tali vel simili modo supputationem literarum in diversarum editionum exemplaribus.

Schickardus in Bechinath Happeruschim pag. 47. superficiariâ supputatione literas Veteris Test. supputavit, & multo plures esse expertus est: & propterea putat in Masoretharum supputatione tantum comprehendi literas, quæ in Prophetis & Hagiographis inveniuntur, exce-

exceptis literis, quæ inveniuntur in Pentateucho Mosis, in quo solo, ex sententiâ Eliæ Levitæ, sunt literæ 600045. quæ si addantur ad numerum Masoretharum scil. 815280. exurgent 1415325 literæ; qui numerus ad meum literarum numerum, quem ego supputavi, propius accedit. Ut ut sit, saltem hinc apparet stupenda & incredibilis priscorum Judæorum in servandâ integritate Bibliorum diligentia: nam literas eum in finem numerarunt, ut Textum Hebræum purum inviolatum & integrum servarent, atque ut nemo quicquam vel adderet vel demeret.

9. Masorethæ etiam ad calculum revocarunt literas singulorum librorum Veteris Test. & literas singularum sectionum legalium. Exemplum ejus supputationis invenitur in fine Geneseos, ubi dicitur describi numerus literarum totius Geneseos, quæ enumerantur 4395. Sed ibi error est: nam ille numerus literarum ibi expressus non intelligitur de toto libro Geneseos, sed tantummodo de ultima ejus sectione, incipiente à versu 28. capitis 47. usque ad finem libri.

II. *De Vocalibus.*

VIII. *Secundò.* Masorethæ præcipue posteriores, scil. Tyberienses, aliique versati fuerunt circa *vocales*; non quidem eas invenerunt, sed à corruptelis conservarunt, & irregulares punctationes annotarunt, ne forte aliquis puncta in vocibus irregulariter punctatis mutare præsumeret. Qui punctorum inventionem etiam Masorethis Tyberiensibus adscribunt, eos toto cœlo errare demonstravimus suprà Dissertationibus 13. 14. 15. & 16. Sed si aliquis per Masorethas intelligat Esram & Viros Synedrii magni, qui primariò per Masorethas intelligi debent, iisque vocalium inventionem adscribat, ille sententiam maximè probabilem defendit. Saltem illis Tyberiensibus Masorethis nullo modo punctorum inventio tribuenda est.

Hinc *quæritur*. Quid ergo illi Tyberienses aliique doctores circa vocales fecerunt, si eas non invenerunt?

Respondeo. Illi tantum occupati fuerunt circa multarum vocalium rectam lectionem, earumque conservationem: Ex. gr. *Genes.* 1. 5. Masora magna ad dictionem לָאוֹר notat septies vocem illam cum Kametz ita notatam inveniri. Masora hanc vocem propterea annotavit, ne aliquis putaret sub *Lamed* debere scribi *Scheva,*

va, prout aliàs tredecim vicibus scripta invenitur.

Similiter Jonæ *cap.* 1. *v.* 6. occurrit verbum וַיִּקְרַב *& appropinquavit*, ad quod Masorethæ annotant illud quinquies inveniri scriptum cum Pathach in fine.

Plurima talia exempla cuivis Biblia tantum aperienti & inspicienti occurrent. Hæ & similes notæ circa vocales non tantum Masorethis Tyberiensibus, sed etiam ipsi Prophetæ Ezræ adscribi possunt: nam hæ notæ plurimum faciunt ad conservandam S. Scripturam, in cujus conservatione multum desudavit Esras cum Viris Synagogæ magnæ. Et propterea nullo modo videtur absurdum statuere multas similes notas circa vocales esse observatas & annotatas ab Ezra. Posteriores Masorethæ notas ab Ezra observatas retinuerunt, & alias de novo excogitarunt: attamen iidem præcipuam Masoræ partem non composuerunt.

III. *De Accentibus.*

IX. *Tertiò.* Masorethæ etiam diligentem rationem habuerunt *accentuum*. Nam quoties alicubi vox aliqua accentu non communi notabatur, eum accentum annotarunt, & monuerunt talem accentum illo in loco requiri, etiamsi talis vox tali accentu communiter non notetur.

Ex. gr. Nomen בֵּן *filius* cum accentu tonico semper habet *Tzere*, sed ante *Makkaph* habet Sægol. Hæc est communis regula: sed Masora annotavit septies vocem בֶּן notari cum *Segol* & accentu tonico, & quater cum *Tzere* ante *Makkaph*.

Similiter Jonæ *capite.* 1. *v.* 3. occurit verbum בָּאָה cum accentu in ultima syllaba. Masora parva in margine annotat hoc verbum undecies in Bibliis inveniri cum accentu מלרע, hoc est, in ultimâ syllabâ.

Has & similes multas observationes circa accentus potuerunt observasse Masorethæ posteriores; si nempe defendamus Ezram & Viros Synagogæ magnæ esse punctorum vocalium & accentuum primos auctores. Sed si dicamus ipsos Auctores librorum esse simul inventores punctorum, tum commodè possumus defendere Ezram & Viros Synagogæ magnæ esse præcipuos auctores hujus partis Masoræ, quæ versatur circa vocales & accentus.

IV. *De Vocibus*

X. *Quartò*. Masorethæ etiam attenderunt ad integras *voces* constantes consonantibus & vocalibus; & quidem diversis modis.

1. Masorethæ annotarunt voces מלאים *plenas*, hoc est, scriptas cum literis quibusdam quiescentibus, quæ aliàs solent vel possunt abesse.

Masora utitur *primò* hâc voce מלא *plena* de vocibus, in quibus literæ *Vau* & *Jod* quiescentes expressæ sunt, ubi non semper exprimi solent. Masorethæ ad omnes voces plenè vel etiam defectivè scriptas non statim notas suas adjecerunt, sed præcipuè ad eas, quæ ex communi suo usu scribuntur plenè, & rarò defectivè; & è contra ad eas etiam respexerunt, quæ communiter defectivè scribuntur, & nonnunquam plenè. Quando voces plenè scriptæ rarò occurrunt, tunc annotarunt loca in quibus voces illæ plenè occurrunt; & quidem propterea, ut genuina vocum scriptio semper conservaretur.

Ex. g. Masora *Gen.* 1. 12. notat verbum ותוצא *& protulit* bis inveniri plenè cum *Vau* in medio, quæ litera *Vau* semel abesse debet secundùm Masoram.

Similiter Geneseos *cap.* 2. *v.* 7. וייצר *& formavit* semel scribitur plenè cum duplici Jod, quum aliàs unum *Jod* ab hoc verbo semper absit.

Secundò. Masorethæ utuntur hâc voce מלא de literâ *He* paragogicâ, additâ vel secundæ personæ Præteriti, vel Affixo ejusdem personæ כה.

Exemplum personæ secundæ Præteriti occurrit *Psal.* 31. 6. in verbo פדיתה *redemisti*. Hoc verbum vocatur *plenum*: quia in fine addita est litera *He*, quæ illæso verbo posset abesse.

Affixi personæ secundæ exemplum extat Geneseos *cap.* 27. *v.* 7. in verbo ואברככה *& benedicam tibi*. Ad hoc verbum Masora in externo latere annotat illud non amplius inveniri *plenè* cum *He* in Affixo כה.

2. E contra Masorethæ etiam consideraverunt voces חסרים *defectivas*, hoc est, scriptas sine literis quiescentibus *Jod*, *Vau*, *Aleph*, vel etiam sine finali *He*. Hæ literæ in aliis S. Scripturæ locis communiter illis vocibus adscribi solent; sed quando in quibusdam vocibus expressæ non sunt, tum illæ voces vocantur *defectivæ*: nam eæ non habent illam literam quiescentem expressam, quam aliàs communiter habere solent. Singularum literarum defectivarum dabo unicum exemplum,

in quo una ex literis quiescentibus deest, quæ aliis in locis addi solet:

Ex. gr. *Jona* 1. 7. occurrit וַיַּפִּלוּ *& projecerunt*. Masora parva notat ad hoc verbum, ל׳ חָסֵר *non amplius esse defectivum*, scil. cum defectu literæ *Jod* ante *Lamed*. Nam secundùm regulam generalem ibi requiritur *Jod*: est enim in Conjugatione Hiphil: & per consequens plenè esset scribendum ויפילו cum Jod.

Exemplum deficientis literæ *Vau* occurrit *Jona* 2. 3. in verbo יְסֹבְבֵנִי *circumdedit me*, pro יסובבני cum Vau post Samech. Masora ad hoc verbum notat illud novies defectivè inveniri, scil. cum defectu literæ *Vau* in medio, quæ aliàs addi solet.

Defectus literæ א invenitur Levit. 11. 11. in verbo מָצָתִי *inveni*, pro מצאתי. In margine scribitur חָסֵר א *deficit Aleph*: nam secundùm regulas communes deberet in medio exprimi litera *Aleph*.

Denique *Ruth*. 1. v. 9. extat exemplum defectus literæ ה in verbo ומצאן *& invenite*, pro ומצאנה. Ad hoc verbum Masora parva notat, ל׳ חסר *non amplius esse defectivum*, scil. cum defectu literæ *He* in fine, quæ aliàs semper ibi adscribi solet.

3. Masorethæ etiam considerarunt *situm & locum* multarum vocum, an eæ essent in principio, in medio, vel in fine versuum. Singularum talium vocum dabo unicum exemplum.

Verbi gratiâ *Jona* 1. 2. occurrit verbum קוּם *surge* in principio illius versus. Masora notat hoc verbum novies inveniri in principio versus.

Deinde *Gen*. 6. 4. in medio versu habentur hæ voces אַחֲרֵי־כֵן *postea*. Masora parva notat has voces ita conjunctas *ter* in medio versu inveniri.

Denique *Genes*. 1. 1. versus ille primus finitur voce הָאָרֶץ *terra*. Masora marginalis scribit ad hanc vocem has literas, ג׳ספ״ pro ג׳ סוֹף פָּסוּק hoc est, ter inveniri in fine versus.

4. Masorethæ etiam rationem habuerunt *significationum* in talibus vocibus, in quibus ambiguitas esse potuit.

Ex. gr. *Gen*. 26. 12. Masora notat ad nomen שְׁעָרִים, quod communiter significat *portas*, tantum hoc in loco significare *mensuras*, nec amplius in tali significatione in Bibliis occurrere; quod exprimit vocibus ל׳ בלישנא *non amplius extat in hac significatione*. Hanc crisin observa-

servarunt Masorethæ, ne aliquis fortè aliam significationem illi voci affingeret.

5. Masorethæ etiam notas suas addiderunt ad voces, quibus adscribi solet סְבִירִין *putantur*, quas aliter scribendas vel punctandas esse nonnulli *putare* possent; vel quia in aliis locis ita scribi solent, vel quia regulæ Syntaxeos aut Grammaticæ aliam scriptionem requirunt.

Ex. gr. *Genes.* 19. 23. inveniuntur hæc verba הַשֶּׁמֶשׁ יָצָא *sol prodibat*. Secundùm regulas Syntaxeos deberet esse יָצְאָה Genere fœm. quia שֶׁמֶשׁ *sol* ut plurimum Genere Fœm. usurpatur; ut *Exod.* 22. 3. זרחה השמש *ortus fuit sol* &c. Masora parva notat ad hoc verbum ג׳ סבירין יצאה *tria putantur legi debere* יצאה Genere Fœminino. Masorethæ addiderunt hanc notam, ut lector certus esset hanc lectionem verbi יצא Genere Masc. etiamsi sit contra regulas Syntaxeos, esse nihilominus veram: & propterea per illam notam voluerunt indigitare illud verbum Masculinum à nemine in genus Fœmininum esse mutandum.

6. Masorethæ etiam sub censuram revocarunt *structuram* quarundam vocum, quæ non secundùm communem modum vel cum aliis vocibus vel cum literis servilibus construuntur.

Irregularis structura vocis cum alia voce extat 2. *Reg.* 20. *v.* 13. ubi occurrit hæc verborum constructio, וַיִּשְׁמַע עֲלֵיהֶם *& auscultavit eis*. Masora magna observat hanc structuram esse contra communem regulam: nam communiter verbum שָׁמַע significans *auscultare* conjungitur cum præpositione אֶל; ideoque eadem Masora annotat ad hanc structuram כל לשון. שמיעה אל במ׳ יב׳ על, id est, Hoc verbum in hac significatione requirit אל, sed excipiuntur duodecim loca, quæ ibi adferuntur, in quibus hoc verbum construitur cum præpositione עַל.

Irregularis & inconsueta structura vocis cum litera aliqua servili occurrit Geneseos *cap.* 42. *v.* 16. ubi Masorethæ ad verbum וְיִקַּח *& accipiet* notant ל׳ רפ׳ *non amplius extat raphatum*, hoc est, lene, scil. cum Scheva sub Vau, & sine *Dagesch* post *Vau*: aliter enim semper scribitur וַיִּקַּח cum *Patach* sub *Vau* sequente *Dagesch*.

7. Masorethæ etiam, ne aliquis voces aliquas adderet vel demeret, infinitas ferè voces *numerarunt*.

Ex. gr. *Jonæ* 2. 6. Masora magna annotat ad לְרֹאשִׁי *capiti meo* eam vocem quater inveniri in Bibliis.

Sic in eodem libro Jonæ *cap.* 3. *v.* 6. ad verbum וַיַּעֲבֵר Masora notat novies hoc verbum occurrere. Aliquando Masorethæ libros vel Veteris T. partes, in quibus hæ voces inveniuntur, addunt.

8. Masorethæ in Veteri T. attenderunt ad *quindecim* voces supernè uno vel pluribus punctis notatas, quarum decem occurrunt in Lege, quatuor in Prophetis, & una in Hagiographis. Hæc puncta nec vocales sunt, nec accentus, & tamen ea passim instar vocalis Cholem illis quindecim vocibus supernè inveniuntur adscripta. Judæi antiqui varia mysteria excogitarunt, quæ putarunt per illa puncta fuisse denotata. Hæc omnia loca adferuntur à Clariss. Buxtorfio in Tiberiade cap. 17. & in ejusdem Thesauro Grammatico cap. 5.

Nos breviter voces punctis illis coronatas hic dabimus, & simul loca addemus in quibus hæ voces punctatæ inveniuntur.

Decem voces punctatæ, in Pentateucho extantes, sunt sequentes.

1. וּבֵינֶיךָ *& inter te*, Gen. 16. 5. Punctum est supra literam *Jod* posteriorem. Masorethæ putarunt literam *Jod* non frustra esse additam; quia hæc vox in tota Lege ita plenè cum litera *Jod* non amplius invenitur: ideoque Masora hanc vocem sub censuram vocavit his verbis:

ובינך נקוד על י׳ בתרי חד מן י׳ נקודות בתורה וד׳ בנביאים וא׳ בכתובים *Punctum est supra Jod posterius, estque unum ex decem punctatis in Lege, & quatuor in Prophetis, & uno in Hagiographis.*

2. אֵלָיו *ad eum*, Gen. 18. 9. In hac voce tres literæ sunt punctatæ, scil. Aleph, Jod & Vau.

3. וּבְקוּמָהּ *& cum surgeret illa*, Gen. 19. 33. In margine annotat Masora נקוד על ו׳ *punctum est supra Vau.*

4. וַיִּשָּׁקֵהוּ *Et osculatus est eum*, Gen. 33. 4. In hac voce quatuor literæ punctatæ sunt.

5. Ad vocem אֶת Genes. 37. 12. notat Masora חד מן טו׳ נקודות בתורה *unum ex quindecim punctatis in Lege.* Vel Masora hic hallucinatur, vel est vitium Typographi: nam Masora aliis in locis constanter ait esse tantum decem voces punctatas in Lege; vel pro בתורה *in Lege* est substituendum בקריאה *in Scriptura*; vel תורה hoc in loco à Masoretha sumitur pro toto Veteri T.

6. ואהרן

6. וְאַהֲרֹן *& Aharon*, Numer. 3. 39. Omnes literæ hujus vocis sunt punctatæ.

7. רְחֹקָה *longinqua*, Num. 9. 10. Masora notat נקוד על ההא *punctatum est super He.*

8. אֲשֶׁר *quod*, Num. 21. 30. Hæc vox duobus punctis notata est.

9. וְעִשָּׂרוֹן *& decima*, Num. 29. 14. Hæc vox non invenitur punctata in quibusdam Bibliis ex incuria Typographorum: sed Masora notat hanc vocem etiam esse punctandam.

10. לָנוּ וּלְבָנֵינוּ *Nobis & liberis nostris*, Deut. 29. 29. Hæ decem voces tot variis punctis in Lege coronantur.

Quatuor voces punctatæ, in Prophetis occurrentes, sunt:

11. יָצָא *egressus est*, 2. Sam. 19. 20. Omnes literæ hujus vocis sunt punctatæ. Masora notat quatuor voces punctatas inveniri in Prophetis.

12. הֵמָּה *ipsa*, Jes. 44. 9. Litera *He* est punctata.

13. הַהֵיכָל *templi*, Ezech. 41. 20. Quatuor puncta sunt scripta supra hanc vocem.

14. מְהֻקְצָעוֹת *angulata*, Ezech. 46. 22.

15. Ultima & decima quinta vox punctata invenitur in *Ps.* 27. 13. in Adverbio לוּלֵא *nisi*, quod tantum punctatum est in Hagiographis.

XI. De his suprà allegatis quindecim vocibus supernè punctatis *primò quæritur*: An illa puncta vocibus illis sint adscripta ab ipsis Auctoribus librorum?

Respondeo. Mihi non videtur verosimile hæc puncta esse adscripta ab ipsis Auctoribus librorum; sed potius inclino in eam sententiam, quæ statuit ea vel casu in Textum irrepsisse post tempora Ezræ & ante confectum Talmud; vel eadem certo consilio à quibusdam Judæis circa illa tempora esse addita; & quidem eum in finem, ut effficta quædam mysteria ex Textu elicerent. Credo posteriores Masorethas invenisse hæc puncta vocibus supernè adscripta, qui non ausi fuerunt aliquid in illis mutare; sed cogitarunt eadem esse addita vel ab ipsis librorum Auctoribus, vel ab Ezra Propheta. Quare? Ad denotanda

quædam

quædam mysteria; in quibus effingendis jam non conveniunt, neque etiam olim convenerunt.

XII. *Secundò quæritur.* Si hæc puncta non sint adscripta ab ipsis Auctoribus librorum: Quando igitur illa in Textum Hebræum irrepserunt.

Respondeo. Tempus certum, quo hæc puncta sunt adscripta, nobis est ignotum: ast certissimum est hæc puncta Textui esse adscripta ante confectum Talmud. Ratio probationis: quia in Talmude horum punctorum fit mentio. Ex. gr. in *Tractatu Berachoth*, *cap.* 1. *fol.* 4. *a.* fit mentio vocis לולא punctatæ: etiam in aliis locis allegantur aliæ voces punctatæ. Hinc elicimus hoc consectarium: ergo Masorethæ Tyberienses non sunt auctores illorum punctorum: nam illi circiter centum annis post confectum Talmud vixerunt. Et per consequens Masorethæ Tyberienses non sunt auctores totius Masoræ.

V. *De Versiculis.*

XIII. *Quintò.* Masorethæ etiam occupati fuerunt circa *versus* Veteris Testamenti.

1. Masorethæ numerarunt versus variis modis. *Primò* in singulis libris totius Veteris T. ex. gr. in Genesi sunt versus "אך" "לד" 1534. In Josua continentur versus "נום 656. Et in Psalmis "אא" "כוך 2527. Hic numerus versuum in fine singulorum librorum est expressus. Ego hic brevitatis causa literas numerales tantummodo profero, sed in Bibliis Hebraicis etiam numerus versuum singulorum librorum vocibus Hebraicis plenè exprimitur: ex. gr. Post Genesin hæc verba habentur: סכום פסוקי דספר בראשית אלף וחמש מאות ושלשים וארבעה וסימן אך לד: hoc est, *Numerus versuum libri Genesios mille, quingenti, & triginta quatuor, signum ipsorum est* 1534. Eodem modo numerus versuum in fine aliorum librorum exprimitur.

Secundò. Masorethæ numerarunt versus in singulis sectionibus majoribus Pentateuchi, quæ per tres literas פפפ vel ססס distinguuntur: ex. gr. Prima sectio Genesios à principio libri usque ad versum nonum capitis sexti, vocata *Bereschith*, comprehendit versus "קמו 146. Simili modo in omnibus sectionibus versus numerati sunt. Numerus ver-

versuum post singulas sectiones in Bibliis Buxtorfii est expressus tum literis numeralibus, tum etiam nominibus propriis, quæ in se continent totidem versus: ex. gr. Post primam sectionem Geneseos habentur hæ voces קמו אמציה יחזקיהו, hoc est, 146. *Amasia, Jehiskia.* Hæc duo nomina propria memoriæ causa adduntur; quia in singulis illis etiam idem numerus continetur, si literæ eorum nominum in numerum resolvantur. Idem exercitii causa tentari potest in cæteris sectionibus.

Tertiò. Masorethæ etiam numerarunt medium versum singulorum librorum per totum Vetus T.

Exempli gratia: Versus medius Geneseos continetur *capite* 27. *vers.* 40. ubi in margine annotatur ועל חצי הספר בפסוקים, hoc est, Versus ille, qui incipit à voce ועל ET SUPRA, *est medium libri in versibus.* Hic medius versus etiam solet exprimi in fine nonnullorum librorum: ex. gr. In fine Geneseos, ad indicandum versum medium illius libri, scribuntur hæ voces וחציו ועל חרבך תחיה *& medium ejus* libri *est, & supra gladium tuum vives*, hoc est, medius versus incipit ab illis vocibus.

Similiter medius versus in Exodo extat *capite* 22. *versu* 28. qui incipit ab his vocibus, אלהים לא תקלל *Judicibus non maledices.*

In Josua *capite* 10. *vers.* 8. invenitur medius versus illius libri; & sic porro in aliis libris medius versus à Masorethis est annotatus.

Quartò. Masorethæ etiam supputarunt versus multorum librorum simul: ex. gr. In toto Pentateucho sunt 5845 versus: sed hic numerus male est expressus in hodiernis Bibliis Hebraicis, in quibus loco hujus veri numeri dicuntur in toto Pentateucho esse tantum versus חמשת אלפים ומאתים וארבעים וחמשה, hoc est 5245.

Si omnes totius Veteris T. versus ad unam summam redigantur; invenientur in universum 23206 vel 23202. versus in toto Veteri T. Hunc laborem Masorethæ eum in finem susceperunt, ne aliquis sacrilegas suas manus in S. Scripturam injiceret, interponendo vel ejiciendo hic vel alibi versum aliquem.

2. Masorethæ consideraverunt versus secundùm varias *affectiones* in vocibus & literis.

Primò considerarunt in versibus voces: ex. gr. *Jonæ* 3. *v.* 4. occurrunt in versu hæc verba ויקרא ויאמר. Masora notat inveniri

פסוקים ויקרא ויאמר י *decem versus*, in quorum singulis hæc duo verba Hebraica inveniuntur.

Similiter in eodem libro Jonæ *capite* 1. *versu* 9. sunt tres voces ואת את ואת. Masora ad hunc versum notat inveniri sex versus, in quorum singulis tales tres voces tali ordine occurrunt.

Secundò. Masorethæ considerarunt versus secundùm literas, hoc est, annotarunt primas & ultimas literas versuum; etiam multorum versuum literas numerarunt, & sic deinceps.

Hæc omnia clara fient ex exemplis sequentibus: ex. gr. Masorethæ annotarunt quosdam versus, in quibus literam initialem & finalem considerarunt. Dantur undecim versus in Veteri Test. quorum prima & ultima litera est *Nun*.

Aliquando tantum annotarunt initialem vel finalem literam in versibus: ex. gr. In Lege sunt duo versus, qui incipiunt à litera *Samech*, scil. *Exod*. 32. 8. & *Num*. 14. 19.

In Pentateucho dantur duo versus, quorum omnes & *singulæ* voces exeunt in *Mem*: prior locus invenitur *Genes*. 32. 14. in quo occurrunt octo voces desinentes in *Mem*; posterior locus est *Numer*. 29. 33. in quo sunt septem voces similiter in *Mem* desinentes.

Nonnunquam Masorethæ numerarunt literas in versibus: ex. gr. in Veteri Test. extant tres versus, in quorum singulis sunt octuaginta literæ, quorum unus invenitur *Num*. 36. 8. qui incipit à vocibus וכל בת.

In Veteri T. inveniuntur viginti sex versus, in quorum singulis omnes literæ Alphabethi extant; & inter hos viginti sex versus est unus, scil. versus 8. capitis tertii Zephaniæ, qui, præter omnes Alphabethi literas, etiam quinque finales comprehendit. Hæc loca omnia enumerantur in Masora Textuali ad *Ezech*. 38. 12. ubi eadem sic fatur. לשלול שלל חד מן כו׳ פסוקין בקריאה דאית בהון כל אב וסימ׳ Versus hic incipiens à vocibus לשלול שלל *est unus ex* 26. *versibus* occurrentibus *in Scriptura*, *in quorum singulis est totum Alphabetum*, *quæ loca* ibidem post invicem recensentur. Masora parva ad eundem versum notat אית בפסוק אב *est in hoc versu alphabetum*.

3. Masorethæ etiam observarunt hiatus sive *spatia vacua*, quæ in medio viginti quinque vel viginti octo versuum inveniuntur. In medio

dio horum versuum Hebraicorum relinquitur spatium vacuum: quia Masorethæ judicarunt sensum ibi esse hiulcum & ellypticum, ac voces quasdam subintelligi, quæ ad perfectum sensum exprimendum videntur requiri.

Primus versus, relinquens in medio spatium vacuum, vulgo annotatur in Genesi capite 4. v. 8. ubi textus Hebræus ait: *Et locutus est Kaïn cum Abele fratre suo.* Post hæc verba relinquitur ut plurimum in Textu Hebræo spatium vacuum, in quo aliquando circulus notatur. Hoc spatium Textus Samaritanus & Textus Græcus supplent his vocibus: *Eamus in agrum.* In Textu Hebræo post hiatum hæc sequuntur verba, *& factum est cum essent in agro.* Si spatium illud non suppleatur vocibus subintellectis, sensus erit imperfectus. Quis enim est sensus eorum verborum: *Et Kaïn locutus est cum Abele, & factum est cum essent in agro.* Sed si voces *eamus in agrum* subintelligantur, sensus erit, ut putant Judæi, multo perfectior, scil. talis: *Et Kaïn locutus est cum Abele fratre suo*, eamus in agrum, *& factum est cum essent in agro* &c. Masorethæ considerarunt & numerarunt omnes illos versus, in quibus sensus ita est ellypticus: ideo Masora ad hunc locum in margine ait כח פסו פסקי במצעו פסוק *Sunt 28. versus desinentes in medio versu*, scil. quoad sensum.

Dices. In utraque editione Bibliorum Hebraicorum, à me per Josephum Athiam annis 1661. & 1667. editorum, non relinquitur spatium vacuum *Genes.* 4. 8. contra fidem plerorumque Codicum, & contra Masoram parvam in hunc locum.

Respondeo 1. Maimonides, qui secutus est, in sectionibus & hiatibus enumerandis, exemplar antiquissimum à Ben Ascher correctum, non enumerat hîc pausam. 2. In antiquissimis exemplaribus, ante quingentos circiter annos conscriptis, nunquam hic pausa fuit annotata: sed errore novitiorum Scribarum & Typographorum pausa in hunc locum etiam irrepsit. 3. Hæc Masora videtur huic loco à Rabbi Chajim collectore Masoræ adscripta. Nam hæc ipsa Masora, margini adscripta, refutatur à simili Masora ad Geneseos caput 35. v. 22. ubi in margine habetur כה פסו פסקי מצעות פסק, hoc est, *dantur viginti quinque versus habentes hiatum in medio versus.* Ergo est dissensio in numero horum versuum; & non mirum cum nullibi, quod sciam,

Masora hos versus recenseat. Buxtorfius in ultima editione Tiberiadis pag. 266. nostram sententiam confirmat his vocibus: *R. Menachem de Lonzano in libro* שתי ידות *vult Genes.* 4. 8. *nullum esse debere Piska: nullum quippe poni in Codice Hilleliano, nullum etiam initium sectionis fecisse Majemonidem & Raf Hammeiri. Sic in Pentateucho Constantinopolitano nullum est spatium, sed continuata scriptio.* Ex his concludimus quod Geneseos *cap.* 4. *v.* 8. non debeat esse hiatus in medio versu.

Primus igitur versus, in quo hiatus est relinquendus, occurrit Geneseos *cap.* 35. *v.* 22. post illa verba וישמע ישראל *& audivit Jisrael.*

Secundus versus extat Numerorum cap. 25. vers. ultimo, post verba ויהי אחרי המגפה *Et fuit post illam plagam.* Hic versus in multis Bibliis Hebraicis non finitur accentu *Silluk*, sed tantum accentu *Athnach*, qui solet esse in medio versu, & caput vigesimum quintum incipit à medio versu capitis præcedentis. Verba versus ultimi sunt, *& fuit post plagam*; & post hæc verba incipit caput 25. his verbis, *& dixit* JEHOVA *Mosi* &c.

Tertius versus occurrit *Deut.* 2. 8 ubi etiam tale spatium relinquitur. In nostris Bibliis Hebraicis ubique apponuntur margini hæ voces פסקא באמצע פסוק *Hiatus in medio versu*; & in medio versu, ubi relinquitur spatium, habetur talis circulus (o), denotans ibi esse hiatum in medio versu.

Quartus versus invenitur Josuæ cap. 4. v. 1. post את הירדן.

Quintus versus extat Josuæ cap. 8. v. 24. post עד תמם.

Sextus versus est Jud. 2. 1. post אל הבכים.

Cæteri versus fere inveniuntur 1 Sam. cap. 14. v. 19. & v. 36. Etiam cap. 16. v. 2. & v. 12. Adhuc Cap. 17. v. 37. & cap. 21. v. 10. Etiam cap. 23. v. 2. & v. 11.

2 Sam. cap. 5. v. 2. & v. 19. Etiam cap. 7. v. 4. Et cap. 12. v. 13. Adhuc Cap. 16. v. 13. Et cap. 17. v. 14. Et cap. 18. v. 2. Et cap. 21. v. 1. & v. 6. Etiam cap. 24. v. 10. & v. 23.

1 Regum capite 13. versu 20.

Ezechielis capite 3. versu 16.

Hos præcedentes viginti septem versus video annotatos in novissima editione Bibliorum Hebraicorum anni 1667. qui multum differunt ab illis versibus, qui annotantur à Buxtorfio in Tiberiade paginâ 266. ad vocem פסקא.

VI. De

VI. *De Ordinatione Scribarum.*

XIV. *Sextò.* Masorethæ observarunt *octodecim* voces, quas vocant תִּקּוּן סוֹפְרִים *Ordinationem* sive *correctionem Scribarum.* Hæc loca recensentur in principio libri *Numerorum* in interiori Masora, & *Psalmo* 106. ad versum 20. occasione vocis כבודם, ubi in exteriori latere habetur

כבודם חד מן יח מלין בקריאה תקון סופרים : *Vox* כבודם *est una ex octodecim vocibus in Scriptura, quæ sunt Ordinatio Scribarum.*

Primus locus extat *Genes.* 18. 22. Ubi *Abraham dicitur stetisse coram* Jehova. Judæi putant magis ad honorem Dei esse, si scriptum fuisset, *Et* Jehova *stabat coram Abrahamo.* Masora parva annotat esse

יח מלין תקון סופרים *octodecim voces*, quæ vocantur *Ordinatio Scribarum.* Scribæ cogitarunt: fortasse homines quidam hunc Textum posteriori modo legent, eumque depravabunt; ideo ordinarunt, ut omnes versum illum legerent, sicuti scriptus est, etiamsi Textus verba aliquid gloriæ divinæ videantur detrahere.

Secundus locus est *Numer.* 11. *vers.* 15. ubi Textus ait ברעתי *malum meum* pro ברעתם *malum ipsorum.* Masora ad hanc vocem ait, esse unam ex octodecim vocibus, quæ vocantur *Ordinatio Scribarum.*

Tertius & *Quartus* locus est *Numer.* 12. 12. in vocibus אִמּוֹ *matris suæ* pro אִמֵּינוּ *matris nostræ*, & in בשרו *carnis ejus* pro בשרנו *carnis nostræ.*

Masora notat, יח תיקון עזרא *octodecim* sunt *correctio Ezræ.*

Quintus locus est 1. *Sam.* 3. 13. in להם *sibi* pro לי *mibi.*

Sextus locus occurrit 2. *Sam.* 16. 12. in voce בְּעֵינִי *oculum meum* pro בְּעָנְיִי *afflictionem meam.*

Septimus & *Octavus est* 1 *Reg.* 12. 16. & 2 *Chron.* 10. 16. vel 2 *Sam.* 20. 1. in לאהליו *ante tentoria sua* pro לאלהיו *ad Deos suos.*

Nonus locus extat *Ezech.* 8. 17. in אל אפם *ad nasum suum* pro אל אפי *ad nasum meum.* Masora ad hanc vocem notat esse unam ex octodecim vocibus, quæ sunt *Ordinatio Scribarum.*

Decimus locus invenitur *Hab.* 1. 12. in לא נמות *non moriemur* pro לא תמות *non morieris.*

Undecimus occurrit *Malach.* 1. 13. in אותו *illud* pro אותי *me.*

Duodecimus locus invenitur *Zach.* 2. 8. in עינו *oculus ipsius* pro עיני *oculus meus.*

Decimus tertius est *Jer*. 2. 11. in כבודו *gloriam suam* pro כבודי *gloriam meam*.

Decimus quartus est *Hos*. 4. 7. in כבודם *gloriam ipsorum* pro כבודי *gloriam meam*.

Decimus quintus est *Psal*. 106. 20. ubi etiam est כבודם, pro quo כבודי putant esse scribendum.

Decimus sextus est *Job*. 7. 20. in עלי *super me* pro עליך *super te*.

Decimus septimus est *Job*. 32. 3. in את איוב *Jobum* pro את דין *Judicium*, vel את אלהים *Deum*.

Decimus octavus & ultimus locus extat *Thren*. 3. 20. in עלי pro עליך.

Hæc sunt octodecim illa loca, quæ vocantur תקון סופרים *Correctio Scribarum*. De his vide Clariss. Buxtorfium in Lex. Talm. Rad. תקן, & Glassium pag. 41.

XV. Occasione horum locorum *quæritur*. An ex hac correctione Scribarum in octodecim illis locis non sequatur corruptio Textus Hebraici?

Respondeo. Galatinus lib. 1. cap. 8. probaturus Scribas multa in S. Scriptura depravasse, utitur argumento desumpto ab octodecim vocibus, quæ vocantur תיקון סופרים *Correctio Scribarum*. Non quidem vult Judæos depravasse Textus illo malo animo, sed propter rationes probabiles: & addit has depravationes esse restituendas ex Talmude Judaico: nam credit ea loca aliter olim fuisse lecta quàm jam leguntur. Sed falsa est hæc Galatini assertio: nunquam S. Scriptura à Judæis datâ operâ corrupta est. Obstat enim specialis Judæorum reverentia sive potius superstitio erga S. Scripturam, quam Philo Judæus probat cum ait *Quemlibet Judæum potius centies esse moriturum, quam ut pateretur Legem in aliquo mutari*.

XVI. Sed instabit fortè nonnemo. Octodecim voces vocantur *Correctio Scribarum*: ergo Scribæ videntur quædam loca mutasse, quæ antea erant depravatæ.

Respondeo 1. Si per *Scribas* intelligantur Ezras & Viri Synagogæ magnæ, tum dicendum est illos S. Scripturam in *octodecim* illis locis non depravasse, sed emendasse, & antiquam lectionem restituisse. Multi non sine ratione per סופרים *Scribas* intelligunt Ezram & Viros Synagogæ magnæ; & non sine ratione: nam *Numer*. 11. 15. Masora pro תיקון סופרים *Ordinatio Scribarum* expresse dicit תקון עזרא *Correctio Ezræ*.

2. Si per *Scribas* intelligantur Masorethæ post-talmudici, tum respondeti potest illos testari non quid revera factum sit, sed quid factum esse Hebræorum Rabbini tradunt.

3. Mihi verosimile videtur per *Scribas* esse intelligendos ipsos Auctores librorum, scil. Mosen & Prophetas, qui sic scripserunt, prout hodie scriptum est: verum Sapientes Hebræorum viderunt inconvenientiam quandam in illis locis, ideoque judicarunt primos Auctores propter antecedentia & consequentia aliter loqui & scribere debuisse; sed maluisse ita scribere, prout hodie scriptum est. Hanc sententiam approbat S. Jarchi in Comment. ad Geneseos Caput 18. ubi ait היה לו לכתוב *scribendum ipsi* (Mosi) *erat*, *Dominus stabat*. Jarchi non asserit Mosen aliter scripsisse quàm jam in Textu invenitur; sed judicat Mosen aliter debuisse vel potius potuisse scribere. Sapientes ergo Hebræorum observarunt honorem Dei sive cohærentiam Textus aliter quidem requirere; sed quia Scribæ, hoc est, Auctores librorum ita scripserunt, ideo monuerunt talem lectionem esse retinendam: & propterea dixerunt, *Scribarum est ordinatio*, sive ipsi Auctores ita ordinarunt. In hanc sententiam etiam inclinat Buxtorfius apud Glassium pag. 57.

VII. *De ablatione Scribarum.*

XVII. *Septimò.* Masorethæ etiam observarunt quinque voces, quæ vocantur עִטּוּר סוֹפְרִים *Ablatio Scribarum*. Hæc nota margini adscripta respicit literam *Vau*, quæ quinque vocibus in initio ab imperitis fuit addita: sed Masorethæ notarunt illud *Vau* esse abjiciendum; quia judicabant ipsos librorum Auctores illud *Vau* non addidisse.

Primus locus est *Gen.* 18. 5. in voce אחר *postea*. Imperiti fortè addiderunt *Vau*, & legerunt ואחר *& postea*: nam sensus videtur *Vau* requirere. Masora parva ad hanc vocem annotat ה̃ מלין עיטור סופרים *esse quinque voces* quæ vocantur *ablatio Scribarum*.

Secundus locus est *Genes.* 24. 55. in eadem voce אחר.

Tertius locus extat *Numer.* 12. 14. in voce ואחר. Masorethæ rejecerunt hoc *Vau*, sed in nostris exemplaribus adhuc conspicitur. Buxtorfius in Rad. עטר miratur, quare auctores editionis non abstulerint hoc *Vau* juxta Masoram.

Quartus locus occurrit *Psal.* 68. 26. ubi iterum est אחר pro ואחר.

Quintus

Quintus & ultimus locus invenitur *Psal.* 36.7. in voce משפטך *Judicia tua*, pro ומשפטיך. Masora magna notat *esse unam ex quatuor vocibus in S. Scriptura*, quæ vocantur *Ablatio Scribarum*; cum ait,

משפטך תהום רבה חד מן ד׳ מלין בקריאה עטורן סופרים.

Jam etiam tantum quatuor voces in correctissimis editionibus habentur, quibus Vau ab initio non est additum. Sed Buxtorfius judicat hic unum locum esse omissum.

XVIII. Circa has voces, quæ vocantur *Ablatio Scribarum*, quæritur: Quinam hîc intelliguntur per *Scribas*?

Respondeo. Ipsi Auctores librorum intelliguntur, qui literam Vau illis quinque sive potius quatuor vocibus non addiderunt. Sed Viri Synagogæ magnæ annotarunt has voces; quia videbant imperitos Scribas facile addituros esse in posterum, vel modo addidisse *Vau*, quod tamen ab ipsis Auctoribus non erat additum.

Hujus notæ, scil. *Ablationis Scribarum* fit mentio in Thalmude Tractatu *Nedarim*, *fol.* 37. Ergo hæc nota Masorethica perantiqua est, & antiquitate sua Masorethas Tyberienses superat.

Ex hac curiosa Masoretharum diligentia circa hæc septem superiora apparet, quàm falsa sit quorundam assertio statuentium S. Scripturam per Judæorum malitiam esse corruptam.

DISSERTATIO VIGESIMA-TERTIA, QUÆ EST PARS SECUNDA.

DE MASORA.

Et PARS PRIOR De KERI & KETIB.

§. 1. *Jam sequuntur explicandæ notæ marginales vulgò* Keri *&* Ketib *vocatæ.*
2. *Voces* קרי *&* כתיב *explicantur.*
3. *Inquiruntur auctores notarum Keri & Ketib.*
4. *Tres sententiæ de auctoribus earum proponuntur.*
5. *Omnes illæ notæ non sunt à Masorethis Tyberiensibus:*
6. *Nec ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ:*

7. *Nec*

7. *Nec ab ipsis Auctoribus librorum.*
8. *Sed sunt partim ab Ezra & partim a Masorethis Tyberiensibus.*
9. *Sunt septem species notarum.*
10. Prima *species continet literas quiescentes & mobiles deficientes aut abundantes.*
11. Secunda *est quando litera una, sive quiescens sive mobilis, scribitur pro alia.*
12. Tertia *continet literas per Metathesin transpositas.*
13. Quarta *species docet literam vocis præcedentis pertinere ad vocem sequentem.*
14. Quinta *continet voces quæ scribuntur & non leguntur, & vice versa, quæ leguntur & non scribuntur.*
15. Sexta *species comprehendit voces conjunctas dividendas, & vice versa divisas conjungendas.*
16. Septima *species continet voces obscœnas, quas per voces honestiores scriptas in margine, judicant esse pronunciandas.*
17. *Difficile est determinare quas ex septem speciebus composuerint Ezras & Viri Synagogæ magnæ, aut Masorethæ Tyberienses.*
18. *Quinque causæ notarum marginalium ut veræ enumerantur, & sexta ut falsa rejicitur.*

SECTIO I.



Uperiori dissertatione diximus Masoram præcipue circa octo diversas res versari, scil. circa Consonas, circa Vocales, circa Accentus, circa integras Voces, circa Versus Biblicos, circa Ordinationem Scribarum, circa Ablationem Scribarum, & denique circa Notas Marginales vulgò vocatas קְרִי וּכְתִיב *Keri & Ketib.* De septem præcedentibus egimus in superiori Dissertatione, jam in hac & sequenti differemus de Notis Marginalibus. Hæc materia valde difficilis est: & propterea multos tum Judæos tum etiam Christianos vehementer vexavit. Nos quibusdam quæstionibus totam hanc materiam, quantum fieri poterit, dilucide proponemus, & eandem variis exemplis illustrabimus. Ante omnia vocum *Keri & Ketib* Etymologia inspicienda est.

II. *Primò quæritur,* Unde hæ voces קְרִי וּכְתִיב derivantur? Et quid significant?

Respondeo. קְרִי significat *Lectum*, estque Participium Præteritum in Conjugatione Chaldaica *Pehal* sive *Kal*; Hebraicè dicendum esset קָרוּא à קָרָא *vocavit, legit.* In margine brevitatis causa sæpenumero scribitur solummodo litera 'ק *Koph* virgulâ transversâ notata: sed in novissima

vissima Bibliorum & Psalterii editione sæpissime integra vox קרי impressa est. Masorethæ per hanc literam sive voculam indicant vocem ita, prout in margine scribitur, esse legendam; non vero prout in Textu scripta est.

Ejus vox opposita est כְּתִיב *Ketib*, sive Hebraicè כְּתוּב, & significat *Scriptum*; estque in eadem Conjugatione & in eodem Tempore; denotatque, ex sententia Judæorum & multorum Christianorum, vocem in Textu scriptam, (quæ communiter circello notatur) per vocem in margine notatam, esse emendandam & legendam.

In multis Bibliis Hebraicis omne Keri in margine non annotatur, sed tantummodo circulus vocibus in Textu adscribitur, qui denotat in margine notam marginalem esse annotandam.

III. *Secundò quæritur*. Quinam sunt Auctores notarum marginalium vulgò *Keri* & *Ketib* vocatarum?

Respondeo. Hoc in loco non investigabimus Auctores totius Masoræ, sed tantummodo inquiremus, quinam sunt Auctores harum notarum marginalium.

IV. Tres sententiæ circa harum Notarum Marginalium antiquitatem & Auctores sunt examinandæ.

Prima sententia est Talmudistarum statuentium notas has marginales esse הלכה למשה מסיני *Traditionem Mosis è monte Sinai*, hoc est, eas esse à Mose & ab Auctoribus singulorum librorum. Verum enimvero Auctores, qui hanc sententiam defendunt, nolunt omnes omnium & singulorum librorum notas marginales esse vel à Deo Mosi, vel ab ipso Mose aliis doctoribus posterioribus traditas: sed volunt hanc consuetudinem aliter quasdam voces scribendi in Textu, & aliter legendi in margine primùm à Mose esse profectam, illumque hunc modum docendi accepisse in monte Sinai, & Senioribus suis tradidisse. Etiam defendunt cæteros Scriptores in describendis cæteris Veteris T. libris postea eam consuetudinem esse sequutos, hoc est, Moses fuisset auctor notarum marginalium quæ inveniuntur in Pentateucho, & cæteri auctores fuissent inventores notarum quæ in cæteris libris inveniuntur. Sed hæc sententia nullam speciem veritatis habet; ideoque sicco, quod ajunt, pede eam præterimus. Vide hanc sententiam allegatam ex Talmude à Buxtorfio in Tiberiade p. 39. & ab Hottingero Thes. Philol. p. 413.

Secunda sententia de antiquitate notarum marginalium, quæ multo

to

τό verisimilior est, statuit notas marginales esse inventas ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ, qui sexcentis fere annis ante nativitatem Christi vixerunt. Hanc sententiam defendunt plerique Judæi & quamplurimi ex Christianis. Qui hanc & primam sententiam propugnant, statuunt has notas marginales non habere auctoritatem humanam sed divinam.

Patroni *Tertiæ* sententiæ arbitrantur omnes has notas marginales esse inventas à Masorethis Tyberiensibus, qui sexto fere sæculo post Christum vixerunt. Inter hos patronos præcipuus est Cl. Capellus, qui etiam defendit has notas habere tantum auctoritatem humanam, & esse tanquam correctiones, quæ ex mero & solo judicio & arbitrio Masoretharum sunt natæ.

V. Nos nullam ex his tribus sententiis putamus separatè & abstractè esse veram.

Primò. Omnes notæ marginales non possunt esse à Masorethis Tyberiensibus propter has sequentes rationes.

1. Quia multarum notarum marginalium fit mentio in Talmude. Ex. gr. in Talmude Hierosolymitano, Tractatu Sanhedrin, & in Babylonico, Tractatu Joma expressè dicitur, quod verbum אִכָּבֵד, *Hagg.* 1. 8. sit in Textu scriptum sine *He*, cum legendum sit ex sententia Judæorum per *He*. Et in codice Megilla *cap.* 3. vox עפלים numeratur inter eas, quæ honestatis causa mutatæ sunt. Atqui doctores Tyberienses vixerunt post confectum Talmud: ergo omnes Notæ Marginales non sunt à Tyberiensibus.

2. Masora ubique enumerat *Keri* & *Ketib*; & maxima pars Masoræ non demum à Masorethis Tyberiensibus est conscripta, sed antea ab Ezra; uti postea clarè probabimus: ergo Masorethæ Tyberienses non sunt Auctores omnium *Keri* & *Ketib*.

3. Paraphrastæ Chaldæi, qui circa tempora Christi vixerunt, ferè semper vocem *lectam* sive marginalem in Paraphrasibus suis Chaldaicis transtulerunt; aliquando tamen vocem *scriptam* retinuerunt: ergo *Keri* fuit notum ante Tyberienses; & per consequens omnes notæ marginales non sunt à Masorethis Tyberiensibus.

4. Accedit universalis consensus omnium Judæorum statuentium has notas marginales esse ab Esra. Nullus ex Judæis est qui defendit notas *Keri* & *Ketib* esse à Tyberiensibus.

VI. *Secundò.* Omnes notæ marginales non sunt inventæ à Pro-

פסוקים ויקרא ויאמר י׳ *decem versus*, in quorum singulis hæc duo verba Hebraica inveniuntur.

Similiter in eodem libro Jonæ *capite* 1. *versu* 9. sunt tres voces ואת את ואת. Masora ad hunc versum notat inveniri sex versus, in quorum singulis tales tres voces tali ordine occurrunt.

Secundò. Masorethæ consideraru nt versus secundùm literas, hoc est, annotarunt primas & ultimas literas versuum; etiam multorum versuum literas numerarunt, & sic deinceps.

Hæc omnia clara fient ex exemplis sequentibus: ex. gr. Masorethæ annotarunt quosdam versus, in quibus literam initialem & finalem considerarunt. Dantur undecim versus in Veteri Test. quorum prima & ultima litera est *Nun*.

Aliquando tantum annotarunt initialem vel finalem literam in versibus: ex. gr. In Lege sunt duo versus, qui incipiunt à litera *Samech*, scil. *Exod*. 32. 8. & *Num*. 14. 19.

In Pentateucho dantur duo versus, quorum omnes & singulæ voces exeunt in *Mem*: prior locus invenitur *Genes*. 32. 14. in quo occurrunt octo voces desinentes in *Mem*; posterior locus est *Numer*. 29. 33. in quo sunt septem voces similiter in *Mem* desinentes.

Nonnunquam Masorethæ numerarunt literas in versibus: ex. gr. in Veteri Test. extant tres versus, in quorum singulis sunt octuaginta literæ, quorum unus invenitur *Num*. 36. 8. qui incipit à vocibus וכל בת.

In Veteri T. inveniuntur viginti sex versus, in quorum singulis omnes literæ Alphabethi extant; & inter hos viginti sex versus est unus, scil. versus 8. capitis tertii Zephaniæ, qui, præter omnes Alphabethi literas, etiam quinque finales comprehendit. Hæc loca omnia enumerantur in Masora Textuali ad *Ezech*. 38. 12. ubi eadem sic fatur.

לשלול שלל חד מן כו׳ פסוקין בקריאה דאית בהון כל אׄבׄ

וסים Versus hic incipiens à vocibus לשלול שלל *est unus ex* 26. *versibus* occurrentibus *in Scriptura*, *in quorum singulis est totum Alphabetum*, *quæ loca* ibidem post invicem recensentur. Masora parva ad eundem versum notat אית בפסוק אׄב *est in hoc versu alphabetum*.

3. Masorethæ etiam observarunt hiatus sive *spatia vacua*, quæ in medio viginti quinque vel viginti octo versuum inveniuntur. In medio

dio horum versuum Hebraicorum relinquitur spatium vacuum: quia Masorethæ judicarunt sensum ibi esse hiulcum & ellypticum, ac voces quasdam subintelligi, quæ ad perfectum sensum exprimendum videntur requiri.

Primus versus, relinquens in medio spatium vacuum, vulgo annotatur in Genesi capite 4. v. 8. ubi textus Hebræus ait: *Et locutus est Kaïn cum Abele fratre suo*. Post hæc verba relinquitur ut plurimum in Textu Hebræo spatium vacuum, in quo aliquando circulus notatur. Hoc spatium Textus Samaritanus & Textus Græcus supplent his vocibus: *Eamus in agrum*. In Textu Hebræo post hiatum hæc sequuntur verba, *& factum est cum essent in agro*. Si spatium illud non suppleatur vocibus subintellectis, sensus erit imperfectus. Quis enim est sensus eorum verborum: *Et Kaïn locutus est cum Abele, & factum est cum essent in agro*. Sed si voces *eamus in agrum* subintelligantur, sensus erit, ut putant Judæi, multo perfectior, scil. talis: *Et Kaïn locutus est cum Abele fratre suo*, eamus in agrum, *& factum est cum essent in agro* &c. Masorethæ considerarunt & numerarunt omnes illos versus, in quibus sensus ita est ellypticus: ideo Masora ad hunc locum in margine ait

כ״ח פס׳ פסק׳ במצע׳ פסוק *Sunt 28. versus desinentes in medio versu*, scil. quoad sensum.

Dices. In utraque editione Bibliorum Hebraicorum, à me per Josephum Athiam annis 1661. & 1667. editorum, non relinquitur spatium vacuum *Genes.* 4. 8. contra fidem plerorumque Codicum, & contra Masoram parvam in hunc locum.

Respondeo 1. Maimonides, qui secutus est, in sectionibus & hiatibus enumerandis, exemplar antiquissimum à Ben Ascher correctum, non enumerat hîc pausam. 2. In antiquissimis exemplaribus, ante quingentos circiter annos conscriptis, nunquam hic pausa fuit annotata: sed errore novitiorum Scribarum & Typographorum pausa in hunc locum etiam irrepsit. 3. Hæc Masora videtur huic loco à Rabbi Chajim collectore Masoræ adscripta. Nam hæc ipsa Masora, margini adscripta, refutatur à simili Masora ad Geneseos caput 35. v. 22. ubi in margine habetur כ״ה פס׳ פסק׳ מצעות פסוק, hoc est, *dantur viginti quinque versus habentes hiatum in medio versus*. Ergo est dissensio in numero horum versuum; & non mirum cum nullibi, quod sciam,

Masora hos versus recenseat. Buxtorfius in ultima editione Tiberiadis pag. 266. nostram sententiam confirmat his vocibus: *R. Menachem de Lonzamo in libro* שתי ידות *vult Genes.* 4. 8. *nullum esse debere Piska: nullum quippe poni in Codice Hilleliano, nullum etiam initium sectionis fecisse Majemonidem & Raf Hammeiri. Sic in Pentateucho Constantinopolitano nullum est spatium, sed continuata scriptio.* Ex his concludimus quod Geneseos *cap.* 4. *v.* 8. non debeat esse hiatus in medio versu.

Primus igitur versus, in quo hiatus est relinquendus, occurrit Geneseos *cap.* 35. *v.* 22. post illa verba וישמע ישראל *& audivit Jisraël.*

Secundus versus extat Numerorum cap. 25. vers. ultimo, post verba ויהי אחרי המגפה *Et fuit post illam plagam.* Hic versus in multis Bibliis Hebraicis non finitur accentu *Silluk*, sed tantum accentu *Athnach*, qui solet esse in medio versu, & caput vigesimum quintum incipit à medio versu capitis præcedentis. Verba versus ultimi sunt, *& fuit post plagam*; & post hæc verba incipit caput 25. his verbis, *& dixit* JEHOVA *Mosi* &c.

Tertius versus occurrit *Deut.* 2. 8 ubi etiam tale spatium relinquitur. In nostris Bibliis Hebraicis ubique apponuntur margini hæ voces פסקא באמצע פסוק *Hiatus in medio versu*; & in medio versu, ubi relinquitur spatium, habetur talis circulus (o), denotans ibi esse hiatum in medio versu.

Quartus versus invenitur Josuæ cap. 4. v. 1. post את הירדן.

Quintus versus extat Josuæ cap. 8. v. 24. post עד תמם.

Sextus versus est Jud. 2. 1. post אל הבכים.

Cæteri versus fere inveniuntur 1 Sam. cap. 14. v. 19. & v. 36. Etiam cap. 16. v. 2. & v. 12. Adhuc Cap. 17. v. 37. & cap. 21. v. 10. Etiam cap. 23. v. 2. & v. 11.

2 Sam. cap. 5. v. 2. & v. 19. Etiam cap. 7. v. 4. Et cap. 12. v. 13. Adhuc Cap. 16. v. 13. Et cap. 17. v. 14. Et cap. 18. v. 2. Et cap. 21. v. 1. & v. 6. Etiam cap. 24. v. 10. & v. 23.

1 Regum capite 13. versu 20.

Ezechielis capite 3. versu 16.

Hos præcedentes viginti septem versus video annotatos in novissima editione Bibliorum Hebraicorum anni 1667. qui multum differunt ab illis versibus, qui annotantur à Buxtorfio in Tiberiade paginâ 266. ad vocem פסקא.

VI. De

VI. *De Ordinatione Scribarum.*

XIV. *Sextò.* Masorethæ observarunt *octodecim* voces, quas vocant תִּקּוּן סוֹפְרִים *Ordinationem* sive *correctionem Scribarum.* Hæc loca recensentur in principio libri *Numerorum* in interiori Masora, & *Psalmo* 106. ad versum 20. occasione vocis כבודם, ubi in exteriori latere habetur כבודם : כבודם חד מן יח מלין בקריאה תקון סופרים *Vox est una ex octodecim vocibus in Scriptura, quæ sunt Ordinatio Scribarum.*

Primus locus extat *Genes.* 18. 22. Ubi *Abraham dicitur stetisse coram* JEHOVA. Judæi putant magis ad honorem Dei esse, si scriptum fuisset, *Et* JEHOVA *stabat coram Abrahamo.* Masora parva annotat esse יח מלין תקון סופרים *octodecim voces*, quæ vocantur *Ordinatio Scribarum.* Scribæ cogitarunt: fortasse homines quidam hunc Textum posteriori modo legent, eumque depravabunt; ideo ordinarunt, ut omnes versum illum legerent, sicuti scriptus est, etiamsi Textus verba aliquid gloriæ divinæ videantur detrahere.

Secundus locus est *Numer.* 11. *vers.* 15. ubi Textus ait ברעתי *malum meum* pro ברעתם *malum ipsorum.* Masora ad hanc vocem ait, esse unam ex octodecim vocibus, quæ vocantur *Ordinatio Scribarum.*

Tertius & *Quartus* locus est *Numer.* 12. 12. in vocibus אִמּוֹ *matris suæ* pro אִמֵּינוּ *matris nostræ*, & in בשרו *carnis ejus* pro בשרנו *carnis nostræ.* Masora notat, יח תיקון עזרא *octodecim* sunt *correctio Ezræ.*

Quintus locus est 1. *Sam.* 3. 13. in להם *sibi* pro לי *mihi.*

Sextus locus occurrit 2. *Sam.* 16. 12. in voce בְּעֵינִי *oculum meum* pro בְּעָנְיִי *afflictionem meam.*

Septimus & *Octavus est* 1 *Reg.* 12. 16. & 2 *Chron.* 10. 16. vel 2 *Sam.* 20. 1. in לאהליו *ante tentoria sua* pro לאלהיו *ad Deos suos.*

Nonus locus extat *Ezech.* 8. 17. in אל אפם *ad nasum suum* pro אל אפי *ad nasum meum.* Masora ad hanc vocem notat esse unam ex octodecim vocibus, quæ sunt *Ordinatio Scribarum.*

Decimus locus invenitur *Hab.* 1. 12. in לא נמות *non moriemur* pro לא תמות *non morieris.*

Undecimus occurrit *Malach.* 1. 13. in אותו *illud* pro אותי *me.*

Duodecimus locus invenitur *Zach.* 2. 8. in עינו *oculus ipsius* pro עיני *oculus meus.*

Masora hos versus recenseat. Buxtorfius in ultima editione Tiberiadis pag. 266. nostram sententiam confirmat his vocibus: *R. Menachem de Lonzamo in libro* שתי ידות *vult Genes.* 4. 8. *nullum esse debere Piska: nullum quippe poni in Codice Hilleliano, nullum etiam initium sectionis fecisse Majemonidem & Raf Hammeiri. Sic in Pentateucho Constantinopolitano nullum est spatium, sed continuata scriptio.* Ex his concludimus quod Geneseos *cap.* 4. *v.* 8. non debeat esse hiatus in medio versu.

Primus igitur versus, in quo hiatus est relinquendus, occurrit Geneseos *cap.* 35. *v.* 22. post illa verba וישמע ישראל *& audivit Jisraël.*

Secundus versus extat Numerorum cap. 25. vers. ultimo, post verba ויהי אחרי המגפה *Et fuit post illam plagam.* Hic versus in multis Bibliis Hebraicis non finitur accentu *Silluk*, sed tantum accentu *Athnach*, qui solet esse in medio versu, & caput vigesimum quintum incipit à medio versu capitis præcedentis. Verba versus ultimi sunt, *& fuit post plagam*; & post hæc verba incipit caput 25. his verbis, *& dixit* JEHOVA *Mosi* &c.

Tertius versus occurrit *Deut.* 2. 8 ubi etiam tale spatium relinquitur. In nostris Bibliis Hebraicis ubique apponuntur margini hæ voces פסקא באמצע פסוק *Hiatus in medio versu*; & in medio versu, ubi relinquitur spatium, habetur talis circulus (o), denotans ibi esse hiatum in medio versu.

Quartus versus invenitur Josuæ cap. 4. v. 1. post את הירדן.

Quintus versus extat Josuæ cap. 8. v. 24. post עד תמם.

Sextus versus est Jud. 2. 1. post אל הבכים.

Cæteri versus fere inveniuntur 1 Sam. cap. 14. v. 19. & v. 36. Etiam cap. 16. v. 2. & v. 12. Adhuc Cap. 17. v. 37. & cap. 21. v. 10. Etiam cap. 23. v. 2. & v. 11.

2 Sam. cap. 5. v. 2. & v. 19. Etiam cap. 7. v. 4. Et cap. 12. v. 13. Adhuc Cap. 16. v. 13. Et cap. 17. v. 14. Et cap. 18. v. 2. Et cap. 21. v. 1. & v. 6. Etiam cap. 24. v. 10. & v. 23.

1 Regum capite 13. versu 20.

Ezechielis capite 3. versu 16.

Hos præcedentes viginti septem versus video annotatos in novissima editione Bibliorum Hebraicorum anni 1667. qui multum differunt ab illis versibus, qui annotantur à Buxtorfio in Tiberiade paginâ 266. ad vocem פסקא.

VI. De

VI. *De Ordinatione Scribarum.*

XIV. *Sextò.* Masorethæ observarunt *octodecim* voces, quas vocant תִּקּוּן סוֹפְרִים *Ordinationem* sive *correctionem Scribarum.* Hæc loca recensentur in principio libri *Numerorum* in interiori Masora, & *Psalmo* 106. ad versum 20. occasione vocis כבודם, ubi in exteriori latere habetur כבודם : כבודם חד מן יח מלין בקריאה תקון סופרים *Vox est una ex octodecim vocibus in Scriptura, quæ sunt Ordinatio Scribarum.*

Primus locus extat *Genes.* 18. 22. Ubi *Abraham dicitur stetisse coram* JEHOVA. Judæi putant magis ad honorem Dei esse, si scriptum fuisset, *Et* JEHOVA *stabat coram Abrahamo.* Masora parva annotat esse יח מלין תקין סופרים *octodecim voces*, quæ vocantur *Ordinatio Scribarum.* Scribæ cogitarunt: fortasse homines quidam hunc Textum posteriori modo legent, eumque depravabunt; ideo ordinarunt, ut omnes versum illum legerent, sicuti scriptus est, etiamsi Textus verba aliquid gloriæ divinæ videantur detrahere.

Secundus locus est *Numer.* 11. *vers.* 15. ubi Textus ait ברעתי *malum meum* pro ברעתם *malum ipsorum.* Masora ad hanc vocem ait, esse unam ex octodecim vocibus, quæ vocantur *Ordinatio Scribarum.*

Tertius & *Quartus* locus est *Numer.* 12. 12. in vocibus אִמּוֹ *matris suæ* pro אִמֵּינוּ *matris nostræ*, & in בשרו *carnis ejus* pro בשרנו *carnis nostræ.* Masora notat, יח תיקון עזרא *octodecim* sunt *correctio Ezræ.*

Quintus locus est 1. *Sam.* 3. 13. in להם *sibi* pro לי *mihi.*

Sextus locus occurrit 2. *Sam.* 16. 12. in voce בְּעֵינִי *oculum meum* pro בְּעָנְיִי *afflictionem meam.*

Septimus & *Octavus est* 1 *Reg.* 12. 16. & 2 *Chron.* 10. 16. vel 2 *Sam.* 20. 1. in לאהליו *ante tentoria sua* pro לאלהיו *ad Deos suos.*

Nonus locus extat *Ezech.* 8. 17. in אל אפם *ad nasum suum* pro אל אפי *ad nasum meum.* Masora ad hanc vocem notat esse unam ex octodecim vocibus, quæ sunt *Ordinatio Scribarum.*

Decimus locus invenitur *Hab.* 1. 12. in לא נמות *non moriemur* pro לא תמות *non morieris.*

Undecimus occurrit *Malach.* 1. 13. in אותו *illud* pro אותי *me.*

Duodecimus locus invenitur *Zach.* 2. 8. in עינו *oculus ipsius* pro עיני *oculus meus.*

Decimus tertius est *Jer.* 2. 11. in כבודו *gloriam suam* pro כבודי *gloriam meam.*

Decimus quartus est *Hos.* 4. 7. in כבודם *gloriam ipsorum* pro כבודי *gloriam meam.*

Decimus quintus est *Psal.* 106. 20. ubi etiam est כבודם, pro quo כבודי putant esse scribendum.

Decimus sextus est *Job.* 7. 20. in עלי *super me* pro עליך *super te.*

Decimus septimus est *Job.* 32. 3. in את איוב *Jobum* pro את דין *Judicium*, vel את אלהים *Deum.*

Decimus octavus & ultimus locus extat *Thren.* 3. 20. in עלי pro עליך.

Hæc sunt octodecim illa loca, quæ vocantur תקון סופרים *Correctio Scribarum.* De his vide Clariss. Buxtorfium in Lex. Talm. Rad. תקן, & Glassium pag. 41.

XV. Occasione horum locorum *quæritur.* An ex hac correctione Scribarum in octodecim illis locis non sequatur corruptio Textus Hebraici?

Respondeo. Galatinus lib. 1. cap. 8. probaturus Scribas multa in S. Scriptura depravasse, utitur argumento desumpto ab octodecim vocibus, quæ vocantur תיקון סופרים *Correctio Scribarum.* Non quidem vult Judæos depravasse Textus illo malo animo, sed propter rationes probabiles: & addit has depravationes esse restituendas ex Talmude Judaico: nam credit ea loca aliter olim fuisse lecta quàm jam leguntur. Sed falsa est hæc Galatini assertio: nunquam S. Scriptura à Judæis datâ operâ corrupta est. Obstat enim specialis Judæorum reverentia sive potius superstitio erga S. Scripturam, quam Philo Judæus probat cum ait *Quemlibet Judæum potius centies esse moriturum, quam ut pateretur Legem in aliquo mutari.*

XVI. Sed instabit fortè nonnemo. Octodecim voces vocantur *Correctio Scribarum*: ergo Scribæ videntur quædam loca mutasse, quæ antea erant depravatæ.

Respondeo 1. Si per *Scribas* intelligantur Ezras & Viri Synagogæ magnæ, tum dicendum est illos S. Scripturam in *octodecim* illis locis non depravasse, sed emendasse, & antiquam lectionem restituisse. Multi non sine ratione per סופרים *Scribas* intelligunt Ezram & Viros Synagogæ magnæ; & non sine ratione: nam *Numer.* 11. 15. Masora pro תיקון סופרים *Ordinatio Scribarum* expresse dicit תקן עזרא *Correctio Ezræ.*

2. Si

2. Si per *Scribas* intelligantur Masorethæ post-talmudici, tum responderi potest illos testari non quid revera factum sit, sed quid factum esse Hebræorum Rabbini tradunt.

3. Mihi verosimile videtur per *Scribas* esse intelligendos ipsos Auctores librorum, scil. Mosen & Prophetas, qui sic scripserunt, prout hodie scriptum est: verum Sapientes Hebræorum viderunt inconvenientiam quandam in illis locis, ideoque judicarunt primos Auctores propter antecedentia & consequentia aliter loqui & scribere debuisse; sed maluisse ita scribere, prout hodie scriptum est. Hanc sententiam approbat S. Jarchi in Comment. ad Geneseos Caput 18. ubi ait היה לו לכתוב *scribendum ipsi* (Mosi) *erat, Dominus stabat*. Jarchi non asserit Mosen aliter scripsisse quàm jam in Textu invenitur; sed judicat Mosen aliter debuisse vel potius potuisse scribere. Sapientes ergo Hebræorum observarunt honorem Dei sive cohærentiam Textus aliter quidem requirere; sed quia Scribæ, hoc est, Auctores librorum ita scripserunt, ideo monuerunt talem lectionem esse retinendam: & propterea dixerunt, *Scribarum est ordinatio*, sive ipsi Auctores ita ordinarunt. In hanc sententiam etiam inclinat Buxtorfius apud Glassium pag. 57.

VII. *De ablatione Scribarum.*

XVII. *Septimò.* Masorethæ etiam observarunt quinque voces, quæ vocantur עִטּוּר סוֹפְרִים *Ablatio Scribarum*. Hæc nota margini adscripta respicit literam *Vau*, quæ quinque vocibus in initio ab imperitis fuit addita: sed Masorethæ notarunt illud *Vau* esse abjiciendum; quia judicabant ipsos librorum Auctores illud *Vau* non addidisse.

Primus locus est *Gen*. 18. 5. in voce אחר *postea*. Imperiti fortè addiderunt *Vau*, & legerunt ואחר *& postea*: nam sensus videtur *Vau* requirere. Masora parva ad hanc vocem annotat ה̈ מלין עיטור סופרים *esse quinque voces* quæ vocantur *ablatio Scribarum*.

Secundus locus est *Genes*. 24. 55. in eadem voce אחר.

Tertius locus extat *Numer*. 12. 14. in voce ואחר. Masorethæ rejecerunt hoc *Vau*, sed in nostris exemplaribus adhuc conspicitur. Buxtorfius in Rad. עטר miratur, quare auctores editionis non abstulerint hoc *Vau* juxta Masoram.

Quartus locus occurrit *Psal*. 68. 26. ubi iterum est אחר pro ואחר.

Quintus

Quintus & ultimus locus invenitur *Psal.* 36.7. in voce משפטך *Judicia tua*, pro ומשפטיך. Masora magna notat *esse unam ex quatuor vocibus in S. Scriptura*, quæ vocantur *Ablatio Scribarum*; cum ait, משפטך תהום רבה חד מן ד׳ מלין בקריאה עטורן סופרים. Jam etiam tantum quatuor voces in correctissimis editionibus habentur, quibus Vau ab initio non est additum. Sed Buxtorfius judicat hic unum locum esse omissum.

XVIII. Circa has voces, quæ vocantur *Ablatio Scribarum*, quæritur: Quinam hîc intelliguntur per *Scribas*?

Respondeo. Ipsi Auctores librorum intelliguntur, qui literam Vau illis quinque sive potius quatuor vocibus non addiderunt. Sed Viri Synagogæ magnæ annotarunt has voces; quia videbant imperitos Scribas facile addituros esse in posterum, vel modo addidisse *Vau*, quod tamen ab ipsis Auctoribus non erat additum.

Hujus notæ, scil. *Ablationis Scribarum* fit mentio in Thalmude Tractatu *Nedarim*, *fol.* 37. Ergo hæc nota Masorethica perantiqua est, & antiquitate sua Masorethas Tyberienses superat.

Ex hac curiosa Masoretharum diligentia circa hæc septem superiora apparet, quàm falsa sit quorundam assertio statuentium S. Scripturam per Judæorum malitiam esse corruptam.

DISSERTATIO VIGESIMA-TERTIA, *QUÆ EST* PARS SECUNDA.

DE MASORA.

Et PARS PRIOR De KERI & KETIB.

§. 1. *Jam sequuntur explicandæ notæ marginales vulgò* Keri *&* Ketib *vocatæ.*
2. *Voces* קרי *&* כתיב *explicantur.*
3. *Inquiruntur auctores notarum Keri & Ketib.*
4. *Tres sententiæ de auctoribus earum proponuntur.*
5. *Omnes illæ notæ non sunt à Masorethis Tyberiensibus:*
6. *Nec ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ:*

7. *Nec*

7. *Nec ab ipsis Auctoribus librorum.*

8. *Sed sunt partim ab Ezra & partim a Masorethis Tyberiensibus.*

9. *Sunt septem species notarum.*

10. Prima *species continet literas quiescentes & mobiles deficientes aut abundantes.*

11. Secunda *est quando litera una, sive quiescens sive mobilis, scribitur pro alia.*

12. Tertia *continet literas per Metathesin transpositas.*

13. Quarta *species docet literam vocis præcedentis pertinere ad vocem sequentem.*

14. Quinta *continet voces quæ scribuntur & non leguntur, & vice versa, quæ leguntur & non scribuntur.*

15. Sexta *species comprehendit voces conjunctas dividendas, & vice versa divisas conjungendas.*

16. Septima *species continet voces obscœnas, quas per voces honestiores scriptas in margine, judicant esse pronunciandas.*

17. *Difficile est determinare quas ex septem speciebus composuerint Ezras & Viri Synagogæ magnæ, aut Masorethæ Tyberienses.*

18. *Quinque causæ notarum marginalium ut veræ enumerantur, & sexta ut falsa rejicitur.*

SECTIO I.



Uperiori dissertatione diximus Masoram præcipue circa octo diversas res versari, scil. circa Consonas, circa Vocales, circa Accentus, circa integras Voces, circa Versus Biblicos, circa Ordinationem Scribarum, circa Ablationem Scribarum, & denique circa Notas Marginales vulgò vocatas קְרִי וּכְתִיב *Keri & Ketib.* De septem præcedentibus egimus in superiori Dissertatione, jam in hac & sequenti disseremus de Notis Marginalibus. Hæc materia valde difficilis est: & propterea multos tum Judæos tum etiam Christianos vehementer vexavit. Nos quibusdam quæstionibus totam hanc materiam, quantum fieri poterit, dilucide proponemus, & eandem variis exemplis illustrabimus. Ante omnia vocum *Keri & Ketib* Etymologia inspicienda est.

II. *Primò quæritur,* Unde hæ voces קְרִי וּכְתִיב derivantur? Et quid significant?

Respondeo. קְרִי significat *Lectum*, estque Participium Præteritum in Conjugatione Chaldaica *Pehal* sive *Kal*; Hebraicè dicendum esset קָרוּא à קָרָא *vocavit, legit.* In margine brevitatis causa sæpenumero scribitur solummodo litera 'ק *Koph* virgulâ transversâ notata: sed in no-

 vissima

vissima Bibliorum & Psalterii editione sæpissime integra vox קרי impressa est. Masorethæ per hanc literam sive voculam indicant vocem ita, prout in margine scribitur, esse legendam; non vero prout in Textu scripta est.

Ejus vox opposita est כְּתִיב *Ketib*, sive Hebraicè כְּתוּב, & significat *Scriptum*; estque in eadem Conjugatione & in eodem Tempore; denotatque, ex sententia Judæorum & multorum Christianorum, vocem in Textu scriptam, (quæ communiter circello notatur) per vocem in margine notatam, esse emendandam & legendam.

In multis Bibliis Hebraicis omne Keri in margine non annotatur, sed tantummodo circulus vocibus in Textu adscribitur, qui denotat in margine notam marginalem esse annotandam.

III. *Secundò quæritur.* Quinam sunt Auctores notarum marginalium vulgò *Keri* & *Ketib* vocatarum?

Respondeo. Hoc in loco non investigabimus Auctores totius Masoræ, sed tantummodo inquiremus, quinam sunt Auctores harum notarum marginalium.

IV. Tres sententiæ circa harum Notarum Marginalium antiquitatem & Auctores sunt examinandæ.

Prima sententia est Talmudistarum statuentium notas has marginales esse הלכה למשה מסיני *Traditionem Mosis è monte Sinai*, hoc est, eas esse à Mose & ab Auctoribus singulorum librorum. Verum enimvero Auctores, qui hanc sententiam defendunt, nolunt omnes omnium & singulorum librorum notas marginales esse vel à Deo Mosi, vel ab ipso Mose aliis doctoribus posterioribus traditas: sed volunt hanc consuetudinem aliter quasdam voces scribendi in Textu, & aliter legendi in margine primùm à Mose esse profectam, illumque hunc modum docendi accepisse in monte Sinai, & Senioribus suis tradidisse. Etiam defendunt cæteros Scriptores in describendis cæteris Veteris T. libris postea eam consuetudinem esse sequutos, hoc est, Moses fuisset auctor notarum marginalium quæ inveniuntur in Pentateucho, & cæteri auctores fuissent inventores notarum quæ in cæteris libris inveniuntur. Sed hæc sententia nullam speciem veritatis habet; ideoque sicco, quod ajunt, pede eam præterimus. Vide hanc sententiam allegatam ex Talmude à Buxtorfio in Tiberiade p. 39. & ab Hottingero Thes. Philol. p. 413.

Secunda sententia de antiquitate notarum marginalium, quæ multo

rò verisimilior est, statuit notas marginales esse inventas ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ, qui sexcentis fere annis ante nativitatem Christi vixerunt. Hanc sententiam defendunt plerique Judæi & quamplurimi ex Christianis. Qui hanc & primam sententiam propugnant, statuunt has notas marginales non habere auctoritatem humanam sed divinam.

Patroni *Tertiæ* sententiæ arbitrantur omnes has notas marginales esse inventas à Masorethis Tyberiensibus, qui sexto fere sæculo post Christum vixerunt. Inter hos patronos præcipuus est Cl. Capellus, qui etiam defendit has notas habere tantum auctoritatem humanam, & esse tanquam correctiones, quæ ex mero & solo judicio & arbitrio Masoretharum sunt natæ.

V. Nos nullam ex his tribus sententiis putamus separatè & abstractè esse veram.

Primò. Omnes notæ marginales non possunt esse à Masorethis Tyberiensibus propter has sequentes rationes.

1. Quia multarum notarum marginalium fit mentio in Talmude. Ex. gr. in Talmude Hierosolymitano, Tractatu Sanhedrin, & in Babylonico, Tractatu Joma expressè dicitur, quod verbum אִכָּבֵד, *Hagg*. 1. 8. sit in Textu scriptum sine *He*, cum legendum sit ex sententia Judæorum per *He*. Et in codice Megilla *cap*. 3. vox עפלים numeratur inter eas, quæ honestatis causa mutatæ sunt. Atqui doctores Tyberienses vixerunt post confectum Talmud: ergo omnes Notæ Marginales non sunt à Tyberiensibus.

2. Masora ubique enumerat *Keri* & *Ketib*; & maxima pars Masoræ non demum à Masorethis Tyberiensibus est conscripta, sed antea ab Ezra; uti postea clarè probabimus: ergo Masorethæ Tyberienses non sunt Auctores omnium *Keri* & *Ketib*.

3. Paraphrastæ Chaldæi, qui circa tempora Christi vixerunt, ferè semper vocem *lectam* sive marginalem in Paraphrasibus suis Chaldaicis transtulerunt; aliquando tamen vocem *scriptam* retinuerunt: ergo *Keri* fuit notum ante Tyberienses; & per consequens omnes notæ marginales non sunt à Masorethis Tyberiensibus.

4. Accedit universalis consensus omnium Judæorum statuentium has notas marginales esse ab Esra. Nullus ex Judæis est qui defendit notas *Keri* & *Ketib* esse à Tyberiensibus.

VI. *Secundò*. Omnes notæ marginales non sunt inventæ à Pro-

pheta Ezra propter has rationes.

1. Quia nullo modo videtur verosimile quod Ezras Propheta & Viri Synagogæ magni, inter quos multi Prophetæ fuerunt, tales nugas excogitaverint, mutando scilicet voces prolatu obscœnas in voces honestiores. Quis credere posset Viros illos sapientes pro חֲרֵיהֶם *stercora sua*, Jes. 36. 12. scripsisse צואתם *ejecta sua*: & pro מַחֲרָאוֹת *latrinis*, 2 Reg. 10. 27. substituisse מוצאות *exortus*? Si enim ipse Spiritus sanctus sit auctor earum vocum, easque sacris Scriptoribus dictaverit; & per consequens nullo modo judicaverit voces illas esse obscœnas, quo minus in S. Scriptura scriberentur; quare igitur erunt prolatu obscœnæ? An verosimile est Spiritum S. dictasse, & voluisse describi in S. Scriptura quasdam voces, quas coram honestis auribus proferre indecorum esset?

2. Non est verosimile Ezram & multos Prophetas, scil. Nehemiam, Haggæum, Zachariam, Malachiam (viros Synagogæ magnæ) dubios hæsisse, quid in variâ lectione, ortâ in nonnullis locis (uti jam videtur) ex discrepantiâ codicum, statuendum esset. Nam illi operâ Spiritus S. quo ducebantur, illas varias lectiones tollere, & secundùm mentem Dei corrigere potuissent; adeo ut lectores non mansissent dubii & penduli in hac lectionum varietate.

3. In ipso libro, ab Ezra composito, quædam notæ *Keri* annotantur, quæ non possunt esse ab Ezra. An enim Ezras ita propriam mentem ignorasset, ut nescivisset, utram lectionem eligere debuisset? Hinc ergo sequitur quod omnes notæ marginales non sint ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ.

VII. *Tertiò.* Omne *Keri* & *Ketib* etiam non est à Mose: quia Mosis tempore libri Prophetici & Hagiographi, in quibus maxima pars harum notarum annotatur, nondum erant conscripti. Verum quidem est, quod Auctores, defendentes notas marginales esse *Traditionem Mosis è monte Sinai*, non statuant omnes notas totius Veteris Test. esse à solo Mose: attamen statuunt nihilominus plerasque notas marginales in singulis libris esse à singulis Auctoribus librorum. Verum hæc sententia est absurda: nam nota marginalis aliquando respectu sensus est contraria voci in Textu occurrenti: atqui hæc contrarietas nullo modo videtur esse ab ipsis Auctoribus librorum.

VIII. His sententiis rejectis statuimus notas marginales *Keri* partim esse ab Ezra, partim etiam à Masorethis Tyberiensibus, qui post con-

fectum Talmud vixerunt. 1. Ezras annotavit multas varias lectiones, quæ sunt ut parvæ expositiones, ne lectores voces dubias contra intentionem Spiritus S. explicarent: ex. gr. *Genes.* 30. 11. occurrit vox בָּגָד proprie significans *prævaricatus est*: sed nota marginalis monet vocem illam esse compositam, & per duas voces, scil. per בא גד *venit turma* esse explicandam. Sic etiam idem Ezras multas voces anomalas annotasse videtur; & quidem eum in finem, ne aliquis eas secundùm analogiam aliarum vocum corrigere præsumeret. Postea in specie plura adferemus, in quibus Ezras videtur fuisse versatus.

2. Non tantum Propheta Ezras est auctor notarum marginalium sed etiam Masorethæ posteriores, scil. Tyberienses, & procul dubio etiam alii, qui ante ipsorum tempora vixerunt, sunt notarum marginalium Auctores. Nam non est verosimile quod Ezras illas voces obscœnas in voces honestiores mutaverit. Deinde Masorethæ Tyberienses non sunt omnium notarum Auctores, uti jam jam ex Talmude probavimus: ergo illi simul earum notarum Auctores esse videntur. Nam Masorethæ posteriores videntur notas ab Ezra inventas retinuisse, & alias de novo addidisse. Procul dubio hi Masorethæ etiam nonnullas notas annotarunt, quæ natæ sunt ex diversitate codicum. Non enim ausi fuerunt quicquam in Textu mutare; ideoque unam lectionem in margine & alteram in Textu scripsisse videntur.

IX. *Tertiò quæritur.* Quot sunt species variarum lectionum?

Respondeo. In genere notæ marginales variis modis versantur vel circa integras voces, vel tantummodo circa literas. Elias Levita enumerat septem species notarum marginalium *Keri* & *Ketib* circa literas & voces.

X. *Prima* species continet literas, quæ leguntur & non scribuntur; & vice versa, quæ scribuntur & non leguntur: & versantur præcipue circa literas quiescentes אהוי *Ehevi*, & nonnunquam circa literas mobiles. Hæc species τȣ̃ *Keri* duplex est: 1. Ostendit literas quasdam esse omissas, quæ ad perfectionem vocis requiruntur: Ex. gr. 2 *Sam.* 21. 12. occurrit verbum תְּלוּם *suspenderant eos*, ad quod *Keri* in margine monet Aleph esse omissum: & propterea addendo Aleph legit תלאום.

Similiter in eodem versu vox שַׁם *ibi*, à *Keri* corrigitur in שמה cum *He* in fine: nam ה ad perfectionem vocis requiritur.

2. E contra, quædam literæ ſcribuntur in Textu, quæ ex ſententia Judæorum non leguntur: ex. gr. 2 *Reg*. 7. 12. in Textu ſcribitur בהשדה *in agro*, ſed *Keri* legit בשדה *ſine He*: nam hîc litera ה ſcribitur, quæ ſecundùm *Keri* non debet legi.

Simile exemplum occurrit *Pſal*. 38. 21. in verbo רדופי *perſequi me*, ubi litera *Vau* per *Keri* judicatur eſſe ſuperflua. Quamplurima ſimilia exempla poſſent in medium proferri, ſed diligens lector, talia inter legendum inveniens, eadem ad hanc ſpeciem referre poterit.

3. Hæc eadem ſpecies etiam locum habet in aliis literis præter *Ebevi*, ſed rarius: exemplum occurrit 2 *Sam*. 10. 9. ubi in Textu ſcribitur בישראל, ſed *Keri* in margine legit ישראל ſine *Beth*.

Erpenius in Grammatica Hebræa Lib. 4. Cap. 4. recenſet poſt invicem numerum literarum deficientium & abundantium Veteris Teſt. Idem ait ibidem literam א *Aleph* quinquies deficere: ex. gr. *Num*. 11. 11. occurrit מצתי pro מצאתי cum Aleph.

ה *He* in 44. locis, ut מלך pro המלך.

ו *Vau* in 30. locis, ut אמר pro אמרו.

י *Jod* innumeris fere in locis, ut עבור pro יעבור.

Non tantum hæ literæ quieſcentes deficiunt, ſed etiam nonnullæ mobiles aliquando deficiunt: ex. gr. literæ ברת ſemel deficiunt, literæ חכל bis, & litera נ ter deficit in Veteri Teſt. Lector ipſe exempla inter legendum, ubi hæ literæ deficiunt, inveniet.

E contra literæ quieſcentes & nonnullæ mobiles aliquando abundant: ex. gr. א *Aleph* in media voce redundat in 45. locis, ut יִנְאַץ pro יָנֵץ *& efflorebit*.

ה *He* in initio, medio & fine in 33. locis: ut יחנית.

ו *Vau* in 95. locis abundat, ut ויאמרו.

י *Jod* in 147. locis, ut דבריו.

Literæ לש tantum ſemel abundant, literæ כמת bis, litera נ ter, מ quater, & literæ ער quinquies abundant in Veteri Teſt. Hæc fuſius videri poſſunt in dicta Grammatica Erpenii.

Hæ varietates literarum quieſcentium & mobilium ad hanc primam ſpeciem debent referri. Has & ſimiles irregularitates in CLAVI HEBRAICA VETERIS T. explicavi.

XI. *Secunda* ſpecies eſt, quando una litera ſcribitur, ſed alia legitur. Hæc ſpecies Keri præcipuè etiam locum habet in literis אהוי *Ebevi* quieſcentibus, ſed valet etiam ſæpiſſime in literis mobilibus. Dabo quædam exempla, ex quibus hæc ſpecies innoteſcet.

Ex.

Ex. gr. *Deut.* 21.7. occurrit verbum שָׁפְכָה *effuderunt* per ה, ſed *Keri* legit שפכו per *Vau.*

Similiter Maſorethæ obſervarunt לא (*non*) in quindecim locis ſcribi, pro quo legendum eſt לו (*ipſi.*)

1 *Reg.* 12.33. occurrit מִלְּבַד per Daleth pro מִלִּבּוֹ (*ex corde ejus*) per Vau in fine; quam vocem ita etiam transferunt Targum, Verſio Lxx Interpretum, & Verſio vulgata.

Eccleſ. 12.6. occurrit *Cheth* pro *Tau*. In Textu ſcribitur יֵרָחֵק *procul amoveatur* per ח, ſed *Keri* in margine legit ירתק *concatenetur* per *Tau*. Maſora magna ad hanc vocem annotat inveniri in Bibliis undecim voces quæ leguntur per Tau, quæ tamen in Textu per Tau non ſcribuntur.

Erpenius in Grammatica ſua, loco jam citato, deſcripſit catalogum, in quo oſtendit, quænam literæ in Veteri Teſt. inter ſe permutentur, & quoties: ex.gr.

ב	pro	ד	ſemel.
		מ	ſexies.
		כ	undecies.
		פ	ſemel.
		ת	ſemel.
ג	pro	ז	bis.
ד	pro	ר	bis.
		ו	ſemel.
ה	pro	כ	bis.
		נ	ſemel.
		ת	bis.
ו	pro	ד	ſexies.
ח	pro	ע	ſemel.
		ת	ſemel.
י	pro	נ	ſemel.

כ	pro	ה	ſemel.
		ד	ſemel.
		מ	ſemel.
מ	pro	ב	ſemel.
		ה	bis.
נ	pro	ת	ſemel.
		מ	ſemel.
ס	pro	ח	ſemel.
ע	pro	א	quinquies.
		צ	ſemel.
פ	pro	ב	ſemel.
		מ	ſemel.
ר	pro	ד	quater.
ש	pro	ט	ſemel.
ת	pro	ד	ſemel.
		ה	bis.

Hæc mutatio literarum, deſumpta ex tertia parte Grammaticæ Hebrææ Avenarii, ad ſecundam ſpeciem referri debet: nam hic una litera ſcribitur pro alia, prout in hoc catalogo videri poteſt. Vide ibidem Avenarium omnes irregularitates literarum & vocum literaſque abun-

abundantes & deficientes post invicem enumerantem.

XII. *Tertia* species continet literas, quæ per Metathesin transponuntur. Tales *sexaginta duæ* dictiones inveniuntur, in quibus literæ radicales vel serviles ita transponuntur:

Ex. gr. *Ezech.* 42. 17. occurrit חֲמֵשׁ אֵמוֹת pro חמש מאות *quingenti.* Litera *Mem* in voce אמות scribitur secundo loco, cum debeat scribi primo loco: & propterea *Keri* in margine legit מאות.

Esdr. 4. 4. legitur וּמְבַלְהִים *& turbabant*, ubi *Keri* scriptum in margine legit ומבהלים per transpositionem literarum *Lamed* & *He.*

Eadem hæc species etiam locum habet in literis servilibus: ex. gr. *Judic.* 16. 26. in Textu scribitur והימשני *& fac ut palpem*, sed juxta *Keri* est legendum per transpositionem literæ *Jod*, scil. והמישני. *Si quis* plura exempla hujus tertiæ speciei, ut & præcedentium & sequentium specierum desiderat, adeat ipsa Biblia Hebraica, præcipue ultimæ editionis Anni 1667. ubi plerasque voces, quæ concernunt septem species notarum, annotatas videbit.

XIII. *Quarta* species est tantum de *tribus* dictionibus copulatis, quarum primæ dictiones assumunt *He* demonstrativum à dictione sequenti, quod *He* cum sequenti voce juxta Masorethas est legendum. Primus locus occurrit 2 *Sam.* 5. 2. in הָיִיתָה מוֹצִיא: *Keri* legit היית המוציא, ubi *He* vocis præcedentis rejicitur ad vocem sequentem.

Secundus locus extat Jobi *cap.* 38. *vers.* 12. ubi in Textu scribitur יִדַּעְתָּה שַׁחַר, quod in margine corrigitur per ידעת השחר.

XIV. *Quinta* species continet integras voces, quæ scribuntur, sed juxta Masoram non leguntur; & è contra continet voces, quæ leguntur, sed non scribuntur. Hæc species igitur duplex est:

1. Continet voces quæ scribuntur & secundùm sententiam Judæorum non leguntur; quæ ideo etiam in Textu Hebræo destituuntur vocalibus; suntque *decem* numero, quarum quædam inveniuntur in locis sequentibus: 2 *Sam.* 15. 2. in Textu scribitur אם sine vocali, ubi Masora in margine annotat כתיב ולא קרי, hoc est, vox illa *scribitur* quidem, *sed non legitur.*

Etiam 2 *Sam.* 13. 33. & *Jerem.* 39. 13. occurrit vox אם, ad quam vocem idem annotatur.

Jer. 51. 3. occurrit verbum ידרך *tendat*, quod caret punctis; ideoque secundùm Masoram judicatur esse superfluum & non legendum; propterea Masora in margine ait, *scribitur*, *sed non legitur.*

2. Hæc

2. Hæc species etiam est reciproca, hoc est, continet voces quæ in Textu non scribuntur, sed tamen leguntur; suntque etiam numero *decem*, quæ recensentur in vestibulo Deuteronomii. In Textu tantum scribuntur vocales, subintellectis consonantibus, quæ in margine scribuntur.

Ex. gr. *Judic.* 20. 13. in Textu habentur ..ֵ. *Scheva* & *Tzere*; at in margine scribuntur hæ consonæ בני *filii*, cum additis his vocibus קרי ולא כתיב, *legitur*, *sed non scribitur*.

Similitur Ruth *cap.* 3. *v.* 5. & 17. in Textu habentur vocales *Tzere* & *Patach*, at in margine exprimuntur consonantes אלי *ad me*.

Reliqua loca, in quibus tantum scribuntur vocales, omissis consonantibus, inveniuntur 2 *Sam.* 8. 3. in voce פְּרָת.

Etiam 2 *Sam.* 16. 23. in אִישׁ, ubi in Textu tantummodo scribitur *Chirek*, sed in margine איש cum his adjectis vocibus קרי ולא כתיב *legitur & non scribitur*.

2 *Sam.* 18. 20. in Textu est *Tzere*, quod legitur per כֵּן.

2 *Reg.* 19. 31. inveniuntur in Textu vocales *Scheva*, *Kametz* & *Cholem*, quæ in margine leguntur per צְבָאוֹת.

Ejusdem capitis versu ultimo in Textu sunt duo *Kametz*, quæ in margine denotant בניו *filios ejus*.

Jerem. 31. 38. *Kametz* & *Chirek*, in Textu occurrentes, significant באים *veniunt*.

Denique *Jerem.* 50. 29. est *Kametz* denotans לָהּ *ei*. Hæc decem loca sunt superioribus contraria, & pertinent ad hanc quintam speciem.

XV. *Sexta* species continet voces, quæ conjunctim tanquam una scribuntur, sed divisim tanquam duæ leguntur: & è contra etiam continet voces, quæ divisim ut duæ in Textu scribuntur, sed conjunctim ut una leguntur. Hæc igitur species iterum duplex est.

1. Comprehendit voces in Textu conjunctas, quæ per notam marginalem in duas dividendæ sunt; suntque numero *quindecim*: ex. gr. *Genes.* 30. 11. occurrit verbum compositum בָּגָד, quod secundùm *Keri* in duas voces, scil. in בָּא גָד *venit turma* est dividendum. Hanc vocem Cl. Capellus in Critica sua *pag.* 77. aliter punctari posse ait, scil. per בְּגָד *in turma*: sed hanc nimiam audaciam in mutandis punctis rejicimus.

Reliqua loca, in quibus voces conjunctæ pro divisis in Textu habentur, inveniuntur *Exod.* 4. 2. ubi legitur מַזֶּה pro מַה זֶּה.

Jes. 3. 15. pro מלכם in Textu, legitur & scribitur in margine מה לכם.

Ezech. 8. 6. מֵהֵם dividitur, per notam marginalem in מה הם.

Jer. 6. 30. legitur in Textu מאשתם pro מאש תם.

Jerem. 18. 3. pro הנהו legitur in margine הנה הוא.

Psal. 10. 10. vox חלכאים dividitur in חל כאים.

Psal. 55. 16. vox composita ישימות dividitur in voces duas ישי מות. Vide reliqua loca in Anticrit. Cl. Buxtorfii *pag.* 479. & in Masora magna ad 1 *Paral.* 27. 12. ubi ad vocem לבנימיני Masora expressè ait, eam esse unam ex quindecim vocibus, quæ scribuntur ut una, & leguntur ut duæ. Hæ omnes quindecim voces ita conjunctim quidem in omnibus Bibliis non scribuntur, sed secundùm Masoram omnes ita scribendæ sunt.

2. Etiam hæc species est reciproca, hoc est, continet voces, quæ divisim ut duæ in Textu scribuntur, sed conjunctim ut una leguntur. Masora magna 2 *Paral.* 34. 6. ad vocem בְּחַר בֹתֵיהֶם ait *octo* tales voces inveniri, quæ scribuntur ut duæ voces, sed leguntur ut una. Ipsa Masora parva etiam notat hanc vocem conjunctim esse legendam.

Similiter 1 *Sam.* 9. 1. in Textu vox מִבֶּן־יָמִין divisim scribitur, quæ secundùm notam *Keri* conjunctim legi debet, scil. מבנימין. Reliqua loca inveniuntur in Masora magna superius allegata.

XVI. *Septima* & ultima Species *Keri & Ketib* continet voces, quæ prolatu videntur esse obscœnæ, & pro quibus Masorethæ nonnulli alias voces prolatu honestiores & castiores in margine substituerunt, secundùm Rabbinorum regulam: *Quæ in Bibliis scripta sunt* לִגְנַאי PER VITUPERIUM, *ea leguntur* לְשֶׁבַח AD LAUDEM.

Tales voces obscœnæ annotantur *decem*, quæ inveniuntur in locis sequentibus, ut *Deut.* 28. 30. ubi pro ישגלנה *vitiabit eam*, nasutiores sive superstitiosiores Judæi jusserunt in margine notari ישכבנה *cubabit cum ea*, quomodo etiam à Judæis legitur. Quare Judæi aliter legunt? Resp. Ne aures Lectorum vel Auditorum offenderentur: nam verbum שָׁגַל *coire* jam significat propriissimè actum venereum. Fortasse olim temporibus Prophetarum hæ voces prolatu non fuerunt obscœnæ, quæ postea tractu temporis factæ sunt obscœnæ: ex. gr. vox שֵׁגָל, denotans *conjugem* & quidem *Augustam*, est vox etiamnum honesta; ita fortasse verbum שָׁגַל inde deductum, jam ipsum actum venereum significans, olim temporibus Prophetarum fuit pro-

prolatu honestum. Ut ut sit, Judæi postea ex religione quâdam sive potius ex superstitione voces illas obscœnas in voces honestiores transmutarunt.

Idem illud verbum שגל in Fœm. Gen. etiam occurrit *Jes.* 13.16. & *Zach.* 14.2. pro quo substituunt תשכבנה: sic etiam *Jer.* 3.2.

In sequentibus textibus, scil. *Deut.* 28.27. & 1 *Sam.* 5. *vers.* 6.9.12. etiam 1 *Sam.* 6.4. & *vers.* 5. pro עפלים substituunt טחרים: quia עפלים significat ipsum *anum*, Hebraicè sic vocatum ab eminentia clunium, intra quas veluti conclusus est & latet. Judæi crediderunt hanc vocem tanquam minus puram & honestam non esse pronunciandam; ideoque vocem טחרים tanquam honestiorem substituerunt.

Reliqua loca, in quibus voces prolatu obscœnæ occurrunt, inveniuntur 2 *Reg.* 18.27. & *Jes.* 36.12. & 2 *Reg.* 6.25. & 2 *Reg.* 10.27. & 2 *Reg.* 18.27. & *Jes.* 36.12. Hæc sunt *decem* loca, in quibus voces honestiores loco vocum obscœnarum sunt substitutæ. Vide de his uberius Cl. Capelli Criticam *lib.* 3. *cap.* 6. & *Cl. Hottingeri* Thesaurum Philologicum.

XVII. Ad has septem supradictas species omnes notæ marginales, passim in Bibliis Hebraicis occurrentes, referri debent; sed quas ex his septem composuerint Ezras vel Masorethæ Tyberienses, aliique, difficile est determinare. Statim in causas motivas harum notarum investigantes, in particulari ostendemus, quarum notarum vel Ezras, vel Tyberienses, aliive Auctores esse potuerunt.

XVIII. *Quartò quæritur.* Quænam sunt causæ, ob quas hæ notæ marginales sunt excogitatæ?

Respondeo. Causæ illæ sunt variæ.

Prima causa fuit *studium* conservandi veram & genuinam Textus Hebraici lectionem, præcipuè in illis vocibus, quæ contra communes regulas scribuntur: ex. gr. *Gen.* 14.8. occurrit in Textu צביים cum *Jod* post *Beth*, quum debeat secundùm analogiam scribi cum *Vau*; ideo *Keri* in margine notat vocem illam, etiamsi scripta sit cum *Jod*, esse ita pronuntiandam, ac si in Textu scriberetur *Vau* cum *Cholem*. Hanc notam marginalem propterea observarunt, ne aliquis Textum sacrum mutare præsumeret, substituendo *Vau* in locum *Jod*. Hæ notæ, quæ conservant veram lectionem, sunt præcipuè excogitatæ propter libros Biblicos non punctatos, quibus Judæi sæpissimè utebantur: ex. gr. 2 *Sam.* 1.12. invenitur בִּגְדוֹ *vestes ejus* sine *Jod* ante *Vau*, quod *Jod*

 regu-

regulariter in plurali requiritur. Si quis vocem hanc punctis privatam videret, explicaret secundùm communem regulam per singularem numerum *vestem ejus*; sed *Keri* notavit vocem illam esse legendam & explicandam per pluralem numerum, subintellecto *Jod* ante *Vau*.

Hæ & similes notæ, propter hanc causam excogitatæ, possunt esse partim ab Ezra & Viris Synagogæ magnæ, partim etiam à Tyberiensibus, aliisque doctoribus, qui voluerunt Textum Hebræum integrum conservare. Nam si Ezras & alii has notas, conservantes veram & genuinam scriptionem Textus Hebraici, non observassent, procul dubio aliqui extitissent, qui ex religione quadam nonnullas voces, semel aut bis vel etiam sæpius valde irregulariter in Textu Hebræo scriptas, secundùm analogiam aliarum vocum scripsissent & punctassent. Sed contra hanc difficultatem illi supradicti Doctores remedium excogitarunt, scil. annotando tales voces irregulares, & quasi dicendo: Vox illa, quæ in Textu irregulariter scripta est, ita est retinenda in Textu: nam ipsi sacri Scriptores ita voces illas exararunt. Sed vox illa secundùm mentem Spiritus S. paulo aliter est explicanda quàm externa scriptio præ se fert: ex. gr. *Genes.* 24. 14. occurrit vox הַנַּעֲרָ *puella* sine *He* in fine, cum aliàs secundùm regulas Fœmininorum recipere deberet *He*. In solo Pentateucho Mosis hæc vox הנערה vicibus 21. invenitur scripta sine *He*. Doctores, qui voluerunt genuinam scriptionem & verum sensum S. Scripturæ conservare, annotarunt in margine, & monuerunt voces illas הנער *esse pro* חנערה; & propterea eâ notâ voluerunt indicare illud Kametz in fine sub *Resch* esse scribendum & legendum.

Secunda causa, ob quam nonnullæ notæ marginales *Keri* fuerunt excogitatæ, est *parva expositio* vocum dubiarum, quas Lectores facillimè contra mentem sacrorum Scriptorum explicarent. Ezras igitur vel fortasse nonnulli antiqui Masorethæ, circa sensum S. Scripturæ optimè versati, ad voces illas dubias *parvæ expositionis* ergo nonnullas notas marginales, explicantes verum sensum, à Spiritu S. intentum, adjecerunt: & quidem propterea, ne aliquis ex inscitia voces illas, quoad sensum dubias, contra mentem Spiritus S. explicaret. Exemplo res fiet clarior: *Genes.* 30. 11. invenitur verbum בָּגָר satis sine notâ marginali dubium. Nonnulli possent hoc verbum בגר considerare ut verbum simplex, & sic etiam explicare; & tum significaret *prævaricatus est*. Sed ne Lectores hîc ita impingerent, ideo nota marginalis

nalis docet verbum בגר non esse verbum simplex, sed compositum ex בא גר; & per consequens per illam notam denotarunt hoc verbum per duas voces esse explicandum, scil. per *venit turma.*

Hæ & similes notæ, conservantes verum *sensum* S. Scripturæ, possunt esse partim à Propheta Ezra, partim etiam ab aliis piis Judæorum Criticis.

Tertia causa quarundam notarum marginalium est superstitiosa *verecundia* & *honestas*. Nam quidam antiqui Judæi magis superstitiosi quàm religiosi, *Verecundiæ & honestatis* causâ, decem voces, prolata quodammodo obscœnas, in alias voces honestiores mutarunt. Vide retrò eas voces quasi obscœnas allegatas ad septimam notarum marginalium speciem. Has voces honestiores margini adscripserunt, & loco obscœnarum easdem etiam pronuntiandas esse voluerunt.

Hæ voces honestiores nullo modo videntur esse adscriptæ ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ. A quibus igitur sunt adscriptæ? *Resp.* Procul dubio eæ voces honestiores sunt additæ à quibusdam curiosis & superstitiosis Judæis, qui, ne honestis auribus offendiculo essent, illas voces ita mutarunt.

Quarta causa nonnullarum notarum marginalium fuit *discrepantia codicum*. Nam nullum est dubium, quin Masorethæ Tyberienses aliique nonnullas notas collegerint ex *discrepantia variorum codicum*. In uno codice sic, in alio verò aliter scriptum invenerunt. Et quia hæsitarunt, utram lectionem eligerent, ideo utramque retinuerunt; unam in Textu, alteram vero in margine annotantes.

Hæc causa non habuit locum in Ezra: nam ille, utpote infallibili Spiritu Prophetico præditus, potuisset alterutro modo determinasse; sed hæc causa habuit tantummodo locum in aliis Judæis, qui tali Spiritu non ducebantur: quique propterea penduli fuerunt utram lectionem eligerent.

Puto Masorethas, colligentes veram scriptionem Textus Hebraici ex variis codicibus, eam lectionem, quam in pluribus codicibus invenerunt, quamque putarunt esse divinam, & ab ipsis S. Scriptoribus exaratam, in ipso Textu scripsisse. Et quia talis lectio sæpissime fuit irregularis, ideo regulariter voces illas legendas & explicandas esse judicarunt. Nam quis credere posset Criticos illos Judæorum, qui semper ita superstitiosi fuerunt circa corticem S. Scripturæ, unquam ausos fuisse voces nonnullas, quas judicarunt esse peregrinas, irregu-

lares & monstrosas, atque ab ipsis S. Scriptoribus non exaratas, in Textum S. intrudere, & voces regulares, descriptas ab ipsis sacris Scriptoribus, extra Textum ad marginem rejicere? Non arbitror ullum cum aliqua specie veritatis hoc defendere posse.

Quinta causa quarundam variarum lectionum est *venatio mysteriorum*, vel *indagatio aliûs sensus*, quem etiam verba Textus videntur continere. Nam procul omni dubio quædam notæ marginales sunt excogitatæ *mysterii* causa ad *sensum alium* eliciendum, secundùm quem, ex sententia Criticorum, etiam Textus sacer explicari potest. Judæi modum allegoricè Textum explicandi semper amarunt: ideoque nonnulli putant, quod propterea ex Pentateuchis, qui in Synagogis asservantur, puncta ejecta sint, ut Textus Biblicus variis modis exponi posset. Exemplo res hæc illustranda est: 2 *Sam.* 3. 35. occurrit in hodiernis Bibliis verbum לְהַבְרוֹת *ad cibandum.* Rabbi David Kimchi ad illum locum ait: Rabbini nostri b. m. dicunt scriptum esse in Textu להכרות *ad exscindendum* cum Caph, sed legi in margine להברות cum Beth; quasi (en duplicem sensum) innueretur populum venisse primò להכרותו *ad exscindendum eum,* scil. Davidem, & postea sententiam mutasse, & venisse להברותו *ad eum cibandum.* Jam in omnibus Bibliis est להברות *ad cibandum eum.* Idem Kimchi ibidem multis auctoritatibus variorum Rabbinorum illam sententiam confirmat, scil. olim in Textu scriptum fuisse להכרות, & in margine להברות: sed ille idem tamen fatetur se nullibi in correcto aliquo codice ita illud verbum scriptum vidisse. Ut ut sit, saltem inde apparet, quomodo antiqui Critici diversum sensum per *Keri* elicere conati fuerint.

Aliquando duplex sensus literalis potest esse intentus à S. Scriptoribus: ex. gr. Jos. 9. 7. habetur וַיֹּאמְרוּ *& dixit*, vel *& dixerunt.* Quoad consonas est plurale, & quoad vocales est singulare. Quasi Textus voluerit indicare *unum* esse locutum, quod denotatur per vocales, sed nomine *omnium*, quod denotatur per consonas. Nam non sine ratione prægnante S. Scriptor verbum hoc tam irregulari modo punctavit, si non duplicem sensum intendere voluisset. Talis duplex sensus sæpe etiam intenditur in nominibus, quæ quoad vocales sunt singularia, & quoad consonas pluralia, vel vice versa. Jos. 10. 8. & passim alibi.

Sexta causa notarum marginalium, quæ à multis falsò assignatur, est *religio* & *pietas.* Multi, ex legentibus Adonai & Elohim pro Jehova

va & Jehovi, ajunt quosdam Rabbinos *religionis* & *pietatis* causa vocales antiquas & genuinas, nomini יהוה subscriptas, mutasse in vocales τῦ Adonai & Elohim. Sed credat hoc Judæus Apella, non ego. Quis Judæorum non timuisset sacrilegas suas manus in Textum sacrum injicere? Quis ausus fuisset sacros Scriptores, qui ducti fuerant ab infallibili Spiritu, hac in parte corrigere, quasi genuina puncta vocibus illis non subjecissent? Videant præterea qui statuunt hæc puncta esse corrupta, an non accusent sacram Scipturam corruptionis; præcipue in illis locis, in quibus jam occurrunt Jehova & Jehovi. Ego malo hanc ultimam causam omittere, & approbare illas quinque supradictas ut veras notarum marginalium causas. Falsa igitur est sententia Cl. Capelli putantis notas marginales esse meras censuras, castigationes & correctiones Masoretharum Tyberiensium, natas ex sola suspicione erroris, quem codicibus suis inesse putarunt.

DISSERTATIO VIGESIMA-QUARTA, QUÆ EST PARS TERTIA.

DE MASORA.

Et PARS POSTERIOR De KERI & KETIB.

§. 1. *Cæteræ quæstiones de Keri & Ketib sequuntur explicandæ.*
2. *Notæ marginales ab Elia numerantur* 848. *sed ab aliis numerus augetur, aut minuitur.*
3. *Inquiritur utrum Keri aut Ketib sit auctenticum.*
4. *Judæi explicando & legendo præferunt Keri marginale.*
5. *Multi Christiani in quibusdam locis præferunt Keri, in aliis verò Ketib: imo aliquando in diversis editionibus sententiam mutarunt.*
6. *Judicamus vocem textualem esse auctenticam, & voci marginali præferendam.*
7. *Objectio, quasi impossibile sit Textum semper secundùm Ketib exponere, solvitur.*
8. *Pleræque septem species notarum marginalium sunt etiam usitatæ in aliis linguis.*
9. *Altera objectio, quasi Ketib non possit esse authenticum, enodatur.*
10. *Ex notis marginalibus Keri non potest probari corruptio Textus Hebraici.*

SEXTIO

Sectio I.



Gimus superiori Dissertatione de Auctoribus notarum marginalium, vulgo *Keri & Ketib* vocatarum; ut & de speciebus & causis, ob quas hæ notæ marginales sunt excogitatæ; jam sequuntur, cæteræ quæstiones, quæ circa hanc materiam moveri possunt, enodandæ.

II. *Quintò quæritur* Quot sunt notæ marginales, quæ vulgò *Keri* & *Ketib* vocantur?

Respondeo. Elias Levita (Judæus, natione Germanus, qui superiori sæculo vixit) omne *Keri* & *Ketib* numeravit, & invenit in toto Veteri Test. notas marginales Keri octingintas & quadraginta octo; scil. 65. in Pentateucho, 454. in Prophetis, & 329. in Hagiographis. Harum notarum summam & numerum duabus vocibus Hebraicis קַרְיָן וְכַתְבָן *Karjan vekatban* expressit: illæ enim voces, si in numerum resolvantur, efficiunt numerum 848. Miratur admodum idem Elias Levita, quod in toto Pentateucho tantum inveniantur notæ marginales sexaginta quinque, inter quas sunt una & viginti voces נַעֲר, quæ scribuntur sine *He*, & leguntur נערה cum *He*; quum in solo libro Josuæ, qui mole vix æquat decimam Pentateuchi partem, occurrant notæ marginales Keri triginta duæ; & in libris Samuelis, qui vix quartam Pentateuchi partem æquant, inveniantur 133. *Keri*.

2. Numerum variarum lectionum, ab Elia enumeratum, *hodierni* Doctores augent. Cl. Capellus in Critica sua cap. 1. lib. 3. docet se varias editiones, scil. Bombergianam in folio, Plantinianam in quarto, & Biblia Regia edita Antverpiæ contulisse, & plures notas in nonnullis editionibus enumerasse. Quot notas igitur invenit? In editione Bombergiana invenit notas 1171. in Bibliis Regiis 983. sed in Plantinianâ editione tantummodo 793.

3. Ex hac diversitate numeri notarum marginalium apparet in omnibus Bibliis omne *Keri* & *Ketib* non annotari; aliquando quædam exempla notarum marginalium adferuntur, omissis aliis, quæ vel nullâ notâ designantur, vel aliquando circulis in Textu suprà scriptis ornantur & insigniuntur; quibus lectores monentur de subintellectâ vel de adscribendâ variâ lectione in margine.

4. Ut ut sit, nullus dubito, quin numerus notarum marginalium sit

sit augendus; attamen certus numerus ex variis editionibus non est hauriendus: nam Editores Bibliorum semper non æque accuratè attenderunt ad omnes varias lectiones. Unde ergo verus notarum marginalium numerus est eliciendus? *Resp.* Ex Masora, quæ antiquitate suâ omnes hodiernas editiones longè superat. In quantum igitur numerus notarum est augendus? *Resp.* Hoc non adeo facilè determinari potest.

III. *Sextò quæritur.* Utrum Textus Hebræus sit legendus & explicandus secundùm *Keri* marginale; an verò secundùm *Ketib* textuale?

Respondeo. Non est eadem omnium Judæorum & Christianorum sententia. Nos ad has tres sequentes sententias diversorum Auctorum opiniones referemus.

IV. *Prima* sententia est Judæorum, qui statuunt lectionem marginalem semper esse legendam, & vocem in Textu scriptam secundùm notam marginalem ut plurimum etiam esse explicandam. Hinc omnes Judæi semper lectionem marginalem non tantum privatim sed etiam publicè in Synagogis, quando sectionem legalem ex Pentateucho prælegunt, exprimunt. An ergo in omnibus libris, & in Pentateuchis MSS. ex quibus Judæi lectiones Sabbathinas prælegunt, notæ marginales sunt descriptæ? *Resp.* In multis Bibliis omittuntur notæ Keri; imo in talibus Pentateuchis MSS. ne unica nota margini adscribitur. Quomodo ergo eas inter legendum proferre possunt? *Resp.* Notas marginales facillimè, quia continuâ lectione eas memoriter didicerunt, proferunt.

Quod Judæi semper debeant legere notam marginalem, probatur ex libro rituali, qui vocatur *Schulchan Aruch*, *parte* 1. *Num.* 141. ubi expresse dicitur, quod *Ketib* debeat scribi, & *Keri* legi; atque immediatè subjungitur historia de quodam Lectore, qui coram magnis Rabbinis, R. Isaaco Abuhab, R. Abrahamo Valantiniano, aliisque legit vocem scriptam, & non marginalem; jusserunt ipsum repetere & legere vocem marginalem; quod quum facere recusaret, eum de ambone sive suggestu deturbarunt.

Verum Judæi in expositione Textuum majori libertate aliquando fuerunt usi. Nonnunquam enim Paraphrastæ Chaldæi ipsum *Ketib* in Paraphrasi sua Chaldaica expresserunt. Exemplum occurrit 2 *Sam.* 22. 51. ubi in Textu scribitur מגדיל, quod Paraphrastes transfert

per מַפְּנֵי *multiplicans*, cum *Keri* legat מגדול *turris*, quod etiam versio nostra Belgica imitatur.

V. *Secunda* sententia est multorum Christianorum, qui Textum sacrum translaturi fluctuarunt & dubitarunt, nescientes utram lectionem eligerent; textualem verò, an marginalem. Inter hos dubitantes sunt Junius & Tremellius, Piscator, Arias Montanus, aliique quamplurimi Interpretes, qui sæpissimè Textum sacrum secundùm notam marginalem explicarunt, nonnunquam tamen ipsum Textum retinuerunt. Imo aliquando in reiteratâ editione sententiam suam mutarunt, exprimentes in primâ editione notam marginalem vel lectionem textualem, & in secundâ pro notâ marginali lectionem textualem, & vice versâ.

Exemplis res fiet clarior. Junius & Tremellius 2 *Reg*. 8. 10. in primâ editione verterunt voces Hebraicas לֵךְ אֱמָר־לֹא *Abi dic ei*, sequentes notam marginalem לו; sed in aliis editionibus hic expresserunt ipsum Textum, vertentes illas voces per *Abi dic*, *non* vives, retinentes לא in Textu scriptum.

Similiter Ezræ *cap*. 4. *v*. 2. in editione primâ transtulerunt dictiones Hebraicas וְלֹא אֲנַחְנוּ זוֹבְחִים *Et eidem nos sacrificamus*, quod est in margine; in posterioribus verò editionibus verterunt *Et nos non sacrificamus*, per לא *non*, quod est in Textu.

Sic etiam mutarunt sententiam primam in 1 *Reg*. 22. 49. ubi in prima editione habetur, Josaphat עשה *paravit* classem, prout est in margine: sed in posterioribus editionibus habetur, Josaphat עשר *decem* naves, secundùm vocem textualem. Qui plura exempla fluctuationis desiderat, adeat Antibarb. Biblicum Amamæ pag. 472. editionis posterioris.

Piscator, etiamsi ut plurimum notam marginalem exprimat, in multis tamen locis ipsam lectionem textualem retinuit, scil. *Levit*. 11. 21. *Psal*. 100. 3. 2 *Reg*. 20. 4. *Jes*. 9. 3. *Job*. 6. 21. &c.

Idem etiam fecerunt Arias Montanus, Auctores vulgatæ editionis Latinæ, & Interpretes versionis Græcæ. Hi omnes nonnunquam voces quasdam transtulerunt, prout in ipso Textu habentur.

Nova Versio Belgica sæpius lectionem textualem expressit; in nonnullis tamen locis notam marginalem elegit: exempla nonnulla videri possunt *Ezech*. 42. 16: 1 *Reg*. 12. 33: 2 *Sam*. 20. 14: 2 *Sam*. 23. 13. & *vers*. 20. 21: 2 *Sam*. 24. 16. Curiosus lector, percurrens & conferens

versio-

versionem Belgicam cum Textu Hebræo, inveniet quamplurima loca, in quibus Interpretes expresserunt notam marginalem Keri: sed eadem (quia ipse Lector hæc loca conferre potest) brevitatis causâ prætereo.

VI. *Tertia* sententia est quorundam Theologorum, qui semper lectionem textualem legunt, & in Versionibus suis eandem exprimunt. Nos huic tertiæ sententiæ subscribimus propter hoc argumentum. Vel *Keri* marginale est auctenticum, vel *Ketib* textuale. Si *Keri* marginale est auctenticum, ergo illud semper est legendum & transferendum: sed plerique Interpretes sæpissime quidem, ast non semper, Textum secundùm *Keri* exposuerunt; quod tamen facere necessario semper debuissent, si *Keri* esset auctenticum. Si vero *Ketib* est auctenticum, ergo illud est retinendum & explicandum: nam si Interpretes crediderunt *Ketib* non esse auctenticum, Quare illi sæpissime Textum secundùm *Ketib* explicarunt? Et quare adhuc in ipso Textu Hebræo illud, quod non est auctenticum, retinetur? Nam si credamus *Ketib* non esse auctenticum, nec ab ipsis Auctoribus librorum profectum, tum omne *Ketib* tanquam alienum ex Textu esse rejiciendum, & *Keri* in ejus locum substituendum. Nos igitur judicamus hanc tertiam sententiam, quæ defendit ipsum *Ketib* ab ipsis Auctoribus librorum esse profectum, multo esse verisimiliorem & tutiorem sententiis duabus præcedentibus. Nam quis Judæorum unquam ausus fuisset voces non auctenticas in Textum intrudere, & auctenticas ex Textu eliminare, & ad marginem ablegare? Obstat, & semper obstitit superstitio, & superstitiosa Judæorum religio, quâ Textum sacrum mirum in modum honorant: nam potius centies mortem obirent, quàm ut paterentur quicquam in sacro Textu mutari.

Dices. Si Ketib sit auctenticum, quid ergo sibi volunt illæ correctiones marginales, per quas, voces in Textu irregulariter scriptæ, emendantur, & secundùm analogiam aliarum vocum punctantur? *Resp*. Doctores Judæorum viderunt multas voces irregulariter esse scriptas, vel sensum fore convenientiorem, si aliter voces illæ legerentur & explicarentur; ideo judicium suum apposuerunt, quo judicarunt voces illas ita regulariter posse legi, & sensum etiam fore convenientiorem, si vel litera addatur, vel abjiciatur, vel etiam transponatur, & sic deinceps.

VII. Contra hæc fortè *objiciet* nonnemo, quod impossibile sit

Textum semper explicare secundùm *Ketib*. Nam si Textus secundùm Ketib explicetur, sæpissimè vel nullus erit sensus, vel sensus erit plane absurdus; etiam voces erunt ita irregulariter scriptæ, ut ad nullas Grammaticæ regulas referri possint.

Respondeo. Sensus verborum, quando Textus secundùm *Ketib* explicatur, nihilominus erit bonus; etiamsi secundùm nostrum judicium sensus videatur paulo convenientior, si aliter explicetur. Nos sæpissime etiam explicamus Textum, prout *Keri* judicat esse explicandum: sed hoc non facimus, quia *Keri* est auctenticum; vel quia est ab ipsis Auctoribus exaratum: sed ideo, quia *Keri* in multis locis difficilioribus nobis ostendit verum sensum, quem Prophetæ in *Ketib* intenderunt. Nam facillimè homines imperiti sensum Spiritus S. in *Ketib* intentum, aliter explicare potuissent; ideo Ezras vel alii Masorethæ margini adscripserunt notam *Keri*, qua verum sensum, à Spiritu S. in locis dubiis intentum, expresserunt. Quare hoc fecerunt? *Resp*. Ne aliquis à scopo Spiritus sancti & Auctoris aberraret. *Keri* ergo nobis in multis est expositio, explicans verum sensum ab ipsis Auctoribus librorum intentum. Similitudine aliqua hoc negotium illustrabo. Est ac si nonnullus in Latino Auctore, in quo occurrunt voces *voster*, *olli*, *faciundum* margini adscriberet *vester*, *ulli*, *faciendum*. Similitur judicamus de multis vocibus margini adscriptis, quæ nobis nullo modo videntur esse à Spiritu S. sed eæ sunt additæ vel ab Ezra, vel ab aliis Masorethis, qui genuinum sensum Spiritus sancti lectoribus voluerunt suggerere

VIII. Ut hæc expositio magis innotescat, breviter septem species τῶν *Keri* & *Ketib* percurram, & ostendam, quomodo voces, in septem fere speciebus notarum Keri occurrentes, explicari possint.

Prima species, in quâ litera vel abundat vel deest, etiam est usitata in aliis linguis: ex. gr. Latini dicunt *gnavus* pro *navus*, *relligio* pro *religio*: & contra *nascor* pro *gnascor*, *caldum* pro *calidum*, *tun'* pro *tunc*, & sic deinceps. Non mirum ergo, si etiam in lingua Hebræa quædam literæ vel abundent, vel deficiant.

Secunda species notarum marginalium, respiciens literas quæ invicem mutantur, etiam locum habet in aliis linguis: ex. gr. Latini efferunt *voster*, *olli*, *faciundum* pro *vester*, *ulli*, *faciendum*. Quis mirabitur Antithesin hanc etiam locum habere in linguâ Hebræâ?

Tertia species continet literas, quæ per Metathesin transponuntur: hinc

hinc in Lingua Latina dicitur *pistris* pro *pristis*, &c.

Quarta speccies est nullius momenti. Tantum tria exempla ejus speciei occurrunt, in quibus nihil situm est: nam litera vocis præcedentis facilè potest addi voci sequenti.

Quinta species continet tum voces non punctatas in Textu, tum etiam è contra comprehendit puncta destituta consonantibus.

Voces sive consonæ, destitutæ vocalibus, ita sunt exaratæ ab ipsis auctoribus librorum: nam illi Auctores tantum consonas expresserunt omissis vocalibus, quæ subintelliguntur. An ergo illæ voces carentes vocalibus non debent pronuntiari, uti faciunt Judæi? Debent nihilominus pronuntiari. Atqui vox non potest pronuntiari sine vocalibus: sed à nobis potest pronuntiari per vocales subintellectas; uti Latini pro *qd* legunt *quod*, & pro *st* legunt *sunt*.

Vocales solæ, scriptæ in Textu sine consonantibus, sunt ita etiam exaratæ ab ipsis Auctoribus librorum. An subintellectæ consonæ cum expressis vocalibus etiam sunt legendæ? Imo. An in versionibus etiam transferendæ? Imo. Nam vocales illæ solæ ita sunt in Textu descriptæ ab ipsis Auctoribus librorum. Miror quare Versio Belgica tales vocales, translatas in linguam Belgicam, uncinulis includat, ac si essent voces additæ, & non expressæ ab ipsis Auctoribus librorum. Hic mos scribendi vocales absque consonantibus etiam est usitatus in lingua Latina: ex. g. Litera *õ*, apice notata, denontat *non*, & *ẽ* significat *est*. Quare hic modus etiam in lingua Hebræa usitatus esse non potuit? Rabbini antiqui & hodierni formant quidem tantum abbreviaturas ex consonantibus, & non ex vocalibus: sed hoc non est mirum: nam Rabbini communiter tantum consonantes in commentariis suis & non vocales exprimunt.

Sexta species continet voces compositas quæ conjunctim scribuntur; & è contrà comprehendit etiam voces separatim scriptas quæ conjunctim leguntur.

Voces compositæ, quæ per duas simplices voces explicari debent, in omnibus linguis sunt usitatissimæ.

Voces aliæ, quæ in Textu divisim scribuntur, quum debeant conjunctim scribi, sunt procul dubio profectæ ab incuriâ quorundam Scribarum, qui ex oscitantiâ voces diviserunt, quum debuerint easdem conjungere. An non in talibus vocibus, ita divisim scriptis, est corruptio Textus? *Resp.* Non est corruptio Textus: nam omnes

literæ ſunt expreſſæ; ſed *Keri* tantummodo notat eas voces ſeparatas eſſe conjungendas.

Septima ſpecies, quæ mutat voces prolatu obſcœnas in voces honeſtiores, habet etiam locum in aliis linguis. Ipſis pueris hic modus voces obſcœnas in honeſtiores mutandi eſt notiſſimus. Hinc pueri *mingere* nominant *wateren*; & Latini *coïre* explicant per *cubare*; & ſic deinceps. In communi loquela quotidie audimus & efferimus ſine ſuperſtitione voces honeſtiores loco obſcœnarum. Sed antiqui Judæi, qui olim voces obſcœnas, per alias honeſtiores, legendas & explicandas eſſe judicarunt, magis ſuperſtitioſi fuerunt quàm religioſi: & multo melius iidem olim feciſſent, & adhuc hodie facerent, ſi voces legerent, prout à Spiritu S. ſunt deſcriptæ, licèt impuris & petulantibus auribus auditu eſſent obſcœnæ.

Ex his apparet quod *Ketib* ubique poſſit eſſe auctenticum; & quod non ſit neceſſe dicere vel *Keri* eſſe auctenticum, vel Textum, præterito *Ketib*, ſecundùm *Keri* eſſe explicandum.

IX. Sed adhuc fortaſsè *objiciet* aliquis. *Keri* neceſſariò in multis locis debet eſſe auctenticum: nam multæ voces, quæ *Ketib* conſtituunt, non ſunt Hebraicæ: ex. gr. 2 *Sam*. 23. 20. in Textu occurrit vox חַי, quæ in margine corrigitur & explicatur per חַיִל *roboris*. Noſtri Interpretes in verſione Belgica vocem, uti in margine habetur, exprimunt. Etiam nullibi in Lexicis חַי ſignificat *robur*: ergo חַיִל eſt auctenticum.

Reſpondeo. 1. Fortaſſe litera ultima per Apocopen eſt abjecta, ſicuti aliis in locis media litera, ubi dicitur חל, abjicitur.

2. Nomen חַי in Lexicis non annotatur; quia plerique fere auctores, qui Lexica ſcripſerunt, putarunt *Keri* tantum eſſe auctenticum: & propterea *Ketib* in Lexicis ſuis non annotarunt.

3. Veroſimile eſt חַי ſignificare *vivum* vel *vividum*, & deſcendere à Radice חָיָה *vixit*; & ſic אִישׁ חַי in loco allegato denotaret *virum vividum*. Hanc expoſitionem τὸ *Keri* ferè exprimit, quando איש חי exponit per אִישׁ חַיִל *virum roboris*.

4. Vox חַי poſſet eſſe pro חַיִּים *vita*; quaſi *virum vitæ*, hoc eſt, *roboris* dicas; & ſic *Ketib* commodè in hoc & in aliis locis poteſt retineri & explicari.

Reliqua exempla, quæ adferri poſſent, & quæ noſtram ſententiam videntur infringere, commodè aliquo modo vel per Metatheſin

sin literarum, vel per earundum mutationem, vel alio aliquo modo explicari possunt; ita ut non opus sit fugere ad notas marginales tanquam auctenticas, & ab ipsis Auctoribns librorum profectas.

Sunt etiam multa notarum marginalium exempla, in quibus nihil situm est quocunque modo explicentur: sive enim quis ea per Keri, sive per Ketib explicet, tamen sensus, qui inde elicitur, erit bonus: ex. gr. *Exod.* 32. 19. parum refert utram lectionem quis sequatur: nam sensus, utroque modo explicatus, est bonus. Vide plura exempla in Thes. Philol. Hotting. pag. 423.

X. *Septimò quæritur.* An ex his notis marginalibus non sequitur corruptio Textus Hebraici?

Respondeo. 1. Nullo modo: nam Textus sacer est integer, & voces margini adscriptæ non pertinent ad essentiam Textus Hebraici. Pleræque enim voces marginales sunt tantummodo parvæ expositiones & notæ explicantes genuinum sacræ Scripturæ sensum. Nam annotare literas abundantes & deficientes, scriptionem irregularem & alia similia, genuinum sensum conservantia, non est corrumpere Textum, sed potius à corruptione conservare.

Pontificii etiam ex his notis marginalibus & variis lectionibus non possunt probare corruptionem Textus Hebraici: nam similes notæ marginales sunt ad marginem variarum editionum Vulgatæ Versionis annotatæ ab illis ipsis; quarum tamen annotatores propterea ab ipsis corruptores Bibliorum non vocantur. Quis unquam Lovanienses Theologos, varias lectiones ad marginem Bibliorum Latinorum annotantes, corruptores Bibliorum vocavit? Vide *Hotting.* in Thes. Philol. *pag.* 423. Si quis Editiones Sixti V & Clementis VIII conferret, inveniret in illis aliquot millia variarum lectionum; cum tamen inter eas Editiones tantum unius biennii intervallum fuerit. Vide *Antib. Bibl. Amama pag.* 476. Ergo si Pontificii Textum Hebræum corruptionis velint accusare propter illas varias lectiones, tum nos meliori jure illud de Versione Vulgatâ, quam tamen ipsimet pro auctenticâ populo obtrudere volunt, asserere possemus: nam in illâ adhuc ferè infiniti sunt errores, etiamsi Isidorus Clarius octo vitiorum millia annotaverit & correxerit.

2. Posito & non concesso, quod *Keri* in plerisque locis sit auctenticum, & ab ipsis Auctoribus librorum profectum: inde tamen non sequitur Textum esse corruptum. Nam ipsum *Keri*, si concedamus illud

illud esse auctenticum, & ab ipsis Auctoribus profectum, est adhuc integrum, etiamsi margini sit adscriptum. Jam, utrum Keri margini adscriptum, an vero Ketib in Textu descriptum sit auctenticum, à quibusdam disputatur; saltem alterutrum est auctenticum, & utrumque est adhuc conservatum. Sed dubitetur pro tempore, utrum sit auctenticum; inde nullo modo sequitur, quod Textus sit corruptus. Ego hoc tempore judico voces in Textu scriptas esse auctenticas, alius vero judicat voces in margine scriptas esse divinas. Sive quis pro tempore eligat prius, sive posterius, inde tamen non sequitur Textum esse corruptum.

Saniores è Pontificiis, qui in Hebraicâ veritate aliquandiu desudarunt, non solent desumere ex illis notis marginalibus argumentum pro corruptione Textus Hebraici: sed è contra potius judicant Textum esse incorruptum; quia Critici illi sacri tam curiosi fuerunt circa conservationem S. Scripturæ, observantes etiam minima; quæ remoram aliquam lectoribus injicere possent. Hinc iidem Pontificii in locis dubiis recurrerunt ad Textum Hebræum tanquam ad infallibilem fidei & morum regulam.

DISSERTATIO VIGESIMA-QUINTA, QUÆ EST

DE MASORA.

PARS QUARTA & ULTIMA.

§. 1. *Forma Masoræ diversis temporibus fuit diversa.*

2. *Masora est triplex: parva, mediocris & maxima; & cuilibet loca assignantur.*

3. *De auctoribus Masoræ duæ sunt sententiæ, quarum prior eam adscribit Masorethis Tyberiensibus: sed ea sententia refutatur.*

4. *Posterior sententia Masoræ primos auctores constituit Ezram & Viros Synagogæ magnæ.*

5. *Masoræ cognitio fuit diu difficilis; tum quia fere linguâ Chaldaicâ constat, tum etiam propter raritatem. Sed illas difficultates sustulerunt Buxtorfius & Bombergus.*

6. *Causa finalis Masoræ est conservatio sacræ Scripturæ.*

7. *Ex conscriptione Masoræ concludimus sacram Scripturam non esse à Masorethis vel ab aliis Judæis corruptam.*

8. *Capita & Versiculi singulorum librorum Veteris T. enumerantur.*

9. *Summa eorum recensetur. Generalis*

valis differentia supputationis Biblicæ & Masorethicæ allegatur,
10. Etiam specialis circa quosdam libros.
11. Rationes dantur quare detur differentia inter supputationem versiculorum in Bibliis observari solitam, & inter Masorethicam.
12. Capita & versiculi Novi T. recensentur.
13. Differentia inter versiculos Veteris & N.T. & horum auctor allegatur.
14. Omnes 7959. versiculi N.Test. sunt redacti ad 1829 versiculos, in quibus omnes voces totius N. T. continentur.
15. Hoc tempore investigantur versiculi Veteris Testam. in quibus omnes voces tam primitivæ quam derivativæ occurrunt; quum illud antea præcipuè circa voces primitivas sit tentatum & editum.

SECTIO I.



IN superioribus tribus Dissertationibus egimus de materiâ, circa quam Masora versatur; jam porro in hac Dissertatione disseremus de cæteris Masoræ causis.

In principio sese offert *forma* Masoræ, de qua *quæritur*. Quæ est forma Masoræ?

Respondeo 1. Forma Masoræ, quæ hodie in libris impressis invenitur, longe alia est, quàm quæ olim in libris manuscriptis fuit. Olim Masora margini Bibliorum non adscribebatur, sed in separatis chartis & libris exprimebatur. Nec tota Masora etiam potuisset juxta Textum Biblicum describi: nam magnitudine suâ ipsa Biblia Hebraica majora longè superabat; sed jam ejus magna pars injuriâ temporis periit.

2. Postea quidam superbientes Scribæ in manuscriptis Bibliis partes Masoræ singulis paginis librorum Biblicorum adscribere inceperunt; & quidem præcipuè vanæ ostentationis causâ. Nam Scribæ Masoram variis figuris & imagunculis in libris suis, postquam eam inceperunt Textui Biblico addere, expresserunt.

Tale exemplar Manuscriptum in 80 vocalibus & Masorâ ornatum ex Oriente attulit Magnus Golius, in quo notæ Masorethicæ ita artificiosè sunt conscriptæ, ut ursarum, canum & boum imagines præ se ferant.

Simile exemplar olim Capnio dono accepit à Divo Maximiliano I. Romanorum Imperatore, quod idem, cum moreretur, patriæ Phorcensi legavit. Hoc exemplar olim ante aliquot sæcula erat con-

scriptum pro Rabbi Aben Ezra. Schickardus in Præfatione ad Bechinath Happeruschim testatur se vidisse hoc ipsum exemplar. Idem præterea ait notas Masorethicas minutissimis literulis in hoc exemplari, non lineatim, sed instar picturæ tam affabrè fuisse conscriptas ut eminus inspectæ viderentur esse leonum, ursarum, boum, ovium, aliorumque animalium imagines; nec artificium prius innotescere potuisse, antequam oculos suos cominus membranæ admovisset. Hæ imagines ita depictæ occasionem præbuerunt depravationibus: nam aliquando quædam addiderunt, vel quædam omiserunt; prout ratio figuræ exprimendæ requirebat.

3. In hâc formâ permansit Masora usque ad publicam *ejus impressionem*, quam primus procuravit Daniel Bombergus Typographus Venetus Anno 1523. Hic Bombergus (à quo Biblia Bombergiana nomen acceperunt) linguam Hebræam optimè calluit, & mirificè propagavit. Is enim primus typis in lucem emisit Biblia magna in folio ornata & circumcincta Masorâ & Commentariis Rabbinorum. Hic ergo Bombergus fuit primus auctor editionis Masoræ. An etiam idem Bombergus Masoram ex libris manuscriptis collegit, & in hanc formam redegit? *Resp.* Auctor dispositionis Masoræ in Bibliis Hebraicis est doctissimus Rabbi Jacob ben Chajim, conductus à Bombergo eum in finem, ut Masoram adornaret, & in commodum ordinem disponeret. Hic Rabbi magno pretio varios Masoræ manuscriptos libros conquisivit, ex quibus ingenti labore & studio Masoram, tum temporis in separatis libris & ex parte in Bibliis MSS. adhuc confusè dispositam, in hunc ordinem, qui in impressis Bibliis jam conspicitur, digessit. In primam illam Bombergi editionem innumeri ferè errores irrepserunt; sed eorum magnam partem Cl. Buxtorfius in suâ editione correxit.

4. Hodie Masora, postquam ea publicè excudi cœpit, non separatim amplius, sed conjunctin cum Textu Biblico semper in lucem emittitur. An tota? Non tota: nam magna ejus pars jamdiu periit.

II. Tota superstes Masora, quæ hodie unà cum Bibliis Hebraicis in lucem emittitur, est triplex; *Parva*, *Mediocris & Maxima.*

Parva Masora est, quæ literis numeralibus, vocibus decurtatis, & symbolis obscurioribus breviter describitur. Hæc Masora non allegat ipsa Scripturæ loca, nisi quando vox bis in Bibliis occurrit; tum sæpissime alter locus unâ alterâve voce indicatur.

Ubi

Ubi hæc Masora in Bibliis Hebraicis collocatur? *Resp.* Inter Textum Hebræum & Paraphrasin Chaldaicam.

Mediocris Masora, quæ à quibusdam magna, sed textualis vocatur, est, quæ ipsa loca Scripturæ, in quibus voces allegatæ enumerantur, post invicem recenset; vel ad minimum allegat locum ubi cæteri Textus Scripturæ inquiri possunt.

Quare hæc Masora vocatur *Textualis*? *Resp.* Quia ea in Textu Biblico passim vel supra, vel infra, vel nonnunquam etiam ad latus describitur, quando nempe commentaria Rabbinorum deficiunt. Hæc Masora ferè semper supra Textum Hebræum tribus tantum regulis ornatus causâ describitur, sed infra sæpissime pluribus; prout copia textuum allegatorum requirit. Ad hanc mediocrem Masoram etiam pertinent præliminares Masoræ, quæ passim in vestibulis librorum Biblicorum ornatus causâ instar magnificæ alicujus portæ majusculis literis describuntur. Hæ præliminares Masoræ sæpissimè non ad locum vel Textum illum, ad quem adferuntur, propriè pertinent, attamen ob aliquam eorum, quæ ibi in Textu habentur, qualemcunque occasionem adferuntur.

Maxima Masora, quæ aliàs magna finalis denominatur, multo plura loca Scripturæ recenset, quam præcedens textualis.

Quare vocatur *finalis*? *Resp.* Quia ea in fine Bibliorum ordine alphabetico disposita est. Hæc Masora fere continet illa loca, quæ in mediocri Masora ob spatii angustiam disponi non potuerunt.

III. Hactenus egimus de causis internis Masoræ, sequuntur jam considerandæ causæ externæ, scil. ejus causa efficiens & finalis.

De causa efficiente Masoræ *queritur*. Quinam sunt Auctores Masoræ? Et quando eadem conscripta est?

Respondeo. Duæ sunt sententiæ circa causam efficientem Masoræ.

Prior sententia statuit Masoram esse conscriptam à Masorethis Tyberiensibus, qui post confectum Talmud circa sextum ferè sæculum post nativitatem Christi vixerunt. Hi Doctores vocantur Masorethæ à conscriptâ Masora, & Tyberienses ab urbe Tyberiade, in quâ congregasse, & Masoram conscripsisse dicuntur. Hæc urbs, vocata Tyberias à Tyberio, sita fuit in terra Galilææ ad lacum Gennasareth. Josephus de ea urbe refert, quod Herodes, receptus in summam amicitiam Tyberii, de nomine ipsius urbem à se conditam vocaverit Tyberiada. In Novo T. nonnunquam Tyberiadis fit mentio. Johannes

in Euangelio cap. 21. v. 1. scribit, quod *Jesus manifestaverit se prope mare Tyberiadis*. Vide plura de hac urbe in libro Cl. Buxtorfii, qui vocatur Tyberias, cap. 4. Aben Ezra & præcipue Elias Levita statuunt primos & præcipuos Masoræ auctores fuisse Masorethas Tyberienses, qui simul eodem tempore convenerunt, & plerasque notas Masorethicas invenerunt & annotarunt. Attamen Elias Levita statuit hos Tyberienses fuisse præcipuos Masoræ auctores, sed asserit postea innumeros alios posterioribus sæculis extitisse, qui Masoram, jam ex parte à Tyberiensibus inceptam, locupletarunt. Quando locupletarunt? Idem Elias putat principium & finem, quo inceperunt & desierunt, certò & præcisè non posse determinari.

Nos hanc sententiam rejicimus. Certum quidem est studia Hebraica diu in Palæstina, & præcipue Tyberiade viguisse & conservata esse: inde tamen non sequitur, certo quodam tempore sexcentis ferè annis post nativitatem Christi tot celebres Judæos convenisse, qui Masoram conscripserunt.

Rationes probabiles, sententiam hanc priorem infringentes, sunt hæ sequentes.

Prima ratio est desumpta à silentio Historicorum. Historia Judaica nullam facit mentionem talium Tyberiensium doctorum; sed Elias Levita, novitius Judæus, est præcipuus auctor Masoretharum Tyberiensum, qui in cerebro suo eos effinxit. Verum quidem est, quod argumentum negativum firmiter non probet: sed an ullo modo videtur quidem verosimile, quod Chronologi Hebræi tam mirabile & utile inventum, conservationi sacræ Scripturæ optimè inserviens, sicco pede ita transiissent? Hoc nullo modo videtur probabile: ergo argumentum negativum, hoc in loco, aliquo modo probat. Accedit quod Chronologi quidem circa multo minora admodum diligentes fuerint: nam utriusque Talmudis tam Babylonici quàm Hierosolymitani tota historia quoad elaborationem, quoad conscriptionem, quoad Auctores, & quoad alia minima perfectè ab illis descripta est.

Secunda ratio desumitur à tempore. Ipsum tempus, quo Masora dicitur conscripta, satis superque hanc sententiam refutat. Nam Masora demum post confectum Talmud dicitur composita; sed hoc falsum esse probatur ex ipso Talmude. Si enim in utroque Talmude nominis Masoræ, & rerum præcipuarum, circa quas Masora versatur, mentio fiat: ergo Masora non demum inventa & conscripta

est

est à Masorethis Tyberiensibus post conscriptum Talmud. Consequentia est manifesta: nam illi Masorethæ demum post conscriptum Talmud vixerunt. Major propositio ergo est verissima.

Minor probatur ex quibusdam exemplis. Cl. Buxtorfius in Tyberiade cap. 8. multa exempla ex Talmude profert, ex quibus probat totam Masoram non esse conscriptam post confectum Talmud à Tyberiensibus.

Ex. gr. 1. Omnes notæ marginales *Keri* non sunt annotatæ à Tyberiensibus; quoniam multarum fit mentio in Talmude: ergo tota Masora non est descripta à Tyberiensibus. Nam magna pars Masoræ versatur circa *Keri*.

2. In Tractatu Talmudico *Sopherim*, *cap.* 6. & 7. fit mentio Masoræ, cum dicitur אלו כתובין חסרין ויו' וקוראין בוי' *Illa sunt scripta cum defectu Vau, & leguntur cum Vau.*

In Tractatu קדושין *Kidduschin*, cap. 1. fol. 30. prope finem, expressè multa ad Masoram pertinentia allegantur. Masoretharum opus fuit numerare literas voces & versus sacræ Scripturæ; atqui numerationis literarum vocum & versuum fit mentio in hoc loco; ubi sic dicitur: *Prisci sunt vocati* סוֹפְרִים numeratores, *quia numerarunt omnes literas Legis. Litera* Vau *vocis* גחון, Levit. 11. 42. *est media litera Legis.* דָּרֹשׁ דָּרַשׁ, Levit. 10. 16. *est media vox Legis, &* והתגלח, Levit. 13. 33. *est medius versus in Lege.*

Similiter Ps. 80. 14. *litera* ע *vocis* מיער *dicitur esse media litera in Psalmis.* Ex hoc loco clarissimè probatur totam Masoram non esse descriptam à Tyberiensibus. Accedit, quod in hoc ipso loco Talmudis illi numeratores, hoc est Masorethæ, vocentur à Talmudistis ראשנים *priores, prisci, antiqui.* Ergo Masorethæ diu ante tempora Talmudistarum vixerunt.

In Talmude fit mentio literarum majuscularum, minuscularum, inversarum, suspensarum, &c. Atqui Masora enumerat omnia illa loca, in quibus differentia harum literarum observatur: ergo Masora non demum est inventa à Tyberiensibus, qui post confectum Talmud vixisse dicuntur.

IV. *Posterior* sententia defendit Masoram esse conscriptam ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ, qui congregati fuerunt in concilio centum & viginti Virorum, quos Ezras convocavit ad restituenda & restauranda omnia, quæ ad ædificationem & conservationem ecclesiæ

Judaicæ faciebant. Et quia per Masoram sacra Scriptura optimè potuit conservari; ideo putant Ezram cum Viris illius concilii operam Masoræ dedisse, & literas, versus, aliaque numerasse & annotasse. De hoc collegio centum & viginti Virorum vide suprà in Dissertatione nona.

Hanc secundam sententiam ferè omnes Judæi defendunt; etiam Elias Levita hoc ex parte fatetur in Præfatione tertia, cum dicit: *Sententia multorum est, Ezram Scribam & concilium ejus fecisse Masoram.*

Accedit etiam consensus multorum Christianorum, qui statuunt Ezram cum Viris illius concilii hoc studium inchoasse, & magnam ejusdem partem confecisse. Sed quia negotium illud fuit difficile & laboriosum, nec unius tantum ætatis vel hominis; ideo successores varii post Ezram studium hoc continuarunt, & alia nondum observata observarunt.

Sed longo tempore studium hoc refriguit, & pœne extinctum fuit propter varias persequutiones, quas Judæi sæpissimè passi sunt. Verum circa sextum ferè sæculum post Christi nativitatem Tyberiade (ut referunt nonnulli) celebris doctorum Judæorum conventus convocatus fuit, qui collapsum Masoræ studium iterum restauravit: & propter illam restaurationem Elias Levita putavit illos Tyberienses fuisse primos Masoræ auctores. Sed nonnulli etiam in dubium vocant, an unquam Tyberiade talis Masoretharum Tyberiensium conventus convocatus fuerit. Ergo non potest certò probari, quod Masorethæ Tyberienses sint auctores Masoræ.

Ut ut sit, arbitror Masoram partim ab Ezra & à Viris Synagogæ magnæ, partim etiam ab aliis doctis Rabbinis vel Tyberiensibus, aliisve, qui post Ezram & deinceps per aliquot secula vixerunt, esse compositam.

V. Quia Masora est conscripta post solutam captivitatem Babylonicam, quando Judæi didicerant linguam Chaldaicam, ideo eadem, propter admixtas voces Chaldaicas, & propter varia ænigmatata, fere Chaldaica, Judæis vulgaribus & Christianis fuit intellectu difficilis, & fere inaccessa. Accedit quod Judæi Masoram sibi in scriniis suis conservarint, & rarissimè eam legendi veniam Christianis concesserint. Sed illam difficultatem sustulerunt Elias Levita & Buxtorfius. Ille in libro Hebraico *Massoreth Hammassoreth*, hic verò optime hoc præstitit in Tyberiade, in qua omnia Masoræ penetralia, quæ lecto-

lectores retardare possent, Latinè reseravit. Raritatem Masoræ sustulit Bombergus: nam ille per editionem Bibliorum magnorum cuilibet accessum ad Masoram concessit.

VI. Jam sequitur causa finalis Masoræ, de qua *quæritur*. In quem finem Masora est conscripta?

Respondeo. Finis Masoræ non est inutilis vel frustraneus, sed maxime necessarius. Masora enim est conscripta, ut genuina lectio semper conservaretur, neque ulli potestas daretur vel literas aut voces addendi, vel abjiciendi, vel etiam mutandi. Nam si aliquis sacrilegas suas manus in sacram Scripturam injecisset, ille statim ex Masora convinci poterat. Judæi vocant Masoram סְיָג לַתּוֹרָה *Sepem legis*; quia defendit legem sive sacram Scripturam à corruptione. Nam sicuti sepes hortum munit, ne ferarum vel furum invasioni pateat, ita Masora S. Scripturam defendit, ne à falsificis corrumpatur & depravetur. Aben Ezra in principio libri יסוד מורה hunc Masoræ finem etiam allegat, cum dicit: *Merces magna debetur Masorethis, quia sunt quasi custodes murorum civitatis: propter eos enim perstat Lex Domini, & libri sacri in formâ absque ullâ additione aut detractione*. Vide hunc locum Hebraicè citatum à Buxtorfio in Tiberiade Cap. 20. Sacra ergo Scriptura antiquis temporibus nec injuriâ temporis nec per malitiam Judæorum potuit corrumpi. Masora enim S. Scripturam à tali corruptione olim semper defendit. Verum hoc tempore Masora S. Scripturam ita nequit defendere; quia jam est corrupta, & dimidiâ parte mutila. Hinc Masora hoc tempore non potest esse certa & infallibilis regula veræ lectionis S. Scripturæ. Judæi olim & jam diu in exilio sub jugo aliorum habitarunt: & propterea Masoram suam tam nitidè & incorruptè conservare non potuerunt. Hinc tractu temporis magna Masoræ pars periit; & reliqua pars, quæ adhuc supererat, corruptionem talem passa est, ut non amplius regula incorruptibilitatis sacræ Scripturæ esse possit.

VII. Hactenus vidimus materiam, formam, causam efficientem & finalem Masoræ; & ex illis omnibus luce meridianâ clarius illucescit Masorethas hâc Masoræ scriptione nullo modo voluisse sacram Scripturam corrumpere, sed è contra eandem conservare. Nam literas, accentus, voces irregulares numerare, aliaque multa annotare, non est velle sacram Scripturam corrumpere: atqui hoc fecerunt Masorethæ, uti suprà latius probavimus. Abeant ergo omnes illi,

qui

qui statuunt Judæos datâ operâ unquam S. Scripturam vel corrupisse, vel unquam corrumpere voluisse. Sed eam Scripturæ integritatem & incorruptubilitatem infrà Dissertatione XXXIII. fusius probabimus.

ADDITAMENTUM
DE
Versiculis Veteris & Novi Testamenti.

SECTIO VIII.


T integritatem sacræ Scripturæ quoad Capita & Versiculos magis conservarem, placet hic post invicem adjungere numerum Capitum & Versiculorum totius Veteris Testamenti in genere, & singulorum librorum in specie ex. gr. Pentateuchus continet.

	Capita.	*Versiculos.*
Genesis	50.	1533.
Exodus	40.	1209.
Levit.	27.	859.
Numer.	36.	1288.
Deut.	34.	955.
	187.	5844.

Prophetæ anteriores habent

	Capita.	*Versiculos.*
Josua	24.	656.
Judic.	21.	618.
1 Sam.	31.	811.
2 Sam.	24.	695.
1 Reg.	22.	817.
2 Reg.	25.	719.
	147.	4316.

Prophetæ posteriores comprehendunt

	Capita.	*Versiculos.*
Jesaias	66.	1291.
Jerem.	52.	1364.
Ezech.	48.	1273.
Hosea	14.	197.
Joël	4.	73.
Amos	9.	146.
Obadja	1.	21.
Jona	4.	48.
Micha	7.	105.
Nahum	3.	47.
Habak.	3.	56.
Zeph.	3.	53.
Hagg.	2.	38.
Zach.	14.	211.
Malach.	3.	55.
	233.	4978.

Hagio-

Hagiographa continent

	Capita.	Versiculos.
Psalmi	150.	2527.
Proverb.	31.	915.
Job	42.	1070.
Cantic.	8.	117.
Ruth	4.	85.
Threni	5.	154.

	Capita.	Versiculos.
Eccles.	12.	222.
Esther	10.	167.
Dan.	12.	357.
Esra	10.	280.
Nehem.	13.	406.
1. Chron.	29.	942.
2. Chron.	36.	822.
	362.	8064.

IX. Ergo totum Vetus Test. continet Capita 929. & Versiculos 23202. Sed Masorethæ olim enumerarunt in toto Veteri T. versiculos 23206. Et quando numerum versiculorum, qui in fine singulorum librorum allegatur, colligimus, inveniuntur tantum versiculi 23100. Hinc colligimus eos, qui in fine librorum Hebraicorum numerum versiculorum expresserunt, graviter circa quosdam libros errasse.

X. In specie hæc circa numerum versiculorum Veteris Test. sunt consideranda. 1. Masora ait in Genesi inveniri versus 1534. quem tamen unicum versum, licèt adhibuerimus magnam diligentiam, non potuimus expiscari. Hinc eadem Masora enumerat in Pentateucho versiculos 5845. quum tamen nos tantum hoc tempore inveniamus versiculos 5844.

2. Vulgares Codices Hebræi, Latini, Belgici aliique in Josua enumerant versiculos 658. Sed Masora, Codices antiquiores & aliquot recentiores tantum recensent versus 656. Ejus rei rationes vide in Præfatione Bibliorum Hebraicorum A. 1667. editorum Cap. 2. §. 4.

3. Masora enumeravit versus duorum librorum Samuelis simul: nam illi libri olim non fuerunt divisi in duos libros. Idem etiam observavit in libris Regum, & in libris Chronicorum.

4. Circa finem Regum dicuntur in illis libris tantum contineri versiculos 1534. cum revera contineantur versiculi 1536.

5. Subscriptio Jesaiæ subjuncta adscribit ei versiculos 1295. quum revera jam tantum inveniantur versus 1291.

6. Masora librorum Esræ & Nehemiæ versiculos simul enumeravit, aitque in illis contineri versiculos 688. quum revera tantum contineantur versus 686.

7. In Chronicis inveniuntur simul versiculi 1764. sed subscriptio, illis libris subjuncta, assignat illis tantum versiculos 1656. Ergo est differentia centum & octo versuum.

8. Supputatio versiculorum, enumerata fere à Masorethis & fini Bibliorum addita, vel alia in ipsis Bibliis observata non in totum convenit cum illa versiculorum supputatione, quæ fini Concordantiarum Hebraicarum additur: ex. gr. Genesi assignantur etiam versiculi 1534.

Priori Samuelis libro versiculi 812. Posteriori verò 694.

Jesaiæ adscribuntur versiculi 1295. Jeremiæ 1365.

Danieli conceduntur versiculi 157. sed procul dubio est *error typographi*: nam in eo revera sunt versiculi 357.

Michæ verò 104. cum sint versiculi 105.

Jobo dantur versiculi 170. cum sint 1070. quod iterum errore typographi factum est.

Estheræ adscribuntur versiculi 166. cum sint 167.

Esræ & Nehemiæ 688. cum tantum inveniantur versiculi 686.

Chronicorum versiculi omittuntur.

XI. *Quæritur*: Quare numerus versiculorum in hodiernis Bibliis Hebraicis non exactè convenit cum antiquo numero Masoretharum?

Resp. 1. Illa differentia quatuor versiculorum totius Veteris Test. fortè hinc nata est: quia nonnulli quatuor versiculi olim in binos versiculos divisi, tractu temporis fuerunt conjuncti: adeo ut jam tantum inveniantur versiculi 23202. quum olim Masorethæ numerarint versiculos 23206. Sicuti è contra in Nova Versione Belgica duo versiculi, in Textu Hebraico jam conjuncti, inveniuntur divisi: ex. gr. Jesaiæ caput sexagesimum tertium continet versus 19. sed ex ultima parte hujus versiculi, incipientis ab his vocibus לוא קרעת שמים, faciunt Belgæ versum primum Capitis sequentis: & propterea caput 64 habet versiculos 12; cum in Textu Hebræo tantum sint undecim versiculi. Idem etiam factum est à Belgis in Capite septimo Nehemiæ vers. 73. ubi similiter posterior pars versiculi ultimi facit versum primum capitis octavi. Hinc hoc caput continet versiculos 19. cum in Textu Hebraico sint tantum versiculi octodecim. Hi vel similes quatuor versiculi olim in Textu Hebræo procul dubio fuerunt divisi.

2. Non mirum quod talis levicula confusio olim orta sit circa

ver-

versiculos Veteris Test. quum similis & major confusio nata sit circa multa Capita Veteris Testamenti. Accedit quod distinctio Capitum sit recens, & ante quingentos præter propter annos demum excogitata; cum sciamus versiculos Veteris Test. esse modò divisos ab ipsis auctoribus librorum. Vide talem Capitum confusionem 1 Chron. cap. 5. & 6. ubi caput 5. in Bibliis Hebraicis continet versiculos 41, & in Bibliis Belgicis tantum 26. E contra Caput sextum continet versus 66, sed in Belgicis comprehendit versiculos 81. Vide etiam Jobi Capita 38. & 39. &c.

3. Numerus versiculorum, in fine singulorum librorum jam expressus, fortasse non est additus ab ipsis Masorethis, sed à posterioribus Judæis, qui in adscribendo illo numero circa nonnullos libros erarunt,

XII. Occasione Capitum & versiculorum Veteris Test. addemus hic etiam summam Capitum & Versiculorum Novi Testamenti, quod continet.

	Capita.	*Versiculos.*
Matthæus	28.	1071.
Marcus	16.	678.
Lucas	24.	1151.
Johannes	21.	880.
Acta	28.	1006.
Ad Rom.	16.	434.
1. ad Cor.	16.	437.
2. ad Cor.	13.	256.
Ad Galat.	6.	149.
Ad Ephes.	6.	155.
Ad Philip.	4.	104.
Ad Col.	4.	95.
1. ad Thess.	5.	89.
2. ad Thess.	3.	47.
1. ad Tim.	6.	113.
2. ad Tim.	4.	83.
Ad Tit.	3.	46.
Ad Philem.	1.	25.
Ad Hebr.	13.	303.
Jacobi	5.	108.
1. Petr.	5.	105.
2. Petr.	3.	61.
1. Joh.	5.	105.
2. Joh.	1.	13.
3. Joh.	1.	15.
Judæ.	1.	25.
Apoc.	22.	405.

Capita totius Novi T. sunt 260.

Versiculi verò 7959.

XIII. Hæc distinctio versiculorum Novi Testamenti non est tantæ auctoritatis quantæ quidem est distinctio Veteris Testamenti. Nam

Nam distinctio versiculorum Veteris Test. est ab ipsis Auctoribus librorum, vel ad minimum ab Esra Propheta & à Viris Synagogæ magnæ; sed distinctio versiculorum Novi Testamenti est demum superiori seculo excogitata, & primum inventa à Roberto Stephano, Typographo Parisiensi, qui prima vice Novum T. cum distinctione versiculorum duobus voluminibus in forma minori edidit Anno 1551. Vide suprà in Philologo Hebræo pag. 4.

XIV. Hos 7959 versiculos Novi Test. olim ornatissimus D. ADAMUS ab HALEN, Roterodamensis, summa diligentia & indefesso labore numeravit, & ex illis, sub meo ductu, collegit versiculos 1900. in quibus omnes voces tam primitivæ quam derivativæ totius Novi Test. inveniuntur. Ergo qui illos versiculos 1900 diligenter perlegerit, intelliget totum Novum Test. quod Græcè edidi in minima forma anno 1675. In ea editione Ultrajectina Novi Test. Græci, illi supradicti 1900 versiculi stellulis sive notulis à cæteris versiculis 6059 sunt distincti, ut unusquisque primo intuitu illos versiculos conspicere, legere & evolvere possit: ex. gr. In Novo Test. sunt annotati tot versiculi:

In Matthæo	149	Ad Ephes.	43	Ad Hebr.	126
In Marco	115	Ad Philip.	43	Jacob.	48
In Luca	264	Ad Col.	34	1 Pet.	49
In Johanne	92	1 ad Tehess.	20	2 Pet.	32
In Actis	329	2 ad Thess.	10	1 Joh.	8
Ad Rom.	105	1 ad Tim.	55	2 Joh.	3
1 ad Cor.	86	2. ad Tim.	41	3. Joh.	4
2 ad Cor.	75	Ad Tit.	27	Jud.	11
Ad Gal.	36	Ad Philem.	7	Apoc.	88

Hi versus simul collecti faciunt versiculos 1900.

Hoc tempore habeo sub prelo Novum Testamentum Græcum, quod in minori & portatili forma in publicum emitto, in quo non tantum hi 1900 versiculi asteriscis erunt distincti, sed etiam omnes & singulæ voces semel aut sæpius in N. T. occurrentes, primo intuitu à quolibet Lectore conspicientur; quod hactenus à nemine est tentatum.

XV. Idem ratione versiculorum etiam tentatur circa Vetus Test. eumque in finem omnes modò Versiculi Veteris Test. sunt enumerati, atque differentia supputationis Masorethicæ & Biblicæ est suprà annotata. Nam tempore hujus secundæ editionis simili diligentia inquireba-

rebamus omnes versiculos totius Veteris T. in quibus non tantum omnes voces primitivæ sed etiam omnes voces derivativæ inveniuntur; quos jam tribus vicibus in lucem edidimus sub nomine *Compendii Biblici*; bis in forma, quæ vocatur duodecima, et anno 1685 in forma, quæ appellatur octava. In hac tertia editione omnes Radices & Voces in simplici forma, qualibet paginâ, subiiciuntur.

Rogabis forte: An tales versiculi Veteris Test. non modò sunt annotati & stellulis distincti in tribus Psalteriis, & in fine Manualis Hebræo-Latino-Belgici?

Resp. In Psalteriis quidem sunt annotatæ voces primitivæ & derivativæ in Psalmis occurrentes, sed in fine Manualis sunt tantum enumeratæ voces primitivæ, quæ in Psalmis non inveniuntur. Sed in tribus illis editionibus Compendii Biblici Vet. T. præter voces primitivas, etiam omnes voces derivatas annotavimus.

DISSERTATIO VIGESIMA-SEXTA, *DE* KABBALA & KABBALISTIS.

§. 1. *Lex Judaeorum est Scripta vel Oralis.*

2. *Lex Oralis iterum est Misna vel Kabbala.*

3. *Comparatio Legis Scriptæ, Misnæ & Kabbalæ instituitur.*

4. *Consideratio triplicis legis etiam exemplo illustratur.*

5. *Menasse docet quo tempore Moses hanc triplicem legem acceperit.*

6. *Explicatur vox* קבלה Kabbalæ.

7. *Ut & vox Kabbalistæ.*

8. *Kabbala est practica vel theoretica.*

9. *Describitur Kabbala practica, ejusque varia exempla allegantur.*

10. *Falsò ea adscribitur Christo, quasi per eam omnia sua miracula effecerit.*

11. *Describuntur quales sint qui Judaeos imitantur.*

12. *Kabbala theoretica definitur, ejusque tredecim species fusè enumerantur, & variis exemplis illustrantur.*

13. *Cognitio Kabbalæ judicatur à Judaeis insignis eruditio.*

14. *Differentia inter opus Masorethanum & Kabbalistarum ostenditur.*

15. *Moses non est primus auctor Kabbalæ, nec Esras, nec Prophetæ sunt ejus continuatores & propagatores: sed ejus auctores & propagatores sunt superstitiosi quidam Judaei.*

16. *Varii fines Kabbalæ theoreticæ & practicæ, tum respectu Judaeorum, tum etiam respectu Christianorum demonstrantur. Tota Kabbala, licet Judaei eam magni faciant, est nugatoria, & merum inventum humanum.*

SECTIO I.



Ex Judæorum, ſecundùm quam vitam inſtituunt, eſt duplex; Scripta ſcilicet & Oralis: illam vocant תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב *Legem, quæ in ſcripto eſt*, ſive Legem Scriptam; hanc vero תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה *Legem, quæ per os*, ſupple tradita eſt, ſive *Legem Oralem*.

Lex Scripta continet quinque libros Moſis; ſed Lex Oralis comprehendit traditiones, quas Deus, ſecundùm ſententiam Judæorum, Moſi in monte Sinai tradidit.

II. Judæi dividunt Legem Oralem in duas partes, ſcil. in *Miſnam* & Kabbalam.

Miſna continet penitiorem explicationem ceremoniarum & præceptorum, quorum tantum obiter in Lege Scripta facta eſt mentio. Miſna ergo eſt quaſi plenior commentarius rerum in S. Scriptura non ſatis explicatarum; has res obiter tantum in Scriptura explicatas Miſna clarius ſuo more explicat. Hæc oretenus fuit conſervata à temporibus Moſis uſque ad annum centeſimum & quinquageſimum poſt nativitatem Chriſti. Tum enim Rabbi Jehuda varias ſchedulas collegit, in quibus nonnulli quædam memoriæ cauſa annotaverant; & ex illis annotatis dictus Rabbi Jehuda compoſuit Legem Oralem, quæ jam משניות *Miſna* nominatur.

Altera Legis Oralis pars eſt *Kabbala*, quæ eſt ſcientia occulta incumbens indagandis altiſſimis Legis Scriptæ myſteriis, quæ vocibus, literis, punctis & accentibus Hebraicis continentur.

III. Primi, qui ſolummodo *Legem Scriptam* conſiderant, vocantur homines ſtupidi: quia tantum verſantur circa externum corticem, hoc eſt, circa hiſtoriam earum rerum, quæ in libris Moſis deſcribuntur.

Illi, qui *Miſnæ* operam dant, majoris æſtimantur à Judæis; & comparantur Apothecariis, qui, potiones & medicamenta ſua ex variis ſimplicibus parantes, cum vires eorum ipſi ignorent, tantum præſcriptum Medicorum ſequuntur.

Ultimi & omnium præſtantiſſimi, quique hos duos præcedentes longe ſuperant, ſunt Kabbalæ ſtudioſi, ſive *Kabbaliſtæ*. Hi Medicis ſimiles ſunt, qui cauſas & rationes eorum, quæ Apothecariis paranda dederunt, apprimè noverunt.

IV. Exem-

IV. Exemplo res fiet clarior. Menasse ben Israël in Conciliatore pag. 169. adfert exemplum, quo triplicem hanc considerationem Legis illustrat. Deus *Deut.* 6. 8. mandat טוטפות, hoc est, Deus jubet, ex sententiâ Judæorum, ut *Tephillin* sive *Phylacteria* inter oculos ponantur, & ut in signum manibus alligentur: *Alligabis ea in signum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Ut hoc obiter moneam, omnes Judæi hoc præceptum de Phylacteriis induendis literaliter explicant; nos vero è contra illud præceptum de Phylacteriis induendis sic explicamus: illa, quæ ego præcipio tibi, ita semper versentur ob oculos tuos, ac si Phylacteria & frontalia essent. Vide plura de Phylacteriis capitis & manuum apud Buxtorfium in Synagoga cap. 9. Hoc mandatum ita literaliter propositum pertinet ad Legem Scriptam.

Sed in Lege Scripta non explicatur, quid propriè sint Tephillin; aut quid propriè significet vocabulum טוטפות; aut ex quali materiâ, ut quali formâ debeant fieri; & quo in loco ante frontem & in brachio poni: ideo *Misnam* sive primam partem Legis Oralis necessariam esse idem Menasse statuit. In Lege enim Orali explicatur ex quali corio, & quali formâ debeant componi; qui Textus S. Scripturæ in ea debeant recondi; quod requirantur quatuor capsulæ, quarum singulis includendæ sunt membranulæ, textibus quibusdam S. Scripturæ consignatæ.

Hæc poterant jam sufficere, sed homines curiosi solent rationes horum omnium indagare; Quare Deus hoc præceptum de Phylacteriis dederit? Quare eadem tantum conficiantur ex corio nigro, & non ex corio alterius coloris? Quare in Phylacterio, quod capiti alligatur, sint quatuor capsulæ; cum in Phylacterio manui alligari solito tantum sit unica capsula? Et quæ mysteria sub his omnibus lateant? Omnium harum rerum rationes investigare pertinet ad *Kabbalam & Kabbalistas.*

V. Judæi plerique arbitrantur has tres Leges in monte Sinai à Deo Mosi esse traditas quadraginta illis diebus, quibus in monte Sinai morabatur. Sed Menasse ben Israel, quia judicat tempus illud nimis breve esse, putat Mosen ter quadraginta dies in monte Sinai commoratum fuisse ad triplex hoc studium discendum, & cuilibet studio quadraginta dies impendisse. Quo ordine? Moses primis quadraginta diebus didicisset Legem Scriptam; sequentibus quadraginta diebus

bus *Misnam*; ultimis vero Kabbalam, quæ à Judæis vocatur *anima animæ*. Hæc hoc in loco ita obiter illustrata sufficiant, postea quid sit Kabbala magis illucescet, quando species ejus enumeraverimus.

VI. Antequam ad divisionem & species Kabbalæ descendamus, ante omnia inquirendum est, quid significet nomen. *Quæritur* igitur *primò*: Quid significat Kabbala?

Respondeo. Kabbala, Hebraicè קַבָּלָה, significat *acceptionem* sive *receptionem*; estque vox origine Hebraica, descendens à verbo קִבֵּל *accepit*; & significat doctrinam, quam Moses à Deo in monte Sinai accepit. Ejus correlatum est Masora sive Traditio; quia quod Deus Mosi tradidit, hoc Moses à Deo accepit.

VII. Auctores, qui Kabbalam tractarunt, vocantur *Kabbalistæ*. Kabbalista igitur est nomen appellativum & non proprium. Errarunt ergo omnes illi, qui putarunt nomen Kabbalistæ esse nomen proprium, vel qui aliena ipsis adscripserunt.

1. Sunt nonnulli qui crediderunt Kabbalistas non esse homines, sed hircocervos, centauros, vel monstruosa quædam animalia.

2. Sunt alii qui putarunt Kabbalam fuisse hominem perfidum & diabolicum, qui multùm contra Christum scripsisset; & quod sequaces ejus inde vocati fuissent Kabbalistæ; sicut à Scoto sequaces vocantur Scotistæ, & à Thomâ Thomistæ.

3. Etiam hallucinati sunt, qui crediderunt Kabballam fuisse vetulam veneficiis deditam, à quâ, eidem arti operam dantes, vocatæ fuissent Kabbalistæ. Nos his nugis rejectis ad veræ Kabbalæ, prout ea consideratur à Judæis, species descendemus.

VIII. *Secundò quæritur*. Quomodo Kabbala dividitur?

Respondeo. Kabbala dividitur in duas species, in *Practicam* scilicet & *Theoreticam*.

I. *De Kabbala Practica.*

IX. Kâbbala *Practica* est ars Magica sive Diabolica, quâ Judæi miracula sive potius miranda quædam efficere conantur. Talis enim Kabbala agit de Diabolis pellendis per literas aliquas, vel collo appensas, vel pronuntiatas; etiam agit de incantationibus Diabolicis; & de multis aliis rebus in benè constitutâ republicâ non permittendis: est enim Magica & Diabolica, conjuncta cum verbi Divini horrendâ prophanatione. Judæi hodierni negant se exercere hanc diabolicam

Kab-

Kabbalam. Ut ut sit, saltem antiqui Judæi sæpe ei operam dederunt, uti clarè ex libris ipsorum apparet.

Hottingerus in Thesauro Philol. *pag.* 444. & seqq. adfert exempla Magiæ Practicæ ex libro Schalsch. Hakkab. Auctor illius libri narrat historiam de sene aliquo, qui ob suspicionem scortationis comburendus educebatur. Quum hunc senem in ignem projicere putarent, ipsemet beneficio Kabbalæ Practicæ ita se permutavit, ut loco ejus asinum in ignem projicerent, & ipsemet ex manibus ipsorum liber evaderet.

Etiam superiori historiæ adscribitur alia de Rabbi Mose bar Nachman, aliàs vocato Ramban, qui voce JEHOVA nominatâ Barzilonæ coram Rege grandem navem in mare deduxit, quæ antea à multis hominibus in mare deduci non poterat.

Myllerus in Rabbinismo pag. 1453. duorum Judæorum facit mentionem, quorum alter beneficio hujus Kabbalæ extinxit incendium, alter vero curavit febrim.

X. Judæi nonnulli etiam Christo hanc Kabbalam Practicam adscribunt. Nos, Deitatem Christi contra Judæos probantes, utimur inter cætera argumento ab operibus sive miraculis desumpto. Judæi non audent negare miracula Christi; sed ajunt Eum omnia illa miracula fecisse per nomen JEHOVA, cujus rectam pronuntiationem solus tum temporis scivit. A quo, quæso, & Ubinam Christus illam rectam pronuntiationem nominis JEHOVA didicisset? Respondent Christum quodam tempore intrasse Templum, ibidemque illud nomen alicubi scriptum vidisse. Quod nomen, cum vidisset Christus, inscripsit membranæ, & in vulnere pedis, eum in finem facto, posuit. Multi quidem eo tempore intrarunt Templum, sed tali astutiâ non fuerunt usi: legerunt quidem illud nomen, sed propter horrendum rugitum leonum, sive latratum duorum canum, duabus columnis ferreis ante januam positorum, hæc pronuntiatio è memoriâ semper fuit delata. Omnes intrantes facilè quidem potuissent illud nomen in chartulâ quâdam scripsisse, sed non licitum fuit aliquid ex Templo portare; ideoque hodierni putant antiquos Judæos nulla miracula patrare potuisse. Vide hanc fabulam in Lexico Talmudico Buxtorfii p. 2541. Judæi referunt Christum stetisse coram Reginâ Helenâ, & dixisse, possum mortuos excitare. Judæi jusserunt Judam Iscariotem etiam intrare Templum, ut simili modo illam pronuntiationem

tionem disceret. Christus postea coram eodem illo Judâ gloriatus fuisset quod miracula efficere, & quod volando in aërem ascendere posset. Quod, cum Christus per aëra volaret, & Judas volando eum sequeretur, rixæ ortæ fuerint inter Christum & Judam. Ajunt quod Judas Christum percusserit; adeo ut ceciderit, & brachium suum fregerit. Hanc horrendam Judæorum fabulam sive potius blasphemiam detestamur, & pernegamus Christum unquam tali diabolicæ arti operam dedisse.

XI. Hanc Kabbalam *Practicam* sequuntur illi, qui per literas, vel per nomina quædam collo vel supra januas suspensa se contra pestem, contra bellum, contra Diabolum, & contra alia mala defendere volunt; vel qui putant se morbum herculeum aliosque morbos sanare posse pronuntiando vel insusurrando clanculum in aurem nomen Jehova. Etiam hujus Kabbalæ participes sunt, qui per Euangelium Johannis miracula quædam efficere tentant. Sed omnes, sive sint Judæi, sive Christiani deridendi & exsibilandi potius sunt quàm rationibus refutandi, qui literis aut vocibus ullam physicam vim vel morbos sanandi vel diabolum pellendi adscribunt.

II. *De Kabbala Theoretica.*

XII. Jam porro sequitur consideranda Kabbala *Theoretica*, quæ est acuta inventio, quâ ex literis transpositis, vel in numerum resolutis, aliisve modis mutatis, vel ex vocibus, ex punctis, aut ex accentibus musicis mysteria quædam eliciuntur. Hæc Kabbala Theoretica sub se varias habet species. Menasse in Conciliatore, quæst. ult. in Exodum hujus Kabbalæ Theoreticæ tredecim enumerat species; alii tamen pauciores species, scil. tres vel quatuor, utpote celebriores, tantum solent enumerare. Nos hic omnes tredecim species dabimus, & ostendemus quomodo mysteria ex S. Scriptura per singulas species eliciantur.

Prima species Kabbalæ Theoreticæ vocatur גִּימַטְרִיָּא *Gematria*; estque vox origine Græca: Græcè enim dicitur γεωμετρία. Sed Gematria hìc in latiori significatione sumitur: nam hìc denotat primariò & præcipuè Arithmeticam, sed secundariò etiam Geometriam, hoc est, dimensiones ædificiorum sacrorum, ut arcæ, tarbernaculi, &c. Hæc igitur Kabbalæ species, quæ Geometria vocatur, duos habet modos.

Prior

Prior modus Gematriæ est, quo diversæ voces eundem numerum literis suis exprimunt, ut una per aliam explicetur. Fundamentum hujus speciei est: quia literæ Hebraicæ in numeros resolvi possunt: ideo Kabbalistæ alios sensus ex vocibus, in numeris cum aliis vocibus convenientibus, elicuerunt:

Exempli gratia: Geneseos cap. 1. v. 1. occurrit vox בְּרֵאשִׁית, ex quâ per Gematriam probant, quod Deus mundum creaverit *in lege*: nam voces בְּתוֹרָה יָצַר *in lege formavit* & vox בראשית *in principio* eundem numerum, scil. 913, exprimunt. Hinc Judæi per Kabbalam eliciunt, mundum *in lege* esse formatum.

Hic modus etiam valet in pluribus vocibus conjunctis: ex. gr. Kabbalistæ ex primis duabus vocibus Pentateuchi, בְּרֵאשִׁית בָּרָא *in principio creavit*, probant mundum in principio anni, olim à Septembri inchoati, esse creatum; quia in vocibus בראש השנה נברא *In principio anni creatus est* & in his duabus primis vocibus idem numerus ubique exprimitur, scil. 1116. Ergo ex בראשית ברא *in principio creavit*, probatur mundum in principio anni, hoc est, in Septembri esse creatum.

Similiter per hanc speciem quærunt: Quare Vetus T. incipiat à litera ב *Beth*? Quum ב in numero significet duo, ajunt Mosen denotasse duplicem Legem, Scriptam scil. & Oralem. Alii volunt Mosen respexisse ad duplicem mundum, scil. ad עוֹלָם הַזֶּה *Mundum hunc*, in quo jam vivimus, & ad עוֹלָם הַבָּא *mundum futurum*. Qualis mundus denotatur per עולם הבא *mundum futurum*? *Resp.* Mundus futurus temporibus futuri Judæorum Messiæ, & mundus gloriosus post hanc vitam in cœlo.

Hæc species Kabbalæ etiam ad alias linguas emanavit. Apocalypseos cap. 13. v. 18. fit mentio bestiæ, cujus numerus est 666. Irenæus vocem λατεῖνος huc applicavit; quia in hac Græcâ voce idem numerus exprimitur.

Posterior modus Gematriæ versatur circa dimensiones sacrorum ædificiorum, ut arcæ, tabernaculi, altaris, templi &c. Sacra Scriptura perfectè recenset quantitates plerarumque fabricarum, scil. earum longitudinem, altitudinem, & profunditatem; sed S. Scriptura hoc non videtur frustra fecisse: ergo sunt quædem rationes, ob quas sacra illa ædificia sunt tantæ, & non majoris vel minoris quantitatis. Rationes illarum quantitatum inquirere pertinet ad Kabbalam; ideoque

Kabbalistæ quantitates illas metiuntur, & numeros vel subtrahunt, vel multiplicant, vel etiam dividunt:

Exemplo hunc posteriorem modum Gematriæ illustrabimus: *Genes.* 6. 15. Arca Noachi dicitur 300 cubitos longa, 50 cubitos lata, & 30 alta fuisse. Hinc quidam Kabbalistæ occultè Christianizantes probant nomen Jesu. Kabbalista primò longitudinem 300 cubitorum dividit per altitudinem 30. & prodeunt decem, qui numerus designat *Jod*. Huic *Jod* adjungatur longitudo 300, denotans *Schin*. Tandem longitudo 300 dividatur per latitudinem 50, & emergunt *sex*, hoc est, *Vau*. Hæ tres literæ simul conjunctæ denotant ישו *Jesu*, nomen Messiæ nostri. Judæi solent in contemptum Christianorum pro ישׁוּעַ scribere ישו *Jesu*. Hæc de primâ specie dicta sufficiant. Vide plura in Bechin. Happer. Schickardi pag. 65.

Secunda species Kabbalæ appellatur נוֹטָרִיקוֹן *Notarikon*; quando ex singulis vocabuli alicujus significativi literis totidem aliæ dictiones formantur: ex. gr. Literæ vocis מַכַּבִּי *Macchabæi* possunt resolvi in totidem integras voces, quæ singulæ incipiunt à literis nominis מכבי, scil. in מִי כָמוֹךָ בָּאֵלִים יְהוָה *Quis sicut tu inter Deos ô* JEHOVA?

Quidam ex Christianis allegoricè Trinitatem conati fuerunt probare ex verbo בָּרָא *Creavit*, *Genes.* 1. 1. nam in eo verbo sunt tres literæ, quarum prima ב denotat בֵּן *Filium*, secunda רוּחַ *Spiritum S.* & ultima אָב *Patrem*. Socinianus Enjedinus risu hanc Kabbalam & meritò explodit, sed sceleratè aliam Kabbalam elicit, scil. ex ב facit בליעל *Belial*, *sceleratus*; ex ר efficit ראש *caput*, *princeps*; & ex א format אתה *tu*, hoc est, *Tu es caput* sive *princeps sceleratorum*.

Hæc species etiam in lingua Latina brevitatis ergo usurpatur: ex. gr. Literæ J. U. D. denotant *Juris Utriusque Doctorem*; Literæ L. A. M. indigitant *Liberalium Artium Magistrum*. Per literas S. P. Q. R. varia possunt denotari, scil. vel *Senatus populusque Romanus*. Vel, *Serva populum quem redemisti*. Venerabilis Beda, cum Romam ingrederetur, legebat, *Stultus populus quærit Romam*. A nonnullis per interrogationem de Papa Romano explicatur, *Sancte pater, quare rides*? Quibus ille retrogradam responsionem dat, *Rideo, quia Papa sum*.

Per hanc eandem speciem unum vocabulum etiam in duo dividitur: ex. gr. Nomen בראשית potest in duo vocabula dividi, scil. in ברא & שית *Creavit sex*. Ergo vox בראשית denotat vel sex dies creationis vel sex extrema mundi, scil. summum, imum, & quatuor latera.

Hæc

Hæc eadem ſpecies etiam locum habet in linguâ Latinâ; ſcil. quando voces ſimplices *ſummus, terminus*, *magiſter* dividuntur in voces diviſas, nempe in *Sum mus*, *ter minus*, *& magis ter*.

Tertia ſpecies nominatur תְּמוּרָה *Permutatio*; & fit, quando una Alphabeti litera ſumitur pro alia: ex. gr. ת pro א, vel א pro ת, vel ש pro ב, & ſic deinceps per totum alphabetum. Judæi ſolent tali modo integros libros transferre. Cl. Hottingerus ait ſe totum Pentateuchum ita tranſlatum poſſidere.

Menaſſe ben Iſrael hanc ſpeciem probat ex *Jerem.* 25. 26. ubi Propheta, ne irritaret Regem Babel, eum vocavit *Regem* שֵׁשַׁךְ pro בבל, ſumendo literas ש pro ב, & ך pro ל; ſcil. per modum qui vocatur אתבש *athbaſch*, nempe quando literæ alphabeti inverſo ordine recenſentur, hoc eſt, quando ת ſignificat literam א, ש literam ב, & ר literam ג, atque ſic deinceps.

Nonnulli putant Sapientes Babyloniæ propterea non potuiſſe legere verba parieti adſcripta, *Danielis cap.* 5. quia eadem judicantur hoc modo fuiſſe ſcripta.

Ut ut ſit, hæc ſpecies Kabbalæ non tantum eſt uſitata in linguâ Hebræâ, ſed etiam in lingua Belgica & Latina; & præcipuè in literis, quibus ſecreta quædam tranſcribuntur. Nemo talem ſcripturam legere poteſt, niſi ſciat qualem literam Scriptor ſumpſerit pro A, aut unde literas alphabeti numerare inceperit. Multi modi ita occultè ſcribendi pro cujuſque ingenio & induſtriâ poſſunt formari: nam prima alphabeti litera poteſt eſſe B, C, D, E, vel alia quæcunque litera.

Quarta ſpecies Kabbalæ appellatur צֵירוּף *Ziruph*, hoc eſt, *combinatio*; eſtque, quando ex alicujus vocis conſonantibus per Metatheſin tranſpoſitis, aliterque coagmentatis, nova dictio ſignificativa exurgit:

Ex. gr. Kabbaliſtæ *Geneſ.* 1. 1. ex voce בראשית *in principio* probant mundum creatum eſſe primo die Septembris; quia ex hâc voce Hebraícâ per Metatheſin formatur alia dictio, ſcil. א בתשרי, hoc eſt, *primo Septembris*, ſcil. mundus creatus eſt.

Similiter ex verbo ישמח *lætabitur* fit משיח *Meſſias* per Metatheſin.

Græci & nonnulli Latini hâc in parte Judæos nonnunquam ſunt imitati: ſic ex *Julius* formarunt *Livius*; ex *Roma Maro*; ex *Corpus porcus*; *Corpus Juris* poteſt transformari in *porcus viris*: nam eædem literæ continentur in his vocibus, quæ ita invicem tranſmutantur.

Quinta species vocatur צורה *Zura*, hoc est, *forma* aut *figura*. Hæc species argumentatur ex figuris sive formis characterum. Per hanc speciem quærunt; Quare literæ א, ב, ג &c. talem habeant figuram, & non aliam? Omnium harum figurarum Kabbalistæ dant rationes.

Quærunt: Quare Vetus T. incipiat à ב, sive à literâ, quæ talem habet figuram & non aliam? *Respondent*: Quia ב habet apicem supernè respicientem. Si quis ergo quærat ex ב, quis te creavit? Respondebit, qui apice literæ ב denotatur, scil. Deus habitans in cœlis.

Menasse ex primâ illa literâ ב aliud quid probat, scil. Deum, qui mundum creavit, esse unicum; & quidem tali modo: Litera ב continet tres lineas, hoc est, tres quasi literas *Vau*. Litera Vau, si plenè scribatur, scil. ואו *Vau*, valet in numero tredecim. Si tredecim triplicetur (nam in ב sunt quasi tres literæ Vau) exurgent triginta novem; qui numerus etiam continetur in vocibus יהוה אחד. Ergo secundùm Menasse propterea Lex incipit à litera ב habente tria *Vau*, quia Deus suam unitatem voluit indicare. Sed tœdet & pudet tales nugas Judæorum referre; ex illis nihilominus iidem sua dogmata eliciunt & confirmant.

Idem Menasse in Conciliatore in Exod. pag. 172. ait: *Sane ipsa ratio dictare videtur, characterum formas, à supremo Artifice repertas, mysteria continere.* Sed deplorandum est, homines aliàs in sacris literis versatissimos, tempus suum in talibus nugis terere.

Hinc etiam, quia ex figura literarum mysteria quærunt, solent in libris MSS. ut in Pentateuchis, in Phylacteriis, & in Mezuzoth literam ח scribere cum gibbo supernè respiciente, & literam פ contortam, quasi duplicatam.

Quæritur de causis, ob quas Judæi literas ח & פ tali modo soleant describere?

Resp. 1. Judæi de litera ח hanc dant rationem: quia ea litera est prima litera vocis חי *viventis*. Ideo illa litera debet coronari gibbo ascendente, qui denotat Deum viventem in excelsiori loco mundi sive in cœlo habitare.

2. Litera פ pingitur contorta, & quasi duplicata: quia פ est una ex literis vocis תְּפִלָּה denotantis *orationem, precationem*; ad indicandum quod cor nostrum debeat esse contortum & contritum inter orandum. Vide Hackspannum de Kabbala Judaica pag. 310. ubi sic ait: *Pe plus justo incurvatur, seclusis apicibus*, לזכר לך שבכל תפלה שאין כח

בח לב נשבר ונדכה ורוח כפוף אינה רצויה h. e. *ut moneat te, preces, quibus cor fractum & contritum, Spiritusque incurvatus non est conjunctus, Deo gratas non esse.* Quare פ magis pingitur contortum, quàm ullæ aliæ literæ vocis תפלה? *Resp.* Procul dubio quia פ est prima litera Radicis פלל, à qua descendit תפלה, cum literæ ת & ה sint serviles & addititiæ.

Sexta species versatur circa רָאשֵׁי תֵיבוֹת וְסוֹפֵי תֵיבוֹת circa *Principia verborum & circa fines verborum*, vel nonnunquam etiam circa תּוֹכֵי תֵיבוֹת *media verborum*. Hæc species elicit alias voces vel ex literis vocum initialibus, vel ex finalibus, vel nonnunquam etiam ex literis intermediis.

Ex. gr. *Deut.* 30. 12. dicitur מי יעלה לנו השמימה *Quis faciet ascendere nos in cœlum?* Quatuor literæ initiales in his quatuor vocibus constituunt מִילָה *circumcisionem*; & quatuor literæ finales earundem vocum formant יהוה Jehova. Hæc verba ergo ex sententiâ Judæorum continent & quæstionem & responsionem. Quæstio est: Quis nos evehet in cœlum? Respondetur Kabbalisticè per hanc speciem, Jehova *per circumcisionem*. Hæ literæ sive initiales sive finales, vocem aliquam denotantes, à Kabbalistis solent notari accentu Sægolta, hoc est, tribus punctis tali modo ∴; ut lectores certi essent, utrum ex initialibus, an verò ex finalibus literis aliæ voces formentur.

Septima species Kabbalæ Theoreticæ est חָסֵר וְמָלֵא *defectivum & plenum.* In Textu Hebraico sæpissimè voces quædam scribuntur defectivè sine *Vau* vel sine *Jod*; quæ literæ secundùm regulas generales in illis vocibus regulariter requiruntur. Quando ergo in quibusdam locis illæ literæ desunt, quum in aliis omnibus locis adsint, tum rationes talis defectus expiscantur Kabbalistæ; scil. quare uno in loco addatur *Vau*, & in alio loco illud omittatur; quare in uno loco vox scribatur plenè cum litera *Vau* vel *Jod*, & in alio loco illud *Jod* vel *Vau* omittatur.

Ex. gr. אֱלֹהֵי *Deus* in Regimine semper defectivè, hoc est, sine *Vau* scribitur; sed excipitur unicus locus, annotatus à Masorethis, ubi אלוהי in Regimine scribitur plenè cum literâ *Vau*, scil. *Psal.* 18. 47.

Præterea eadem vox cum affixis semper etiam defectivè scribitur, exceptis duobus locis, scil. *Psal.* 143. 10. & 145. 1. in quibus *Vau* additur: ibi enim scribitur אֱלוֹהַי, & hic אֱלוֹהַי *Deus meus*. Kabbalistæ horum omnium dant vel fingunt quasdam rationes, ob

quas

quas in tam paucis locis fit talis exceptio à communi regula.

Octava ſpecies appellatur סְתוּמוֹת וּפְתוּחוֹת *clauſa & aperta*. Hæc ſpecies conſiderat literas ם & פ, paſſim in Pentateucho occurrentes: פ eſt prima litera vocis פְּתוּחָה *aperta*, & ם vocis סְתוּמָה *clauſa*. Kabbaliſtæ inquirunt, & dant rationes, ob quas in quibuſdam locis Pentateuchi occurrat פ vel ם. Literæ illæ פ & ם non ſunt in Pentateucho ab ipſis Auctoribus librorum, ſed à poſterioribus quibuſdam Judæis adſcriptæ. Ergo myſteria, quæ ex literis פ aut ם eliciuntur, non ſunt intenta à ſacris Scriptoribus, ſed tantum à curioſis quibuſdam Judæis.

Similiter totus Pentateuchus dividitur in 54. Sectiones majores, quarum ſingulæ tribus literis פפפ vel tribus ססס diſtinguuntur, exceptâ ultimâ ſectione Geneſeos, quæ incipit *cap.* 47. *verſ.* 28. ad hæc verba, ויחי יעקב *& vixit Jacob*. Hæc ſola ſectio major diſtinguitur vel unicâ literâ ם, vel tantum ſpatio vacuo. Ejus irregularitatis cauſam inveſtigarunt Kabbaliſtæ per hanc ſpeciem Kabbalæ.

Ad hanc ſpeciem etiam pertinent hiatus ſive ſpatia vacua, quæ in medio viginti ſeptem verſuum Hebraicorum inveniuntur. Senſus S. Scripturæ aliquando videtur eſſe hiulcus & mancus in medio illorum verſuum, quos Maſorethæ enumerarunt; ſed Kabbaliſtæ rationes perſcrutati ſunt, quare hæc ita ſeſe habeant: ex. gr. *Geneſ.* 35. 22. relinquitur ſpatium in medio verſu, in quo ſcribitur circulus, qui denotat ibi verba quædam eſſe ſubintelligenda. Kabbaliſta hujus rei rationem dat.

Huc etiam pertinet, quod *Ieſ.* 9. 7. occurrat ם finale in mediâ voce לםרבה, & *Neh.* 2. 13. מ intermedium in fine vocis המ. Horum omnium rationes inveſtigare pertinet ad Kabbalam & Kabbaliſtas.

Nona ſpecies comprehendit קְרִי וְלָא כְתִיב , כְּתִיב וְלָא קְרִי, hoc eſt, *legitur nec ſcriptum eſt*, *ſcriptum eſt nec legitur*. Ut hæc Kabbalæ ſpecies clarius intelligatur, ſciendum eſt in Textu Hebræo nonnunquam vocales occurrere ſine conſonantibus, & è contra aliquando conſonantes ſine vocalibus.

Rabbini puncta ſine conſonantibus vocant קרי ולא כתיב *legitur & non ſcribitur*, hoc eſt, eo in loco, ubi vocales ſunt expreſſæ, legitur vox, quæ tamen in Textu non eſt ſcripta: ex. gr. *Judic.* 20. 13. occurrunt *Scheva* & *Tzere*, quæ denotant ex judicio Maſoretharum בני *filii*.

E contra Rabbini conſonantes vocalibus deſtitutas vocant כתיב

ולא

ולא קרי *scriptum & non legitur*, hoc est, vox illa, etiamsi in Textu occurrat, non tamen legitur; quia caret vocalibus: ex. gr. *Jerem.* 51. 3. occurrit verbum ידרך sine vocalibus, quod in legendo omittendum esse judicarunt Masorethæ. Horum omnium causas & rationes investigare, quare quibusdam in locis tantum vocales inveniantur, in aliis vero locis tantum consonæ, pertinet ad Kabbalistas: nam illi nihil ignorant, vel saltem nihil volunt ignorare.

Decima species Kabbalæ continet אוֹתִיּוֹת קְטַנּוֹת וּגְדוֹלוֹת *Literas parvas & magnas.* In Veteri T. Hebraico occurrunt fere triginta tres literæ cæteris multo minores, & circiter triginta cæteris multo majores: ex. gr. *Genes.* 2. 4. in voce בהבראם litera ה est multo minor, quàm aliis in locis: è contra *Deut.* 32. 6. eadem litera in voce הליהוה est multo major. Imo totum Alphabetum literarum minuscularum & majuscularum invenitur in Veteri T. quas retrò in Dissert, 10. enumeravimus. Kabbalistarum officium est inquirere rationes, quare literæ quædam Alphabeti in uno loco minori vel majori formâ describantur, quàm in aliis locis.

Huc etiam pertinent quatuor literæ suspensæ & novem inversę: ex, gr. *Psal.* 80. 14. in voce מיער litera ע est suspensa supra alias literas; & *Numer.* 10. 35. in verbo בנסע litera *Nun* in quibusdam codicibus ut litera inversa pingitur. Masorethę posteriores invenerunt has literas ita esse descriptas; sed Kabbalistę rationes inquisiverunt, ob quas hę literę tali diversâ figurâ in quibusdam locis scriptę inveniantur.

Undecima species vocatur חִלּוּף *variatio*; estque, quando una litera scribitur pro alia: ex. gr. *Deut.* 21. 7. est verbum שָׁפְכָה *effuderunt*, quod in fine habet *He* loco *Vau.*

Similiter *Gen.* 13. 2. est nomen אהלה *tentorium ejus*, ubi juxta regulas Grammaticę scribendum esset אהלו cum Vau. Horum rationes inquirunt Kabbalistę.

Duodecima species considerat נְקוּדוֹת *puncta*: estque, quando mysteria quęruntur ex punctis. Quando vox aliqua irregulariter punctata est, ejus irregularis punctationis rationes inquirit Kabbalista. Ex. gr. Jehova communiter notatur cum Scheva in principio, & cum Kametz in fine; sed in quamplurimis locis aliter scribitur, scil. cum Chateph Sęgol in principio, & cum Chirek in fine, tali modo יֱהוִה. Hęc irregularis punctatio cadit sub censuram Kabbalistarum.

Ad hanc speciem etiam pertinent quindecim voces supernè variis

punctis ornatæ, quæ nec vocales nec accentus sunt: Ex. gr. *Genes. cap.* 16. *v.* 5. & cap. 18. v. 9. & cap. 33. v. 4. ut & *Deut.* cap. 29. v. 29. & in aliis locis quædam puncta vocibus supernè imponuntur. Kabbalistæ dant rationes, ob quas illæ quindecim voces & non aliæ ita punctatæ sint. Vide de vocibus punctatis suprà Dissertationem 22.

Decima Tertia & ultima species Kabbalæ Theoreticæ continet טעמים *accentus*, scil. irregulares, quales aliis in locis regulariter non inveniuntur. Nonnulli accentus in linguâ Hebræâ distinguunt sententias, sed quibusdam in locis iidem sententias non distinguunt: ergo à Kabbalistis excogitata est ratio, quare accentus illi uno in loco distinguant, & non ita alio in loco.

Ex. gr. *Genes.* 1. 1. accentus Athnach sub nomine divino אלהים, denotans Colon, jam non distinguit, cum aliàs soleat distinguere.

Similiter *Numer.* 27. 3. filiæ Zelophad dixerunt אבינו מת במדבר *pater noster mortuus est in deserto.* Vox אבינו habet accentum Zarka, qui solet distinguere à sequentibus; sed hoc in loco nullam efficit distinctionem. Rationes hujus irregularitatis investigant Kabbalistæ.

Præterea singulæ voces Hebraicæ per tota Biblia communiter tantum unico accentu tonico notantur; sed excipitur Decalogus, in quo quamplurimæ dictiones duobus accentibus tonicis notatæ sunt. Kabbalistæ rationes hujus multiplicationis accentuum in Decalogo investigarunt. Sed rationes, quas Rabbini de multis dant, risu & cachinno exsibilandæ sunt.

XIII. In his tredecim speciebus tota scientia Kabbalæ *consistit;* & qui talia ficta mysteria excogitare novit, ille magni fit apud Judæos, & pro docto ac subtili viro habetur; & quo quis plures similes nugas expiscari potest, eo doctior etiam æstimatur. De his nugis Kabbalisticis consule Menasse ben Israel loco suprà citato; Schickardum in Bechinath Happeruschim pag. 60. & seqq. Hottingerum in Thes. Phil. lib. 1. sect. 5. & Reuchlinum de arte Kabbalistica.

XIV. Ex hactenus dictis apparet manifesta differentia, quæ intercedit inter opus Masoretharum & Kabbalistarum. Aliter versati fuerunt circa Textum Hebræum Masorethæ, aliter Kabbalistæ.

Masorethæ enumerarunt in genere omnes literas Veteris T. & in specie literas majusculas, minusculas, inversas, suspensas & irregulares: præterea annotarunt tum omnes voces punctis supernè notatas, tum etiam voces plenas & defectivas: deinde sub censuram vocarunt

carunt voces destitutas vocalibus, & vocales destitutas consonantibus.

Kabbalistæ hæc omnia, à Masorethis enumerata, etiam considerarunt & considerant, sed alio modo. Kabbalistæ omnium antecedentium investigarunt & dederunt rationes; scil. quare in hoc vel illo loco sit litera majuscula, minuscula, inversa, aut suspensa; Quare illa vox illo in loco sit punctis supernè ornata, & quare aliæ voces aliis in locis punctis talibus destituantur; Quare vox uno in loco scribatur plenè vel defectivè, & quare non eodem modo etiam in aliis locis; Quare nonnunquam tantum consonantes sive vocalibus in Textu occurrant, & è contra, Quare aliquando tantum vocales sine consonantibus inveniantur. Horum omnium rationes investigarunt Kabbalistæ, sed sæpissime sunt tam futiles & absurdæ, ut virum alicujus tantum judicii pudere debeat tam futilium ratiuncularum, quibus fides Apellarum innititur.

XV. *Tertiò queritur* Quinam sunt primi Auctores Kabbalæ, & ejusdem per varia secula Propagatores?

Respondeo. 1. Primus Auctor Kabbalæ à Judæis communiter statuitur Propheta Moses, qui creditur doctrinam illam in monte Sinai accepisse. Quando & quo ordine Moses Kabbalam in monte Sinaj acceperit, vide suprà Sectione V.

2. Moses hanc artem, ex sententia Judæorum, nunquam literis mandavit, sed de ore ad os tradidit aliis sequentibus usque ad Esdram Prophetam, qui dicitur Kabbalam primus in literas retulisse, & septuaginta volumina implevisse. Huc trahunt illud quod habetur quarto libro Esdræ cap. 14. v. 46. 47. 48. *Priores libros, quos scripsisti, propone palam, ut legant digni & indigni. Posteriores septuaginta libros conserva, ut tradas eos sapientibus è populo tuo. In his est vena intellectus, & sapientiæ fons & scientiæ flumen.* Per septuaginta libros nonnulli intelligunt libros Kabbalisticos. Ezras ergo, ex multorum sententiâ, primus Kabbalam scriptis mandavit. Picus Mirandula refert, quod ipse quosdam libros Kabbalisticos, ab Ezrâ conscriptos, viderit; & quod eosdem à quodam Judæo septem mille ducatis coëmerit, ac plerosque perlegerit, & totam religionem Christianam in illis invenerit, scil. mysterium Trinitatis, Incarnationem Verbi, Divinitatem Messiæ aliaque multa Christianorum religionem contra Judæos confirmantia. Vide integrum Mirandulæ lotum allegatum à Schickardo in Be-

chinat Happeruſchim pag. 94.

3. Propagatores ſcientiæ Kabbaliſticæ ſtatuuntur Prophetæ, & inter illos præcipue Jeremias: quia ille quædam veſtigia Kabbalæ in libro ſuo dicitur reliquiſſe; uti ſuprà ad tertiam ſpeciem demonſtravimus. Etiam Salomonem Kabbalæ fuiſſe peritiſſimum ſtatuunt Judæi; quia dicitur 1. Reg. 4. 30. 31. *Erat ſapientia Schelomonis major, quàm ſapientia omnium Orientalium & Ægyptiorum. Etiam ſapientior fuit Ethane, Hemane, &c.* qui tum temporis pro ſapientiſſimis celebrabantur. Judæi hanc Salomonis ſapientiam in Kabbalæ ſtudio ſitam fuiſſe aſſerunt.

4. Nos rejicimus illam ſententiam Judæorum ſtatuentium *vel Moſen* eſſe primum Kabbalæ Auctorem, aut Ezram vel alios Prophetas harum nugarum Kabbaliſticarum eſſe Propagatores. Nullo enim modo eſt veroſimile vel Moſen vel Ezram vel alios Prophetas harum nugarum eſſe primos vel inventores, vel propagatores. Abſit à talibus doctis & piis viris, quod S. Scripturam vel ita peſſimè in multis explicaſſent, vel ejus ſenſum ita torſiſſent.

Quinam ergo Kabbalæ ſunt primi auctores? *Reſp.* Primi ejus inventores & continuatores ſunt quidam nugivenduli & ſuperſtitioſi Judæi, qui quidlibet ex quolibet probare voluerunt. Buxtorfius in Bibliotheca Rabbinica quoſdam auctores librorum Kabbaliſticorum enumerat, qui ibi paſſim videri poſſunt. Schickardus in libro jam jam laudato pag. 96. integram genealogiam antiquorum Kabbaliſtarum uſque ad Moſen citat. Kabbala alicujus Kabbaliſtæ invenitur *in Bibliis* Bombergianis & Buxtorfianis, in exteriori margine Pentateuchi, ſub nomine בעל המורים, hoc eſt, *Auctoris Ordinum*, quod eſt nomen appellativum: nam ejus Kabbaliſtæ nomen proprium fuit Jacobus.

XVI. *Quartò quæritur* de fine. Quis eſt finis Kabbalæ?

Reſpondeo. Finis Kabbalæ eſt duplex: alius eſt finis reſpectu Judæorum, & alius eſt reſpectu Chriſtianorum.

1. Judæi utuntur Kabbalâ Theoreticâ, ut per illam nova dogmata & myſteria religionis excogitent. Ejus Kabbalæ varia exempla in ſupradictis tredecim ſpeciebus attulimus.

2. Iidem utuntur Kabbalâ Practicâ, ut fiant familiares cum Angelis, per quos miracula ſive potius mira quædam efficere tentant. Per hanc Kabbalam conantur ſanare morbos, diabolos expellere, & contra ejuſdem inſultus aliaſque noxas ſe defendere. Extat libellus,

refe-

referente Amama Antib. pag. 317. vocatus שמוש תלים *usus hymnorum*, in quo ex singulis fere Psalmis quædam Symbola Kabbalistica pro certis morbis curandis collecta inveniuntur.

Ex. gr. Ut quis liberetur ex tempestate maris recita Psalmum 2, & inscribe eum testæ, ac projice eam in mare & consilescet.

Si cui caput dolebit, scribe hunc Psalmum usque ad illa verba, *confringes eos virga ferrea*, *&c.* & suspende illam membranam de capite ejus.

Psalmus 3. Adhuc si alicujus caput dolebit, pronuntiet etiam hunc Psalmum super oleo olivarum, & inungat eo partes affectas.

Psalmus 7. utilis est ne homines tibi possint nocere, & ut in fugam vertas inimicum tuum, qui te persequitur.

3. Finis Kabbalæ Theoreticæ respectû nostri est, ut eô utamur contra Judæos, harum nugarum Kabbalisticarum summos admiratores. Ex Kabbalâ multi Judæi fortius & citius ad silentium redigentur, & quodammodo convertentur, quàm ex ipso sacro Textu; ideoque, quando ea nostram confirmat sententiam, utiliter à nobis contra Judæos adhiberi potest.

Ex. gr. Quando Judæi negant, quod *Genes.* 49. 10. per שילה *Schilo* intelligatur משיח *Messias*, refutari possunt ex propria Kabbala: nam voces יבא שילה per Gematriam denotant משיח *Messiam*; quia idem numerus, scil. 358. ubique exprimitur.

Schickardus refert exemplum cujusdam Judæi medici, qui nullis remediis ad Christianismum converti poterat, nisi per Kabbalam. Ostendebant literam ש esse tricipitem: inde ipse concludebat esse tres personas in Deitate. Etiam monstrabant Radices Hebraicas communiter constare tantum tribus literis, non pluribus, nec paucioribus; inde similiter concludebat esse tres personas in Deitate.

Judæi antiqui & novitii semper Kabbalam occultarunt, ita ut vulgus Judæorum nihil, & Doctorum vix centesimus aliquid ex illa cognoscere potuerit: unde non mirum est tam raram Kabbalæ cognitionem inter Christianos inveniri. Ex illa tamen, quam novimus, licet nobis argumentari contra Judæos; quia pro Divina & infallibili scientiâ à plerisque Judæis habetur.

Hæc auctoritas Kabbalæ colligi potest ex dicto Talmudico, quod habetur in Tractatu, qui vocatur ראש השנה *pag.* 19. *col.* 1. ubi sic dicitur: דברי קבלה הוא ודברי קבלה כדברי תורה דמו: *Verba*

Verba Kabbalæ sunt, & verba Kabbalæ æquiparantur verbis Legis.

Alibi solent Kabbalam vocare אמרי אמת על דרך האמת *Verba veritatis* scripta *secundùm viam veritatis*.

Longe majoris faciunt Kabbalam, quàm ipsam S. Scripturam. Comparant enim sensum literalem S. Scripturæ, candelæ, quæ minimo quradrante emi potest; sed Kabbalam preciosissimæ margaritæ, quæ per studium Kabbalisticum tanquam per accensam candelam invenitur.

Sed reverà tota Kabbala, etiamsi Judæi statuant Mosen à Deo eam accepisse, nihil aliud est, quàm inventum & commentum humanum: propterea illa nihil nobis præscribere debet vel potest. Hæc de Kabbala & Kabballistis dicta sufficiant.

DISSERTATIO VIGESIMA-SEPTIMA, QUÆ EST PARS PRIMA

DE NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

§. 1. *Deus proprie, quia est ens singularissimum, non indiget nomine.*

2. *Nomina divina usurpantur vel proprie de vero Deo, vel participative de magistratibus & angelis, vel abusive de falsis diis.*

3. *Nomina divina sunt vel Græca vel Hebraica.*

4. *Hebraica sunt decem, quorum tria ab essentia & reliqua fere à proprietatibus desumuntur.*

5. *Etymologia nominis Jehova ejusque significatio allegantur.*

6. *Nomen Jehova propter excellentiam sex diversis titulis solet insigniri:*

7. *Illudque soli Deo proprium esse probatur tum quibusdam Textibus, tum etiam quatuor rationibus è Grammatica petitis.*

8. *Objectio, quasi Jehova tribueretur creaturis & angelis, solvitur.*

9. *Nomen Jehova tribuitur etiam Filio & Spiritui Sancto.*

10. *Fuit notum Patriarchis ante tempora Mosis.*

11. *Objectio, desumpta ex Exod. 6. 3. enodatur.*

12. *Galatinus frustra variis modis ex nomine Jehova Trinitatem conatur probare;*

13. *Ut & duplicem respectum in Christo ex geminata secunda littera* ה *in Jehova.*

14. *Rationes dantur quare Jehova à Rabbinis exprimatur per geminum*


num Jod, tali modo (ְיָ).

15. *Nomen Jehova dicitur explicatum per nomen duodecim & per nomen quadraginta duarum literarum.*

16. *Christus per propriam potentiam & Moses per virtutem Dei miracula effecerunt, & non per simplex nomen Jehova.*

17. *Jehova & Jehovi sunt idem nomen respectu consonarum, sed differunt respectu vocalium.*

SECTIO I.



NOmina propria induuntur rebus distinctionis ergo: hinc primus homo, solus in mundo existens, vocatus est simpliciter אדם *homo*, nomine quasi appellativo; quo nomine homo in genere adhuc indigitari solet: nam ille, utpote tum temporis solus in mundo, non indigebat nomine proprio, quo ab aliis distingueretur. Similiter in Deum propriè non cadit nomen: quia est ens singularissimum, & ita ab omnibus rebus distinctum, ut non opus sit nomine quodam discretivo, quo ab aliis distinguatur. Propterea Proverb. 30. 4 rogatur: *Quod est nomen hujus, & quod nomen filii ipsius? si noveris?* Sic etiam Angelus fœderis Manoæ, nomen roganti, respondit: *Ecquid interrogas de nomine meo?* Judic. 13. 18. Deus nihilominus in S. Scripturâ se nobis variis nominibus manifestavit; ut ita per illa nomina tenuitati nostræ succurreret, & ad sui cognitionem nos deduceret. Sed sciendum est quædam nomina Divina, in S. Scripturâ usurpata, non tantum Deo vero tribui, sed etiam nonnunquam creaturis.

II. In genere nomina Divina tribus modis in S. Scripturâ usurpantur. 1. *Propriè*, quando de vero Deo dicuntur: ut Genes. 1. 1. *Deus creavit cœlum & terram.* Similiter nomen יְהֹוָה (*Jehova*) propriè soli vero Deo convenit.

2. Nonnulla nomina Divina *participativè*, propter aliqualem similitudinem & communicationem excellentiæ & dignitatis, creaturis attribuuntur: ex. gr. nomen אֱלֹהִים (*Elohim*) datur Angelis propter communicatam excellentiam & gloriam; ut Psal. 8. 6. *Minorem fecisti eum paulisper* מאלהים *Diis*, hoc est, Angelis. Propter eandem rationem etiam hoc idem nomen convenit Magistratibus; ut Psal. 82. 6. *Dixi dii estis, & filii Excelsi vos omnes.* Tali modo Anti-Christus, 2 Thess. 2. 4. se debebat *efferre supra quicquid dicitur Deus aut Numen.*

3. Nomina Divina nonnunquam *abusivè* vel *putativè* sumuntur, quando de falsis diis dicuntur; ut Exod. 22. 19. *Qui sacrificat* לאלהים

DIIS

DIIS FALSIS, *anathema sit.*

III. Nos nomina divina præcipuè primo modo considerabimus: quia ea de vero Deo propriè & per se dicuntur; de creaturis verò vel de idolis planè in alia significatione. Nomina Divina, quibus Deus se nobis in S. Scripturâ revelavit, sunt Hebraica vel Græca. Græca hoc tempore, quia in Veteri T. versamur, præteribimus.

IV. Nomina divina Hebraica vulgo enumerantur decem, quorum tria desumuntur ab ipsâ essentiâ divinâ: ut יְהֹוָה (quod sequente vel pręcedente nomine Adonaj punctatur יֱהֹוִה, iisdem vocalibus quibus Elohim solet punctari) אֶהְיֶה & יָהּ; & reliqua septem nomina fere desumuntur ab effectis & proprietatibus ejus: ut אֲדֹנָי, עֶלְיוֹן, צְבָאוֹת, אֵל, אֱלֹהִים & אֱלוֹהַּ, שַׁדַּי. De prioribus nominibus primò agemus, & postea de posterioribus.

De Nomine יהוה Jehova.

V. De nomine Dei JEHOVA varię quęstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Unde nomen JEHOVA derivatur?

Respondeo. Nomen יְהֹוָה derivatur à Radice הָיָה *Est, fuit.* JEHOVA igitur significat *Ens, existens ab æterno & in æternum.* Johannes nomen Jehova per circumscriptionem optimè interpretatur, cum aït in Apocalypsi *cap. I. v. 4.* εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Pax ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est.* Nonnulli has tres temporum differentias ex ipsâ formâ nominis יְהֹוָה eliciunt tali modo: Litera *Jod* in principio dictionum apud Hebręos sępe denotat Futurum: ideo putant illud Jod in JEHOVA denotare Futurum, ut יִפְקֹד *visitabit*; Vau in medio est sępe nota temporis pręsentis, ut פּוֹקֵד *visitans* vel *visito*; & *He* punctatum cum Kametz in verbis quiescentibus literâ ultimâ denotat tempus præteritum, ut גָּלָה *revelavit.* Hinc concludunt Deum habere essentiam & existentiam ęternam à parte ante & à parte post, Eundemque etiam omnis compositionis esse expertem. Nam si Deus habeat essentiam & existentiam à se ipso, ergo non videtur ullo modo compositus.

VI. Judęi nomen JEHOVA, utpote gloriosum, variis titulis condecorarunt. Buxtorfius in Dissertatione de Nominibus Dei plerosque illos titulos enumerat.

I. JEHOVA vocatur à Rabbinis שֵׁם הָעֶצֶם vel שֵׁם הֲוָיָה *Nomen substantiæ*

ſtantia vel *exiſtentia*; quia JEHOVA denotat ens exiſtens à ſeipſo ab æterno & in æternum. Multa nomina Divina denotant tantummodo proprietatem aliquam; ſed nomen JEHOVA ſignificat ipſam eſſentiam & exiſtentiam Divinam: & propterea tali titulo à Rabbinis fuit inſignitum.

2. Hebræi nomen JEHOVA vocant שֵׁם הַמְיוּחָד *Nomen proprium*; quia ſoli Deo proprium eſt, & nunquam ulli creaturę directè tribuitur.

3. Iidem nominant illud שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ *Nomen explicatum*, à פָּרַשׁ *explicavit*: vel quia Divina eſſentia hoc nomine propriè explicatur; vel quia Deus eo nomine Divinam ſuam eſſentiam Iſraëlitis expoſuit. Nonnulli hunc titulum explicant per *nomen ſeparatum* à פָּרַשׁ, quod etiam ſignificat *ſeparare*; quia plane ab aliis Dei nominibus eſt ſeparatum & diſtinctum, quum hoc nomen ſoli Deo competat.

4. JEHOVA etiam nominatur שֵׁם שֶׁל אַרְבַּע אוֹתִיּוֹת *Nomen quatuor literarum*; quia quatuor literis conſtat.

Sed *dicet* aliquis. Etiam alia nomina Divina quatuor literis conſtant: ut אֶהְיֶה & אֲדֹנָי. Quare ergo יְהֹוָה vocatur tantummodo à Rabbinis *nomen quatuor literarum*, & à Græcis τετραγράμματον?

Reſpondeo: 1. JEHOVA κατ' ἐξοχὴν vocatur nomen quatuor literarum; quia eſt nomen Dei proprium, quod nunquam creaturis tribuitur: ſed אֶהְיֶה tantum *Exod.* 3. eſt nomen Dei, & aliis in locis eſt prima perſona temporis futuri ſignificans *ero*. 2. Præterea nomen אֲדֹנָי, etiamſi quatuor literis conſtet, non tamen eſt nomen Dei proprium: nam ſæpiſſimè creaturis tribuitur.

5. Nonnulli reverentiæ causâ nomen JEHOVA ex Deut. 28. 58. vocant שֵׁם הַנִּכְבָּד וְהַנּוֹרָא *nomen glorioſum & terribile*. Fortaſſe propterea vocarunt nomen JEHOVA nomen *terribile*, quia non auſi fuerunt illud pronuntiare. Nam nonnunquam plebi ſub pœnâ mortis pronuntiatio nominis JEHOVA vetita fuit, uti videre eſt in Lexico Hebr. Buxt. Rad. הוה. Abba Saul in Miſna Tract. Sanhedrin Cap. 1. §. 1. ait: Quicunque הוגה את השם באותיותיו *profert Nomen tetragrammaton per literas ſuas, non habebit partem in futuro ſeculo*. In Talmude, Tract. עבודה זרה, tragica hiſtoria occurrit, quam Talmudiſtarum Epitome his verbis refert. *R. Chaninæ filio Teradion adducto dixerunt, quâ ratione egiſti ſic in lege? Cumque reſpondiſſet: ſicut præcepit mihi* יהוה *Deus meus, egi; è veſtigio ipſum ad combuſtionem, uxorem ejus ad necem, filiam denique ad lupanar condemnarunt. Ipſum quidem ad combuſtionem, quia nomen Dei*

proprium juxta literas enuntiarat, &c. Vide integrum locum etiam Hebraicè allegatum ab Hackspan in Sylloge quæst. Theol. & Philol. pag. 170.

6. Rabbini in Commentariis suis sæpe nomen JEHOVA exprimunt per הַשֵּׁם *Nomen*; quia *Levit*.24.11. de filio mulieris Israëlitidis dicitur, quod maledixerit vel expresserit הַשֵּׁם *Nomen*, per quod intelligunt nomen JEHOVA.

VII. *Secundò quæritur*. An nomen JEHOVA ita soli Deo est proprium, ut nunquam creaturis tribuatur?

Respondeo affirmando. Rationes, hanc sententiam confirmantes, partim sunt desumptæ ex S. Scriptura, partim etiam ex Grammatica Hebræa.

1. Deus in S. Scriptura nomen Jehova sibi ipsi vendicat, Exod. 3. v. 15. JEHOVA *Deus patrum vestrorum misit me ad vos: hoc est nomen meum in seculum, & hoc memoriale meum in omnem ætatem*. Etiam Exodi *cap*. 20. *v*. 2. idem asseritur: *Ego sum* JEHOVA. Similiter Jesaiæ cap. 42. v. 8. *Ego sum* JEHOVA, *illud est nomen meum*. Hinc Israëlitæ in Cantico suo, Exod. 15. 3. cantant: JEHOVA *est bellicosissimus, nomen ejus est* JEHOVA. Et David Psalmo 83. v. 19. ait: *Ut cognoscant te solum nomine tuo esse* יחוה JEHOVA.

2. Ipsa Grammatica Hebræa etiam docet nomen JEHOVA esse nomen proprium: nam nomen JEHOVA habet omnes proprietates, quas nomina propria in linguâ Hebræâ habere solent.

Prima proprietas nominum propriorum est carentia literæ ה emphaticæ ab initio. Nam nomina propria non solent ab initio recipere ה *He* Pronomen demonstrativum; quia ea per se, utpote individua, satis sunt determinata. Nam Pronomen ה solet determinare illud, cui præponitur: sed individua sunt per suppositalitatem suam satis determinata; ideoque non opus habent recipere aliquid, quo ulterius determinantur. Hinc nunquam dicimus האברהם *Abraham* aut היצחק *Isaac* cum pronomine He; quia sunt nomina propria. Similiter nunquam legitur היהוה cum pronomine ה præfixo, sed bene האלהים, האל &c. Ratio est manifesta: nam Jehova est nomen soli Deo proprium, quum אלהים & אל non tantum Deo sed etiam creaturis competant.

Secunda proprietas est. Nomina Propria nunquam à fine recipiunt Pronomina affixa: nam nunquam scribimus יעקובינו *Jacobus noster* cum

cum affixis, sed bene אלהינו *Deus noster*. Similiter nunquam Jehova recipit affixa à fine; quia Jehova est nomen Dei proprium.

Tertia proprietas nominum propriorum est, quod illa nunquam sint in statu regiminis. Status regiminis est, quando Substantivum regit Substantivum rei diversę in Genitivo, ut *palatium Regis*. Sed apud Hebręos prius Substantivum mutatur, quando apud Latinos posterius variat. Verum post Jehova nunquam sequitur aliud Substantivum, ob quod communiter, verbi gratiâ, dicendum esset יהות צבאות cum ת in fine; quum tamen sępissime occurrat hęc constructio אלהי צבאות. Ratio est manifesta; quia *Elohim* non est nomen Proprium.

Sed *dices*. Etiamsi in יהוה non mutetur ה in ת, nihilominus tamen Jehova videtur aliquando construi cum Nominibus Appellativis, quando, exempli gratia, in S. Scriptura dicitur יהוה צבאות.

Resp. 1. In talibus locis primâ fronte videtur quidem esse constructio, sed revera non est: nam est tantummodo Ellipsis alterius Substantivi: ex. gr. אלהי. Ergo talis constructio יהוה צבאות videtur esse pro יהוה אלהי צבאות Jehova *Deus exercituum*. 2. Vel potest esse Appositio: nam צבאות sępe etiam est nomen Dei.

Quarta & ultima proprietas est, quod Nomina Propria ex singulari non flectantur in numerum pluralem: nunquam enim dicimus יעקובים &c. Similiter nunquam invenimus scriptum Jehovim, vel alio quodam modo in plurali numero. Alia nomina divina, quę non sunt propria, habent pluralem numerum: ut אלים, אלהים. Ratio est manifesta: nam eadem non sunt nomina propria, sed creaturis nonnunquam tribuuntur.

VIII. Contra hęc nonnemo *objicere* posset: Quod nomen Jehova aliquando tribuatur creaturis: ex. gr. *Numer*. 10. 35. Moses arcam videtur vocare Jehova, cum ait: קומה יהוה *surge* Jehova.

Et *Judic*. 6. 12. Angelus missus ad Gideonem vocatur *vers*. 14. & 16. Jehova.

Similiter *Genes*. 18. 2. Tres viri dicuntur venisse ad Abrahamum, quorum unus *vers*. 13. vocatur Jehova.

Respondeo. 1. In illis locis nomen Jehova non tribuitur creaturis.

2. Moses *Numer*. 10. 35. non alloquitur arcam, sed ipsum Deum, qui per specialem præsentiam ibi præsens erat.

3. Quantum reliqua loca attinet, in quibus nomen Jehova tribuitur

buitur Angelo, dico in illis locis per angelum illum non intelligi aliquem creatum angelum, sed increatum, Angelum nempe fœderis, Filium Dei, qui revera unà cum Patre est verus JEHOVA.

4. Nomen JEHOVA soli Deo proprium est, & nunquam creaturis in casu recto & absolute tribuitur, licèt nonnunquam in casu obliquo de creaturis prædicetur: ut cum dicitur, *Civitas* JEHOVÆ, *Templum* JEHOVÆ, vel *Jehova Schamma*, &c.

IX. *Tertiò quæritur*. An nomen JEHOVA etiam tribuitur Filio & Spiritui Sancto?

Respondeo. Affirmativa sententia ex collatione locorum Veteris & Novi Test. fit manifesta. Ex. gr. Filius vocatur JEHOVA *Numer*. 21. 5. 6. ubi populus in deserto contra Deum legitur murmurasse, & JEHOVA dicitur immisisse serpentes, &c. & 1 Cor. 10. 9. habetur: *Neque tentemus Christum, sicuti quidam eorum tentarunt, & per serpentes perierunt*.

Similiter nomen JEHOVA etiam Spiritui S. tribuitur: ex. gr. *Num*. 12. 6. JEHOVA dicitur loquutus per Prophetas, & 2 *Petr*. 1. 21. Prophetæ dicuntur acti à Spiritu S. &c.

Hinc jam ultro sequitur Jesum Christum & Spiritum S. esse verum Deum; quia illis nomen JEHOVA, quod soli Deo proprium est, tribuitur.

X. *Quartò quæritur*. An nomen JEHOVA ante Mosen ulli fuit notum? Vel, An Deus Patriarchis vel aliis quibusdam se unquam hoc nomine revelavit?

Respondeo affirmando: nam in Genesi aliquoties JEHOVA dicitur alloquutus Patriarchas, & vicissim Patriarchæ JEHOVAM. Ex. gr. *Gen*. 15. 7. Deus dicit Abrahamo: *Ego sum* JEHOVA *qui te eduxi* &c. Et Abrahamus dicit Melchisedecho, Genes. 14. 22. *Sustuli manus meas ad* JEHOVAM *Deum fortem excelsum*. Et Genes. 4. 26. ait Moses: *Tunc cœptum est invocari nomen* JEHOVÆ.

XI. Sed *objiciet* forte aliquis, quod Exodi *cap*. 6. *v*. 3. contrarium videatur doceri, ubi dicitur: *Et apparui Abrahamo, Isaaco, Jacobo nomine Dei fortis omnipotentis: sed nomine meo* JEHOVA *non cognitus sum illis*.

Respondeo. In illo Textu non tam est sermo de nomine, quàm quidem de re significatâ per hoc nomen. Patriarchæ audiverunt quidem ipsum nomen, sed quid nomen illud significaret, non intellexerunt. Non sciverunt illud nomen propriè denotare ipsam essentiam Divi-

nam, & esse quasi fundamentum & basin omnium attributorum, quæ Mosi unà cum nomine revelata sunt.

XII. *Quintò quæritur.* An ex nomine יְהֹוָה Trinitas personarum probari potest?

Respondeo. Galatinus, in multis nugator, probat libro 2. *cap.* 10. ex nomine יהוה Trinitatem, & duplicem respectum in Christo; & quidem variis modis.

1. Sic procedit. Nomen יהוה constat tantum tribus diversis literis: ergo sunt tres personæ. In יהוה videntur quidem esse quatuor literæ, sed secunda est geminata; & propterea tantummodo sunt tres literæ, scil. diversæ, quæ tres personas ex ipsius sententiâ denotant.

Jod significat Patrem: quia sicut *Jod* est principium literarum, ita Pater est prima inter Dietatis personas, à quâ reliquæ personæ sunt.

He, derivatum ab הָיָה *esse*, innuit filium: quia per Filium omnia, quę facta sunt, esse cœperunt.

Vau, denotans ET, significat Spiritum S. qui cum sit amor Patris & Filii, quo se vicissim amant, rectè copula, id est, nexus utriusque nuncupatur.

2. Idem Galatinus eandem Trinitatem etiam probat ex tribus syllabis, quæ in JEHOVA occurrunt. Eâdem facilitate potuisset ex tribus vocalibus etiam tres personas elicuisse. Sed fortasse de hoc mysterio tum temporis non cogitavit.

3. Galatinus etiam probat Trinitatem ex antiqua scriptione nominis יהוה per tres literas *Jod*, circulo inclusas, & vocali Kametz notatas, tali modo (⁖). Galatinus asserit Judæos in antiquis codicibus Hebraicis tali modo nomen JEHOVA expressisse ad denotandam Trinitatem. In Joële explicato *pag.* 9. & 10. doceo quomodo Judæi olim nomen יהוה expresserint, & ibidem allego causam, quare Galatinus dicat, quod antiqui Hebræi tribus literis *Jod* nomen JEHOVA denotarint. Ut ut sit, saltem hodierni Judæi tantummodo duabus literis *Jod* hoc nomen JEHOVA pingere solent. Tres illæ literæ *Jod* ex sententiâ Galatini significant tres personas, & unica vocalis *Kametz*, tribus *Jod* subscripta, denotat unicam divinam essentiam. Circulus, cui hæ tres literæ includuntur, indicat identitatem divinæ essentiæ. Præterea ait idem Galatinus, quod tres literæ *Jod* æquales significent trium personarum æqualitatem.

XIII. Galatinus his nugis adhuc aliam addit, quum *quærit*: Quare in nomine Jehova sola secunda litera ה geminetur, & non prima vel ultima?

Respondet: Filius habet duplicem respectum: nam à Patre est genitus, & simul cum Patre Spiritum S. mittit. Sed singuli, Pater nempe & Spiritus S. habent tantummodò unicum respectum: nam Pater mittit: & Spiritus S. mittitur: & propterea putat solam secundam literam esse geminatam.

Posset eodem modo ex duplicatâ illâ literâ *He* duas naturas in Christo, scil. humanam & divinam probare: sed tædet has nugas hic in medium proferre. Galatinus intendit quidem Judæos *omnibus* mediis convincere, & ad Christum ducere; sed talibus stramineis argumentis non facile debellantur.

XIV. *Sextò quæritur*. Quare Judæi, loco nominis Jehova, jam utuntur potius duabus literis *Jod* (tali modo ׳׳) quàm literis Beth, Gimel, aut aliis quibusdam literis?

Respondeo. 1. Fortasse quia antiqui Judæi nomen Jehova olim tribus *Jod* expresserunt. 2. Vel quia judicarunt nomen יהוה, incipiens à *Jod*, esse legendum per aliud nomen Dei אדני, desinens in *Jod*.

XV. Galatinus in Arcanis Catholicæ Veritatis *lib*. 2. *cap*. XI. & XII. facit mentionem alicujus libri, vocati גלי רזייא *Revelatoris arcanorum*, qui fortasse nunquam in rerum natura fuit. In hoc libro nomen Jehova aliis duobus nominibus fuisset explicatum, quorum unum duodecim, & alterum quadraginta duabus literis constat.

Nomen duodecim literarum est, אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ *Pater*, *Filius & Spiritus Sanctus*. Sunt quidem hic plura nomina, sed illa communiter vocantur tantummodo unicum nomen duodecim literarum.

Præterea sicuti Judæi, asserente Galatino, hoc nomen duodecim literarum à nomine Tetragrammato Jehova derivant, ita etiam ex hoc nomine duodecim literarum aliud nomen quadraginta duarum literarum eliciunt, scilicet אָב אֵל, בֵּן אֵל, וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֵל, אֲבָל לֹא שְׁלֹשָׁה אֱלֹהִים כִּי אִם אֱלֹהַּ אֶחָד *Pater Deus, Filius Deus, ac Spiritus Sanctus Deus: at non tres dii, sed Deus unus*. Vel aliter solent nonnulli illud nomen quadraginta duarum literarum explicare, scil. per אָב אֱלֹהִים, בֵּן אֱלֹהִים, רוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֱלֹהִים, שְׁלֹשָׁה בְּאֶחָד, אֶחָד בִּשְׁלֹשָׁה, *Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, tres in uno, unus in tribus*. Si hæc nomina ita in ipsis Rab-

Rabbinorum scriptis exposita inveniremus, multùm ad religionem nostram ex ipsis Judæis confirmandam efficerent.

XVI. *Septimò quæritur.* An Christus & Moses omnia sua miracula per nomen Jehova effecerunt?

Respondeo. Judæi hoc affirmant, idemque firmiter credunt. Ex hoc solo fundamento etiam nostra argumenta refellunt, quæ nos pro Deitate Christi solemus proferre. Quando nos Christi Deitatem probamus ex effectis miraculosis, quæ ipse, fatentibus ipsis Judæis, effecit, tum respondent; verum est, Christus quidem multa miracula edidit, sed omnia per rectam pronuntiationem nominis Jehova. Ubi, quæso, Christus rectam illam pronuntiationem nominis Jehova didicisset? Respondent in Templo, in quo illud nomen vidisset, scripsisset, & vulneri pedis imposuisset. De hâc blasphemâ fabulâ vide plura suprà in *Dissertat.* 26. §. 10.

Iidem Judæi etiam asserunt Mosen omnia sua miracula effecisse per nomen Jehova, quod inscriptum fuisset virgæ, quâ pulsabat petram in deserto. Buxtorfius in Lexico Hebr. ad Rad. הוה ex libro *Caphtor* hæc de Mose excerpsit, quæ translata ita sonant: *Moses non est usus nisi nomine isto maximo, & omnia miracula sua, quæ fecit, fuerunt per nomen expositum, quod est ipsum nomen* Jehova, *& Ehieh ascher Ehieh.* Sed hæc tanquam falsa rejicimus. Verbis enim & characteribus nulla inest vis vel morbos sanandi, vel diabolum pellendi, aliave miracula efficiendi. Christus per propriam virtutem & Moses per virtutem Dei miracula ediderunt.

XVII. *Octavò quæritur*: An יֱהֹוִה (*Jehovi*) & יְהֹוָה (*Jehova*) sunt unum idemque nomen?

Respondeo. Sunt unum idemque nomen, & eandem plane habent significationem; etiam ab eadem Radice derivantur: sed differunt solummodo respectu vocalium, quæ quodammodo sunt diversæ.

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA-OCTAVA, QUÆ EST PARS SECUNDA.

DE NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

ET PRIMA

De verâ lectione nominis JEHOVA.

§. 1. *Pro Jehova non est legendum Adonaj.*

2. *Quod* primò *probatur : quia omnis vox Hebraica ita legitur uti scribitur.*

3. *Instantia prima, quasi pro vocibus obscœnis legantur honestiores, solvitur.*

4. *Item secunda, desumpta à voce Jehovi, pro qua multi legunt Elohim.*

5. *Ut & tertia : quasi Jehova non haberet suas proprias vocales.*

6. Secundò: *quia in compositis ex Jeho & alio verbo retinetur Jeho: ergo non est legendum Adonaj; uti in Jehonathan, Jehochanan, &c.*

7. *Prima instantia, quasi talia nomina non essent composita ex Jehova, enodatur.*

8. *Item secunda, quasi esset indecorum Deo ita componi cum creaturis.*

9. *Similiter tertia, quia non est constans punctatio.*

10. *Ut & quarta, quia aliquando dicitur Jonathan sine h, cui litera He videtur inserta euphonia vel devotionis causa.*

11. *Adhac quinta instantia, quasi tantum sit compositio indirecta & partialis, solvitur.*

12. *Denique etiam sexta, quasi* יהונתן *&c. sint composita ex* יה *& Vau copulativo.*

13. Tertiò: *probatur Jehova male pronunciari per Adonaj; quia tum nec exprimuntur consonæ nec vocales, quibus olim nomen Jehova fuit lectum.*

14. *Contra hoc arg. tres instantiæ formantur, quarum prima est, quod Scheva & Chateph-patach sint eadem vocales.*

15. *Secunda, quod Scheva sæpè ponatur loco vocalis Chateph-patach.*

16. *Tertia, quod sub Jehova compendii causa ponatur Scheva loco Chateph-patach. Sed illæ tres instantiæ suis locis solvuntur.*

17. Quartum *arg. quia Christiani, legentes Adonaj, quodammodo Judæos in superstitiosa lectione confirmant.*

18. Quintum *arg. deducit ad absurdum: ergo etiam legendum est Adonaj in illis locis, in quibus Deus hoc nomen sibi proprie vendicat: ut Exod. 6. 3. Psal. 83. 19. &c.*

19. Sextum *arg. quia per lectionem Adonaj pro Jehova falluntur sæpe auditores.*


20. *Ar-*

20. *Argumentum proponitur contra lectionem Elohim, quando in Textu habetur* יֱהֹוִה Iehovi.

21. *Ratio datur quare pro Jehova legatur Adonaj tam à Judæis quam à Christianis.*

22. *Lectio vocis Jehova videtur probibita sub Templo secundo.*

SECTIO I.



Ac Dissertatione examinabimus celebrem illam quæstionem Philologicam, quæ à longo tempore inter doctos fuit agitata, scil. de genuinâ pronuntiatione nominis Jehova. Nonnulli hoc nomen ita legunt, quemadmodum scribitur; alii vero pro eo substituunt *Adonai.*

Quæritur. Utrum nomen Jehova debeat legi iis vocalibus & consonantibus, quibus in S. Scriptura describitur; an vero præstet pro eo legere *Adonai*?

Respondeo. Priorem sententiam nos judicamus esse eligendam; alii vero posteriorem præferunt. U[illegible]mque sententiam examinabimus. Priùs argumenta pro lectione Iehova præmittemus; deinde objectiones, pro lectione Adonaj adferri solitas, examinabimus, easque pro viribus debellabimus.

II. *Primum* argumentum, probans lectionem Jehova, est tale. Omnis vox Hebraica legitur secundùm consonas & vocales quas habet: ergo pro Jehova non est legendum *Adonai.*

Major procedit: quia Jehova non habet consonas, nec vocales τῦ *Adonai*: ergo non debet legi per *Adonai.* Quod Jehova non habeat consonas τῦ *Adonai*, hoc apud omnes in confesso est, & nemo nisi cæcus negare poterit. Etiam Jehova non habet vocales τῦ *Adonai*, sed habet æque suas proprias vocales ac יְהוּדָה *Jehuda.* Capellus, lectionis τῦ Adonai pro Jehova magnus propugnator, in Critica sua pag. 715. expresè negat vocales nominis Jehova & Adonai esse easdem; sed probat easdem tum respectu soni, tum etiam respectu figuræ multùm differre, & tantummodo abusivè vocari easdem vocales. Scheva enim effertur ut E, quum Chatephpatach pronuntietur ut A.

Minor propositio etiam est manifesta: non enim potest vel unicum contrarium exemplum dari, ubi vox aliter legitur quàm scribitur: ergo in Jehova vel Jehovi non facile fingenda est exceptio.

III. Contra hoc argumentum variæ instantiæ possunt formari.

Prima instantia talis est. Decem voces obscœnæ, in Textu Hebræo

 occur-

occurrentes, leguntur per alias voces honestiores in margine annotatas: ex. gr. Superstitiosi Judæi 1 *Sam.* 6.4. pro עפולי voce obscœna, ipsum anum denotante, legunt מחורי vocem honestiorem. Similiter pro ישגלנה *vitiabit eam*, Deut. 28.30. legunt ישכבנה *cubabit cum ea*. Omnes Judæi legunt notam marginalem, & multi ex Christianis Judæos hac in parte imitantur: ergo omnis vox non legitur secundùm consonas quas habet.

Respondeo 1. Superstitiosum est legere voces honestiores loco vocum obscœnarum. Verum quidem est, quod Judæi voces honestiores semper legant; sed scimus Judæos à longo tempore superstitioni fuisse addictissimos. 2. Præterea Christiani hâc in parte non deberent Judæos superstitiosos imitari. An illæ voces sunt obscœnæ, quas ipse Spiritus S. Prophetis dictavit? Et si Spiritus S. eas voces dictaverit, & Prophetæ easdem scripserint, quare ita non possent pronuntiari? 3. Denique omnes illæ decem voces obscœnæ commodè possunt per consonas & vocales suas, etiamsi irregulares, pronuntiari: & propterea non decet cum superstitiosis Judæis lectionem hanc marginalem, utpote in cerebris nugivendulorum Judæorum fictam, eligere.

IV. *Secunda* instantia. Hoc argumentum respectu consonarum non videtur procedere: quia pro יֱהוִה, *Jehovi* non tantum ab omnibus Judæis sed etiam à multis Christianis legitur *Elohim*. Quare? Quia vox יֱהוִה, habet vocales nominis Elohim. *Respondeo*. Verum est: omnes Judæi, & multi Christiani, legentes aliàs Jehova, pro Jehovi pronuntiant *Elohim*. Sed falluntur: tum enim legendum est Jehovi, quia ejus vocales & consonas habet.

Sed *regeret* aliquis. *Jod* litera non gutturalis in principio nunquam solet habere Chatephsægol, nisi in Jehovi; nec *He* unquam solet quiescere in Chirek: ergo pro Jehovi legendum est *Elohim*.

Respondeo 1. Sæpissimè sub literis non gutturalibus invenitur Schva compositum, uti videre est in Thes. Gram. Buxt. pag. 19. Ergo non videtur absurdum, quod talis vocalis composita sit scripta sub *Jod*. 2. Non est magis absurdum literam *He* quiescere in Chirek in hâc unicâ voce Jehovi, quàm in Patach in unicâ voce מַה. Nam in Hebraicis multa sunt, de quibus dicitur אֵין דִּכְוָתֵיהּ *non est ipsi simile*. Quidni Jehovi etiam inter talia numerari posset?

V. *Tertia* instantia. Posito, quod Jehova habeat proprias suas con-

consonas, non tamen habet suas proprias vocales; & vocalium etiam est habenda ratio. Ergo pro JEHOVA est legendum *Adonai*.

Respondeo. Nomen JEHOVA habet suas proprias vocales, & non alienas.

Sed fortasse *quæres.* Quare ergo nomen יְהֹוִה non semper eas vocales retinet, si illæ vocales sint propriæ? Nam JEHOVI sæpissime recipit puncta τῦ *Elohim.*

Respondeo. Quando defendimus vocales in JEHOVA esse proprias vocales, tum non statuimus easdem esse proprias quarto modo, quæ semper conveniunt, uti risibilitas homini. Sed *proprium* contradistinguimus *alieno*, hoc est, vocales subscriptæ nomini JEHOVA sunt propriæ vocales, & non alienæ, sive aliunde mutuatæ.

Sed adhuc *regeres.* Si vocales in JEHOVA sint propriæ, quid fiet de JEHOVI? An etiam in illo nomine sunt propriæ vocales?

Respondeo. Utræque vocales tam in JEHOVA quam in JEHOVI sunt propriæ, hoc est, non sunt alienę, vel aliunde mutuatę. Nam quis Judæorum ausus fuisset vocales proprias ex Textu ejicere, & alienas loco illarum propriarum in Textum intrudere? Et qui statuunt has vocales ita esse mutatas, illi concedere tenentur Textum Hebræum toties esse corruptum, quoties tales alienæ vocales sunt substitutæ.

VI. *Secundum* argumentum pro lectione JEHOVA est desumptum à nominibus propriis virorum, compositis ex יהו *Jeho*, parte nominis JEHOVA, & ex alio quodam verbo, ut נתן, חנן &c. ex. gr. יהונתן *Jehonathan*, יהוחנן *Jehochanan* &c. Hinc sic argumentamur, Si pro JEHOVA est legendum *Adonai*, ergo in nominibus propriis, compositis ex *Jeho* & ex quodam alio verbo, legendum esset Adonathan, non vero Jehonathan. Consequentia procedit: quia *Jeho* est pars τῦ JEHOVA. Ergo si pro JEHOVA est legendum *Adonai*, tum etiam in compositione pro *Jeho* legendum erit *Ado.* Sed nemo ex legentibus *Adonai* pro Jehonathan pronuntiat Adonathan: ergo pro JEHOVA non est legendum *Adonai.* Hoc argumentum valde stringit; & propterea illi qui legunt *Adonai*, omnes vires intendunt, & varias instantias excogitant, quibus hoc argumentum solvi posse videtur.

VII. *Prima* instantia. Patroni contrariæ sententiæ negant illa nomina propria, ut יהונתן (*Jehonathan,*) יהושפט (*Jehoschaphat*) &c. esse composita ex nomine Tetragrammato, & ex alio quocunque verbo.

Respondeo. Quod illa nomina sint composita ex nomine Divino, patet inde; quia nomina illa pro *Jebo* in initio sæpe habent *El*: ut pro יְהוֹנָתָן, יְהוֹחָנָן & יְהוֹיָקִים sæpe occurrunt אֶלְנָתָן, אֶלְחָנָן & אֶלְיָקִים: ergo sunt composita ex nomine Divino; & quidem ex nomine Tetragrammato: nam non potest dari aliud nomen Divinum, ex quo nomina illa propria composita essent.

VIII. *Secunda* instantia. Illa nomina יְהוֹנָתָן &c. non videntur esse composita; quia indecorum videtur nomen Dei proprium cum creaturis componi.

Respondeo. Nullo modo est indecorum nomen Dei componi cum creaturis: nam præterquam quod jam demonstraverimus nomen Dei אל appellativum cum vocibus profanis conjungi, etiam nomen Dei יָהּ *Jah*, quod æque est nomen Dei proprium ac Jehova, cum creaturis componitur in nominibus desinentibus in יה, ut יחזקיה, חנניה &c. Quod illud יָהּ in fine sit nomen Dei, nemo negare potest: nam aliquando pro יחזקיה, חנניה dicimus יחזקאל, חננאל cum nomine Dei אל in fine.

IX. *Tertia* instantia. Non videtur esse compositio in יְהוֹנָתָן &c. quia non semper est constans punctatio: nam aliquando in principio pro *Jebo* est *Jebu*; ut יְהוּכַל *Jebuchal*, Jerem. 37. 3. & in fine pro יָהּ sæpe est יָהוּ, ut ישעיהו, &c.

Respondeo. 1. An illud nomen *Jebuchal* sit compositum ex Jehova, non adeo certum est. Sed si dicamus esse compositum, tum dicendum erit, quod hoc in loco sit irregularis punctatio.

2. Illud יָהוּ in fine, nominibus propriis additum, videtur componi ex יָהּ nomine Divino, & *Vau* literâ servili, formante multa nomina propria virorum. Quemadmodum enim in lingua Latina multa nomina propria desinunt in us, ut Antonius, Petrus, Paulus, &c. sic multa nomina propria in linguâ Hebræâ desinunt in *Vau* cum Schurek, ut עֹבַדְיָהוּ &c.

X. *Quarta* instantia. Nomen Jehova non videtur cum illis nominibus esse compositum; quia aliquando dicitur יונתן (*Jonathan*,) יושפט (*Joschaphat*,) &c. pro יְהוֹנָתָן, יְהוֹשָׁפָט. Deinde forma hæc יונתן, יושפט, &c. sine *He* videtur esse prima; & litera *He* videtur inserta vel euphoniæ vel devotionis causa in memoriam, quod Deus nomini *Abraham* inseruit *He*.

Respondeo. 1. Ionathan per *Jo* non est forma prima, sed Iehonathan;

than; & nomen Jonathan est contractum per Syncopen ex Jehonathan.

2. Posito, quod nonnulla nomina, ut יהושע &c. possint esse ex Hiphil; inde tamen non sequitur, quod litera illa *He* sit addita vel Euphoniæ vel religionis causâ: nam illa litera *He* erit characteristica conjugationis Hiphil, in qua nonnunquam *He* retinetur: ex. gr. יהושיע *salvabit* potest esse Futurum, pro quo regulariter dicitur יושיע sine *He*, charactere conjugationis Hiphil.

3. Illud *He* in verbis quiescentibus Pe Jod potest quidem esse characteristicum; sed in verbis perfectis, deficientibus, aut quiescentibus mediâ vel ultimâ radicali hoc impossibile est. Etiamsi enim ex Futuro יושיע formari possit יהושיע per additionem literæ characteristicæ Hiphil; inde tamen non sequitur, quod aliquis ex יִתֵּן, si usitatum esset, vel ex יִשְׁפֹּט. vel ex יָקִים formare posset יהונתן, יהושפט, vel יהויקים. Unde, quæso, erit illud Cholem? Et quis talia Futura in verbis deficientibus, perfectis, aliisque unquam vidit? Sed revera, nisi velimus apertæ veritati refragari, talia nomina composita derivantur ex parte nominis Jehova, & ex verbis נתן, שפט & יקים.

4. Nominibus propriis non solet communiter inseri literà *He*. Unicum quidem exemplum occurrit in Abrahamo, ubi Deus ob specialem causam literam *He* interposuit: sed in aliis nominibus hoc non solet observari; quia est contra genium linguæ Hebrææ. In יהוסף *Psal.* 81. 6. videtur fere litera *He* interposita; quia semper in Textu aliàs occurrit יוסף sine *He*. Sed responderi potest illud nomen יוסף esse contractum ex יהוסף, ut Jonathan ex Jehonathan. Vel יוסף potest derivari ex Futuro Hiphil, ubi *He* characteristicum regulariter ejicitur, sed hìc semel more Chaldæorum retinetur: nam ex verbis quiescentibus Pe Jod talia Futura formari possunt, sed non ex aliis verbis.

XI. *Quinta* instantia. Posito, quod in Jehonathan &c. sit compositio nominis Jehova & alicujus verbi; inde tamen non sequitur esse legendum Adonathan &c. quia est tantummodo compositio indirecta, obliqua & partialis: nam nomen Jehova non adhibetur integrum.

Respondeo. Ipse Drusius (qui aliàs vehementer in legentes Jehova invehere solebat, vocans eos Jehovistas) concedit compositionem nominis Tetragrammati in יהושפט, יהוחנן &c. Vocat enim talia nomina *ἰαωφόρα* & *τετραγραμματοφόρα*. Si ergo sit compositio, sive

sive jam sit directa, sive indirecta & tantummodo quoad duas syllabas, tamen est compositio; quod sufficit ad probandam lectionem Jehova.

XII. *Sexta* instantia. Capellus contra hoc secundum argumentum aliam instantiam excogitavit: nempe quod nomina illa propria, ut יהונתן &c. sint composita ex nomine Divino יָה, & non ex Jehova. Unde igitur est illa litera Vau? Ait duas priores literas *Jod* & *He* esse nomen יָה & literam *Vau* cum Cholem esse copulativam, quâ nomen Divinum cum sequenti verbo copulatur.

Respondeo. Hoc effugium nimis inane est: nam יָה habet Kametz, & יְהֹ notatur cum Scheva. Deinde *Vau* copulativum nunquam habet Cholem, quemadmodum hìc habet.

Ex his antecedentibus ergo sequitur quod illa nomina propria sint composita ex Jehova: & per consequens, si legendum sit Jehonathan, etiam legendum erit Jehova.

XIII. *Tertium* argumentum pro lectione Jehova est ad hominem, uti Philosophi loquuntur; estque tale. Qui legit *Adonai*, non exprimit eas consonantes, nec eas vocales, quibus nomen Jehova ab ipsis Prophetis & à Viris Sanctis ante prohibitionem fuit pronuntiatum & lectum. Nam qui legit *Adonai*, fatentibus omnibus contrariæ sententiæ patronis, non exprimit consonantes τῦ Jehova: nam hodiernæ consonæ semper fuerunt. Deinde qui legit *Adonai*, non exprimit vocales, quibus Jehova antiquis temporibus fuit lectum: nam vocalis Scheva in Jehova differt à Chatephpatach in Adonai respectu figuræ, & respectu soni; uti supra ex Capello demonstravimus.

Præterea multi ex legentibus *Adonai* negant vocales τῦ *Adonai* consonantibus nominis יהוה fuisse ab initio subscriptas.

Capellus defendit puncta genuina nominis Jehova fuisse *Patach*, *Scheva*, & *Cholem*, & lectum fuisse יַהְוֹה (*Jahvoh.*) In hanc sententiam etiam inclinat Sixtinus Amama.

Alii ajunt lectum fuisse יַהְוֶה (*Jahveh*) vel יֶהְוֶה (*Jehveh*,) aliisve modis.

Sunt etiam, qui absque ullâ specie veritatis divinant olim lectum fuisse ההוה היה ויהיה. Ut ut sit, perinde nobis est, quomodo fuerit lectum, modo non fuerit lectum *Adonai*; quod nobis sufficit ad probandum illum malè legere, qui legit *Adonai*: quia non exprimit con-

consonantes nec vocales τῦ JEHOVA.

XIV. Contra hoc argumentum variæ instantiæ excogitantur: nam multi putant eum, qui legit *Adonai*, exprimere vocales τῦ JEHOVA.

Prima instantia talis est. Scheva & Catephpatach sunt eædem vocales; & *Jod*, utpote litera non gutturalis, non recipit Scheva compositum: quia vocales compositæ regulariter gutturalibus subjiciuntur.

Respondeo. 1. Scheva & Catephpatach non sunt eædem vocales. 2. Litera Iod & multæ aliæ literæ non gutturales sæpissime recipiunt Scheva compositum. Quare etiam Iod in JEHOVA non recipit Catephpatach, quando legendum est Adonai; quum quidem recipiat Catephsægol, quando volunt legendum esse Elohim?

XV. *Secunda* instantia. Non mirum est quod sub JEHOVA loco vocalis Catephpatach sit Scheva simplex: nam hoc idem aliis in locis Veteris Test. etiam fieri solet: ex. gr. Si τὸ *Ketib* retinendum est, pro Scheva simplici necessariò legendum est Scheva compositum in voce בְּעֳפֹלִים 1. *Sam.* 5. 6.

Respondeo. Nullo modo opus est in allegato exemplo Scheva compositum legere: nam vox commodè legi potest, uti scripta est.

XVI. *Tertia* instantia. JEHOVA compendii causa notatur in principio cum Scheva simplici, quia sæpè occurrit; & è contra Jehovi, quia rarius occurrit, recipit in principio Catephsægol.

Respondeo. JEHOVI non habet Catephsægol, quia raro occurrit: nam in solo Ezechiele invenitur nomen JEHOVI ducentis & undecim vicibus notatum cum Catephsægol. Ergo raritas non est in causa, quare JEHOVI in principio recipiat Catephsęgol, & JEHOVA tantum Scheva simplex.

Ex his ergo sequitur, quod, qui legit *Adonai*, non exprimat consonas nec vocales τῦ JEHOVA. Sed qui pronuntiat JEHOVA, ille exprimit consonas, etiam exprimit vocales, si non genuinas, ut quidam putant, saltem pronuntiat eas vocales, quę ab ipsis Prophetis, vel saltem ex quorundam sententiâ à Masorethis ante mille annos fuerunt adscriptę.

XVII. *Quartum* argumentum pro lectione JEHOVA est tale: Non est legendum *Adonai*, quia illa lectio videtur Iudæos in superstitione aliquo modo stabilire. Iudæi hodierni ex superstitione abstinent à lectione

ctione JEHOVA; & quando audiunt Christianos etiam non pronuntiare JEHOVA, sed ejus loco fictitium *Adonai*, confirmantur in superstitione. Antiquis temporibus interdixerunt quidem pronuntiationem nominis JEHOVA ex pietate; quia homines quidam impii leviter & sine attentione illud nomen usurpabant: sed jam Judæi ex solâ superstitione nomen JEHOVA nec in sacris precibus, nec in lectione Bibliorum, multo minus in communi sermone de rebus mundanis unquam pronuntiant. Aliquando Amstelodami Judæo pauperrimo aliquot nummos obtuli, ut tantum semel cum attentione pronuntiaret nomen JEHOVA; sed non ausus fuit, dixitque sibi hoc non licere.

Superstitio Judęorum adhuc clarior fiet, si consideremus pœnas, quas Rabbini infligendas esse judicarunt iis, qui legunt JEHOVA. Plebi Judæorum sub pœnâ mortis, & sub pœnâ ejectionis ex futuro seculo, hoc est, cœlo, interdicta fuit à Rabbinis pronuntiatio τȣ̃ JEHOVA. Hoc ita esse superiori Dissertatione demonstravimus.

Hinc Iudæi præ metu, ne nomen JEHOVA profanaretur, solent ex superstitione in æsseribus, in parietibus, & in aliis locis pro יהוה scribere ידוד. Christiani ergo, qui Iudæos hâc in parte imitantur, non quidem sunt superstitiosi, sed Iudæos in superstitione quodammodo confirmant.

Saltem illi excusari possunt (referente Amama in Antib. Bibl. pag. 332.) qui legunt JEHOVA, quando credunt vocales τȣ̃ JEHOVA esse proprias vocales. Verba ejus sic sonant: *Qui nescit, qui non credit puncta illa esse tetragrammati genuinas & priscas vocales, ille certe excusandus est si* JEHOVA *legat. At qui credit puncta illa esse vocis* Adonai, *non vero tetragrammati propria, qui credit genuinas vocales aut ignorari aut incertas esse, & nihilominus in Hebræo textu vocem* JEHOVA *legit, ne ille ultro sciens volens* βαρβαρίζει. Hinc sequitur nos excusari posse, quia credimus hæc puncta vocis JEHOVA esse genuina, & ab ipsis Prophetis addita: sed an contrariæ sententiæ patroni excusari possint valde dubito. Nam illi sequuntur punctationem, quam credunt non esse divinam, sed à Masorethis profectam. Credunt eadem puncta jam non esse subjecta, quæ sacri Scriptores subjicienda esse voluerunt; & sic quodammodo S. Scripturam in vocibus JEHOVA & JEHOVI corruptam esse asserunt. Præterea Christiani, legentes Adonaj, Iudæos in superstitiosa lectione confirmant. Sed hæc omnia nihil ad nos. Nam nos statuimus S. Scripturam esse incorruptam. Nos sequimur punctationem,

tionem, quam credimus esse divinam. Nos nullo modo Judæos superstitiosos confirmamus.

XVIII. *Quintum* argumentum, confirmans lectionem JEHOVA, deducit ad absurdum. Si pro JEHOVA semper sit legendum *Adonai*, ergo etiam in illis locis, in quibus Deus propriè sibi hoc nomen vendicat: ut Exod. 6. 3. *Nomine meo* JEHOVA *non sum cognitus iis*. Qui legit *Adonai*, diceret: Nomine meo *Adonai* non sum cognitus iis, & sic falsum diceret: nam Deus jam diu se nomine *Adonai* notum fecerat.

Et Psal. 83. 19. *Ut cognoscant te solum nomine tuo esse* JEHOVA. Qui pronuntiat *Adonai*, sic legeret: ut cognoscant te solum nomine tuo esse *Adonai*; quod falsum est: nam nomen *Adonai* in S. Scriptura sæpe hominibus tribuitur.

Et Jes. 42. 8. *Ego sum* JEHOVA, *illud est nomen meum*, scil. Proprium, mihi soli competens: sed *Adonai* non est tale nomen Dei Proprium.

Capellus videns se hic quodammodo esse constrictum, concedit *Exod.* 6. 3. docendi causa posse legi JEHOVA: quia ibi est singularis ratio, qualis non est in aliis Scripturæ locis. Capellus enim arbitratur nomen JEHOVA ante Mosen Patriarchis non fuisse revelatum. An idem etiam in cæteris locis concederet, nescio. Judico ipsum hoc idem etiam debere concedere: quia etiam est specialis ratio. Hinc concludo, si in illis locis sit legendum JEHOVA, ergo etiam in aliis locis eodem modo est legendum: nulla enim est ratio, quæ hoc impedire potest.

XIX. *Sextum* & ultimum argumentum est hinc desumptum: quia, qui legunt Adonai, fallunt sæpe auditores. Nam auditores, audientes aliquem legere *Adonai*, nesciunt, Utrum sit *Adonai* ut sic; an verò JEHOVA: quia ubique eodem modo ab illis legitur.

XX. Denique addatur hoc pro lectione JEHOVI, quando occurrit in Textu יֱהוִֹה. Qui pro Jehovi legit *Elohim*, nonnunquam absque causâ peccat contra regulam de duobus Substantivis, quorum unum regere solet alterum in Genit. Ex. gr. *Jes.* 3. 15. dicitur יֱהוִֹה צבאות. Si quis pro JEHOVI velit legere *Elohim*, quia ejus puncta videtur habere, ille tenetur dicere אלהים צבאות, pro אלהי, contra regulam de regimine. Scio quidem hanc regulam in Bibliis habere exceptiones, etiam in *Elohim*: ut *Psal.* 80. 15. & alibi: sed quid opus est exceptiones contra hanc regulam fingere, quum sine exceptionibus Textus servari possit. Hæc sunt præcipua nostra argumenta, quæ pro le-

ctione JEHOVA hoc tempore adferre placuit. Hanc sententiam confirmat etiam Cl. Augustus Pfeifferus in Synopsi Disp. 4. quæst. 7.

XXI. Antequam huic dissertationi finem imponamus, adhuc una quæstio movenda est. *Quæritur*: Quare nomen JEHOVA ob omnibus Judæis & à nonnullis Christianis aliter legitur, quàm in Bibliis scribitur?

Respondeo 1. Genuina lectio nominis JEHOVA Prophetis fuit nota; sed posterioribus temporibus, cum Rabbini viderent populum hoc nomine in vulgari sermone sæpissimè abuti, ex religione & pietate videntur lege quâdam ejus pronuntiationem interdixisse, & quidem severâ: nam, ut Buxtorfius ait in Lexico Hebr. Rad. הוה, plebi sub pœnâ mortis pronuntiatio nominis JEHOVA vetita fuit.

2. Postea accessit superstitio, quâ judicarunt ab ejus pronuntiatione planè esse abstinendum, nec etiam scribendum in parietibus, aliisque locis profanis.

3. Tandem Rabbini videntur docuisse vera puncta nominis JEHOVA esse perdita, & hodierna esse mutuatitia nominis *Adonai*: & hinc videtur orta lectio *Adonai* pro JEHOVA.

4. Postea Patres, linguæ S. ignari, videntes & audientes omnes Judæos unanimi consensu inclinare in lectionem *Adonai*, etiam eos sequuti fuerunt.

5. Sequentibus temporibus multi ex Christianis, moti tum omnium Judæorum, tum etiam Patrum auctoritate, lectionem *Adonai* retinuerunt.

6. Sed cum linguarum cognitio indies inter Christianos accresceret, quidam fuerunt, qui exactâ trutinâ, ab omnibus præjudiciis liberâ, rem hanc penitius considerarunt, & pristinam lectionem in usum revocarunt; inter quos Galatinus primus vel præcipuus vulgo dicitur fuisse.

XXII. *Quæritur*: An tempus est notum, quo Rabbini pronuntiationem nominis Jehova prohibuerunt?

Resp. Quando Rabbini genuinam pronuntiationem nominis JEHOVA interdixerint, ex historiis Judæorum clarè non innotescit. Verosimile est sub Templo secundo pronuntiationem nominis Iehova fuisse prohibitam. Ut ut sit, saltem Iudæi à longo tempore, fortassè à temporibus Christi, vel etiam ante Christum à pronuntiatione nominis JEHOVA abstinuerunt.

DISSER-

DISSERTATIO VIGESIMA-NONA, QUÆ EST PARS TERTIA

DE NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

ET SECUNDA

De verâ lectione nominis JEHOVA.

§. 1. *Contraria argumenta sequuntur.*
2. *Non possunt omnes argumenta Grammaticalia æque fortiter urgere.*
3. *Arg. primum pro lectione Adonai hinc desumptum; quia Jehova non habet suas proprias vocales, variis modis solvitur.*
4. *Arg. secundum, à literis* וכלב (Vechalebh) *&* מ *desumptum, enodatur.*
5. *Respondetur quinque modis ad arg. tertium, quod desumitur à literis Begad Kephath.*
6. *Quartum arg. depromptum à terminatione fœminini generis, solvitur.*

SECTIO I.



SUperiori dissertatione proposuimus argumenta, quibus probavimus eos rectius facere, qui nomen Tetragrammaton JEHOVA legunt uti scribitur, præ illis, qui vicarium nomen *Adonai* substituunt. Iam sequuntur contraria argumenta, quibus nonnulli conantur probare pro JEHOVA legendum esse *Adonai*, & pro JEHOVI *Elohim*.

II. Argumenta illa pleraque sunt Grammaticalia; & antequam ea in medium proferantur, præmonendum est, eos, qui statuunt vocales demum esse inventas à Masorethis Tyberiensibus, non posse illa argumenta, è Grammatica petita, tanquam firmas objectiones opponere. Exempli gratia: Si quis nobis opponat quod literæ וכלב ab initio ante JEHOVA alias requirant vocales, quam quibus jam notantur, respondebimus ad hominem, uti vocant, vocales illas non esse auctenticas, sed esse à Masorethis Tyberiensibus, qui, ut superstitiosam

ſam lectionem *Adonai* pro JEHOVA, & lectionem Elohim pro JEHOVI confirmarent, tales vocales ſubſcripſerunt. Verum illi qui defendunt puncta vocalium eſſe ab ipſis auctoribus librorum, vel ad minimum ab Ezra, & per conſequens Divina, illi fortius argumenta contraria, deſumpta ex punctatione literarum וכלב, urgere poterunt.

III. Argumentum *primum* pro lectione *Adonai* eſt tale. Vocales nomini יְהֹוָה ſubſcriptæ non ſunt ejus propriæ vocales, ſed nominis *Adonai*: ergo legendum eſt *Adonai*. Ratio eſt: quia voces Hebraicæ propriis vocalibus ſunt legendæ. Quod vocales ſub JEHOVA non ſint ejus propriæ vocales, hoc inde probatur: quia ſi eſſent propriæ, tum ſemper immutatæ permanerent, ſed ſæpiſſime mutantur, ſcil. antecedente vel ſequente nomine *Adonai*; ut *Ezech. cap.* 17. *verſ.* 16. 19. 22. & in aliis infinitis ferè locis, in quibus nomen יֱהֹוִה videtur habere puncta τῦ *Elohim*; & quidem ob hanc cauſam, ne quis bis legeret Adonai. Adverſarii, ut lectionem ſuam confirmarent, ſemper illud JEHOVI per *Elohim* legunt.

Reſpondeo 1. Superiori Diſſertatione, reſpondendo ad *inſtantias*, ex parte etiam ad hoc argumentum reſpondimus; ideoque eadem hic repetere ſupervacaneum putamus. Præterea negamus vocales nomini JEHOVA ſubſcriptas non eſſe ejus proprias vocales, ſed nominis Adonai.

2. Poſito, quod in JEHOVA & Adonai ſint eædem vocales, inde tamen non ſequitur, quod vocales τῦ JEHOVA ſint vocales τῦ Adonai: nam multæ voces habent eaſdem ſimiles vocales. *Poſſunt* eſſe vocales τῦ Adonai, & nihilominus ſimul vocales τῦ JEHOVA.

3. Nullo modo ſequitur, ſi vocales in JEHOVA eſſent vocales propriæ, tum ſemper manerent. Nam non dicimus vocales illas eſſe proprias quarto modo, quæ ſemper ſubjecto conveniunt, uti riſibilitas homini: ſed proprium contradiſtinguimus alieno, & dicimus vocales in JEHOVA eſſe proprias vocales nominis JEHOVA, hoc eſt, non eſſe alienas ſive nominis *Adonai*.

4. Verum quidem eſt, quod nomen יהוה, antecedente vel ſequente nomine *Adonai*, recipiat eaſdem vocales, quas *Elohim* ſolet recipere; inde tamen non ſequitur legendum eſſe *Elohim*; vel יהוה propterea recipere vocales τῦ *Elohim*, ne aliquis bis legeret *Adonai Adonai*.

Quæritur; Ob quam cauſam in Veteri T. Pro Iehova ſcribitur Iehovi ſequente vel præcedente Adonaj?

Reſp.

Resp. Fatemur ingenuè nos hoc ignorare; nec putamus aliquem facilè posse ejus rei certam rationem dare. Dicitur quidem, ne aliquis bis legeret *Adonai Adonai*, sed unde hoc probatur? Gomarus, parte 3. disp. 4. de Nominibus Dei, facilem responsionem ad hoc argumentum excogitavit, cui tamen non facilè possumus assentiri, nihilominus judicamus illam responsionem esse sufficientem ad respondendum illis, qui negant puncta esse auctentica, vel qui statuunt eadem demum inventa esse à Masorethis Tyberiensibus, qui facilè potuerunt errare. Sic ait Gomarus: Diversitas hæc scriptionis orginem traxit ab audaci Masoretharum licentia, qui ut vicariam & vulgo receptam consuetudinem legendi *Adonai* confirmarent, hæc puncta ita mutarunt. Ergo ex Gomari sententiâ hæc puncta sunt mutata à Masorethis Tyberiensibus; & tantummodo eum in finem, ut lectionem à superstitiosis Judæis aliquandiu receptam, hâc suâ irregulari punctatione confirmarent. Quod illi Masorethæ tali simili imo majori licentiá usi fuerint circa Textum sacrum, hoc probat idem Gomarus ex decem illis vocibus, quæ vulgo obscœnæ vocantur; quarum loco Masorethæ voluerunt alias voces margini adscriptas legi. Gomarus non videt rationem, quare hæc mutatio vocalium in JEHOVI etiam non posset esse à Masorethis.

Attamen non possum facilè Gomaro hâc in parte assentiri. Non enim puto Judæos unquam ausos fuisse alias vocales in Textum intrudere. Judæi scripserunt quidem in margine alias voces, sed non in ipso Textu. Nihilominus hæc Gomari responsio est valida contra omnes Novatores punctorum, ut Capellum, Amamam, aliosque. Nam si quis, qui defendit novitatem punctorum, sic opponat: יֱהֹוִה (*Jehovi*) habet puncta nominis *Elohim*, ergo est legendum *Elohim*. Tali respondebit Gomarus: illa puncta sunt ita adscripta à Masorethis, qui, ut confirmarent superstitiosam illam lectionem, hæc puncta adjecerunt. Sed hæc Gomari responsio non valebit contra eum, qui statuit puncta esse ab ipsis Auctoribus librorum, & adhuc incorrupta.

5. Posito, sub JEHOVA esse vocales τȣ̃ Adonai (quod tamen nunquam probabitur) & sub JEHOVI vocales τȣ̃ *Elohim*, inde tamen nondum sequitur, legendum esse *Adonai* & *Elohim*. In legendo enim non tantum est habenda ratio vocalium, sed etiam consonarum, & quidem precipuè: nam in pronuntiatione semper etiam consonæ expri-

sam lectionem *Adonai* pro JEHOVA, & lectionem Elohim pro JEHOVI confirmarent, tales vocales subscripserunt. Verum illi qui defendunt puncta vocalium esse ab ipsis auctoribus librorum, vel ad minimum ab Ezra, & per consequens Divina, illi fortius argumenta contraria, desumpta ex punctatione literarum וכלב, urgere poterunt.

III. Argumentum *primum* pro lectione *Adonai* est tale. Vocales nomini יְהֹוָה subscriptæ non sunt ejus propriæ vocales, sed nominis *Adonai*: ergo legendum est *Adonai*. Ratio est: quia voces Hebraicæ propriis vocalibus sunt legendæ. Quod vocales sub JEHOVA non sint ejus propriæ vocales, hoc inde probatur: quia si essent propriæ, tum semper immutatæ permanerent, sed sæpissime mutantur, scil. antecedente vel sequente nomine *Adonai*; ut *Ezech. cap*. 17. *vers*. 16. 19. 22. & in aliis infinitis ferè locis, in quibus nomen יֱהֹוִה videtur habere puncta τῦ *Elohim*; & quidem ob hanc causam, ne quis bis legeret Adonai. Adversarii, ut lectionem suam confirmarent, semper illud JEHOVI per *Elohim* legunt.

Respondeo 1. Superiori Dissertatione, respondendo ad instantias, ex parte etiam ad hoc argumentum respondimus; ideoque eadem hic repetere supervacaneum putamus. Præterea negamus vocales nomini JEHOVA subscriptas non esse ejus proprias vocales, sed nominis Adonai.

2. Posito, quod in JEHOVA & Adonai sint eædem vocales, inde tamen non sequitur, quod vocales τῦ JEHOVA sint vocales τῦ Adonai: nam multæ voces habent easdem similes vocales. Possunt esse vocales τῦ Adonai, & nihilominus simul vocales τῦ JEHOVA.

3. Nullo modo sequitur, si vocales in JEHOVA essent vocales propriæ, tum semper manerent. Nam non dicimus vocales illas esse proprias quarto modo, quæ semper subjecto conveniunt, uti risibilitas homini: sed proprium contradistinguimus alieno, & dicimus vocales in JEHOVA esse proprias vocales nominis JEHOVA, hoc est, non esse alienas sive nominis *Adonai*.

4. Verum quidem est, quod nomen יהוה, antecedente vel sequente nomine *Adonai*, recipiat easdem vocales, quas *Elohim* solet recipere; inde tamen non sequitur legendum esse *Elohim*; vel יהוה propterea recipere vocales τῦ *Elohim*, ne aliquis bis legeret *Adonai Adonai*.

Quæritur; Ob quam causam in Veteri T. Pro Iehova scribitur Iehovi sequente vel præcedente Adonaj?

Resp.

Resp. Fatemur ingenuè nos hoc ignorare; nec putamus aliquem facilè posse ejus rei certam rationem dare. Dicitur quidem, ne aliquis bis legeret *Adonai Adonai*, sed unde hoc probatur? Gomarus, parte 3. disp. 4. de Nominibus Dei, facilem responsionem ad hoc argumentum excogitavit, cui tamen non facilè possumus assentiri, nihilominus judicamus illam responsionem esse sufficientem ad respondendum illis, qui negant puncta esse auctentica, vel qui statuunt eadem demum inventa esse à Masorethis Tyberiensibus, qui facilè potuerunt errare. Sic ait Gomarus: Diversitas hæc scriptionis orginem traxit ab audaci Masoretharum licentia, qui ut vicariam & vulgo receptam consuetudinem legendi *Adonai* confirmarent, hæc puncta ita mutarunt. Ergo ex Gomari sententiâ hæc puncta sunt mutata à Masorethis Tyberiensibus; & tantummodo eum in finem, ut lectionem à superstitiosis Judæis aliquandiu receptam, hâc suâ irregulari punctatione confirmarent. Quod illi Masorethæ tali simili imo majori licentiá usi fuerint circa Textum sacrum, hoc probat idem Gomarus ex decem illis vocibus, quæ vulgo obscœnæ vocantur; quarum loco Masorethæ voluerunt alias voces margini adscriptas legi. Gomarus non videt rationem, quare hæc mutatio vocalium in Jehovi etiam non posset esse à Masorethis.

Attamen non possum facilè Gomaro hâc in parte assentiri. Non enim puto Judæos unquam ausos fuisse alias vocales in Textum intrudere. Judæi scripserunt quidem in margine alias voces, sed non in ipso Textu. Nihilominus hæc Gomari responsio est valida contra omnes Novatores punctorum, ut Capellum, Amamam, aliosque. Nam si quis, qui defendit novitatem punctorum, sic opponat: יְהֹוִה (*Jehovi*) habet puncta nominis *Elohim*, ergo est legendum *Elohim*. Tali respondebit Gomarus: illa puncta sunt ita adscripta à Masorethis, qui, ut confirmarent superstitiosam illam lectionem, hæc puncta adjecerunt. Sed hæc Gomari responsio non valebit contra eum, qui statuit puncta esse ab ipsis Auctoribus librorum, & adhuc incorrupta,

5. Posito, sub Jehova esse vocales τοῦ Adonai (quod tamen nunquam probabitur) & sub Jehovi vocales τοῦ *Elohim*, inde tamen nondum sequitur, legendum esse *Adonai* & *Elohim*. In legendo enim non tantum est habenda ratio vocalium, sed etiam consonarum, & quidem præcipuè: nam in pronuntiatione semper etiam consonæ expri-

mendæ sunt. Verum in pronuntiatione *Adonai* & *Elohim* pro JEHOVA & JEHOVI ad summum tantum vocales illorum nominum & non consonæ audiuntur & exprimuntur. Atqui propter similes vocales statim non est alia vox substituenda. Est enim ac si sic velim argumentari: pro פָּקַר aliquando legi potest שָׁמַר, aut aliud quodcunque verbum iisdem vocalibus notatum: nam שמר easdem habet vocales, quas פקר. Sed quemadmodum hæc consequentia non procedit, sic nec illa.

IV. *Secundum* argumentum desumitur ex literis præfixis וכלב (*Vechalebh*) & ex litera מ. Hæ literæ non punctantur eo modo, quo deberent regulariter ante JEHOVA punctari; sed punctantur ad formam punctationis *Adonai*: ergo legendum est Adonai. Ut hæc objectio clarius intelligatur, quædam exempla illustrationis ergo in medium proferemus.

Ex. gr. Literæ וכלב ante JEHOVA deberent regulariter notari cum vocali Chirek, ut לִיהֹוָה, בִּיהֹוָה ad formam nominum incipientium à *Jod*, ut לִיהוּדָה, בִּיהוּדָה &c. Sed literæ illæ recipiunt Patach, ac si scriptæ essent ante אדני, ut לַיהֹוָה, בַּיהֹוָה &c. ad formam לַאדֹנָי, בַּאדֹנָי &c.

Similiter litera *Mem* ante nomina à *Jod* incipientia communiter recipit Chirek, ut מִיהוּדָה &c. sed ante JEHOVA notatur cum Tzere eodem modo, quo ante *Adonai* scribi solet, ut מֵיְהוָה: ergo pro JEHOVA videtur esse legendum *Adonai*.

Respondeo. 1. Concedo literas וכלב & מ regulariter ante nomina à *Jod* incipientia requirere Chirek; sed in JEHOVA est exceptio à communi regula: & non mirum: quia in nominibus Divinis respectu literarum præfixarum sæpe est irregularis punctatio.

Meelfurerius, in Epitome Gramm. suæ sect. 41. expresse à communi regula punctationis excipit nomen JEHOVA, quando ait: *Excepto solo nomine Divino* יהוה, *cum quo Patach pro Chirek ponitur*. Regula generalis sic sonat: Concurrentibus in principio duobus Scheva, prius mutatur in Chirek, & alterum, si sub *Jod* fuerit, tollitur: sed in לַיהֹוָה &c. est exceptio à communi illa regulâ: quia in nominibus Dei sæpe est anomalia respectu literarum præfixarum.

Anomaliam punctationis circa nomina divina approbat ipse Buxtorfius in Thes. Gramm. pag. 17. quando ait: *Anomalia Scheva compositi triplex hic occurrit: primo Chateph-Segol & antecedens Segol contrahuntur*

buntur aliquando in Tzere; & adfert tria exempla, quorum duo sunt nomina Divina. Regula sic sonat: *Litera gutturalis punctat se & praecedentem*: ut בֶּאֱמוּנָה &c. sed in Elohim, Adonai, & in unico verbo לֵאמוֹר est tantummodo exceptio à communi illâ regulâ. Ergo in nominibus Divinis respectu literarum præfixarum sæpe est anomalia. Et quare etiam aliqua anomalia non posset habere locum in nomine JEHOVA?

Sed fortasse *objicies*, quod hæc punctatio non videatur esse anomalia, vel exceptio à communi regula; quia illa ubique sibi similis est. *Respondeo*. Hoc nihil obstat, etiamsi punctatio sit sibi similis: nam ubique est exceptio à communi regula. Sic etiam in בֵּאלֹהִים & בַּאדֹנָי punctatio sibi ubique similis est; sed ubique etiam est exceptio.

2. Punctatio literarum וכלב״ cum Patach ante JEHOVA non videtur esse adeo absurda, ut propterea opus sit legere *Adonai*: nam concurrentibus duobus Scheva in principio, prius non tantum mutatur in Chirek, sed etiam sæpissime in Patach, ut in נַפְשׁוֹ &c. Quare etiam hæc punctatio æquè non posset habere locum in unico nomine JEHOVA, quàm in aliis vocibus?

V. *Tertium* argumentum, è Grammatica petitum, desumitur à literis בגדכפת (*Begad-kephath*) punctatis cum Dagesch leni in principio dictionum post יהוה. Hinc talis formatur objectio: Literæ illæ sex Begad-kephath post יהוה non debent recipere Dagesch lene; quia JEHOVA terminatur literâ quiescente, post quam illæ sex literæ communiter non recipiunt Dagesch. Atqui illæ literæ Begad-kephath recipiunt Dagesch; ergo legendum est *Adonai*. Nam quando legitur *Adonai*, tum in fine est litera mobilis, post quam literæ בגדכפת communiter recipiunt Dagesch. Iod enim in Adonai quasi diphthongescit; & per consequens est mobile.

Respondeo 1. Regula illa de Dagesch leni in literis Begad-kephath post literas mobiles habet varias exceptiones. Buxtorfius in Thes. Gramm. cap. 5. septem exceptiones enumerat, in quibus literæ Begad kephath recipiunt Dagesch post literas quiescentes.

2. Regula illa de literis sex punctandis post literas mobiles non ita valet in lectione, quàm quidem in scriptione, hoc est, literæ Begad-kephath recipiunt Dagesch lene, quando præcedit *scripta* litera mobilis; non vero quando tantummodo pronuntiatur vox, quæ literâ mobili terminatur.

3. Quan-

3. Quando Jehova notatur unico ex septendecim accentibus Regiis, tum necessariò, secundùm tertiam Buxtorfii exceptionem, literæ Begad-kephath debent recipere Dagesch lene: atqui nomen Jehova sæpissimè accentibus Regiis notatur.

4. Reliqua loca, ubi præcedit accentus minister in ultimâ syllabâ, referri possunt ad sextam exceptionem Buxtorfii *pag*. 50. Ubi Octo exempla adfert, quæ ad præcedentes regulas sive exceptiones referri non possunt.

5. Si propter Dagesch lene in Begad-kephath sit pro Jehova legendum *Adonai*; ergo si post אדני ita scriptum non sequatur Dagesch in Begad-kephath, vice versa pro *Adonai* legendum erit Jehova, ut *Psal*. 68. 18. ubi scribitur אדני בם absque Dagesch in *Beth*: *ergo legendum* esset יהוה בם: nam Beth non est dagessatum. Sed qui legunt Adonaj, negabunt hanc consequentiam; ergo & nos eodem jure similem consequentiam, desumptam à literis Begad-kephath post יהוה punctatis, negabimus. Ex his videmus argumentum, à literis Begad-kephath desumptum, non procedere.

VI. *Quartum* argumentum pro lectione *Adonai* est desumptum ex terminatione τοῦ Jehova; estque tale: Si legendum est Jehova ut sic, tum nomen Dei proprium יְהֹוָה, denotans essentiam Dei, pronuntiabitur sub formâ nominum fœmininorum; quod videtur esse absurdum & indecorum Deo.

Respondeo 1. Si non sit indecorum scribere in sacro Codice sub terminatione fœmininâ, quare erit indecorum pronuntiare? *Ipsi sacri* Scriptores ex sententiâ saniorum Philologorum hæc puncta subjecerunt: Quare ergo non licitum esset ita legere? Ipse Amama, qui vehementer lectionem *Adonai* propugnat in Antib. Bib. pag. 297. & seqq. expresse ait pag. 324. *Nulla Grammaticorum regula lectioni* Jehova *adversatur. Nec insolens est*, inquit, *nomen proprium etiam Masculini Generis in* ָה *desinere. Ecce enim exemplum in* יְהוּדָה *Jehuda.* Quis posset meliorem responsionem ad hoc argumentum desiderare?

2. Deo attribuuntur adhuc alia nomina, habentia terminationem fœmininam. Ex. gr. nomen צְבָאוֹת habens terminationem fœm. pluralis numeri tribuitur Deo. Etiamsi non sit nomen Dei proprium, habet tamen terminationem fœmininam. Præterea nomen יָהּ, Deo æquè proprium ac Jehova, habet terminationem fœmininam, sive potius terminationem affixi fœm. generis tertiæ personæ

3. Non

3. Non mirum est in linguâ Hebraicâ terminationem fœmininam competere viris, cum talis terminatio etiam in aliis linguis sit usitatissima. Ex. gr. Jugurtha, Catilina terminantur terminatione fœmininâ, cum tamen sint masculini generis, &c. Ergo non videtur absurdum nomen JEHOVA scribi & pronuntiari sub terminatione fœminini generis. Proxima Dissertatione reliqua argumenta in medium proferemus,

DISSERTATIO TRIGESIMA, QUÆ EST PARS QUARTA DE NOMINIBUS DEI HEBRAICIS. ET TERTIA De verâ lectione nominis JEHOVA.

§. 1. *Quintum argumentum, quod lectio Jehova sit nova, & à Galatino monacho demum inventa solvitur.*

2. *Sextum arg. est desumptum tum à Patribus Græcis, qui Jehova nomen ἀνεκφώνητον* ineffabile *vocarunt; tum etiam à Patribus Latinis, Targumistis aliisque, qui omnes legerunt Adonaj: quod ex versione Jehova in κύριον probant.*

3. *Septimum argumentum, quasi Christus & Apostoli legerint Adonaj, variis modis solvitur.* Κύριος *etiam potest derivari à* κυρέω ῶ sum, existo.

4. *Octavum argum. elicitur ex Levit. 24. v. 11. & 16. ubi filius Israëlitidis ob prolationem hujus nominis videtur lapidatus.*

5. *Conclusio totius quæstionis, & admonitio.*

6. *De nominibus Jehovistarum & Adonistarum disseritur.*

SECTIO I.



Uperiori Dissertatione quatuor argumenta, quæ pro lectione *Adonai* objici solent, attulimus: jam sequitur *quintum* argumentum, quod desumitur à novitate; estque tale. Hæc lectio τοῦ JEHOVA demum superiori seculo est inventa

venta à quodam Galatino, monacho, qui floruit Anno Christi 1518. Nam ante eum omnes Judæi & Christiani semper pronuntiarunt *Adonai*. Imo quidam ex Christianis, ne Galatinum, Monachum illum imitarentur, vix audent pronuntiare Jehova; sed, volentes יהוה nominare, vocant illud, Nomen Jod He Vau He. An non præstaret brevitatis causa simpliciter dicere Jehova, quàm Nomen Jod He Vau He? Nullus dubito.

Respondeo 1. Galatinus non est primus inventor hujus lectionis: sed fortasse Galatinus fuit primus auctor, qui pristinam lectionem in usum revocavit; quod tamen ex ipsius scriptis clarè demonstrari non potest. Ait quidem lib. 2. cap. 10. *quod quatuor literæ* יהוה, *si, ut punctatæ sunt, legantur*, JEHOVA *efficiunt*. Ibi tamen non ait, se vel primum lectionis JEHOVA esse inventorem, vel primum restitutorem.

2. Posito, quod Galatinus pristinam lectionem in usum revocaverit, inde tamen non sequitur, quod hæc lectio sit nova: sed hoc sequitur, quod hæc lectio sit renovata, & à superstitione Judæorum reformata. Similiter religio nostra, superiori sæculo restituta, non tam est dicenda nova, quam quidem renovata. Idem dicendum est de lectione JEHOVA.

3. Etiamsi Galatinus fuerit Monachus, quid hoc facit ad Philologiam? Etiam Lutherus in initio ante conversionem fuit Monachus; propterea tamen ipsius reformatio non est rejicienda. Si igitur Galatinus primus legerit JEHOVA; ergo ille antiquam & veram lectionem in usum revocasse & restituisse dicendus est.

4. Valde de eo dubitatur, an Galatinus fuerit primus inventor, vel restitutor lectionis JEHOVA; contrarium potius apparet ex *Lib*. 2. *Cap*. 10. *circa finem*; ubi ait, Judæos esse à Mose edoctos, ut legerent Adonai. Sic enim inquit: *Ob eam rem*, scil. ob nominis hujus reverentiam, *antiqui Judæorum à Mose illo magno edocti, statuerunt hoc nomen minimè proferri: sed ubicunque inveniretur, loco ejus nomen hoc* אדני (Adonai) *pronuntiari debere*. Si Galatinus judicarit Judæos accepisse lectionem illam *Adonai* à Mose; ergo non videtur, quod ille novam voluerit excogitare.

5. Sunt ferè certa indicia, ex quibus probari potest etiam ante Galatinum hanc lectionem JEHOVA fuisse usitatam. *Amama in Antibarb. Bibl. Edit. postr. pag.* 321. ait, qui tamen lectionem JEHOVA vehementer improbat, se invenisse in Commentariis *Dionysii Carthusiani ad Exod.*

6. *cap.*

6. cap. Edit Coloniensis anni 1548. lectionem JEHOVA; qui Dionysius vixit anno Christi 1472. Ergo hæc lectio fuit usitata ante Galatinum, qui demum ferè 50. annis post illum Dionysium vixit. Quod Amama putet Correctorem fortasse in illam editionem pro *Jao* intrusisse JEHOVA, hoc idem de omnibus editionibus dici posset.

Ipse etiam Drusius locum produxit ex Commentariis, vulgò Hieronymo inscriptis, in Psal. 8. Edit. Plantinianæ, ubi legitur JEHOVA. Idem Drusius quidem ostendit in aliis editionibus ibi esse *Jao*; sed fortasse illæ editiones sunt corruptæ ab illis, qui pro JEHOVA legerunt *Adonai.* Vide Amamam pag. 320.

II. *Sextum* argumentum pro lectione *Adonai* est desumptum tum ab auctoritate omnium Patrum Græcorum, qui nomen JEHOVA vocarunt ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, ἀπόῤῥητον, καὶ ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον; tum etiam ab auctoritate Patrum Latinorum, Interpretum, Paraphrastarum Chaldæorum, aliorumque præstantissimorum Auctorum, qui omnes pro JEHOVA legerunt *Adonai.* Unde, quæso, probatur quod omnes illi antedicti auctores legerint Adonaj? *Resp.* Ex translationibus: quia semper JEHOVA per κύριον sive per *Dominum* transtulerunt; & scimus Κύριον *Dominum* idem significare quod *Adonai.*

Respondeo I. Non est adeo certum apud omnes, quare Græci nomen JEHOVA vocarint *ineffabile* &c. Sunt quidem hâc de re tres sententiæ.

Prima sententia est Galatini, qui *lib. 2. cap.* 10. ait illud nomen vocari ineffabile quoad mysterii significatum. Verba ipsius non pigrabor hîc exscribere: *Non enim hoc nomen quoad vocem ipsam nominis ineffabile dicitur, cum & ipsi illud quandoque pronuntiarunt, & æquè ut scriptum est, facilè proferri possit, si literæ ipsæ cum apicibus & punctis legantur: ex ipsis enim hæc vox* JEHOVA *redditur: sed* QUOAD MYSTERII SIGNIFICATUM *omnino ineffabile est. Ita enim distinctè divinam essentiam significat, ut cum simplicissima ipsius unitate, & divinarum personarum trinitate, & æternam earum distinctionem, originem, productionemque apertè insinuet. Quia igitur Deus triunus, qui omnino ineffabilis est, atque incomprehensibilis, per hoc nomen significatur, idcirco nomen ipsum ineffabile dicitur.* Ergo Galatinus vocat nomen JEHOVA ineffabile quoad significationem.

Secunda sententia est aliorum, qui putant hoc nomen à Græcis vocatum fuisse *ineffabile*, quia non potuit legi illis vocalibus & conso-

nantibus, quibus in ſacro Codice deſcriptum eſt. Sed hæc ſententia eſt abſurda : nam qui ſyllabas Hebraicas tantum colligere poteſt, etiam facillimè ita leget, prout Nomen hoc ſcriptum eſt.

Tertia ſententia eſt Fulleri, qui, Miſcell. lib. 2. cap. 6. & lib. 4. cap. 13. planè à duabus præcedentibus diverſam ſententiam, quæ etiam à nobis approbatur, defendit. Ille enim ſtatuit Græcos nomen JEHOVA vocaſſe *ineffabile*, quia ipſi Græci hoc Nomen Græcè, ſive Græcis literis aut Græcâ linguâ non potuerunt legere ſive exprimere. Ratio ergo, quare Nomen JEHOVA vocetur à Græcis *ineffabile*, eſt deſumpta ab inextricabili pronuntiationis Græcanicæ difficultate. Nam JEHOVA difficillimè & malè à Græcis pronuntiatur. Ratio ejus difficultatis & malæ pronuntiationis poteſt eſſe triplex. 1. Quia Græci non habent literam Jod conſonantem. 2. Quia iidem ignorant literam Vau conſonantem. Atqui illæ duæ conſonæ Jod & Vau in Jehova inveniuntur. 3. Quia Græci talem aſpirationem literæ H reſpuunt.

Obj. Hæc expoſitio, quare nomen Jehova à Græcis vocetur ineffabile, non videtur procedere : nam Græci ſæpiſſime & quidem variis modis illud nomen pronuntiarunt. *Reſp*. Pronuntiarunt quidem ſed difficulter & male. Experimentum igitur faciamus, & Græco more hoc nomen efferamus : omnino dicendum erit ἰεωυά aut ἰεωυᾶ. Verum quanta hìc eſt prolationis inconcinnitas ? Litera aſpirata H penitus perit, & diphthongus ſuppoſititia in genuinæ conſonantis locum ſubrepit. Hinc ergo apparet quàm operoſa & moleſta ſit unius hujus Nominis Græci prolatio : & propterea Græci non ſine causâ vocarunt hoc Nomen *ineffabile*.

Quia tanta eſt in pronuntiatione hujus Græci nominis Jehova difficultas, ideo Docti variis modis Nomen JEHOVA Græcè legerunt.

1. Macrobius *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 18. *citante Fullero lib.* 2. *cap.* 6. ait Deum vocari Ἰαῶ *Ioa*, pro quo Fullerus putat legendum eſſe Ἰωᾶ per Metatheſin.

2. Porphyrius Nomen JEHOVA transfert per Ἰευὼ *Jeuó*. Vide Fullerum ibidem.

3. Epiphanius vertit Græcè in Ἰαβὲ, pro quo in initio ſcriptum fuiſſe ἰαβὰ credit idem Fullerus.

4. Euſebius, citante Fullero *lib.* 4. *cap.* 13. ſeptem vocalibus tali ordine ιεΗωουα diſpoſitis, Nomen JEHOVA Græcè exprimit.

5. Septuaginta Interpretes verba Textus 2. *Sam.* 1. 2. על עם יהוה ſic

ſic transferunt, ἐπὶ τὸ λαὸν ἰουδα. Sed Fullerus putat hìc vitium aliquod irrepſiſſe, & delendam eſſe literam δ, ut maneat ἰουά.

Ex his quinque modis videmus Græcos non ſine ratione dixiſſe Nomen JEHOVA eſſe *ineffabile*. Ergo Græci non vocarunt hoc Nomen *ineffabile*, quia Hebraicè pronuntiari non poteſt; ſed ideo, quia Græcè efferri nequit. An per hæc quinque Nomina, jam jam allata à Fullero, certò denotetur Nomen JEHOVA, quidam non ſine ratione dubitant.

Reſpondeo II. Verum quidem eſt, quod multi Patres putarint Nomen illud JEHOVA vocari ineffabile, quia crediderunt illud non poſſe pronuntiari: ſed hoc abſque ullâ ratione crediderunt. Illi Patres fuerunt decepti à Judæis, qui hoc facilè Patribus imponere potuerunt. Nam plerique Patres linguam Hebræam non callucrunt; qui propterea de hâc quæſtione aptè judicare non potuerunt. Tantum duo Patres Hieronymus ſcil. & Origines linguam Hebræam intellexerunt, quorum prior linguam Hebræam didicerat à Iudæis præceptoribus, qui facilè ipſi auctoritate ſuâ hoc imponere potuerunt. Unus Pater deceptus fefellit multos ſequentes; quia hæc quæſtio plerorumque Patrum captum ſuperabat. Et ſcimus in multis aliis quæſtionibus, quàm nimis creduli Patres ſæpiſſimè fuerint. Quid non potuit unus Papias toti antiquitati imponere? Quare etiam auctoritas omnium Judæorum, & unius aut duorum Patrum multos linguæ Hebrææ imperitos in quæſtione Hebraicâ fallere non potuiſſet?

Reſpondeo III. Non ſequitur: omnes Patres & Interpretes tranſtulerunt nomen JEHOVA per Κύριος vel *Dominus*, ergo legerunt *Adonai*. Poſſunt nonnullæ dari rationes, ob quas Patres Nomen JEHOVA tranſtulerint per Dominum, Belgæ per *Heere*.

1. Potuerunt ita tranſtuliſſe, ut ſeſe accommodarent ad intellectum communem, cui maximè S. Scripturam deſtinatam ſciebant. Nam communiter Jehova ſic transferebatur; & propterea Interpretes noluerunt à communi ſententia diſcedere.

2. Quia non eſt vox aliqua in ullâ linguâ, quæ unicâ voce abſque ullâ circumſcriptione perfectè Nomen JEHOVA explicat: & propterea, quia talis exacta interpretatio eſt impoſſibilis, tranſtulerunt Nomen JEHOVA per nomen Dominii; quia qui eſt verus JEHOVA, qui dat omnibus bona, & qui conſervat omnia, is ſane eſt Dominus.

Poſtea ad argumentum ſeptimum aliis reſponſionibus, argumen-

tum à translatione desumptum, refutaturus sum. Jam solummodò ostendo illam consequentiam nullo modo procedere: Interpretes transtulerunt Nomen JEHOVA per Κύριος *Dominus*, vel per *Heere*; ergo legerunt *Adonai*. Exemplo res fiet clara. Viri in Synodo Dordracenâ congregati, vel saltem plerique, ut & Interpretes novę versionis Belgicæ legerunt Jehova, & nihilominus judicarunt Nomen JEHOVA commodè posse transferri per *Heere*. Quod Viri illius Synodi legerint JEHOVA, & quod nihilominus judicarint illud Nomen commode per *Heére* posse tranferri, apparet ex Actis Synodal. Sessione 12. ubi sic rogatur de futurâ versione Belgica. *Secunda quæstio fuit. Quomodo nomen* JEHOVA *in Vet. Test. sit transferendum? Utrum in Belgico sit retinendum, an vero per vocem* Heere, *uti hactenus, aut similem exprimendum? At consultum fuit judicatum, cum alia commoda atque usitata vox Belgica non exstet, quâ vis istius nominis exprimatur, ut interpretes vocem* JEHOVAM *transferant per vocem* Heere, *utque hæc vox majusculis literis in textu exprimatur. Ubicunque vero vox* JEHOVÆ *emphasin habere videtur peculiarem, ibi ponendum esse asteriscum, & vocem* JEHOVA *in margine adscribendam.* Ex hoc decreto videmus, Viros illius Synodi legisse JEHOVA, & nihilominus judicasse Nomen illud transferendum esse per vocem *Heere*. Ergo non procedit consequentia suprà in objectione allegata. Si enim procederet, tum etiam similis consequentia formari posset de nomine divino יה *Jah*, quod interpretes novæ versionis Belgicæ etiam transtulerunt per vocem *Heere*. Sed quis non videt ibi nullam esse consequentiam? Nostri igitur Interpretes nomen JEHOVA secundùm communem consuetudinem interpretati sunt per nomen *Heere*: quia non noverunt vocem aliquam Belgicam, quę perfecte sine circumlocutione aliquâ nomen JEHOVA exprimeret.

Respondeo IV. Paraphrastæ Chaldæi nomen JEHOVA per suum יי, sive per duas literas Jod transtulerunt: & propterea ex illis firmum argumentum pro lectione *Adonai* deduci non potest. Nam quis nobis certo & sine ulla dubitatione dicet Interpretes illos Chaldæos per illas duas literas Jod olim denotasse *Adonai*? Jam quidem illud duplex Jod communiter ita legitur à Judæis; inde tamen non sequitur omnes Judæos semper ita illas literas expressisse.

III. *Septimum* argumentum est desumptum ab auctoritate Christi & Apostolorum; estque tale. Christus & Apostoli semper pro JEHOVA legerunt *Adonai*; ergo & nos ita legere debemus. Antecedens pro-

probatur, quia illi, allegantes Textus ex Veteri Test. semper nomen JEHOVA transtulerunt per κύριος; quod nomen est ejusdem significationis cum *Adonai*: ergo legerunt *Adonai*. Si verò Christus & Apostoli legerunt *Adonai*, ergo eodem modo nos illud legere debemus; nisi velimus esse sapientiores Christo & Apostolis.

Respondeo 1. Non sequitur, si Christus & Apostoli pro JEHOVA legerunt *Adonai*, ergo & nos ita legere debemus. Nam posito quod Christus & Apostoli ita legerint, hoc non fecerunt ex superstitione, vel ut lectionem illam à Judæis tunc temporis modò, ut putatur, receptam, stabilirent; sed ideo (ut Gomarus inquit) *ne intempestivâ vocis* JEHOVA *pronuntiatione Judæos irritarent, & ab Euangelio alieniores redderent, ideo consuetudini eorum in re libera & indifferenti prudenter cesserunt, & cognomen pro nomine usurparunt.*

Sed *regeret* aliquis: Si hoc ita sit, ergo Christus & Apostoli Judæos in superstitiosâ lectione confirmarunt; & sic quodammodo videntur participes superstitionis Judaicæ.

Respondeo. Nullo modo: Christus & Apostoli omiserunt quidem pro tempore illam pronuntiationem, attamen non ex superstitione: sed ideo, ne Judæos illo tempore irritarent, qui procul dubio Christo & Apostolis obloquuti fuissent, si JEHOVA pronuntiassent; ita ut Judæi ad verba Christi & Apostolorum non rectè attendissent. Christus & Apostoli hâc in re non fuerunt superstitiosi, etiamsi idem fecerint quod Judæi: nam duo intendentes diversum finem, etiamsi idem facere videantur, non tamen idem faciunt.

2. Falsum est Christum & Apostolos nomen JEHOVA semper transtulisse per Κύριος: contraria enim dantur exempla, in quibus nomen JEHOVA translatum est per Θεός. Exempli gratia: Genes. 15. 6. וְהֶאֱמִן בַּיהוָה וַיַּחְשְׁבֶהָ לּוֹ צְדָקָה *Credidit vero* JEHOVÆ, *& imputavit ei illud in justitiam.* Hic Textus allegatur ab Apostolo ad Rom. 4. 3. ubi sic dicitur, τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει, ἐπίστευσε δὲ Ἀβραὰμ τῷ Θεῷ, καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην. *Quid enim Scriptura dicit? Credidit autem Abrahamus Deo, & imputatum est ei ad justitiam.* Ex hoc Textu clarè apparet Apostolum non transtulisse JEHOVA per κύριος, sed per Θεός.

3. Christus & Apostoli, allegantes Textus ex Veteri Test. non semper eosdem formaliter de verbo ad verbum ex linguâ Hebraicâ in Græcam transtulerunt: sæpissimè tantum ad sensum respexerunt, addendo vel abjiciendo quasdam voces, quæ ad præsentem occasionem

nem

nem non faciebant: ex. gr. Jes. 61. 1. dcitur: רוּחַ אֲדֹנָי יֱהוִה עָלָי *Spiritus Domini* JEHOVI *super me, &c.* sed Luc. 4. 18, vox Jehovi omittitur: nam ibi dicitur πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμέ, *Spiritus Domini super me.*

4. Posito & non concesso, quod Christus & Apostoli semper nomen JEHOVA transtulerint per κύριος *Dominus*, inde tamen nullo modo sequitur, quod illi etiam legerint *Adonai.* Nam κύριος non tantum *Dominum* significat, sed itiam idem quod ὁ ὤν; & ita idem denotat quod JEHOVA. Κύριος enim æque potest derivari à Themate κυρέω ῶ, quod significat *sum, existo* (uti vidêre est in Lexico *Scapulæ* & *Stephani*) quàm à κῦρος *auctoritas.* Si dicamus vocem κύριος derivari à κυρέω ῶ, *sum, existo*, unde commodè derivari potest, tum hæc objectio nullius erit momenti, sed potius stabiliet nostram lectionem.

Sed *objiciet* nonnemo. Si κύριος idem denotet quod JEHOVA, ergo nomen κύριος æquè erit Deo proprium, quàm JEHOVA. In significatione enim conveniunt: sed hoc falsum est: nam κύριος sæpe tribuitur creaturis.

Respondeo. Nomen κύριος, derivatum à κυρέω ῶ *sum*, est soli Deo proprium, & nunquam creaturis tribuitur: sed quatenus derivatur à κῦρος *Auctoritas*, eatenus etiam creaturis tribuitur: sic Cæsar *Actor.* 25. 26. vocatur κύριος ab auctoritate, quâ pollebat. Non enim absonum est idem nomen à duobus Thematibus derivari: ex. gr. In linguâ Hebraicâ vox תַּאֲוָה derivatur vel à Radice אָוָה *expetivit*, & tum significat *desiderium*; vel à Rad. תָּאָה *determinavit*, & tum denotat *finem, terminum.*

IV. *Octavum* & ultimum argumentum elicitur ex Levit. cap. 24 v. 11. *Et expressè nominavit filius ille Jisraëlitidis mulieris nomen illud & maledixit.* Et vers. 16. ונקב שם יהוה מות יומת & postea בנקבו שם יומת, *Et qui expressè pronunciarit Nomen Jehova moriendo morte afficietur, ---quando expressè pronunciaverit Nomen morte afficietur.* In his distinguuntur simplex nominatio Nominis Tetragrammati & maledictio per illud Nomen: ergo Mosis tempore prolatio illius Nominis fuit interdicta.

Respondeo 1. Verbum נקב non tantum significat *expressè nominavit*, sed etiam *maledixit, execratus est.* Hinc Buxtorfius verbum ונוקב vers. 16. in Lexico exponit per *Qui exsecratur.* Pagninus per *blasphemans*, & בנקבו *cum blasphemaverit.* Junius & Tremellius sic vertunt vers. 11. *Tunc exsecrans filius ille--blasphemavit.* v. 16. *Qui verò exsecratur--quum exse-*

exsecratus fuerit, &c. *Dices.* In Textu hæc duo distinguuntur. *Resp.* Sed posterius exponit prius: nam sensus est; qui expresſè nominavit maledicendo. Si enim clam nominaret, non poterat propterea occidi.

2. Ille filius non est punitus propter simplicem prolationem: nam expresſè additur verſ. 14. *Educito* המקלל BLASPHEMUM ISTUM *extra castra*. Et v.23. *Et eduxerunt blasphemum illum extra castra.* Nam si simplex prolatio v. 16. absolutè esset prohibita, tum ne quidem Sacerdotibus in Sanctuario licitum fuisset solennem benedictionem per hoc Nomen pronunciare; cum tamen illa fuerit licita, & quidem, teste Maimonide, *altâ voce, populi turbâ tota adstante, & quantum per locorum intervalla poterat, auribus percipiente.*

3. Tum etiam omnibus aliis pronunciatio illius Nominis esset prohibita, licèt summa cum devotione vellent pronunciare, vel Deum per hoc nomen invocare, vel jurare. Cum tamen aliquando pronunciatio in talibus casibus sit mandata: ut Jerem. 4. 2. ונשבעת חי יהוה באמת במשפט ובצדקה *Et jurabis, vivit Jehova, in veritate, in judicio & in justitia.* Vide etiam Deut. 21. v. 8. & cap 26. v. 7. 10. Hic ergo filius mulieris Jisraëlitidis non est lapidatus propter simplicem Nominis Tetragrammati prolationem, sed propter temerariam, & cum diris ac exsecrationibus conjunctam pronunciationem.

V. Ex his jam videmus, quàm straminea sint omnia argumenta, quæ pro lectione *Adonai* in medium proferuntur. Placuit ita hisce tribus Dissertationibus sententiam meam explicare. Nulli volo aliquid præscribere. Si quis nolit dediscere, quæ antea didicit; & antiquam Judæorum consuetudinem non vult aut potest deponere, per me licet, fruatur ille suo judicio, ego meo; legat ille *Adonai*, ego JEHOVA legam: quia judico ipsos sacros Scriptores has consonas & vocales in S. Codice exarasse. His jam simul satisfactum est Johanni Apatzai, S. S. Theologiæ Doctori, qui in Epistolâ Philologicâ, quam Encyclopædiæ Ungaricæ adjunxit, argumentum suum de genuinâ lectione nominis JEHOVA, quod mihi publicè ante aliquot annos opposuerat, ulterius urget. Plura jam nolo addere, nisi quod illum, cui hæc mea sententia offendiculo erit, amicè moneam illius Apostolici ad Gal. 5. 26. *Ne simus inanis gloriæ cupidi, alii alios provocantes, alii aliis invidentes.*

VI. Drusius olim solebat eos, qui legebant Jehovà, vocare quasi

per ignominiam Jehovistas. Hinc *quæritur*:

An non meliori jure illi, qui legunt *Adonai* pro Jehova, possint vocari *Adonistæ*, quàm alii qui legunt Jehova, Jehovistæ?

Respondeo affirmando. Ratio est: quia non est specialis ratio, ob quam ille titulus Jehovistarum nobis competit. Nam si propterea vocandi simus Jehovistæ, quia ita legimus prout in Bibliis scribitur; ergo etiam eodem jure vocari possemus *Elistæ*, *Elohistæ* & *Schaddistæ* &c. quia illa nomina Divina ita proferimus, quemadmodum scripta sunt. Sed qui legunt *Adonai*, majori veritatis specie possunt vocari *Adonistæ*: quia tantum unicum nomen Dei Jehova vel Jehovi excipiunt, quod aliter legunt, quàm scriptum est. Ergo quia exceptionem faciunt tantummodo in unico hoc nomine divino, ideo ob specialem illam exceptionem etiam speciali nomine *Adonistarum*, si nos Jehovistas nominare velint, vocari possent. Sed præstat rem ipsam tractare, & à talibus aliisque nominibus abstinere.

DISSERTATIO TRIGESIMA-PRIMA,

Quæ Est.

De

DE NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

Pars Quinta.

§. 1. *Duo nomina divina* אהיה *&* יה*, desumpta ab Essentia, sequuntur.*

2. *Etymologia & significatio nominis* אהיה *proponuntur.*

3. אהיה (Ehjeh) *est revera nomen Dei, licèt tantum ter in V.T. occurrat.*

4. *Dubium est an in* אהיה *trium temporum differentia inveniantur.*

5. *Kabbalistæ dant rationes quare septem literis* שעטנזגץ *addantur terni apices, qui simul sunt* 21.

6. *Probatur* יָה *esse nomen Dei.*

7. *Etymologia nominis* יָה *investigatur.*

8. *Ejus significatio est dubia, & differt à Jehova.*

9. *Nomen* יָה *sæpè additur nominibus propriis, ut* ישעיה, עובדיה *&c.*

10. *Sequuntur septem nomina divina desumpta fere à proprietate aliqua.*

11. *Nomen* אל El *derivatur ab* אֱיָל fortitudine.

12. *Nomen El tribuitur Deo vero, idolis, creaturis inferioribus & Angelis.*

13. *Deus vocatur* צבאות Exercituum, *& Deus diversorum exercituum.*

14.

14. צבאות *est nomen Dei quando cum* יהוה *vel cum Elohim per appositionem conjungitur.*

15. *Nomen* צבאית, *separatim positum, nunquam est nomen Dei.*

16. *Docetur quomodo* צבאות *debeat verti.*

17. עליון *est nomen Dei, & ratio datur quare sic vocetur.*

18. *Rationes, quæ videntur probare* עליון *non esse nomen Dei, non sunt sufficientes.*

19. *A Rabbinis Deus vocatur* שמים Cœlum, *& in N. T.* ὁ οὐρανός.

20. *Etymologia nominis* אדני *Adonaj investigatur.*

21. *Nomen Adonaj est pluralis numeri, &, variis modis scriptum, dicitur de Deo. Ratio datur quare in fine habeat Kametz.*

22. *Docetur quomodo debeat verti.*

23. *Adon, Adonim & Adonaj primariò Deo vero, & secundariò creaturis tribuuntur.*

24. *Etymologia nominis* שדי Schaddaj *investigatur.*

25. *Nomen* שדי *soli Deo sed in compositione aliquando creaturis competit.*

II. *De Nomine* אֶהְיֶה Ehje.

SECTIO I.



HActenus egimus de nomine Divino JEHOVA, quod desumitur ab ipsâ essentiâ Divinâ; sequuntur adhuc duo alia nomina Divina, essentiam Dei etiam denotantia, scil. אֶהְיֶה & יָהּ. Nominis אהיה fit mentio Exodi *Cap.* 3. *v.* 14.

II. *Quæritur primò* de Etymologiâ: Unde hoc nomen Divinum אהיה *Ehjeh* derivatur.

Respondeo. Nomen אֶהְיֶה est Futurum, descendens à Verbo הָיָה *fuit.* Hoc nomen ter repetitur *Exod.* 3. 14. ubi sic legitur: ויאמר אלהים אל־משה אהיה אשר אהיה ויאמר כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני אליכם׃ *Et dixit Deus Mosi, Ehje, qui sum: dixitque, ita dices filiis Jisraëlis, Ehje misit me ad vos.* אהיה אשר אהיה ad verbum sonant *ero qui ero*; scil. semper vobiscum in vestris afflictionibus, tanquam is, qui semper idem est ac permanet. Hæc Futura commodiùs possunt transferri per Præsentia, *Sum qui Sum*: nam Futurum sæpissimè in re continuâ pro Præsenti ponitur.

Lxx Interpretes & Hieronymus confirmant hanc expositionem: illi enim transferunt per ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, hic vero, si versio Latina sit Hieronymi, per *Sum qui sum*, vel *Sum quod sum*, vel *Qui est*. Deus videtur hic voluisse idem Tempus observare, ut doceret in se nullam varietatem temporis locum habere.

Gomarus parte 3. Disp. 4. ait, quod nomen אהיה non tam denotet *Ero*, vel *Sum*, quàm *Ens*, & quidem non ejusdem generis cum creatis ac finitis essentiis; sed κατ' ἐξοχὴν peculiare atque infinitum, nempe æternum absolutè, atque immutabile.

Non est eadem omnium sententia circa expositionem vocum אהיה אשר אהיה, quæ occurrunt *Exod.* 3. 14.

Quidam cum Pagnino explicant per *Ero qui ero*, sive *Ero quod ero.*

Alii cum Piscatore exponunt per *Ero qui eram.*

Junius ab aliis discedens reddidit per *Ehjeh, quia sum*, ita ut prius sit Nomen Divinum & posterius profanum sive Futurum verbi היה.

Vatablus transfert per *Ero, quia ero.* Vide plura de his explicationibus in Dissert. Thomæ Gatakeri de Nomine Tetragr. *pag.* 7. 8. 9.

III. *Secundò quæritur.* Utrum אהיה (Ehjeh) *Exod.* 3. 14. usurpatum, sit nomen Dei; an vero tantummodo prima persona Futuri?

Respondeo. Nomen Ehjeh æquè est nomen Dei ac Jehova. Hoc inde probatur: quia Moses Deum ita alloquitur vers. 13. *Si dicerent mihi, quodnam est Nomen ejus?* Deus respondit vers. 14. אהיה אשר אהיה Sum qui sum *ita dices Israëlitis, &* אהיה *misit me ad vos.* Hìc Deus sibi hoc nomen tanquam proprium tribuit.

Ipsi Hebræi & plerique Christiani hoc nomen inter decem Dei nomina referunt, & vix ullam differentiam inter Jehova & *Ehjeh* esse ajunt, quàm quod Jehova sit tertiæ & *Ehjeh* primę personę. In אהיה est quidem *Jod*, in יהוה vero *Vau*; sed illę literæ facilè inter se transmutantur.

Duobus ergo modis ex illo Textu probatur אהיה esse nomen Dei. 1. Quia Deus eo nomine se ipsum nuncupavit. 2. Quia אהיה dicitur misisse Mosen.

E contra Capellus putat אהיה non esse nomen Dei, quia tantum ter in S. Scriptura occurrit. Sed hoc minime obstat, quo minus *Ehjeh* sit nomen Dei: nam unum nomen Dei sæpius invenitur, quàm aliud, Jehova in Bibliis sępiùs occurrit, quàm *Jah*; inde tamen non sequitur, unum minus esse nomen Dei, quàm aliud.

IV. *Tertiò quæritur.* An in nomine Divino אהיה continentur differentiæ trium temporum, hoc est, An ex vi nominis illius possit probari, quod Deus jam *sit, fuerit & erit*?

Respondeo. Galatinus lib. 2. cap. 14. probans has tres temporum differentias ex hoc nomine, ait *Aleph* denotare primam personam Futuri,

turi, quod significat *Ero*; *He* & *Jod* primam personam Præteriti, quia sunt primæ literæ verbi היתי *fui*; *He* verò in fine Participium Præsens הוה *Hove*, id est, *Sum*. Sed hæc incerta videntur, etiamsi idem Galatinus dicat se ex Talmudistarum dictis hæc sumpsisse.

V. Kabbalistæ, referente Galatino ibidem, ex R. Abrahamo Pico in libro de significatione apicum refert, quod singulis ex septem literis שעטנזגץ superscribantur tres apices, qui in universum sunt viginti unus.

Hinc *quæritur*. Quare tot apices illis literis adduntur? *Resp*. Judęi per illos apices viginti & unum indigitant nomen Divinum אהיה, quod in numero etiam significat XXI.

Porro *quæritur*. Quare singulis illis literis tres apices apponuntur? *Respondeo* 1. Vel quia Exodi tertio capite ter occurrit nomen Dei אהיה. 2. Vel quia fuerunt in Veteri T. tres Patriarchæ, scil. Abraham, Isaac & Jacob.

Ut hoc obitur moneam, apices illi in libris impressis nunquam inveniuntur: sed in libris manuscriptis, (ex quibus Judęi in Synagogis publicè Textus sacros prælegunt) in phylacteriis, & in membranis, quę Mezuzoth appellantur, accurata horum apicum ratio habetur. Sed hæc Kabbalistica Kabbalistis relinquimus.

III. *De Nomine* יה Jah.

VI. Tertium nomen Divinum, ab essentia desumptum, est יה *Jah*, quod à Belgis eodem modo ut JEHOVA per nomen *Heere* transfertur. Quod *Jah* sit nomen Dei probatur ex *Psal*. 68. 5. ubi expressè Jah nomen Dei vocatur. Etiam *Psal*. 150. 6. dicitur, *Omnis anima laudabit Jah*.

De hoc nomine *Jah* hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

VII. *Primò quæritur*. Unde hoc nomen Divinum *Jah* derivatur? *Respondeo* 1. Quidam derivant nomen *Jah* à יהה idem significante quod היה *fuit*.

2. Alii ajunt nomen *Jah* esse per Syncopen contractum ex primâ & ultimâ literâ nominis יהוה.

3. Alii statuunt nomen *Jah* esse dimidium nominis JEHOVA, continens duas priores literas. Schelomoh Jarchi ad *Jes*. 12. 2. vocat יהוה nomen שלם *integrum*, sed יה vocat nomen חלוק *divisum*.

 4. Hie-

4. Hieronymus putat nomen *Jah* non componi ex Iehova, sed è contra Iehova componi ex nomine Iah geminato.

5. Denique nonnulli statuunt *Jah* esse nomen primum sive radicale à nullo alio derivatum. Hæc sententia nobis videtur valde probabilis.

VIII. *Secundò quæritur.* Quid nomen *Jah* denotat?

Respondeo 1. Kabbalistæ ajunt nomen *Jah* idem denotare quod Jehova; quia utrumque nomen eundem numerum exprimit: יהוה enim valet 26. totidem valet יה *Jah*; si nempe literæ יוד & הא integrè scribantur, & in numerum resolvantur.

2. Reuchlinus, libro 3. Kabbalæ, ait nomen *Jah* aliquid participare ex tribus nominibus Dei, scil. principium ex יהוה, medium ex אלהים (quia in medio est litera *He*) & finem ex אהיה.

3. Judæi, referente Reuchlino ibidem, volunt Deum vocari *Jah* propter beneficia, & *El* propter vim & virtutem. Sic enim ajunt, יה שהוא עולם הרחמים אדני שהוא עולם הדין Jah, *quod sit seculum clementiæ*; Adonai, *quod sit seculum severitatis.*

4. Græci Interpretes reddiderunt nomen Divinum *Jah* per κύριος; quia judicarunt idem significare quod Jehova.

5. Hieronymus ait nomen *Jah* denotare invisibilem.

6. Maimonides vult nomen *Jah* significare נצחות המציאה *æternitatem essentiæ.*

7. Ut ut sit, nomen *Jah* videtur esse nomen Dei distinctum à Jehova: sed quid vi vocis denotet, non puto aliquem esse certum. *Jes.* 26. 4. occurrunt simul Jehova & *Jah*, cum dicitur ביה יהוה: unde probabiliter colligi potest, quod quædam sit differentia inter hæc duo nomina Divina.

IX. *Tertiò quæritur.* An nomen Dei *Jah* sit additum nominibus propriis, desinentibus in יה, ut ישעיה, ירמיה, עובדיה &c.

Respondeo affirmando: nam quædam nomina propria nonnunquam, loco nominis *Jah*, habent in fine *El*: ut עזריה & עזראל &c. Atqui non potest esse aliud nomen Dei, quod illis nominibus propriis additur quàm *Jah*: ergo illud nomen *Jah* talibus nominibus est annexum. Litera *He* ex *Jah* in nominibus compositis destituitur quidem puncto Mappik, sed hoc non mirum est: nam nomina in compositione sæpissimè aliquam patiuntur mutationem. Hæc dicta sufficiant de nominibus Dei Hebraicis desumptis ab ipsâ essentiâ Divinâ.

III. De

III. *De Nomine* אֵל El.

X. Jam sequuntur septem nomina Divina desumpta à proprietate aliquâ, scil. אֵל, צבאות, עליון, אדני, שדי, אלה, אלהים.
Inter hæc nomina primò se offert nomen אֵל *El*, desumptum à fortitudine, quæ Deo *κατ᾽ ἐξοχὴν* competit. De hoc nomine *El* hæ duæ sequentes quæstiones moveri possunt.

XI. *Primò quæritur* de Etymologia: Unde hoc nomen *El* derivatur.

Respondeo 1. Quidam deducunt ab אול *robore*, ex *Psal.* 73.4. ubi dicitur אולם *robur eorum*, q.d. robustus.

2. Nonnulli ajunt nomen Dei אל esse decurtatum ab אֱלֹהִים, quemadmodum putant יָהּ esse ex יהוה.

3. Alii ab אֱיָל *fortitudine* sic dictum volunt. Hinc quidam nomen אל non simpliciter per *Deum* transferunt, sed per *Deum fortem*. Apud Danielem Cap. 11. v. 36. Deus vocatur אל אלים *fortissimus omnium fortium*. Nos putamus אל derivari ab איל *fortitudine*; quia Deus alias creaturas fortitudine sua longè superat. Vide Buxtorf. in Dissert. de Nominibus Dei, §. 45.

XII. *Secundò quæritur.* An nomen Dei אל *El* etiam creaturis competit?

Respondeo affirmando. 1. Nomen El *primariò & propriè* competit Deo vero: quia ille est fortissimus. Hinc 2 *Sam.* 22. 32. rogatur, מי אל מבלעדי יהוה *Quis est Deus fortis præter* Jehovam?

2. Nomen El abusivè aliquando idolis tribuitur: quia non sunt propriè Deus: ut *Malach.* 2. 11. ובעל בת אל נכר *Et in uxorem accepit filiam Dei alieni.*

3. *Analogicè* nomen *El* etiam creaturis inferioribus convenit: ut *Ezech.* 31. 11. ubi de Rege Babyloniæ dicitur, ביד אל גוים *in manus fortissimi gentium.* Nomina Propria hominum & locorum sæpe hoc nomen *El* in principio vel in fine recipiunt: ut *Elisabeth*, *Elnathan*, *Israël*, *Bethuël*, &c.

4. Etiam nomen *El* tribuitur Angelis, sed præcipue in compositione, ut *Michaël*, *Gabriël*, *Raphaël* &c. uti fere omnia nomina Angelorum desinunt.

IV. *De*

4. Hieronymus putat nomen *Jah* non componi ex Iehova, sed è contra Iehova componi ex nomine Iah geminato.

5. Denique nonnulli statuunt *Jah* esse nomen primum sive radicale à nullo alio derivatum. Hæc sententia nobis videtur valde probabilis.

VIII. *Secundò quæritur.* Quid nomen *Jah* denotat?

Respondeo 1. Kabbalistæ ajunt nomen *Jah* idem denotare quod JEHOVA; quia utrumque nomen eundem numerum exprimit: יהוה enim valet 26. totidem valet יה *Jah*; si nempe literæ יוד & הא integrè scribantur, & in numerum resolvantur.

2. Reuchlinus, libro 3. Kabbalæ, ait nomen *Jah* aliquid participare ex tribus nominibus Dei, scil. principium ex יהוה, medium ex אלהים (quia in medio est litera *He*) & finem ex אהיה.

3. Judæi, referente Reuchlino ibidem, volunt Deum vocari *Jah* propter beneficia, & *El* propter vim & virtutem. Sic enim ajunt, יה שהוא עולם הרחמים ארני שהוא עולם הדין Jah, *quod sit seculum clementiæ*; Adonai, *quod sit seculum severitatis*.

4. Græci Interpretes reddiderunt nomen Divinum *Jah* per κύριος; quia judicarunt idem significare quod JEHOVA.

5. Hieronymus ait nomen *Jah* denotare invisibilem.

6. Maimonides vult nomen *Jah* significare נצחות המציאה *æternitatem essentiæ*.

7. Ut ut sit, nomen *Jah* videtur esse nomen Dei distinctum à JEHOVA: sed quid vi vocis denotet, non puto aliquem esse certum. *Jes.* 26. 4. occurrunt simul JEHOVA & *Jah*, cum dicitur ביה יהוה: unde probabiliter colligi potest, quod quædam sit differentia inter hæc duo nomina Divina.

IX. *Tertiò quæritur.* An nomen Dei *Jah* sit additum nominibus propriis, desinentibus in יה, ut ישעיה, ירמיה, עובדיה &c.

Respondeo affirmando: nam quædam nomina propria nonnunquam, loco nominis *Jah*, habent in fine *El*: ut עזריה & עזראל &c. Atqui non potest esse aliud nomen Dei, quod illis nominibus propriis additur quàm *Jah*: ergo illud nomen *Jah* talibus nominibus est annexum. Litera *He* ex *Jah* in nominibus compositis destituitur quidem puncto Mappik, sed hoc non mirum est: nam nomina in compositione sæpissimè aliquam patiuntur mutationem. Hæc dicta sufficiant de nominibus Dei Hebraicis desumptis ab ipsâ essentiâ Divinâ.

III. De

III. *De Nomine* אֵל El.

X. Jam sequuntur septem nomina Divina desumpta à proprietate aliquâ, scil. אל, צבאות, עליון, ארני, שדי, אלה, אלהים.
Inter hæc nomina primò se offert nomen אֵל *El*, desumptum à fortitudine, quæ Deo κατ' ἐξοχὴν competit. De hoc nomine *El* hæ duæ sequentes quæstiones moveri possunt.

XI. *Primò quæritur* de Etymologia: Unde hoc nomen *El* derivatur.

Respondeo 1. Quidam deducunt ab אול *robore*, ex *Psal.* 73.4. ubi dicitur אולם *robur eorum*, q. d. robustus.

2. Nonnulli ajunt nomen Dei אל esse decurtatum ab אֱלֹהַּ, quemadmodum putant יָהּ esse ex יהוה.

3. Alii ab אֱיָל *fortitudine* sic dictum volunt. Hinc quidam nomen אל non simpliciter per *Deum* transferunt, sed per *Deum fortem*. Apud Danielem Cap. 11. v. 36. Deus vocatur אל אלים *fortissimus omnium fortium*. Nos putamus אל derivari ab איל *fortitudine*; quia Deus alias creaturas fortitudine sua longè superat. Vide Buxtorf. in Dissert. de Nominibus Dei, §. 45.

XII. *Secundò quæritur*. An nomen Dei אל *El* etiam creaturis competit?

Respondeo affirmando. 1. Nomen El *primariò & propriè* competit Deo vero: quia ille est fortissimus. Hinc 2 *Sam.* 22. 32. rogatur, מי אל מבלעדי יהוה *Quis est Deus fortis præter* JEHOVAM?

2. Nomen El abusivè aliquando idolis tribuitur: quia non sunt propriè Deus: ut *Malach.* 2. 11. ובעל בת אל נכר *Et in uxorem accepit filiam Dei alieni.*

3. *Analogicè* nomen *El* etiam creaturis inferioribus convenit: ut *Ezech.* 31. 11. ubi de Rege Babyloniæ dicitur, ביד אל גוים *in manus fortissimi gentium.* Nomina Propria hominum & locorum sæpe hoc nomen *El* in principio vel in fine recipiunt: ut *Elisabeth*, *Elnathan*, *Israël*, *Bethuël*, &c.

4. Etiam nomen *El* tribuitur Angelis, sed præcipue in compositione, ut *Michaël*, *Gabriël*, *Raphaël* &c. uti fere omnia nomina Angelorum desinunt.

IV. *De*

V. *De nomine divino* צְבָאוֹת Tzebaoth.

XIII. Sequitur nomen Dei צְבָאוֹת *Tzebaoth*, quod est à singulari צָבָא *exercitus*. Deus jure merito vocatur *Exercitus*, vel *Deus exercituum*; quia multorum exercituum est dominus, qui ipsi ad nutum semper inserviunt.

Sic Angeli *Psal.* 103. 21. vocantur exercitus ejus: *Benedicite* JEHOVÆ *omnes exercitus ejus.*

Eodem nomine astra & sydera nominantur Genes. 2. 1. *Perfecti sunt cœli & terra, omnisque exercitus ejus.*

Præter hos exercitus sunt adhuc multi alii in hisce terris, qui à Deo ad puniendum impios sæpe adhibentur: sic locustæ, bruchi, aliaque perniciosa animalia sunt exercitus Dei.

XIV. De hoc nomine *quæritur*. An צְבָאוֹת *Tzebaoth*, conjunctum cum alio nomine Divino, semper sit nomen Dei?

Respondeo negando. Quia sæpissime per צבאות denotantur exercitus tum superiores, tum etiam inferiores. Sed צבאות tum videtur esse nomen Dei, quando cum alio nomine Divino *Jehova* vel *Elohim* per appositionem conjungitur: ut quando dicitur יהוה צבאות *Jes.* 1. 9. 24. & cap. 3. v. 1. &c. vel cum אלהים; ut quando legitur אלהים צבאות, *Psal.* 80. 8. 15. & 84. 9. *Jes.* 3. 15.

In his locis JEHOVA & *Elohim* non sunt in regimine: nam JEHOVA, utpote nomen Proprium, non potest esse in regimine; ideoque illi, qui negant esse constructionem, statuunt per Ellipsin post יהוה subintelligi אלהי.

Præterea voces אלהים צבאות videntur etiam conjunctę per appositionem; quia in regimine communiter solet esse אלהי. Ergo nomen צבאות, per appositionem conjunctum cum alio nomine, videtur esse nomen Dei.

XV. *Quæritur*. An nomen צבאות separatim sine alio nomine divino unquam tribuitur Deo?

Respondeo. Nomen צבאות nunquam separatim Deo tribuitur, quemadmodum alia nomina Divina Deo separatim tribui solent; sed semper invenitur conjunctum cum alio nomine Divino. Hinc tamen nemo bonâ consequentiâ probabit צבאות non esse nomen Dei: nam hæc appositio nominis צבאות cum alio nomine Divino sufficit ad

No-

Nominis Divini constitutionem. Etiam constructio in aliis locis ostendit nomen צבאות in appositione cum nomine Divino ipsum Deum denotare.

XVI. *Quæritur.* Quomodo nomen צבאות debet transferri?

Respondeo. Nomen צבאות non bene in illis locis, in quibus est appositio, transfertur per *Deum* vel *Dominum exercituum*: nam tum non est constructio, sed tantummodo appositio; ideoque etiam per appositionem sunt exponenda. Propterea videtur convenientius, si retentâ voce Hebraicâ tales appositiones verterentur per *Deus* vel *Dominus Tzebaoth*: quia *Tzebaoth* æque est nomen Dei ac *Elohim* & *El*.

VI. *De Nomine* עליון Eljon.

XVII. Inter nomina Divina etiam numeratur עליון *Excelsus*, ut Psalmo 82. v. 6. *Vos estis dii, & filii* altissimi *vos omnes*. Et Psal. 92. v. 2. *Bonum est canere nomini tuo* עליון ALTISSIME. Similiter Jesaiæ *cap.* 14. *v.* 14. *Ascendam supra excelsa nubis densæ, æquabo me* לעליון EXCELSO. In his locis per עליון intelligitur Deus, qui sic vocatur à עלה *ascendere*; quia ille solus est eminentissimus & celsissimus, gloriâ, majestate, & potentiâ suâ alias creaturas longè superans. Hinc Psalmista Psal. 97. v. 9. ait: *Tu* JEHOVA *summus es supra omnem terram, admodum exaltatus es supra omnes Deos.*

XVIII. De hoc nomine עליון *Quæritur*: Utrum proprie sit nomen Dei, an potius Epitheton Dei?

Respondeo 1. Multi statuunt nomen עליון æque esse nomen Dei ac צבאות.

2. Alii verosimilliter defendunt עליון potius esse nominis Divini Epitheton, quàm ipsum nomen. Quare? 1. Quia est Adjectivum, & pro Adjectivo ab Interpretibus transfertur: nam Latini vertunt hoc nomen עליון per *Excelsus, Altus*, & Græci per ὕψιστος. 2. Vox עליון sæpissime aliis Dei nominibus adjungitur; & quando separatim absque nomine Divino invenitur, tum multi judicant aliquod nomen Dei esse subintelligendum.

Utut sit, nos judicamus עליון in multis locis esse nomen Divinum; & rationes, quæ contrarium videntur suadere, non sunt tanti ponderis, ut propterea necesse sit contrariam sententiam eligere.

XIX. Deus, quia altissimum locum inhabitat, à Rabbinis metonymi-

nymicè vocatur שָׁמַיִם *cœlum* : nam cœlum est primaria sedes gloriæ Divinæ. Propter eandem causam Deus in Novo Test. *Matth*. 21. 25. à Christo vocatur ὀυρανὸς; quando rogat: Unde Baptismus Johannis esset, è cœlo, hoc est, à Deo, an ab hominibus?

VII. *De Nomine* אֲדֹנָי Adonaj.

XX. Deus in sacris Literis sæpissimè appellatur אֲדֹנָי *Adonai*, de quo hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Unde hoc nomen Divinum אדני *Adonai* derivatur?

Respondeo. 1. Non derivatur à דין *judicare*, ut Adonai idem denotet quod *Judex*.

2. Nomen *Adonai* descendit à Radice אֶדֶן *basis*; quasi Adonai sit subditorum basis & columen. Similiter Græci ajunt, quod Rex denominetur βασιλεὺς, quasi βάσις τοῦ λαοῦ *basis populi*. Vide Gomar. disp. 4. de Nominibus Dei.

XXI. *Secundò quæritur*. Utrum *Adonai* sit nomen plurale, an singulare?

Respondeo. Adonai est nomen plurale descendens à singulari אָדוֹן *Dominus*.

Hoc nomen Divinum *Adonai* usurpatur de Deo variis modis.

1. Nonnunquam usurpatur in plurali constructè, ut אֲדֹנֵי *Deut*. 10. 17.

2. Aliquando absolutè אֲדֹנִים *Malach*. 1. *v*. 6. ubi Deus dicit אם אדונים אני *si Dominus ego*.

3. Sæpissime de Deo dicitur cum *Jod* præcedente *Kametz*, ut אֲדֹנָי ita Abrahamus Deum compellavit *Genes*. 15. 2.

Hæc ultima forma pluralis numeri in *Jod* est irregularis: nihilominus tamen in quibusdam aliis exemplis etiam usitata est in S. Scriptura; ut in חַלּוֹנַי *fenestræ*, Jerem. 22. 14. in שָׂרַי *principes*, Judic. 5. 15. in חָרַי, גּוֹבַי &c. *Quæritur*: Quare in his exemplis scribitur Patach in fine, cum in Adonaj scribatur *Kametz*? *Resp*. Sacri Scriptores in *Adonai* addiderunt *Kametz*, ut hoc nomen *Adonai* distinguerent ab Adonai cum *Patach*, quod explicatur per *Domini mei*.

XXII. *Tertiò quæritur*. Quomodo nomen *Adonai* debet transferri? Utrum simpliciter per *Dominos*, vel *Dominum*; an vero per *Dominum meum*, vel *Dominos meos*?

Respon-

Respondeo. Nomen *Adonai* non debet transferri per *Dominum meum*, vel per *Dominos meos*; quia illud *Jod* finale non est affixum: sed optimè vertitur per *Dominum* in singulari, etiamsi sit plurale. Nam *Adonai* significat singularem numerum: & Deus propterea vocatur *Adonai* in plurali numero, quia multarum rerum Dominus est.

XXIII. *Quartò quæritur*. An *Adonai* sit nomen Dei proprium?

Respondeo 1. Nomen *Adonim* & *Adone* in plurali nonnunquam creaturis tribuitur: ut *Jes.* 19.4. אדנים קשה, & *Genes.* 42.30. de Josepho dicitur אדני הארץ *Dominus terræ*.

2. Nomen *Adonai* notatum cum *Kametz* per se, hoc est, quando illud Kametz in fine sub *Adonai* non est propter accentum aliquem, tum soli vero Deo & non creaturis tribuitur. Masorethæ annotarunt nomen אֲדֹנָי de Deo sic scriptum & lectum inveniri in centum & triginta quatuor locis; inter quæ septem loca sunt, in quibus est לַאדֹנָי; & quinquaginta, in quibus est וַאדֹנָי. Vide Buxtorfium in Lexico Hebr. & ejusdem Concordantias Hebr. in fine.

3. In singulari אדון *Dominus*, vel אֲדֹנִי *Dominus meus* tum Deo, tum etiam hominibus tribuitur. Jos. 3. 11. Deus vocatur *Adon*, & *Psal.* 110. 1. nominatur אֲדֹנִי. E contra *Genes.* 45. 8. nomen אדון Josepho tribuitur, & *Genes.* 23. 15. Abraham vocatur *Adoni*.

4. In genere *Adon*, *Adonim* & *Adonai* in primariâ significatione conveniunt Deo; quia ille est summus omnium rerum Dominus: sed eadem nomina, vel saltem pleraque creaturis tribuuntur propter participationem dominii alicujus, quod Deus iis in hisce terris concedit.

VIII. *De Nomine* שַׁדַּי Schaddaj.

XXIV. Sequitur nomen שַׁדַּי *Schaddai*, cujus prima mentio fit Genes. 17.1. *Ego sum* אל שדי Deus fortis omnipotens. Sæpissime hoc nomen שדי in sacris Literis usurpatur; de eo has duas quæstiones movebimus.

Primò quæritur. Unde hoc nomen שַׁדַּי derivatur?

Respondeo. Buxtorfius, in Dissertatione de Nominibus Dei, varias ejus nominis adfert Etymologias. 1. Quidam derivant à שָׁדַד *vastavit*; quia Deus eâ potentiâ, quâ omnia creavit, etiam eâdem omnia vastare potest: vel quia Deus pro lubitu suo vastat virtutes superiores, scil. syderum &c. Sed hæc Etymologia rejicitur. Ratio est: quia *Jod* in

per ignominiam Jehoviſtas. Hinc *quæritur*:

An non meliori jure illi, qui legunt *Adonai* pro JEHOVA, poſſint vocari *Adoniſtæ*, quàm alii qui legunt JEHOVA, JEHOVISTÆ?

Reſpondeo affirmando. Ratio eſt: quia non eſt ſpecialis ratio, ob quam ille titulus JEHOVISTARUM nobis competit. Nam ſi propterea vocandi ſimus JEHOVISTÆ, quia ita legimus prout in Bibliis ſcribitur; ergo etiam eodem jure vocari poſſemus *Eliſtæ*, *Elohiſtæ* & *Schaddiſtæ* &c. quia illa nomina Divina ita proferimus, quemadmodum ſcripta ſunt. Sed qui legunt *Adonai*, majori veritatis ſpecie poſſunt vocari *Adoniſtæ*: quia tantum unicum nomen Dei JEHOVA vel JEHOVI excipiunt, quod aliter legunt, quàm ſcriptum eſt. Ergo quia exceptionem faciunt tantummodo in unico hoc nomine divino, ideo ob ſpecialem illam exceptionem etiam ſpeciali nomine *Adoniſtarum*, ſi nos JEHOVISTAS nominare velint, vocari poſſent. Sed præſtat rem ipſam tractare, & à talibus aliiſque nominibus abſtinere.

DISSERTATIO TRIGESIMA-PRIMA,

QUÆ EST.

DE

DE NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

PARS QUINTA.

§. 1. *Duo nomina divina* אהיה *&* יה; *deſumpta ab Eſſentia, ſequuntur.*

2. *Etymologia & ſignificatio nominis* אהיה *proponuntur.*

3. אהיה (Ehjeh) *eſt revera nomen Dei, licèt tantum ter in V.T. occurrat.*

4. *Dubium eſt an in* אהיה *trium temporum differentiæ inveniantur.*

5. *Kabbaliſtæ dant rationes quare ſeptem literis* שעטנזגץ *addantur terni apices, qui ſimul ſunt* 21.

6. *Probatur* יָה *eſſe nomen Dei.*

7. *Etymologia nominis* יָה *inveſtigatur.*

8. *Ejus ſignificatio eſt dubia, & differt à Jehova.*

9. *Nomen* יָה *ſæpè additur nominibus propriis, ut* ישעיה, עבדיה *&c.*

10. *Sequuntur ſeptem nomina divina deſumpta fere à proprietate aliqua.*

11. *Nomen* אל El *derivatur ab* אֱיָל fortitudine.

12. *Nomen El tribuitur Deo vero, idolis, creaturis inferioribus & Angelis.*

13. *Deus vocatur* צבאות Exercituum, *& Deus diverſorum exercituum.*

14.

II. *De Nomine* אֶהְיֶה Ehje.

Sectio I.



HActenus egimus de nomine Divino JEHOVA, quod desumitur ab ipsâ essentiâ Divinâ; sequuntur adhuc duo alia nomina Divina, essentiam Dei etiam denotantia, scil. אֶהְיֶה & יָהּ. Nominis אהיה fit mentio Exodi *Cap.* 3. *v.* 14.

II. *Quæritur primò* de Etymologiâ: Unde hoc nomen Divinum אהיה *Ehjeh* derivatur.

Respondeo. Nomen אֶהְיֶה est Futurum, descendens à Verbo הָיָה *fuit.* Hoc nomen ter repetitur *Exod.* 3. 14. ubi sic legitur: וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים אֶל־מֹשֶׁה אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה וַיֹּאמֶר כֹּה תֹאמַר לִבְנֵי יִשְׂרָאֵל אֶהְיֶה שְׁלָחַנִי אֲלֵיכֶם׃ *Et dixit Deus Mosi, Ehje, qui sum: dixitque, ita dices filiis Jisraëlis, Ehje misit me ad vos.* אהיה אשר אהיה ad verbum sonant *ero qui ero*; scil. semper vobiscum in vestris afflictionibus; tanquam is, qui semper idem est ac permanet. Hæc Futura commodiùs possunt transferri per Præsentia, *Sum qui Sum*: nam Futurum sæpissimè in re continuâ pro Præsenti ponitur.

LXX Interpretes & Hieronymus confirmant hanc expositionem: illi enim transferunt per ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, hic vero, si versio Latina sit Hieronymi, per *Sum qui sum*, vel *Sum quod sum*, vel *Qui est*. Deus videtur hic voluisse idem Tempus observare, ut doceret in se nullam varietatem temporis locum habere.

Gomarus parte 3. Disp. 4. ait, quod nomen אהיה non tam denotet *Ero*, vel *Sum*, quàm *Ens*, & quidem non ejusdem generis cum creatis ac finitis essentiis; sed κατ' ἐξοχὴν peculiare atque infinitum, nempe æternum absolutè, atque immutabile.

Non est eadem omnium sententia circa expositionem vocum אהיה אשר אהיה, quæ occurrunt *Exod.* 3. 14.

Quidam cum Pagnino explicant per *Ero qui ero*, sive *Ero quod ero.*

Alii cum Piscatore exponunt per *Ero qui eram.*

Junius ab aliis discedens reddidit per *Ehjeh*, *quia sum*, ita ut prius sit Nomen Divinum & posterius profanum sive Futurum verbi היה.

Vatablus transfert per *Ero*, *quia ero.* Vide plura de his explicationibus in Dissert. Thomæ Gatakeri de Nomine Tetragr. *pag.* 7. 8. 9.

III. *Secundò quæritur.* Utrum אהיה (EHJEH) *Exod.* 3. 14. usurpatum, sit nomen Dei; an vero tantummodo prima persona Futuri?

Respondeo. Nomen EHJEH æquè est nomen Dei ac JEHOVA. Hoc inde probatur: quia Moses Deum ita alloquitur vers. 13. *Si dicerent mihi, quodnam est Nomen ejus?* Deus respondit vers. 14. אהיה אשר אהיה SUM QUI SUM *ita dices Israëlitis, &* אהיה *misit me ad vos.* Hìc Deus sibi hoc nomen tanquam proprium tribuit.

Ipsi Hebræi & plerique Christiani hoc nomen inter decem Dei nomina referunt, & vix ullam differentiam inter JEHOVA & *Ehjeh* esse ajunt, quàm quod JEHOVA sit tertiæ & *Ehjeh* primę personę. In אהיה est quidem *Jod*, in יהוה vero *Vau*; sed illę literæ facilè inter se transmutantur.

Duobus ergo modis ex illo Textu probatur אהיה esse nomen Dei. 1. Quia Deus eo nomine se ipsum nuncupavit. 2. Quia אהיה dicitur misisse Mosen.

E contra Capellus putat אהיה non esse nomen Dei, quia tantum ter in S. Scriptura occurrit. Sed hoc minime obstat, quo minus *Ehjeh* sit nomen Dei: nam unum nomen Dei sæpius invenitur, quàm aliud, JEHOVA in Bibliis sępiùs occurrit, quàm *Jah*; inde tamen non sequitur, unum minus esse nomen Dei, quàm aliud.

IV. *Tertiò quæritur.* An in nomine Divino אהיה continentur differentiæ trium temporum, hoc est, An ex vi nominis illius possit probari, quod Deus jam *sit*, *fuerit* & *erit*?

Respondeo. Galatinus lib. 2. cap. 14. probans has tres temporum differentias ex hoc nomine, ait *Aleph* denotare primam personam Futuri,

turi, quod significat *Ero*; *He* & *Jod* primam personam Præteriti, quia sunt primæ literæ verbi היתי *fui*; *He* verò in fine Participium Præsens הוה *Hove*, id est, *Sum*. Sed hæc incerta videntur, etiamsi idem Galatinus dicat se ex Talmudistarum dictis hæc sumpsisse.

V. Kabbalistæ, referente Galatino ibidem, ex R. Abrahamo Pico in libro de significatione apicum refert, quod singulis ex septem literis שעטנזגץ superscribantur tres apices, qui in universum sunt viginti unus.

Hinc *quæritur*. Quare tot apices illis literis adduntur? *Resp.* Judæi per illos apices viginti & unum indigitant nomen Divinum אהיה, quod in numero etiam significat XXI.

Porro *quæritur*. Quare singulis illis literis tres apices apponuntur? *Respondeo* 1. Vel quia Exodi tertio capite ter occurrit nomen Dei אהיה. 2. Vel quia fuerunt in Veteri T. tres Patriarchæ, scil. Abraham, Isaac & Jacob.

Ut hoc obitur moneam, apices illi in libris impressis nunquam inveniuntur: sed in libris manuscriptis, (ex quibus Judæi in Synagogis publicè Textus sacros prælegunt) in phylacteriis, & in membranis, quæ Mezuzoth appellantur, accurata horum apicum ratio habetur. Sed hæc Kabbalistica Kabbalistis relinquimus.

III. *De Nomine* יה Jah.

VI. Tertium nomen Divinum, ab essentia desumptum, est יה *Jah*, quod à Belgis eodem modo ut JEHOVA per nomen *Heere* transfertur. Quod *Jah* sit nomen Dei probatur ex *Psal.* 68. 5. ubi expressè Jah nomen Dei vocatur. Etiam *Psal.* 150. 6. dicitur, *Omnis anima laudabit Jah.*

De hoc nomine *Jah* hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

VII. *Primò quæritur.* Unde hoc nomen Divinum *Jah* derivatur? *Respondeo* 1. Quidam derivant nomen *Jah* à יהה idem significante quod היה *fuit*.

2. Alii ajunt nomen *Jah* esse per Syncopen contractum ex primâ & ultimâ literâ nominis יהוה.

3. Alii statuunt nomen *Jah* esse dimidium nominis JEHOVA, continens duas priores literas. Schelomoh Jarchi ad *Jes.* 12. 2. vocat יהוה nomen שלם *integrum*, sed יה vocat nomen חלוק *divisum*.

 4. Hie-

4. Hieronymus putat nomen *Jah* non componi ex Iehova, sed è contra Iehova componi ex nomine Iah geminato.

5. Denique nonnulli statuunt *Jah* esse nomen primum sive radicale à nullo alio derivatum. Hæc sententia nobis videtur valde probabilis.

VIII. *Secundò quæritur.* Quid nomen *Jah* denotat?

Respondeo 1. Kabbalistæ ajunt nomen *Jah* idem denotare quod JEHOVA; quia utrumque nomen eundem numerum exprimit: יהוה enim valet 26. totidem valet יה *Jah*; si nempe literæ יוד & הֵא integrè scribantur, & in numerum resolvantur.

2. Reuchlinus, libro 3. Kabbalæ, ait nomen *Jah* aliquid participare ex tribus nominibus Dei, scil. principium ex יהוה, medium ex אלהים (quia in medio est litera *He*) & finem ex אהיה.

3. Judæi, referente Reuchlino ibidem, volunt Deum vocari *Jah* propter beneficia, & *El* propter vim & virtutem. Sic enim ajunt, יה שהוא עולם הרחמים אדני שהוא עולם הדין Jah, *quod sit seculum clementiæ*; Adonai, *quod sit seculum severitatis.*

4. Græci Interpretes reddiderunt nomen Divinum *Jah* per κύριος; quia judicarunt idem significare quod JEHOVA.

5. Hieronymus ait nomen *Jah* denotare invisibilem.

6. Maimonides vult nomen *Jah* significare נצחות המציאה *aeternitatem essentiæ.*

7. Ut ut sit, nomen *Jah* videtur esse nomen Dei distinctum à JEHOVA: sed quid vi vocis denotet, non puto aliquem esse certum. *Jes.* 26. 4. occurrunt simul JEHOVA & *Jah*, cum dicitur ביה יהוה: unde probabiliter colligi potest, quod quædam sit differentia inter hæc duo nomina Divina.

IX. *Tertiò quæritur.* An nomen Dei *Jah* sit additum nominibus propriis, desinentibus in יה, ut ישעיה, ירמיה, עובדיה &c.

Respondeo affirmando: nam quædam nomina propria nonnunquam, loco nominis *Jah*, habent in fine *El*: ut עזריה & עזראל &c. Atqui non potest esse aliud nomen Dei, quod illis nominibus propriis additur quàm *Jah*: ergo illud nomen *Jah* talibus nominibus est annexum. Litera *He* ex *Jah* in nominibus compositis destituitur quidem puncto Mappik, sed hoc non mirum est: nam nomina in compositione sæpissimè aliquam patiuntur mutationem. Hæc dicta sufficiant de nominibus Dei Hebraicis desumptis ab ipsâ essentiâ Divinâ.

III. *De*

III. *De Nomine* אֵל El.

X. Jam sequuntur septem nomina Divina desumpta à proprietate aliquâ, scil. אלהים, אלה, שדי, ארני, עליון, צבאות, אל.

Inter hæc nomina primò se offert nomen אֵל *El*, desumptum à fortitudine, quæ Deo *κατ' ἐξοχὴν* competit. De hoc nomine *El* hæ duæ sequentes quæstiones moveri possunt.

XI. *Primò quæritur* de Etymologia: Unde hoc nomen *El* derivatur.

Respondeo 1. Quidam deducunt ab אול *robore*, ex *Psal.* 73.4. ubi dicitur אולם *robur eorum*, q.d. robustus.

2. Nonnulli ajunt nomen Dei אל esse decurtatum ab אֱלֹהַּ, quemadmodum putant יָהּ esse ex יהוה.

3. Alii ab אֱיָל *fortitudine* sic dictum volunt. Hinc quidam nomen אל non simpliciter per *Deum* transferunt, sed per *Deum fortem*. Apud Danielem Cap. 11. v. 36. Deus vocatur אל אלים *fortissimus omnium fortium*. Nos putamus אל derivari ab איל *fortitudine*; quia Deus alias creaturas fortitudine sua longè superat. Vide Buxtorf. in Dissert. de Nominibus Dei, §. 45.

XII. *Secundò quæritur*. An nomen Dei אֵל *El* etiam creaturis competit?

Respondeo affirmando. 1. Nomen El *primariò & propriè* competit Deo vero: quia ille est fortissimus. Hinc 2 *Sam.* 22. 32. rogatur, מי אל מבלעדי יהוה *Quis est Deus fortis præter* Jehovam?

2. Nomen El abusivè aliquando idolis tribuitur: quia non sunt propriè Deus: ut *Malach.* 2. 11. ובעל בת אל נכר *Et in uxorem accepit filiam Dei alieni.*

3. *Analogicè* nomen *El* etiam creaturis inferioribus convenit: ut *Ezech.* 31. 11. ubi de Rege Babyloniæ dicitur, ביד אל גוים *in manus fortissimi gentium.* Nomina Propria hominum & locorum sæpe hoc nomen *El* in principio vel in fine recipiunt: ut *Elisabeth*, *Elnathan*, *Israël*, *Bethuël*, &c.

4. Etiam nomen *El* tribuitur Angelis, sed præcipue in compositione, ut *Michaël*, *Gabriël*, *Raphaël* &c. uti fere omnia nomina Angelorum desinunt.

IV. *De*

V. *De nomine divino* צְבָאוֹת Tzebaoth.

XIII. Sequitur nomen Dei צְבָאוֹת *Tzebaoth*, quod est à singulari צָבָא *exercitus*. Deus jure merito vocatur *Exercitus*, vel *Deus exercituum*; quia multorum exercituum est dominus, qui ipsi ad nutum semper inserviunt.

Sic Angeli *Psal.* 103. 21. vocantur exercitus ejus: *Benedicite* JEHOVÆ *omnes exercitus ejus.*

Eodem nomine astra & sydera nominantur Genes. 2. 1. *Perfecti sunt cœli & terra, omnisque exercitus ejus.*

Præter hos exercitus sunt adhuc multi alii in hisce terris, qui à Deo ad puniendum impios sæpe adhibentur: sic locustæ, bruchi, aliaque perniciosa animalia sunt exercitus Dei.

XIV. De hoc nomine *quæritur*. An צְבָאוֹת *Tzebaoth*, conjunctum cum alio nomine Divino, semper sit nomen Dei?

Respondeo negando. Quia sæpissime per צבאות denotantur exercitus tum superiores, tum etiam inferiores. Sed צבאות tum videtur esse nomen Dei, quando cum alio nomine Divino *Jehova* vel *Elohim* per appositionem conjungitur: ut quando dicitur יהוה צבאות *Jes.* 1. 9. 24. & cap. 3. v. 1. &c. vel cum אלהים; ut quando legitur אלהים צבאות, *Psal.* 80. 8. 15. & 84. 9. *Jes.* 3. 15.

In his locis JEHOVA & *Elohim* non sunt in regimine: nam JEHOVA, utpote nomen Proprium, non potest esse in regimine; ideoque illi, qui negant esse constructionem, statuunt per Ellipsin post יהוה subintelligi אלהי.

Præterea voces אלהים צבאות videntur etiam conjunctę per appositionem; quia in regimine communiter solet esse אלהי. Ergo nomen צבאות, per appositionem conjunctum cum alio nomine, videtur esse nomen Dei.

XV. *Quæritur*. An nomen צבאות separatim sine alio nomine divino unquam tribuitur Deo?

Respondeo. Nomen צבאות nunquam separatim Deo tribuitur, quemadmodum alia nomina Divina Deo separatim tribui solent; sed semper invenitur conjunctum cum alio nomine Divino. Hinc tamen nemo bonâ consequentiâ probabit צבאות non esse nomen Dei: nam hæc appositio nominis צבאות cum alio nomine Divino sufficit ad

No-

Nominis Divini constitutionem. Etiam constructio in aliis locis ostendit nomen צבאות in appositione cum nomine Divino ipsum Deum denotare.

XVI. *Quæritur.* Quomodo nomen צבאות debet transferri?

Respondeo. Nomen צבאות non bene in illis locis, in quibus est appositio, transfertur per *Deum* vel *Dominum exercituum*: nam tum non est constructio, sed tantummodo appositio; ideoque etiam per appositionem sunt exponenda. Propterea videtur convenientius, si retentâ voce Hebraicâ tales appositiones verterentur per *Deus* vel *Dominus Tzebaoth*: quia *Tzebaoth* æque est nomen Dei ac *Elohim* & *El*.

VI. *De Nomine* עֶלְיוֹן Eljon.

XVII. Inter nomina Divina etiam numeratur עֶלְיוֹן *Excelsus*, ut Psalmo 82. v. 6. *Vos estis dii, & filii* altissimi *vos omnes.* Et Psal. 92. v. 2. *Bonum est canere nomini tuo* עליון ALTISSIME. Similiter Jesaiæ *cap.* 14. *v.* 14. *Ascendam supra excelsa nubis densæ, æquabo me* לעליון EXCELSO. In his locis per עליון intelligitur Deus, qui sic vocatur à עלה *ascendere*; quia ille solus est eminentissimus & celsissimus, gloriâ, majestate, & potentiâ suâ alias creaturas longè superans. Hinc Psalmista Psal. 97. v. 9. ait: *Tu* JEHOVA *summus es supra omnem terram, admodum exaltatus es supra omnes Deos.*

XVIII. De hoc nomine עֶלְיוֹן *Quæritur*: Utrum proprie sit nomen Dei, an potius Epitheton Dei?

Respondeo 1. Multi statuunt nomen עליון æque esse nomen Dei ac צבאות.

2. Alii verosimiliter defendunt עליון potius esse nominis Divini Epitheton, quàm ipsum nomen. Quare? 1. Quia est Adjectivum, & pro Adjectivo ab Interpretibus transfertur: nam Latini vertunt hoc nomen עליון per *Excelsus, Altus*, & Græci per ὕψιστος. 2. Vox עליון sæpissime aliis Dei nominibus adjungitur; & quando separatim absque nomine Divino invenitur, tum multi judicant aliquod nomen Dei esse subintelligendum.

Utut sit, nos judicamus עליון in multis locis esse nomen Divinum; & rationes, quæ contrarium videntur suadere, non sunt tanti ponderis, ut propterea necesse sit contrariam sententiam eligere.

XIX. Deus, quia altissimum locum inhabitat, à Rabbinis metonymi-

nymicè vocatur שָׁמַיִם *cœlum* : nam cœlum est primaria sedes gloriæ Divinæ. Propter eandem causam Deus in Novo Test. *Matth.* 21. 25. à Christo vocatur οὐρανὸς; quando rogat: Unde Baptismus Johannis esset, è cœlo, hoc est, à Deo, an ab hominibus?

VII. *De Nomine* אֲדֹנָי Adonaj.

XX. Deus in sacris Literis sæpissimè appellatur אֲדֹנָי *Adonai*, de quo hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Unde hoc nomen Divinum אדני *Adonai* derivatur?

Respondeo. 1. Non derivatur à דין *judicare*, ut Adonai idem denotet quod *Judex*.

2. Nomen *Adonai* descendit à Radice אֶדֶן *basis*; quasi Adonai sit subditorum basis & columen. Similiter Græci ajunt, quod Rex denominetur βασιλεὺς, quasi βάσις τοῦ λαοῦ *basis populi*. Vide Gomar. disp. 4. de Nominibus Dei.

XXI. *Secundò quæritur*. Utrum *Adonai* sit nomen plurale, an singulare?

Respondeo. Adonai est nomen plurale descendens à singulari אָדוֹן *Dominus*.

Hoc nomen Divinum *Adonai* usurpatur de Deo variis modis.

1. Nonnunquam usurpatur in plurali constructè, ut אֲדֹנֵי *Deut.* 10. 17.

2. Aliquando absolutè אֲדֹנִים *Malach.* 1. *v.* 6. ubi Deus dicit אם אדונים אני *si Dominus ego*.

3. Sæpissime de Deo dicitur cum *Jod* præcedente *Kametz*, ut אֲדֹנָי ita Abrahamus Deum compellavit *Genes.* 15. 2.

Hæc ultima forma pluralis numeri in *Jod* est irregularis: nihilominus tamen in quibusdam aliis exemplis etiam usitata est in S. Scriptura: ut in חַלּוֹנָי *fenestræ*, Jerem. 22. 14. in שָׂרַי *principes*, Judic. 5. 15. in הָרָי, גּוֹבָי &c. *Quæritur*: Quare in his exemplis scribitur Patach in fine, quum in Adonaj scribatur *Kametz*? *Resp*. Sacri Scriptores in *Adonai* addiderunt *Kametz*, ut hoc nomen *Adonai* distinguerent ab Adonai cum *Patach*, quod explicatur per *Domini mei*.

XXII. *Tertio quæritur*. Quomodo nomen *Adonai* debet transferri? Utrum simpliciter per *Dominos*, vel *Dominum*; an vero per *Dominum meum*, vel *Dominos meos*?

Respon-

Respondeo. Nomen *Adonai* non debet transferri per *Dominum meum*, vel per *Dominos meos*; quia illud *Jod* finale non est affixum: sed optimè vertitur per *Dominum* in singulari, etiamsi sit plurale. Nam *Adonai* significat singularem numerum: & Deus propterea vocatur *Adonai* in plurali numero, quia multarum rerum Dominus est.

XXIII. *Quartò quæritur.* An *Adonai* sit nomen Dei proprium?

Respondeo 1. Nomen *Adonim* & *Adone* in plurali nonnunquam creaturis tribuitur: ut *Jes.* 19.4. אדנים קשה, & *Genes.* 42.30. de Josepho dicitur אדני הארץ *Dominus terræ.*

2. Nomen *Adonai* notatum cum *Kametz* per se, hoc est, quando illud Kametz in fine sub *Adonai* non est propter accentum aliquem, tum soli vero Deo & non creaturis tribuitur. Masorethæ annotarunt nomen אֲדֹנָי de Deo sic scriptum & lectum inveniri in centum & triginta quatuor locis; inter quæ septem loca sunt, in quibus est לַאדֹנָי; & quinquaginta, in quibus est וַאדֹנָי. Vide Buxtorfium in Lexico Hebr. & ejusdem Concordantias Hebr. in fine.

3. In singulari אדון *Dominus*, vel אֲדֹנִי *Dominus meus* tum Deo, tum etiam hominibus tribuitur. Jos. 3. 11. Deus vocatur *Adon*, & *Psal.* 110. 1. nominatur אֲדֹנִי. E contra *Genes.* 45. 8. nomen אדון Josepho tribuitur, & *Genes.* 23. 15. Abraham vocatur *Adoni.*

4. In genere *Adon*, *Adonim* & *Adonai* in primariâ significatione conveniunt Deo; quia ille est summus omnium rerum Dominus: sed eadem nomina, vel saltem pleraque creaturis tribuuntur propter participationem dominii alicujus, quod Deus iis in hisce terris concedit.

VIII. *De Nomine* שַׁדַּי Schaddaj.

XXIV. Sequitur nomen שַׁדַּי *Schaddai*, cujus prima mentio fit Genes. 17. 1. *Ego sum* אל שדי Deus fortis omnipotens. Sæpissime hoc nomen שדי in sacris Literis usurpatur; de eo has duas quæstiones movebimus.

Primò quæritur. Unde hoc nomen שַׁדַּי derivatur?

Respondeo. Buxtorfius, in Dissertatione de Nominibus Dei, varias ejus nominis adfert Etymologias. 1. Quidam derivant à שָׁדַד *vastavit*; quia Deus eâ potentiâ, quâ omnia creavit, etiam eâdem omnia vastare potest: vel quia Deus pro lubitu suo vastat virtutes superiores, scil. syderum &c. Sed hæc Etymologia rejicitur. Ratio est: quia *Jod* in fine

sine additum non solet esse loco literæ geminatæ.

2. Alii deducunt à שַׁד *Mamma*; quasi שדי denotaret *mammosum*: quia Deus omnes creaturas alit & nutrit. Sic apud prophanos scriptores invenitur *Ceres mammosa*, *Diana mammosa*, &c.

3. His sententiis rejectis maximè arridet sententia eorum, qui שדי derivant à שֶׁ, idem denotante quod אשר *qui*, & דַּי *sufficiens*, vel *sufficientia*: & sic שדי idem esset, quod אשר די *qui sufficit*, vel *qui sufficiens est*, vel *qui sufficientia est*. Hanc sententiam approbant Maimonides More nev. part. 1. cap. 63. & Elias in Thisbi, aliique quamplurimi.

Hoc nomen שדי est desumptum à proprietate quâdam, & non ab essentiâ Divinâ: sed à quâ proprietate hoc nomen שדי sit desumptum, non adeo clarum est. Communis Doctorum sententia statuit hoc nomen Deo dari propter potentiam sive omnipotentiam; ideoque communiter transfertur à Latinis per *Præpotentem*, *Omnipotentem*, & à Græcis per παντοκράτορα.

XXV. *Secundò quæritur*. An hoc nomen שדי *Schaddaj* etiam creaturis tribuitur?

Respondeo. Nomen שדי nunquam creaturis tribuitur, sed semper soli Deo proprium est. Duobus quidem in locis nomen שדי componitur cum Nominibus propriis, ut *Numer*. 1. 6. & 12. in צורישדי & in עמישדי; attamen inde non sequitur, quod creaturis communicetur. Nam nomina propria, ut JEHOVA, JAH, etiamsi extra compositionem nunquam communicentur creaturis, tamen in compositione sæpissimè nominibus propriis adduntur, ut יהונתן, עובדיה &c.

Vulgo objiciuntur quædam loca, ut *Ezech*. 1. 24. *Job*. 6. 4. & 22. 25. in quibus nomen שדי videtur tribui creaturis: sed revera circumstantiæ & loca similia ostendunt Deum intelligi: nam potest esse vel Ellipsis Adverbii similitudinis *sicut*, vel alio quocunque modo loca illa possunt explicari; saltem nullo modo ex illis Textibus probari potest quod nomen *Schaddai* etiam creaturis tribuatur.

DISSER-

DISSERTATIO TRIGESIMA-SECUNDA,

QUÆ EST

DE

NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

PARS SEXTA & ULTIMA.

§. 1. *Sequuntur nomina* אֱלֹהַּ *&* אֱלֹהִים *explicanda.*

2. *Etymologiæ nominum Eloah & Elohim, quæ vulgò dantur, sunt incertæ.*

3. *Significatio eorum nominum investigatur.*

4. *Nomen Elohim etiam tribuitur Judicibus, Angelis & Idolis.*

5. *Rationes earum appellationum dantur.*

6. *Nomen Elohim primariò competit vero Deo & secundariò Judicibus, Angelis aliisque.*

7. *Ex verbo singulari, conjuncto cum nomine plurali, non potest probari pluralitas personarum in Essentia Divina.*

8. *Multo minus Trinitas.*

9. *Argumentum, desumptum à prima persona plurali, usurpatum de Deo, probat pluralitatem personarum.*

IX. X. *De Nominibus* אֱלֹהַּ Eloah *&* אֱלֹהִים Elohim.

SECTIO I.



HActenus egimus de tribus Nominibus Dei desumptis ab ipsâ essentiâ Dei, & de quinque aliis desumptis à proprietate aliquâ Divinâ. Adhuc supersunt duo nomina divina, scil. אֱלֹהַּ & אֱלֹהִים.

Sub quadruplici formâ hæc duo nomina in S. Scriptura occurrunt: dicimus enim אֱלֹהַּ, אֱלֹהִים, אֱלֹהֵי, & cum affixis in fine, ut אֱלֹהֵי, אֱלֹהֶיךָ, &c. Hinc, quia hoc nomen divinum sæpè cum affixis in Bibliis occurrit, elicitur non esse nomen Dei Proprium, sed Appellativum. Ratio est: quia nomina Propria non solent à fine recipere affixa.

De אלוה & אלהים has sequentes quæstiones movebimus.

II. *Primò quæritur.* Unde nomina Divina אלוה & אלהים derivantur?

Respondeo. Variæ à Doctis assignantur Etymologiæ hujus nominis vel horum nominum, sed omnes sunt incertæ; quia S. Scriptura nullibi ejus Etymologiam ostendit. Nam אָלַהּ cum He Mappicato in totâ Scripturâ non occurrit, nisi in nomine divino אֱלוֹהַּ.

1. Quidam nomen אֱלוֹהַּ deducunt ab antiquo אָלַהּ, verbo apud Arabes adhuc usitato, apud quos scribitur *Alaha*, quod significat *adoravit*. Hinc apud Arabes *Allaho* est *Deus*: & sic אלוה ex eorum sententiâ idem significaret quod *colendus* sive *adorandus*.

2. Alii derivant nomen אלוה à verbo אָלָה sine He mappicato, significante *execratus est*, *juravit*; quia in Juramentis & execrationibus fit mentio Dei.

Sed hæc Etymologia non videtur tàm verosimilis quàm prima; tum quia in hoc verbo אָלָה *execratus est* non est He Mappicatum, quale in præcedenti verbo invenitur; tum etiam quia non solet simplex He mutari in He Mappicatum.

3. Nonnulli deducunt à nomine אֵל *fortis*, & sic אלהים denotaret *Potentissimum*.

Sed illa Etymologia non videtur approbanda; quia litera He Mappicata, qualis est in אֱלוֹהַּ, nunquam solet esse servilis, sed semper radicalis, nisi sit affixum fœm. gen.

Hanc difficultatem videns Abarbanel dicit ad Caput 1. Geneseos אלוה & אלהים derivari quidem ab אֵל, sed cæteras literas addi ex Nomine Tetragrammato Jehova.

Sed quomodo, quæso, cæteræ literæ adduntur ex Nomine Tetragrammato?

Idem Abarbanel ait in אֱלוֹהַּ esse duas literas nominis יהוה, nempe *Vau* & *He*; totidem etiam in אלהי scil. *He* & *Jod*. In אלהים sunt quidem additæ tres literæ; sed putat literam illam *Mem* tantum esse additam ad denotandum, quod אלהים non sit in statu regiminis. Præterea asserit אלהים non esse nomen plurale, sed tantum singulare.

Ex his duabus literis, quæ quasi ex nomine יהוה adduntur voci אל ad formandum אֱלוֹהַּ, elicit rationem, quare אֱלוֹהַּ semper scribatur plenè cum literâ Vau, excepto unico loco *Deut.* 32. 17. ubi de Dæmonibus sermo est, & ubi dicitur quod non sint אֱלֹהַּ *Deus*.

E contra, idem Abarbanel hinc desumit rationem, quare אלהים, אלהי, & cum affixis, semper defectivè sine literâ *Vau* scribantur, exceptis

ptis tribus tantum locis, scil. semel secundùm Masoram, in אֱלֹהַי *Psal.* 18. 47. & bis in אֱלֹהַי *Psal.* 143. 10. & 145. 1.

Abarbanel dat hujus rei hanc rationem, quia duæ literæ Nominis Tetragrammati, additæ huic nomini, sufficiunt: nam si scriptum esset אלוהי, tum quidem tres literæ nominis יהוה essent additæ. Sed hæc suo loco relinquimus.

4. Nos putamus certam Etymologiam nominis אלוה dari non posse; & propterea in Lexicis scribitur literis majusculis, uti voces primitivæ scribi solent.

III. *Secundò quæritur.* Quid nomina *Eloah* & *Elohim* propriè significant.

Respondeo. Multorum nominum Divinorum, quando eorundem Etymologia dari potest, significatio est nota: ex. gr. nominum עליון, אל, שדי, utpote desumptorum à proprietate quâdam divinâ, significatio est certa. Sed quia nescimus, unde *Eloah* derivetur, ideo etiam significatio illius nominis ignota est. Similiter nescimus, quid propriè significat Θεός; quia ejus nominis certa Etymologia dari non potest.

In genere tres sunt sententiæ de significatione nominis *Eloah* & *Elohim*.

1. Judæorum communis sententia est nomina אלוה & אלהים propriè denotare *Judicem* sive *Magistratum*, & JEHOVA Deum gratiosum. Vide Lexicon Hebr. Buxt. in Rad. אלוה. Unde, quæso, hoc eliciunt Judæi? *Resp.* Quia 1 Sam. 2. 25. dicitur: *Si peccaverit vir in virum judicabit eum* אלהים ELOHIM. Et Exod. 22. 7. *Et accedet Paterfamilias ad Elohim*, hoc est, Judices. Sed hoc gratis à Judæis asseritur.

2. Abarbanel, quia Eloah deducit ab אֵל, putat nomen *Eloah* significare *effectorem* & omnium rerum *productorem omnipotentem*. Unde hoc probat? *Resp.* Quia Deus tanquam Creator hoc nomine insignitur: ut Jes. 44. 6. *Ego sum primus, & ego sum ultimus, & præter me non est* אלהים quasi dicas, *Influens*, vel *Efficiens per influxum*. Vide plura apud Buxt. in Dissert. de Nominibus Dei. Addi posset & hæc ratio, quia in principio Geneseos, ubi agitur de creatione, statim dicitur ברא אלהים *Creavit Elohim*.

3. Capellus in Diatriba de nomine אלהים, Capite 3. negat nomina divina *Eloah* & *Elohim* esse concipienda sub conceptu alicujus proprietatis divinæ in particulari, uti cætera Nomina Divina, אל, שדי, עליון

V. *De nomine divino* צְבָאוֹת Tzebaoth.

XIII. Sequitur nomen Dei צְבָאוֹת *Tzebaoth*, quod eſt à ſingulari צָבָא *exercitus*. Deus jure merito vocatur *Exercitus*, vel *Deus exercituum*; quia multorum exercituum eſt dominus, qui ipſi ad nutum ſemper inſerviunt.

Sic Angeli *Pſal.* 103. 21. vocantur exercitus ejus: *Benedicite* JEHOVÆ *omnes exercitus ejus.*

Eodem nomine aſtra & ſydera nominantur Geneſ. 2. 1. *Perfecti ſunt cœli & terra, omniſque exercitus ejus.*

Præter hos exercitus ſunt adhuc multi alii in hiſce terris, qui à Deo ad puniendum impios ſæpe adhibentur: ſic locuſtæ, bruchi, aliaque pernicioſa animalia ſunt exercitus Dei.

XIV. De hoc nomine *quæritur*. An צְבָאוֹת *Tzebaoth*, conjunctum cum alio nomine Divino, ſemper ſit nomen Dei?

Reſpondeo negando. Quia ſæpiſſime per צבאות denotantur exercitus tum ſuperiores, tum etiam inferiores. Sed צבאות tum videtur eſſe nomen Dei, quando cum alio nomine Divino *Jehova* vel *Elohim* per appoſitionem conjungitur: ut quando dicitur יהוה צבאות *Jeſ.* 1. 9. 24. & cap. 3. v. 1. &c. vel cum אלהים; ut quando legitur אלהים צבאות, *Pſal.* 80. 8. 15. & 84. 9. *Jeſ.* 3. 15.

In his locis JEHOVA & *Elohim* non ſunt in regimine: nam JEHOVA, utpote nomen Proprium, non poteſt eſſe in regimine; ideoque illi, qui negant eſſe conſtructionem, ſtatuunt per Ellipſin poſt יהוה ſubintelligi אלהי.

Præterea voces אלהים צבאות videntur etiam conjunctę per appoſitionem; quia in regimine communiter ſolet eſſe אלהי. Ergo nomen צבאות, per appoſitionem conjunctum cum alio nomine, videtur eſſe nomen Dei.

XV. *Quæritur*. An nomen צבאות ſeparatim ſine alio nomine divino unquam tribuitur Deo?

Reſpondeo. Nomen צבאות nunquam ſeparatim Deo tribuitur, quemadmodum alia nomina Divina Deo ſeparatim tribui ſolent; ſed ſemper invenitur conjunctum cum alio nomine Divino. Hinc tamen nemo bonâ conſequentiâ probabit צבאות non eſſe nomen Dei: nam hæc appoſitio nominis צבאות cum alio nomine Divino ſufficit ad

No-

Nominis Divini constitutionem. Etiam constructio in aliis locis ostendit nomen צבאות in appositione cum nomine Divino ipsum Deum denotare.

XVI. *Quæritur.* Quomodo nomen צבאות debet transferri?

Respondeo. Nomen צבאות non bene in illis locis, in quibus est appositio, transfertur per *Deum* vel *Dominum exercituum*: nam tum non est constructio, sed tantummodo appositio; ideoque etiam per appositionem sunt exponenda. Propterea videtur convenientius, si retentâ voce Hebraicâ tales appositiones verterentur per *Deus* vel *Dominus Tzebaoth*: quia *Tzebaoth* æque est nomen Dei ac *Elohim* & *El*.

VI. *De Nomine* עֶלְיוֹן Eljon.

XVII. Inter nomina Divina etiam numeratur עֶלְיוֹן *Excelsus*, ut Psalmo 82. v. 6. *Vos estis dii, & filii* altissimi *vos omnes*. Et Psal. 92. v. 2. *Bonum est canere nomini tuo* עליון ALTISSIME. Similiter Jesaiæ *cap.* 14. *v.* 14. *Ascendam supra excelsa nubis densæ, æquabo me* לְעֶלְיוֹן EXCELSO. In his locis per עליון intelligitur Deus, qui sic vocatur à עָלָה *ascendere*; quia ille solus est eminentissimus & celsissimus, gloriâ, majestate, & potentiâ suâ alias creaturas longè superans. Hinc Psalmista Psal. 97. v. 9. ait: *Tu* JEHOVA *summus es supra omnem terram, admodum exaltatus es supra omnes Deos.*

XVIII. De hoc nomine עֶלְיוֹן *Quæritur*: Utrum proprie sit nomen Dei, an potius Epitheton Dei?

Respondeo 1. Multi statuunt nomen עֶלְיוֹן æque esse nomen Dei ac צבאות.

2. Alii verosimiliter defendunt עליון potius esse nominis Divini Epitheton, quàm ipsum nomen. Quare? 1. Quia est Adjectivum, & pro Adjectivo ab Interpretibus transfertur: nam Latini vertunt hoc nomen עליון per *Excelsus, Altus*, & Græci per ὕψιστος. 2. Vox עליון sæpissime aliis Dei nominibus adjungitur; & quando separatim absque nomine Divino invenitur, tum multi judicant aliquod nomen Dei esse subintelligendum.

Utut sit, nos judicamus עליון in multis locis esse nomen Divinum; & rationes, quæ contrarium videntur suadere, non sunt tanti ponderis, ut propterea necesse sit contrariam sententiam eligere.

XIX. Deus, quia altissimum locum inhabitat, à Rabbinis metonymi-

nymicè vocatur שָׁמַיִם *cœlum*: nam cœlum est primaria sedes gloriæ Divinæ. Propter eandem causam Deus in Novo Test. *Matth.* 21. 25. à Christo vocatur οὐρανὸς; quando rogat: Unde Baptismus Johannis esset, è cœlo, hoc est, à Deo, an ab hominibus?

VII. *De Nomine* אֲדֹנָי Adonaj.

XX. Deus in sacris Literis sæpissimè appellatur אֲדֹנָי *Adonai*, de quo hæ sequentes quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur. Unde hoc nomen Divinum אדני *Adonai* derivatur?

Respondeo. 1. Non derivatur à דון *judicare*, ut Adonai idem denotet quod *Judex*.

2. Nomen *Adonai* descendit à Radice אֶדֶן *basis*; quasi Adonai sit subditorum basis & columen. Similiter Græci ajunt, quod Rex denominetur βασιλεὺς, quasi βάσις τοῦ λαοῦ *basis populi*. Vide Gomar. disp. 4. de Nominibus Dei.

XXI. *Secundò quæritur*. Utrum *Adonai* sit nomen plurale, an singulare?

Respondeo. Adonai est nomen plurale descendens à singulari אָדוֹן *Dominus*.

Hoc nomen Divinum *Adonai* usurpatur de Deo variis modis.

1. Nonnunquam usurpatur in plurali constructè, ut אֲדֹנֵי *Deut.* 10. 17.

2. Aliquando absolutè אֲדֹנִים *Malach.* 1. *v.* 6. ubi Deus dicit אם אדונים אני *si Dominus ego.*

3. Sæpissime de Deo dicitur cum *Jod* præcedente *Kametz*, ut אֲדֹנָי ita Abrahamus Deum compellavit *Genes.* 15. 2.

Hæc ultima forma pluralis numeri in *Jod* est irregularis: nihilominus tamen in quibusdam aliis exemplis etiam usitata est in S. Scriptura: ut in חַלּוֹנַי *fenestræ*, Jerem. 22. 14. in שָׂרַי *principes*, Judic. 5. 15. in חַי, גוֹבַי &c. *Quæritur*: Quare in his exemplis scribitur Patach in fine, quum in Adonaj scribatur *Kametz*? *Resp.* Sacri Scriptores in *Adonai* addiderunt *Kametz*, ut hoc nomen *Adonai* distinguerent ab Adonai cum *Patach*, quod explicatur per *Domini mei*.

X XII. *Tertio quæritur*. Quomodo nomen *Adonai* debet transferri? Utrum simpliciter per *Dominos*, vel *Dominum*; an vero per *Dominum meum*, vel *Dominos meos*?

Respon-

Respondeo. Nomen *Adonai* non debet transferri per *Dominum meum*, vel per *Dominos meos*; quia illud *Jod* finale non est affixum: sed optimè vertitur per *Dominum* in singulari, etiamsi sit plurale. Nam *Adonai* significat singularem numerum: & Deus propterea vocatur *Adonai* in plurali numero, quia multarum rerum Dominus est.

XXIII. *Quartò quæritur.* An *Adonai* sit nomen Dei proprium?

Respondeo 1. Nomen *Adonim* & *Adone* in plurali nonnunquam creaturis tribuitur: ut *Jes.* 19.4. אדנים קשה, & *Genes.* 42.30. de Josepho dicitur אדני הארץ *Dominus terræ.*

2. Nomen *Adonai* notatum cum *Kametz* per se, hoc est, quando illud Kametz in fine sub *Adonai* non est propter accentum aliquem, tum soli vero Deo & non creaturis tribuitur. Masorethæ annotarunt nomen אֲדֹנָי de Deo sic scriptum & lectum inveniri in centum & triginta quatuor locis; inter quæ septem loca sunt, in quibus est לַאדֹנָי; & quinquaginta, in quibus est וַאדֹנָי. Vide Buxtorfium in Lexico Hebr. & ejusdem Concordantias Hebr. in fine.

3. In singulari אדון *Dominus*, vel אֲדֹנִי *Dominus meus* tum Deo, tum etiam hominibus tribuitur. Jos. 3. 11. Deus vocatur *Adon*, & *Psal.* 110. 1. nominatur אֲדֹנִי. E contra *Genes.* 45. 8. nomen אדון Josepho tribuitur, & *Genes.* 23. 15. Abraham vocatur *Adoni.*

4. In genere *Adon*, *Adonim* & *Adonai* in primariâ significatione conveniunt Deo; quia ille est summus omnium rerum Dominus: sed eadem nomina, vel saltem pleraque creaturis tribuuntur propter participationem dominii alicujus, quod Deus iis in hisce terris concedit.

VIII. *De Nomine* שַׁדַּי Schaddaj.

XXIV. Sequitur nomen שַׁדַּי *Schaddai*, cujus prima mentio fit Genes. 17. 1. *Ego sum* אל שדי Deus fortis omnipotens. Sæpissime hoc nomen שדי in sacris Literis usurpatur; de eo has duas quæstiones movebimus.

Primò quæritur. Unde hoc nomen שַׁדַּי derivatur?

Respondeo. Buxtorfius, in Dissertatione de Nominibus Dei, varias ejus nominis adfert Etymologias. 1. Quidam derivant à שָׁדַד *vastavit*; quia Deus eâ potentiâ, quâ omnia creavit, etiam eâdem omnia vastare potest: vel quia Deus pro lubitu suo vastat virtutes superiores, scil. syderum &c. Sed hæc Etymologia rejicitur. Ratio est: quia *Jod* in

sine additum non solet esse loco literæ geminatæ.

2. Alii deducunt à שַׁד *Mamma*; quasi שדי denotaret *mammosum*: quia Deus omnes creaturas alit & nutrit. Sic apud prophanos scriptores invenitur *Ceres mammosa*, *Diana mammosa*, &c.

3. His sententiis rejectis maximè arridet sententia eorum, qui שדי derivant à שֶׁ, idem denotante quod אשר *qui*, & דַי *sufficiens*, vel *sufficientia*: & sic שדי idem esset, quod אשר די *qui sufficit*, vel *qui sufficiens est*, vel *qui sufficientia est*. Hanc sententiam approbant Maimonides More nev. part. 1. cap. 63. & Elias in Thisbi, aliique quamplurimi.

Hoc nomen שדי est desumptum à proprietate quâdam, & non ab essentiâ Divinâ: sed à quâ proprietate hoc nomen שדי sit desumptum, non adeo clarum est. Communis Doctorum sententia statuit hoc nomen Deo dari propter potentiam sive omnipotentiam; ideoque communiter transfertur à Latinis per *Præpotentem*, *Omnipotentem*, & à Græcis per παντοκράτωρα.

XXV. *Secundò quæritur*. An hoc nomen שדי *Schaddaj* etiam creaturis tribuitur?

Respondeo. Nomen שדי nunquam creaturis tribuitur, sed semper soli Deo proprium est. Duobus quidem in locis nomen שדי componitur cum Nominibus propriis, ut *Numer*. 1. 6. & 12. in צוּרִישַׁדָּי & in עַמִּישַׁדָּי; attamen inde non sequitur, quod creaturis communicetur. Nam nomina propria, ut Jehova, Jah, etiamsi extra compositionem nunquam communicentur creaturis, tamen in compositione sæpissimè nominibus propriis adduntur, ut יהונתן, עובדיה &c.

Vulgo objiciuntur quædam loca, ut *Ezech*. 1. 24. *Job*. 6. 4. & 22. 25. in quibus nomen שדי videtur tribui creaturis: sed revera circumstantiæ & loca similia ostendunt Deum intelligi: nam potest esse vel Ellipsis Adverbii similitudinis *sicut*, vel alio quocunque modo loca illa possunt explicari; saltem nullo modo ex illis Textibus probari potest quod nomen *Schaddai* etiam creaturis tribuatur.

DISSERTATIO TRIGESIMA-SECUNDA,

QUÆ EST

DE

NOMINIBUS DEI HEBRAICIS.

PARS SEXTA & ULTIMA.

§. 1. *Sequuntur nomina* אֱלוֹהַּ *&* אֱלֹהִים *explicanda.*
2. *Etymologiæ nominum Eloah & Elohim, quæ vulgò dantur, sunt incertæ.*
3. *Significatio eorum nominum investigatur.*
4. *Nomen Elohim etiam tribuitur Judicibus, Angelis & Idolis.*
5. *Rationes earum appellationum dantur.*
6. *Nomen Elohim primariò competit vero Deo & secundariò Judicibus, Angelis aliisque.*
7. *Ex verbo singulari, conjuncto cum nomine plurali, non potest probari pluralitas personarum in Essentia Divina.*
8. *Multo minus Trinitas.*
9. *Argumentum, desumptum à prima persona plurali, usurpatum de Deo, probat pluralitatem personarum.*

IX. X. *De Nominibus* אֱלוֹהַּ Eloah *&* אֱלֹהִים Elohim.

SECTIO I.



HActenus egimus de tribus Nominibus Dei desumptis ab ipsâ essentiâ Dei, & de quinque aliis desumptis à proprietate aliquâ Divinâ. Adhuc supersunt duo nomina divina, scil. אֱלוֹהַּ & אֱלֹהִים.

Sub quadruplici formâ hæc duo nomina in S. Scriptura occurrunt: dicimus enim אֱלֹהֵי, אֱלֹהַּ, אֱלֹהִים, & cum affixis in fine, ut אֱלֹהַי, אֱלֹהֶיךָ, &c. Hinc, quia hoc nomen divinum sæpè cum affixis in Bibliis occurrit, elicitur non esse nomen Dei Proprium, sed Appellativum. Ratio est: quia nomina Propria non solent à fine recipere affixa.

De אלוה & אלהים has sequentes quæstiones movebimus.

II. *Primò quæritur.* Unde nomina Divina אלוה & אלהים derivantur?

Respondeo. Variæ à Doctis assignantur Etymologiæ hujus nominis vel horum nominum, sed omnes sunt incertæ; quia S. Scriptura nullibi ejus Etymologiam ostendit. Nam אָלַהּ cum He Mappicato in totâ Scripturâ non occurrit, nisi in nomine divino אֱלוֹהַּ.

1. Quidam nomen אֱלוֹהַּ deducunt ab antiquo אָלַהּ, verbo apud Arabes adhuc usitato, apud quos scribitur *Alaha*, quod significat *adoravit*. Hinc apud Arabes *Allaho* est *Deus*: & sic אלוה ex eorum sententiâ idem significaret quod *colendus* sive *adorandus*.

2. Alii derivant nomen אלוה à verbo אָלָה sine He mappicato, significante *execratus est*, *juravit*; quia in Juramentis & execrationibus fit mentio Dei.

Sed hæc Etymologia non videtur tàm verosimilis quàm prima; tum quia in hoc verbo אָלָה *execratus est* non est He Mappicatum, quale in præcedenti verbo invenitur; tum etiam quia non solet simplex He mutari in He Mappicatum.

3. Nonnulli deducunt à nomine אֵל *fortis*, & sic אלהים denotaret *Potentissimum*.

Sed illa Etymologia non videtur approbanda; quia litera He Mappicata, qualis est in אֱלוֹהַּ, nunquam solet esse servilis, sed semper radicalis, nisi sit affixum fœm. gen.

Hanc difficultatem videns Abarbanel dicit ad Caput 1. Geneseos אלוה & אלהים derivari quidem ab אֵל, sed cæteras literas addi ex Nomine Tetragrammato Jehova.

Sed quomodo, quæso, cæteræ literæ adduntur ex Nomine Tetragrammato?

Idem Abarbanel ait in אֱלוֹהַּ esse duas literas nominis יהוה, nempe *Vau* & *He*; totidem etiam in אלהי scil. *He* & *Jod*. In אלהים sunt quidem additæ tres literæ; sed putat literam illam *Mem* tantum esse additam ad denotandum, quod אלהים non sit in statu regiminis. Præterea asserit אלהים non esse nomen plurale, sed tantum singulare.

Ex his duabus literis, quæ quasi ex nomine יהוה adduntur voci אל ad formandum אֱלוֹהַּ, elicit rationem, quare אֱלוֹהַּ semper scribatur plenè cum literâ Vau, excepto unico loco *Deut.* 32. 17. ubi de Dæmonibus sermo est, & ubi dicitur quod non sint אֱלֹהַּ *Deus*.

E contra, idem Abarbanel hinc desumit rationem, quare אלהים, אלהי, & cum affixis, semper defectivè sine literâ *Vau* scribantur, exceptis

ptis tribus tantum locis, scil. semel secundùm Masoram, in אֱלוֹהַּ *Psal.* 18. 47. & bis in אֱלוֹהַּ *Psal.* 143. 10. & 145. 1.

Abarbanel dat hujus rei hanc rationem, quia duæ literæ Nominis Tetragrammati, additæ huic nomini, sufficiunt: nam si scriptum esset אלוהי, tum quidem tres literæ nominis יהוה essent additæ. Sed hæc suo loco relinquimus.

4. Nos putamus certam Etymologiam nominis אלוה dari non posse; & propterea in Lexicis scribitur literis majusculis, uti voces primitivæ scribi solent.

III. *Secundò quæritur.* Quid nomina *Eloah* & *Elohim* propriè significant.

Respondeo. Multorum nominum Divinorum, quando eorundem Etymologia dari potest, significatio est nota: ex. gr. nominum עליון, אל, שדי, utpote desumptorum à proprietate quâdam divinâ, significatio est certa. Sed quia nescimus, unde *Eloah* derivetur, ideo etiam significatio illius nominis ignota est. Similiter nescimus, quid propriè significat Θεός; quia ejus nominis certa Etymologia dari non potest.

In genere tres sunt sententiæ de significatione nominis *Eloah* & *Elohim*.

1. Judæorum communis sententia est nomina אלוה & אלהים propriè denotare *Judicem* sive *Magistratum*, & Jehova Deum gratiosum. Vide Lexicon Hebr. Buxt. in Rad. אלוה. Unde, quæso, hoc eliciunt Judæi? *Resp.* Quia 1 Sam. 2. 25. dicitur: *Si peccaverit vir in virum judicabit eum* אלהים Elohim. Et Exod. 22. 7. *Et accedet Paterfamilias ad Elohim*, hoc est, Judices. Sed hoc gratis à Judæis asseritur.

2. Abarbanel, quia Eloah deducit ab אֵל, putat nomen *Eloah* significare *effectorem* & omnium rerum *productorem omnipotentem*. Unde hoc probat? *Resp.* Quia Deus tanquam Creator hoc nomine insignitur: ut Jes. 44. 6. *Ego sum primus, & ego sum ultimus, & præter me non est* אלהים quasi dicas, *Influens*, vel *Efficiens per influxum*. Vide plura apud Buxt. in Dissert. de Nominibus Dei. Addi posset & hæc ratio, quia in principio Geneseos, ubi agitur de creatione, statim dicitur ברא אלהים *Creavit Elohim*.

3. Capellus in Diatriba de nomine אלהים, Capite 3. negat nomina divina *Eloah* & *Elohim* esse concipienda sub conceptu alicujus proprietatis divinæ in particulari, uti cætera Nomina Divina, אל, שדי, עליון

עליון &c. sub conceptu unius proprietatis divinæ communiter concipi solent: sed vult *Eloah* & *Elohim* in conceptu suo involvere omnes proprietates sive perfectiones divinas, quemadmodum in aliis linguis nomen *Deus*. Omnes enim Gentes hoc nomine in linguâ sibi propriâ & vernaculâ designant summum Numen, quod omnes perfectiones in se comprehendit.

Hæc ultima sententia mihi verosimillima videtur: nam concipiendo *Elohim*, non concipimus eum sub hac vel illa proprietate; sed in genere concipimus eum ita, quemadmodum Græci Θεὸν, Latini *Deum*, & Belgæ Godt concipere solent.

IV. *Tertiò quæritur*. Quibus nomen Elohim præterea in S. Scripturâ tribuitur quàm verò Deo?

Respondeo 1. Nomen *Elohim* tribuitur Magistratui sive Judicibus, Psal. 82. 6. *Ego dixi* אלהים אתם vos Dii estis: & versu 1. Deus dicitur stare in medio אלהים *Judicum*. Et Exod. 21. 6. *Dominus adducet eum* אל אלהים ad Deos, hoc est, Judices.

2. Nomen *Elohim* etiam tribuitur Angelis, Psal. 8. 6. *Fecisti eum inferiorem paululum* מאלהים infra Angelos; quam vocem per angelos vertit Apostolus in Epistola ad Hebræos *cap*. 2. *v*. 7. *Fecisti eum paulisper inferiorem Angelis*. Et Psal. 97. 7. *Adorent eum omnes* אלהים Angeli; quam vocem similiter idem Apostolus in eadem Epistola cap. 1. v. 6. transfert: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*.

3. Tribuitur falsis Diis, Exod. 22. 19. *Qui sacrificat* לאלהים Diis Falsis, *anathema sit*. Sic eodem nomine etiam Vitulus aureus appellatur Exodi *cap*. 32. *v*. 31.

V. *Quartò quæritur*. Ob quas causas nomen *Elohim* aliis creaturis tribuitur quàm vero Deo?

Respondeo. Causæ appellationum (licèt non eædem assignentur ab omnibus) videntur fere esse hæ sequentes.

Primò. Nomen *Elohim* conceditur Regibus, Magistratibus & Judicibus propter has rationes. 1. Quia sunt supra communem reliquorum sui generis sortem & conditionem: nam illud *Divinum* vocamus, quod est eximium & excellens; sic *divinum* scriptum, *divinum* ingenium nominamus illud, quod est excellens supra reliqua sui generis scripta & ingenia. Similiter montes excelsi, qui cæteris montibus altiores sunt, vocantur Psal. 36. 7. *montes Dei*.

2. Vel nomen *Elohim* datur Magistratibus & Judicibus, quia vicem

cem Dei in hisce terris gerunt: illi enim sæpissimè exequuntur judicia Dei, puniendo sontes, quos Deus puniri jussit.

3. Fortasse Reges & Magistratus vocantur *Elohim*, quia subditi sæpe Reges suos & summos Magistratus ita colunt, ac si Dii essent.

Secundò. Nomen אלהים tribuitur Angelis. 1. Quia in ipsis divina & cœlestis gloria quodammodo refulget.

2. Verosimiliter nomen Elohim tribuitur etiam Angelis; quia vulgò hominum errore tum temporis pro Diis habebantur ab hominibus impiis & ab idololatris. Nam vix videtur verosimile Angelos in principio tam specioso nomine ab ipso Deo fuisse nominatos; quia tam magnificum nomen fuisset in hominibus magnum idololatriæ periculum. Facilis enim datur à nominis communicatione ad honoris & cultus communionem transitus. Sed *dices*: simile periculum etiam est in Regibus & summis Magistratibus, qui tamen à Deo vocantur *Elohim*. *Resp*. Tantum periculum non est in Regibus & Magistratibus; quia homines satis vident eos non esse Deos, sed mori instar aliorum hominum. Deinde Angeli sunt magis similes Deo: nam sunt immortales & planè spiritualis naturæ; quum Magistratus sint mortales, & præterea corpus habeant.

Tertiò. Nomen *Elohim* datur falsis Diis; quia idola sive falsi Dii pro veris Diis à cultoribus suis habentur.

VI. *Quintò quæritur*. Quum nomen Elohim tribuatur vero Deo, & nonnunquam etiam creaturis: quæritur; Utrum de Deo, an vero de creaturis dicatur in primariâ significatione?

Respondeo 1. Maimonides More Nevoc. parte 2. cap. 6. pag. 119. in initio ait: *Hoc nomen primariò significat Judices, & metaphoricè transfertur ad Angelos & Creatorem, eo quod ipse sit Judex super Angelos.*

Sed hæc sententia falsa est. Nam nomen Elohim rarissimè dicitur de Angelis & de Judicibus, sed millenis fere in locis de vero Deo; & illud magis pro propriâ significatione est habendum, quod sæpissime in S. Scripturâ usurpatur, quàm illud, quod tantum rarissime est usitatum.

2. Aben Ezra videtur asserere hoc nomen primariò dici de Angelis; & Deum vocari Elohim, quia ejus opera fiunt per ministerium Angelorum.

Sed hæc sententia eodem modo refutatur, quo prima refutata est. Deinde Deus non vocatur Elohim, quia omnia mediantibus Angelis

creavit: nam *Genes.* 1. 1. dicitur, quod *Elohim creaverit cœlum, terram & lucem*, antequam essent Angeli, quibus mediantibus potuisset creasse.

3. Nos putamus nomen Elohim in primâ & propriâ significatione competere Deo, & in secundariâ significatione Judicibus & Angelis. Rationes ejus assertionis jam jam dedimus. Vide plura apud Buxtorfium in Dissertatione de Nominibus Dei.

VII. Jam sequitur celebris & diu agitata inter Doctos quæstio *sexta*, quâ *quæritur*: An ex nomine pluralis numeri Elohim, conjuncto cum verbo singularis numeri (ex. gr. בָּרָא אֱלֹהִים) possit probari Trinitas, vel ad minimum pluralitas Personarum in unicâ essentiâ Divinâ?

Respondeo. Nego cum Calvino, Mercero, Drusio, Paræo, Gomaro, Buxtorfio, & cum multis aliis præstantissimis Theologis & Philologis. Nolumus hanc sententiam tantum auctoritatibus confirmare, & Judæis vel Socinianis ullo modo patrocinari, חלילה *absit* hoc: sed volumus rem ipsam è genio linguæ Hebraicæ ad exactam trutinam, ab omnibus præjudiciis liberam, penitius examinare.

Primò considerabimus ipsum nomen אלהים *Elohim*, & probabimus illud, (licèt sæpissimè de creaturis in significatione plurali usurpetur) in quamplurimis locis attribui rebus singularibus; quod sequentibus exemplis confirmamus.

1. Angelus ille singularis, qui apparuit Manoæ, vocatur *Elohim*: nam Judic. 13. 12. habetur: *Moriemur, quia vidimus* אלהים ANGELUM.

2. Nomen *Elohim* sæpissimè in S. Scriptura dicitur de unico Idolo in singulari: sic *Exod.* 32. 31. vitulus aureus vocatur אֱלֹהֵי זָהָב *Deus aureus*, & versu 4. Aaron ostendens aureum vitulum, dicit אלה אלהיך HI SUNT DII TUI, *qui te eduxerunt è terra Ægypti*. Et Judic. 16. 23. 24. Idolum Dagon vocatur *Elohim*, לדגון אלהיהם *Dagoni Deo suo*, & נתן אלהינו DEDIT DEUS NOSTER *Sampsonem*. In his locis sermo est de rebus singularibus, scil. de vitulo aureo & de Dagone.

3. Moses dicitur *Exod.* 4. 16. Pharaoni fuisse לאלהים *in Deum*.

4. Arca vocatur אלהים: nam Phelistæi de adveniente arca in castra Israëlitarum dicunt, בא אלהים *venit Deus*. Capellus in diatriba sua de hoc nomine varias exceptiones contra hæc exempla adfert, quæ facilè à quovis solvi possunt.

Secundò. Elohim non denotat plures Deos sive personas, etiamsi sit pluralis numeri: nam secundùm genium linguæ Hebrææ multa alia nomina pluralia, significantia dominium aliquod, ut בעלים *Bobalim* & אדנים *Adonim*, sæpissimè per singularem numerum explicantur. Exempla sunt hæc sequentia; *Exod.* 21. 29. dicitur בְּעָלָיו in plurali cum affixo de unico domino: nam scriptum est בבעליו ולא ישמרנו: Quod si bos petulcus fuerit antea, & quamvis denuntiatum fuerit *Domino ejus*, *& non asservaverit eum*. Habetur propriè *dominis ejus*; sed ex adjuncto verbo ישמרנו apparet בעליו singulariter esse explicandum. Simile exemplum invenitur in eodem versu בעליו יומת *Domini ejus* pro dominus *occidatur*. Utrumque verbum est singulare, sed nomen est plurale, & nihilominus de unico domino tantum sermo est.

Sic *Exod.* 22. 11. dicitur לקח בעליו de unico Domino. Similiter *Jes.* 1. 3. בעליו etiam sumitur de unico Domino.

Etiam אדנים nomen pluralis numeri sæpissimè de uno singulari dicitur, ut Gen. 24. 9. תחת ירך אברהם אדניו *sub femore Abrahami dominorum suorum*, hoc est, *domini sui*. Gen. 42. 30. Josephus vocatur האיש אדני הארץ *Vir ille Domini terræ*. Genes. 40. 1. לאדניהם למלך *Dominis suis Regi* &c. Ex his exemplis apparet nomina pluralia sæpissimè etiam in singulari numero usurpari. Vide Lexicon Hebr. Buxtorfii.

Hæc duo nomina בעלים & אדנים planè conveniunt cum *Elohim*: nam sicuti illa duo nomina in singulari & in plurali numero usurpantur, sic etiam dicimus Eloah & Elohim. Deinde sicuti eadem illa in plurali significant singulariter, sic etiam *Elohim*; uti jam multis exemplis probavimus. Buxtorfius, videns ex multis illis exemplis nomina pluralia sæpissimè significare singulariter, hanc exinde formavit regulam in Syntaxi cap. 2. *Nomina domini* אדון, אלהים, בעל, *ex linguæ usu & proprietate, efferuntur numero plurali cum antecedente singulari, ad summam dignitatem & honorem excellentissimum personæ indicandum, ut Hebræorum Interpretes tradunt.*

Tertiò. Ex tali constructione non potest probari pluralitas personarum; quia sæpissime verbum singulare conjungitur cum nomine plurali, ubi tantum sermo est de unica persona. Exempla occurrunt quamplurima, quorum pauca tantum adferemus.

Exodi *cap.* 21. *v.* 4. legitur; אם אדניו יתן לו אשה *Si domini ejus*,

pro dominus, *dederit ei uxorem.* Hìc אדניו nomen plurale conjungitur cum verbo singularis numeri, & tantum de unico domino est sermo.

Exod. 21. 9. גם בעליו יומת *etiam dominus ejus morte afficiatur*; ubi בעליו etiam est pluralis numeri cum affixo.

Genes. 42: 30. de solo Josepho dicunt אדני הארץ דבר *Domini terræ* (pro *dominus*) *loquitur.*

Psal. 45. 8. de solo Patre dicitur Elohim, אלהיך משחך *unxit te Deus.* In hoc Textu fit mentio trium Personarum, & verbum singulare משחך conjungitur nomini plurali אלהים, quod eo in loco solum Patrem denotat.

Simile exemplum occurrit 2. Sam. 2: 7. ubi de solo Saule dicitur, מת אדניכם שאול *mortuus est domini vestri* (pro *dominus vester*) *Saul.*

Etiam nomen plurale aliquando jungitur cum pronomine singulari: ex.gr. Jos. 24: 19. כי אלהים קדשים הוא *nam Deus sanctus ipse est*; ubi Elohim est plurale & הוא singulare.

Simile exemplum habetur *Malach.* 1: 6. in אדנים אני *Dominus ego.* Buxtorfius in Syntaxi, cap. x. ex his similibusque exemplis format talem regulam. *Hìc Enallage numeri est, quando Nomina Domini pluralia junguntur verbo singulari, ad summam majestatem exprimendam; sive, ut Hebræi loquuntur, ad indicandum* רבוי הכוחות PLURALITATEM VIRTUTUM ET POTENTIARUM *in persona dominante.*

Ad hanc regulam etiam referri potest illud Jobi cap. 40. v. 10. ubi plurale בהמות jungitur cum verbo singulari יאכל. Interpretes explicant nomen plurale בהמות per *Elephantem*; & inquiunt esse plurale ob magnitudinem, quâ instar plurium est.

Simile exemplum invenitur *Joël* 1: 20. in verbis בהמות שדה תערוג *Bestia agri clamat*; ubi nomen plurale jungitur cum verbo singulari.

Quartò. Si אֱלוֹהַּ in singulari denotat *Deum*, ergo in plurali, si denotet plures, denotabit plures *Deos*, & non personas; & per consequens liceret dicere dari plures Deos: sed hoc est absurdum. Consequentia est firma: nam numerus pluralis differt à singulari non in significatione, sed tantummodo in pluralitate. Ergo אלהים, si in singulari numero denotet *Deum*, in plurali significabit plures Deos; quod tamen nemo concedet.

Quintò

Quintò. Etiam nomen plurale אדנים *Adonim* tribuitur Deo; ex eo tamen nemo hactenus, quod sciam, Trinitatem vel pluralitatem personarum conatus est probare. Ex. gr. *Malach*. 1. 6. habetur, אדנים אני *Domini ego*. Cur magis hæc loquutio אלהים אני denotabit pluralitatem, quam præcedens אדנים אני?

Deuteronomii *capite* 10. *v*. 17. conjunguntur in eodem versu אלהי אלהים & אדני האדנים, cum verbo singularis numeri. Si pluralitas personarum possit probari ex אלהי האלהים, quare etiam eadem non probabitur ex אדני האדנים? Detur verosimilis ratio hujus diversitatis.

Præterea nomen plurale אֲדֹנָי cum Kametz in fine soli Deo in S. Scripturâ tribuitur; inde tamen non solent pluralitatem personarum in Deo probare. Vide plura apud Buxtorfium in Dissertatione de Nominibus Dei.

VIII. Hinc jam elicitur hoc consectarium: si ne quidem pluralitas personarum ex constructione verbi singularis cum nomine plurali possit probari, multo minus inde probabitur Trinitas. Plerique etiam auctores, qui ex illâ constructione personarum pluralitatem conantur probare, negant, quod inde etiam Trinitas probari possit.

Ex his videmus argumentum, desumptum à verbo singulari, conjuncto cum nomine plurali, non esse firmum pro probandâ pluralitate vel Trinitate personarum.

IX. Verùm aliud argumentum, desumptum à prima personâ pluralis numeri, est firmum pro probandâ pluralitate personarum divinarum. Ex. gr. *Genes*. 1. 26. dicitur, נעשה אדם *faciamus hominem*. Ibi Deus alloquitur Trinitatis personas: nam est contra genium linguæ sanctæ usurpare verbum plurale primæ personæ pro persona singulari. Hæc jam dicta sufficiant de Nominibus Dei Hebraicis.

DISSERTATIO TRIGESIMA-TERTIA;
DE
Integritate Textus Hebraici Veteris Test. in genere, & de voce כארי Psal. 22. ℣. 17. in specie.

§. 1. *Inquiritur an Textus Hebræus V. T. sit corruptus, uti Pontificii asserunt?*

2. *Docetur de quali corruptione non sit quæstio inter nos & adversarios, & de quali sit quæstio.*

3. *Tria probanda sunt quando volumus evincere Textum Hebræum esse incorruptum.*

4. *Multis argumentis probatur Judæos*

deos Vetus Test. nunquam corrumpere voluisse:

5. *Nec etiam potuisse si vel voluissent.*

6. *Nec etiam revera esse corruptum.*

7. *Vetus T. non est corruptum à Judæis etiamsi sint jurati hostes Christianorum.*

8. *Vulgares Judæi vocales Veteri T. non addiderunt, multo minus falsas.*

9. *Corruptio Textus Hebraici non probatur ex octodecim vocibus quæ vocantur* תִּקּוּן סוֹפְרִים correctio (*sive* ordinatio) Scribarum.

10. *Nec ex differentia versionum à Textu Hebræo.*

11. *Etiam non ex voce* כארי *Psal. 22. 17: circa quam duæ quæstiones examinabuntur.*

12. *Multi statuunt vocem* כארי *esse corruptam.*

13. *Quod frustra probatur auctoritate Rabbi Chaym, dicentis se in quibusdam Codicibus invenisse* כארו.

14. *Masora Textualis, dicens ad* Num. 24. 9. כארו *esse scriptum, non probat vocem* כארי *esse corruptam.*

15. *Non sequitur: Interpretes verterunt vocem* כארי *per* transfoderunt, *vel per* fœdarunt, *vel per aliquod aliud verbum, ergo fuit in Textu* כארו.

16. *Vox illa non videtur corrupta à Judæis, quia in* כארו *crucifixio Christi & perforatio manuum ac pedum clare prædicuntur.*

17. *Falsum est quod vox* כארו *non sit restituta in Bibliis tantum propter metum damni.*

18. *Diversæ significationes vocis* כארי *recensentur, quarum ultima, explicans per* sicut leo, *approbatur.*

19. *Quatuor objectiones contra hanc significationem proponuntur & solvuntur.*

I. *De Integritate Textus Hebraici V. T.*

SECTIO I.



Pontificii ad stabiliendam auctoritatem Versionis Vulgatæ plenis buccis effutiunt Codicem Hebræum multis in locis esse corruptum, & à primæva integritate alienissimum; & per consequens eundem non posse esse regulam fidei & morum, ad quem tanquam ad infallibilem regulam in controversiis tutò confugere licet. Audiantur hac de re verba Gordoni Huntlæi Jesuitæ, quæ in Epitome Controversiarum Tom. 1. cap. 8. nimis audaciter effutit: *Non solum Textus Hebraicus est ambiguus, sed in multis etiam locis depravatus, quæ tamen loca in nostrâ vulgatâ editione adhuc correctè & integrè extant, quippe quæ facta est ante illam depravationem. Quare non rectè faciunt illi, qui rejecto vulgato & sincero textu, confugiunt ad Textum*

tum Judaicum depravatum. Ob hanc causam operæ pretium duximus penitiùs Codicem Hebræum examinare, & inquirere: An Codex Hebræus vel injuriâ temporis, aut Judæorum malitiâ ita corruptus sit, ut in controversiis norma fidei & morum esse nequeat. Pontificii id affirmant, nos negamus.

II. Ut quæstio meliùs intelligatur, priùs hæc sequentia præmittemus.

1. Quando defendimus Textum Hebræum esse incorruptum, tum non loquimur de particularibus Codicibus Hebraicis, in quos facilè malitiâ quorumdam depravatorum nonnulla vitia irrepere potuerunt: ex.gr. *Genes.* 3. 15. in Bibliis interlinearibus apud Christophorum Plantinum A. 1572. excusis, pro הוּא *ipse*, in gratiam Vulgatæ Versionis, הִיא, *ipsa*, ut excuderetur, curatum fuit, addito circulo variæ lectionis notâ, ac si litera *Vau* scripta fuisset loco *Jod*. Hæc corruptela, insigni insuper vitio typographico aucta הִיה pro הִיא, in lucem prodiit. Sed hujus pudendi facinoris postea Pontificios puduit, qui in reiterata editione A. 1584. pristinam lectionem הוּא *ipse* restituerunt.

Hanc impudentiam superat adhuc alia, quam adhibuerunt in Psalterio Latino Bonaventuræ, pro *Deo* substituendo *Mariam*.

Judæi etiam accusant Achabum, quod S. Codicem corruperit, scribendo semper pro nomine *Dei* nomen *Baal*: ex. gr. Genes. 1. 1. Achab dixisset, *In principio creavit* Baal, &c. Hæc omnia detestamur. Nihilominus talia particularia vitia non obstant, quo minus S. Scriptura in aliis codicibus incorrupta permanserit.

2. Non loquimur de vitiis, quæ in nonnullos particulares Codices Hebræos ex oscitantia Typographorum nonnunquam irrepserunt. Nam illa vitia in reiteratis editionibus utplurimum corriguntur. In plerisque Codicibus Hebraicis sunt quidem nonnulla talia menda, ex oscitantia typographorum nata, sed illa nullo modo obsunt integritati & incorruptibilitati Textus Hebraici. Editio illa Hebraica Veteris T. quam nos anno 1667. per Josephum Athiam Amstelodami in publicum emisimus, omnes alias editiones, etiam Bombergianas & Plantinianas multis parasangis superat. Quæ propterea non tantum ab Illustribus & Præpotentibus DD. Belgii Ordinibus Generalibus est recepta, sed etiam à plerisque Belgii Academiis, imo etiam à Synagoga Judæorum est approbata. Hæc editio nonnulla

vitia,

vitia, in aliis editionibus admissa, emendavit.

3. Non est quæstio de vocibus irregulariter scriptis, hoc est, de vocibus defectivis, de vocibns plenis, de transpositis, aliisque non ordinario modo scriptis vel punctatis: nam illæ voces ita irregulariter sunt scriptæ ab ipsis Auctoribus librorum.

4. Non est sermo de levioribus quibusdam erroribus, qui fortasse injuriâ temporis vel incuriâ Typograhorum in omnes Codices irrepere potuissent. Ex. gr. Posito, sed non concesso, quod accentus *Pesik*, *Maccaph*, *Dagesch lene* vel in nonnullis locis *Dagesch forte*, aliique accentus non distinctivi perierint; Quid illa omnia ad sensum Textus Hebræi faciunt? Plane nihil; sive absint, sive adsint, perinde est, illa sensum non pervertunt, vel turbant; illa etiam auctentiæ veritatis Hebraicæ nihil derogant. Buxtorfius in libro de antiquitate punctorum pag. 281. puritatem Textus Hebraici strenuè defendens, non vult propterea Textum Hebræum jam in minimis punctulis esse, prout ab ipsis Auctoribus fuit exaratus. Verba ipsius sic sonant. „Non dicam, quod Santes Pagninus olim in Præfatione Grammaticæ suæ scripsit & dixit: *Hebræa volumina nec in unâ dictione corrupta reperies*. Neque enim existimo talesesse, ut in nullo planè punctulo, apiculo, aut literulâ, à primis Mosis & Prophetarum autographis apographa unquam discesserint, aut nullum omnino vitium vel levissimum in eos irrepserit. Nam ne ipsi quidem Judæi hoc asserunt, qui & antiquitus jam Exemplaria corrupta, sed ab Esrâ iterum correcta esse & restituta fuisse; & posterioribus temporibus, cum inter celebres Auctores, tum inter Exemplaria varia, dissensiones & discrepantes quasdam lectiones notant. Tales sunt præter notas τȢ *Keri uketif*, dissensiones de quarundam Vocum lectione inter Judæos Orientales & Occidentales, & inter Ben Ascher & Ben Naphtali &c. Hinc apparet, etiamsi talis corruptio in talibus minimis concedatur, vel non concedatur, nihil propterea derogari puro sensui, qui ab ipsis Scriptoribus in Textu Hebræo est intentus.

5. Quæstio, quæ inter nos & adversarios circa integritatem Textus Hebræi movetur, est majoris momenti, scil. de erroribus, sensum Textus Hebræi ita pervertentibus, ut in locis controversis regula decisionis esse nequeat. Nos pernegamus Textum Hebræum in probatissimis Codicibus esse corruptum, ut regula fidei & morum esse non possit.

III. Ad

III. Ad hanc integritatem Textus Hebræi evincendam hæc tria sequentia probanda erunt.

1. Quod Judæi nunquam voluerint Vetus Test. corrumpere.

2. Quod iidem nec etiam Christiani unquam Vetus Test. ita potuerint corrumpere.

3. Quod Vetus Testamentum etiam revera non sit corruptum. Hæc tria post invicem probabimus.

IV. *Primò quæritur.* An Judæi unquam Vetus Testamentum Hebraicum voluerunt corrumpere?

Respondeo negando. Rationes negationis sunt hæ sequentes.

1. Obstat eorum religio, sive potius superstitio circa conservationem Textus sacri. Judæi magnâ reverentiâ sunt affecti erga S. Scripturam; non audent illotis manibus Textum attingere, insidere grande ducunt esse nefas: imo potius centies mortem obirent, quàm ut paterentur aliquid in Textu sacro mutari. Tradunt indicenda esse jejunia, & metuendum, ne totus terrarum orbis in pristinum chaos redigatur, si forte fortuna contingat Codicem S. in terram cadere. Si ergo ex naturâ tali religione affecti versentur circa externum corticem S. Scripturæ; Quis eorum unquam ausus fuisset sacrilegas suas manus in Textum S. injicere, eumque corrumpere? Judæi etiam admodum superstitiosi sunt in exscribendis Codicibus sacris; tale requiritur atramentum; membrana debet esse pura, & abscissa ab animali puro, ac parata à Judæo; & nescio, quibus non ceremoniis membranas illas parare soleant, in quibus Textus sacer describitur.

2. Si Judæi sacrum Textum corrumpere voluissent, illam corruptionem præcipuè instituissent in illis locis, in quibus prophetiæ de futuro Messia clarè describuntur. Nemo unquam Judæos accusavit, quod voluerint vel tentaverint corrumpere insignes prophetias de adventu Messiæ, quæ describuntur apud Jesaiam capitibus septimo & quinquagesimo tertio, aut Geneseos cap. 49. v. 10. vel Danielis cap. 9. versibus 24. 25. 26. aut Haggæi capite 2. & in aliis Veteris T. locis. Imo quis unquam expertus est vel vidit Judæos in illis locis ullam corruptionem instituere voluisse? Ergo multo minus verosimile est Iudæos unquam aliquam corruptionem voluisse instituere in aliis locis, quæ fidem Iudaicam non refutant.

3. Si Iudæi unquam S. Scripturam corrumpere voluissent, hoc ten-

tentassent etiam in Paraphrasibus Chaldaicis, quæ sæpissimè multò clarius sententiam Judaicam refutant, quàm ipse Textus Hebræus; præcipuè cum sciamus Paraphrases illas apud Judæos esse magnæ & apud nonnullos auctenticæ auctoritatis. Et propterea, si Scripturam corrumpere voluissent, talem corruptionem etiam instituissent in Paraphrasibus; quia sæpè fortius inde convincuntur quàm ex ipso Textu Hebræo. Ex. gr. Genes. 49. 10. legitur: *Sceptrum non recedet à Juda, donec Silo veniat, &c.* Nos per *Silo* intelligimus Messiam, quod. Judęi negant; sed convincuntur ex tribus Paraphrasibus Chaldaicis, quæ vocem שילה *Silo* explicant per משיחא *Messiam*. Similiter probamus ex iisdem Paraphrasibus vocem שֵׁבֶט ibidem denotare *Sceptrum*, & non *virgam*; prout quidam Judæorum eam vocem explicant: nam Paraphrastæ vocem שבט exponunt per מלכין & שליטין *Reges & Dominatores*, &c. Plurima talia exempla in medium proferre possemus, nisi brevitati studeremus.

4. Judęi non videntur unquam S. Scripturam corrumpere voluisse, quia ipsis Codices corrupti admodum displicent; & lege quâdam apud ipsos cautum est, ne librum Pentateuchi Manuscriptum diutius apud se retineant quàm triginta dies. Præterea si integrum folium membranæ contineat tria errata, corrigibile est; sed si quatuor contineat, judicant illud folium esse rejiciendum.

5. Quid dico de voluntate corrumpendi S. Scripturam, iidem è contra omnibus conatibus, & ferè ridendis, ejus integritatem semper conati fuerunt conservare. Nam omnes literas totius Veteris T. & plerosque accentus, ac omnes versus numerare, & plerasque irregulares voces annotare, non est signum, quod S. Scripturam corrumpere voluerint, sed è contra, quod eandem conati fuerint conservare. Hæc omnia antedicta, imo multo plura, Masorethæ magno labore circa conservationem S. Scripturæ effecerunt; quod etiam suprà in Dissertatione 22. multis probavimus. Ex his jam manifestum est Judæos nunquam S. Scripturam corrumpere voluisse.

V. *Secundò quæritur.* An Judæi unquam potuerint Vetus T. corrumpere?

Respondeo negando. Rationes, quibus hanc sententiam probamus, sunt hæ sequentes.

1. Obstat studium Masoretharum, qui, ut Textum S. integrum servarent, omnes literas, multas voces, omnes versus, &c. numerarunt.

runt. Si quidam Judæi fuiſſent, qui Textum ſacrum unquam corrumpere voluiſſent, iidem hoc efficere non potuiſſent; quia ſtatim ex Maſora redargui potuiſſent. Si enim quidam literam aliquam ſubſtituere, vel voces aliquas mutare, vel verſus quoſdam è Textu ejicere voluiſſent, ſtatim Maſora illam corruptionem monſtraſſet. Et ſcimus ſtudium illud Maſorethicum non eſſe recens, ſed perantiquum. Ipſe Eſdras & Viri Synagogæ magnæ ſunt primi Auctores Maſoræ. Præterea fuerunt alii Maſorethæ, qui ſtudium hoc præſtantiſſimum, ab Eſdrâ inchoatum, continuarunt. Rabbi Aben Eſra, qui circa undecimum ſæculum poſt Chriſtum vixit, refert, quod viderit nonnullos libros à Maſorethis examinatos, ubi quindecim Seniores jurejurando confirmant, quod tribus vicibus attentè conſiderarint ſingulas dictiones, ſingulas literas, ſingula puncta &c. Hinc Maſorethæ Maſoram vocare ſolent סְיָג לְתוֹרָה *Sepem Legis*; quia ea S. Scripturam à corruptione defendit.

2. Poſito, quod quidam ſceleſti Judæi fuiſſent, qui S. Scripturam corrumpere voluiſſent, judico hoc ipſis fuiſſe impoſſibile: quia Codices Hebræi fuerunt permulti, & per totum orbem ferè diſperſi; quorum quidam fuerunt in manibus Chriſtianorum, alii in manibus piorum Judæorum, vel nonnulli etiam in publicis Bibliothecis fuerunt aſſervati, qui in poteſtate malevolorum illorum Judæorum non fuerunt: quique propterea eoſdem corrumpere non potuerunt, etiamſi voluiſſent.

3. Obſtat divina providentia, & ſedula Dei cura circa S. Scripturam. Omnia alia ſcripta, circa tempora Moſis & Prophetarum compoſita, jam diu perierunt; ſed Vetus T. utpote ſcriptum divinum, ſemper contra inſultus Diaboli fuit defenſum. Ratio ejus conſervationis eſt Dei providentia, quam Chriſtus oſtendit Matth. 5. 18. *Amen dico vobis, donec prætereat cœlum & terra, unum jota & unus apex non præteribit ex Lege, donec omnia fiant.* Et Luc. 16. 17. *Facilius eſt cœlum & terram tranſire, quam Legis unum apicem cadere.* Si ne Jota vel apex perire potuerit, ergo multo minus aliqua pars Legis divinę. Si enim providentia divina circa S. Scripturam eo uſque progrediatur, ut ne unicum jota vel unicus apex è Lege tolli poſſit, ſequitur quod Judæi Vetus T. univerſim corrumpere non potuerint: nam ſic apex etiam de Lege cecidiſſet. Vide plura apud Glaſſium Philol. Sacræ pag. 25.

VI. *Tertiò quæritur.* An Vetus Teſt. etiamſi Judæi idem nunquam volue-

voluerint vel potuerint corrumpere, revera jam ſit corruptum?

Reſpondeo negando. Nonnullæ rationes, ad priores quæſtiones jam ſuprà allatæ, etiam hanc quæſtionem probare poſſent. Sed eas rationes jam præteribimus, & ſolummodo hanc ſequentem hic urgebimus: ſcil. Si Vetus T. eſſet corruptum, illa corruptio accidiſſet vel ante Chriſtum, vel poſt Chriſtum. Illa corruptio non videtur inſtituta ante Chriſtum.

1. Quia Chriſtus procul dubio auditores ſuos monuiſſet de illâ corruptione. Verum Chriſtus non admonuit auditores ſuos, ſed è contra ad Scripturas Veteris T. eos adhortatus eſt; dicendo Ioh. 5. 39. *Serutamini Scripturas*, ſcil. Veteris T.

2. Chriſtus multa dogmata ex Veteri Teſt. probavit; quod *ſine* præmiſſa cautione procul dubio non feciſſet, ſi idem corruptum fuiſſet.

3. Chriſtus vel Apoſtoli unquam Judæos reprehendiſſent, & falſitatis eoſdem accuſaſſent, ſi S. Scripturam corrupiſſent: ſed è contra Apoſtoli eos, tanquam veros ejuſdem conſervatores, *laudant*; cum ajunt ad Rom. 3. 2. *Eis concredita eſſe verba Dei*. Auguſtinus Judæos propterea vocat *Capſarios*; quia S. Scripturam ita conſervarunt.

Vetus Teſt. etiam non videtur corruptum poſt tempora Chriſti & Apoſtolorum, propter has rationes.

1. Quia Maſora extabat, quæ Vetus Teſt. non tantum ante, ſed etiam poſt Chriſtum diu incorruptum potuit ſervare.

2. Fuerunt poſt tempora Apoſtolorum multi viri Apoſtolici, viri pii & eruditi, Patres Græci & Latini, ut Auguſtinus, Origenes, Hieronymus, aliique quamplurimi, quorum quidam circa quartum ſeculum poſt Chriſtum vixerunt. Hi Judæos falſitatis accuſaſſent, ſi circa illa tempora S. Scripturam corrumpere voluiſſent. Sed è contra multi ex illis Patribus teſtantur S. Scripturam eſſe incorruptam: ex. gr. Hieronymus in cap. 6. Jeſaiæ inquit: „Quod ſi aliquis dixerit Hebræos libros à Judæis eſſe falſatos: audiat Originem, quid in octavo volumine explanationum Jeſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ: quod nunquam Dominus, & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent &c. Vide plura teſtimonia pro integritate Textus Hebraici ex Veteribus allegata apud Clariſſ. Hotting. lib. 1. cap. 2. quæſt. 4. Theſ. Philol. Inſpiciatur etiam Edward Leigh in

Syſtem.

Syſtem. Theol. Angelicè conſcripto, pag. 82.

VII. Contra hæc precedentia nonnulli conjecturas quaſdam proferunt, ex quibus putant ſe probabiliter probare poſſe S. Scripturam à Judæis eſſe corruptam.

Primò objiciunt. Judæi ſunt jurati hoſtes Chriſtianorum; ergo procul dubio Vetus T. in odium ipſorum corruperunt.

Reſpondeo 1. Non tam reſpiciendum eſt ad ipſorum odium, quàm quidem ad Dei providentiam.

2. Si Judæi propter odium Chriſtianorum quædam loca mutare voluiſſent, procul dubio ea loca mutaſſent, quæ fidem Chriſtianorum confirmant: ſed hoc non fecerunt. Ergo non videntur S. Scripturam unquam voluiſſe corrumpere.

VIII. *Secundò* objiciunt. Judæi, qui ſunt vocalium Auctores, in odium Chriſtianorum procul dubio falſa puncta conſonantibus ſubſcripſerunt.

Reſpondeo 1. Judæi ſive Maſorethæ Tyberienſes non ſunt Auctores vocalium. 2. Poſito & non conceſſo, quod Judæi ſint primi inventores vocalium; Unde, quæſo, probabitur eos falſas vocales addidiſſe, niſi ex vanis conjecturis?

IX. *Tertiò* objiciunt. Sunt octodecim voces in Veteri Teſt. annotatæ à Maſorethis, quæ vocantur תִּקּוּן הַסּוֹפְרִים *Correctio Scribarum*: ergo quædam loca olim videntur fuiſſe corrupta à Judæis.

Reſpondeo 1. Hìc per Scribas intelliguntur ipſi Auctores librorum.

2. Vox תִּקּוּן non tam denotat *Correctionem*, quam quidem *Ordinationem*. Vide plura de hac objectione retrò in Diſſertatione 22. §. 15.

X. Solent nonnulli adhuc multa alia loca ex V. T. adferre, quorum corruptionem probant ex verſionibus antiquis; quia antiqui Interpretes olim aliter legerunt, quàm hodie in Textu Hebræo invenitur. Sed multa talia loca, & reſponſiones ad eadem vide in Hottingeri Theſauro Philol. pag. 147. *& ſeqq.*

II. De Voce כארי *Pſal.* 22. 17.

XI. Præcipuus locus, ex quo Pontificii aliique conantur probare Textum Hebræum Veteris Teſt. eſſe corruptum, & per conſequens non poſſe eſſe regulam fidei & morum, occurrit Pſalmo 22. verſ. 17. qui ſic ſonat: כִּי סְבָבוּנִי כְּלָבִים עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי: Ut

ostenderem argumenta, ex hoc versu desumpta, esse tantum straminea & ficulnea, nullo modo probantia Textum Hebræum vel injuria temporis, vel ex malitia Judæorum, aut ex oscitantia Scribarum esse corruptum; ideo statui has duas quæstiones enodare:

1. An hodierna lectio vocis כָּאֲרִי jam usitata in omnibus Bibliis, sit genuina, & exarata ab ipso Davide?

2. Utrum vox כארי debeat exponi per *sicut leo*; an vero per *transfoderunt*.

XII. Ad priorem quæstionem respondent non tantum Pontificii, sed etiam multi Reformati, dicentes vocem illam à priscis Judæis primò ex mera librariorum inscitia, deinde ex mera malitia esse corruptam; & scribi debere כָּארוּ *foderunt*, sicuti etiam transfert vulgata versio. Sed quare hanc vocem præ cæteris corrupissent Judæi? *Resp.* Quia in voce *fodiendi* manifestam de crucifixione Christi prophetiam videbant proponi, quæ in passione Christi etiam impleta fuit. Quando hæc corruptio circa hanc vocem esset instituta? Ante factam Masoram paulo post tempora Christi.

XIII. Rationes, quibus hujus vocis corruptio statuminatur, sunt multæ & variæ. *Prima* desumitur ab auctoritate Rabbi Chajim, collectoris Masoræ, conducti à Bombergo, typographo Veneto, ut Masoram (quæ hactenus usque ad annum circiter 1500. vel in separatis libris fuerat descripta, vel ad marginem variis figuris in libris MSS. depicta,) hinc inde colligeret, & supra vel infra Textum Hebræum, aut etiam nonnunquam ad latus ejusdem Textus collocaret; quod etiam supradictus Rabbi in initio superioris sæculi præstitit. Hic in Masora magna finali ad ordinem literarum Alphabeti אר, h. e. incipientium ab Aleph Resch, ad vocem אֲרִי sic fatur pag. 10. versâ col. 4. circa f. במקצת ספרים מדויקים מצאתי כתוב כארו וקרי כארי אמנ׳ בקשתי באיגון סלין דכתיב ו׳ בסוף תיבו׳ וקרי׳ י׳ ולא מצאתיו נמנה בחשבונם וגם בחלוף המקרא דיש בין מדינחאי ומערבאי ולא נמנה שם: *In quibusdam libris correctis inveni scriptum* כארו & in margine *lectum* כארי. *Sed quæsivi inter illas voces, quæ cum Vau scribuntur in fine vocis, & leguntur cum Jod, sed non inveni illam* vocem (כארו) *numeratam in enumeratione earum; neque etiam recensetur inter varietatem, quæ sunt inter Orientales & Occidentales.*

Resp. 1. Non sequitur. In quibusdam codicibus fuit כארו, ergo ea

ea est genuina lectio. Nam oppono illis paucis exemplaribus omnia reliqua exemplaria, etiam accuratissima, tam MSS quam impressa, in quibus omnibus, nisi totus fallor, habetur כארי. Si secundùm multitudinem exemplarium sit judicandum, sane numerus exemplarium habentium כארי erit decuplo, si non centuplo, major.

2. Hæc nota Rabbi Chajim non est nota Masorethica à Masorethis Masoræ addita, sed est particularis glossa, quam ille Rabbi addidit; quæque propterea etiam diverso charactere est exarata, neque ipsi Masoræ præjudicare potest.

3. Ipsa hæc glossa confirmat lectionem כארי. Sic enim inquit Rabbi: quæsivi vocem כארו inter voces scriptas cum Vau & lectas cum Jod, sed non inveni. Ergo secundùm Masoram non fuit כארו scriptum in Textu, & lectum per Jod in margine.

4. Ipsa Masora finalis, cui hæc glossa immediate est subscripta, satis refutat lectionem כארו: nam sic eadem ibidem infit: כארי ד׳ ב׳

קמצין וב׳ פתחין וסי׳ כרע שכב כַּאֲרִי, שויתי עד בקר כָּאֲרִי, קשר נביאיה בתוכה כַּאֲרִי, כַּאֲרִי ידי ורגלי, h. e. Vox כארי *quater* occurrit, *bis cum Kametz*, *& bis cum Patach*; *quorum loca sunt*: *Incurvavit se*, *accubuit sicut leo*, Numer 24. 9. *Posui usque ad mane sicut leo*, Jes. 38. 13. *Conjuratio Prophetarum ejus in medio ejus*: *sicut leo*, Ezech. 22. 25. *Sicut leo manus meas & pedes meos*, Psal. 22. 17. Ergo Masora finalis, quæ longè præferenda est glossæ Rabbini Chajim, statuit etiam hoc in loco esse scriptum כארי per Jod, & quidem per Kametz ab initio. Etiam Masora parva, nostro Textui adscripta, receptam lectionem confirmat. Præterea Aben Ezra & Salomo Jarchi, qui circa undecimum seculum vixerunt, calculum suum lectioni כארי adjiciunt.

5. Codices illi, in quibus R. Chajim superiori seculo vidit כארו, sunt multo recentiores ipsâ Masorâ, quæ legit כארי; quique propterea non sunt tantæ auctoritatis, quantæ est ipsa Masora. Similiter est mihi Psalterium, Wittebergæ typis Johannis Catonis Anno 1566. impressum, in quo est scriptum כָּאֲרִי, & in margine כָּאֲרִי & כָּרוּ: sed illud nullo modo potest præjudicare Masoræ, quæ ad minimum abhinc mille, vel forte abhinc bis mille annis est conscripta.

XIV. *Secunda* ratio contra hodiernam lectionem desumitur ex Masora Textuali ad *Numer*. 24. 9. ubi sic habetur כארי ב׳ וסי׳ כרע

שכב

כארי שכב כארי , כארי ידי ורגלי כארו כתוב Hoc est, Vox *bis* occurrit, *quorum loca sunt*, *incurvavit se, accubuit sicut leo*, Num. 24. 9. *Sicut leo manus meas & pedes meos*, Psal. 22. 17. ubi כארו *scriptum est*.

Resp. 1. Procul dubio hæc nota Masorethica hoc in loco est vitiosa, & pro כארו scribendum est כארי. Nam Masora parva, quæ ibidem annotatur juxta Textum ad vocem כארי, contrarium docet, cum ait ד׳ ב׳ קמצין וב׳ פתחין, h.e. vox כארי *quater* invenitur, *bis cum Kametz*, *& bis cum Patach*. Ergo Psal. 22. 17. invenitur, dicente Masorâ, כארי cum Jod in fine.

2. Alterum mendum, quod in Masora Textuali ad *Numer*. 24. 9. occurit, consistit in eo, quod dicat כארי bis occurrere, nempe eodem modo cum Kametz sub Caph; hic scil. & *Psal*. 22. 17. cum *Numer*. 24. 9. inveniatur כַּאֲרִי cum Patach ab initio.

3. Si quis velit contendere Masoram Textualem *Num*. 24. 9. non esse vitiosam, dico eam tum esse intelligendam de quibusdam codicibus, in quibus vitiosè scriptum fuit כארו.

XV. *Tertia* ratio est desumpta ab Interpretibus quibusdam, qui hanc vocem כארו transtulerunt quasi verbum כארו. Ex. gr. LXX. Interpretes, qui fere 300. annis ante Christum vixerunt, verterunt vocem כארי per ὤρυξαν τὰς χεῖρας μου *transfoderunt manus meas*, & Aquilas per ᾔσχυναν *fœdarunt*, h. e. indignis modis tractarunt, ab αἰσχύνω; Paraphrastes Chaldæus per נָכְתִין הֵיךְ כְּאַרְיָא *mordentes ut leo*. Ergo antiquis temporibus videtur fuisse scriptum כארו *transfoderunt*, & non כארי *sicut leo*.

Resp. 1. Hodierna versio Græca non est eadem illa, quam olim trecentis annis ante Christum famosi illi Interpretes Græci, qui abusivè LXX vocantur, conscripserunt. Nam illa antiqua versio Græca vel periit, vel si adhuc quædam ejus rudera supersint, ea cum aliis versionibus Græcis sunt mixta: adeo ut pro antiqua & famosa versione Græca (quæ dicebatur esse correctissima, & cum fonte Hebræo optime convenire) jam ostendatur corruptissima versio. Ex. gr. Jonæ 3. 4. habetur: *Adhuc* ארבעים יום QUADRAGINTA DIES *& Ninive subvertetur*; cum in versione Græca LXX Interpretum habeatur ἔτι τρεῖς ἡμέραι *adhuc tres dies* &c. Si aliquis inde vellet concludere: ergo antiquis temporibus in Textu Hebræo fuit scriptum שלשה ימים *tres dies*. An non talis se deridendum præberet? Fortasse à quibusdam Zelotis hic versus 17. Psalmi 22. est interpolatus, & transformatus ad

Textum

Textum Græcum Novi Test. ubi docetur quod Judęi transfoderint manus & pedes Christi.

2. Versio Aquilę, licet dicatur centum circiter annis post Christum conscripta, nihil hic probat. Nam si Aquila legerit כארו, procul dubio illud sumpsit pro כִּשְׁרוּ. Nam כָּשַׁר idem significat quod αἰσχύνω. Et pro כָּשַׁר aliquando dicitur כָּאַר: nam hæ duæ literę frequenter inter se permutantur. Et quomodo hęc interpretatio verę lectioni potest præjudicare, cum Aquilas in interpretanda hac voce vehementer hallucinatus fuerit. Nam si כארו debeat exponi per verbum, tum descendet à Rad. כָּרָה *fodere*; non vero à כור vel כאר, uti Aquilas putavit. Et cum idem Aquilas in lingua Hebraica talem Radicem non inveniret, cogitabat esse Syriacę originis, ubi invenit כאר habere significationem αἰσχύνω. Hanc illud כארו vel כארי per *fœdarunt*, etsi absurde & male, transtulit.

3. Paraphrastes Chaldęus fortè verbum, quod judicavit subintelligi, addidit, uti sępe aliàs factum est. Nam Interpretes Chaldęi non tam sunt Translatores, quam quidem Paraphrastæ. Nonnunquam, pręcipue posteriores, pro tribus vel quatuor vocibus Hebraicis substituerunt decem vel plures. Hic Paraphrastes, judicans sensum esse ellipticum, si verbum חקיפוני *circumdederunt* explicetur, videtur illud verbum, ad Textum supplendum, addidisse. Et sic כארי, vertens per כאריה *sicut leo*, legisset, sicuti jam in omnibus fere Bibliis legitur.

XVI. *Quarta* ratio est. Judęi videntur hanc pręcipue vocem corrupisse; quia crucifixio Christi & perforatio manuum & pedum ejus hîc clarissime pręδicuntur, quando כארו in Textu retinetur.

Resp. 1. Verum est. Crucifixio clarius tum exprimitur: sed propterea ad eam denotandam, non licet vocem alienam in Textum intrudere. Imo si adderetur תָּלוּי *suspensus*, tum adhuc clarius crucifixio exprimeretur: sed inde non sequitur, ergo Judęi forte illam vocem è Textu eliminarunt.

2. Si כארו mutassent ad obscurandam crucifixionem; quare non ęque mutarunt versum 19. ubi clarè divisio vestium & projectio sortis describuntur?

3. Nullo modo videtur verosimile eos Textum hunc vel ullum alium datà opera interpolasse: nam potius centies mortem obirent, quàm ut paterentur vel hilum in Textu mutari. Quis unquam tam

curiosus fuit circa conservationem Textus quam Judæus? Quis omnes literas, voces, & versus numeravit sicuti Judæus? Quare non mutavit alia loca fidei suæ directè opposita, ut *Genes.* 49. 10. *Mich.* 5. 1. *Mal.* 2. *Dan.* 9. &c

XVII. *Quinta* ratio est. Quod vox כארו non sit restituta in Bibliis, factum est propter metum damni. Nam Judæus quidam, corrector Bibliorum (dicente Drusio apud Amamam in Antib. Bibl. p. 461.) ausus fuit denuntiare Bombergo, cum is vocem כארו vellet restituere ad fidem correctissimorum codicum, se procuraturum apud suos ne ullum exemplar istius editionis emeretur.

Resp. Non mirum: nam ille corrector credebat lectionem כארו non esse genuinam. Deinde sciebat eam novam lectionem esse contra Masoram, quæ expressè ait in Textu debere esse כארי; & contra receptissimam lectionem. An non simile quid Christiani responderent typographo alicui, si locum aliquem sive Veteris sive Novi T. contra receptam lectionem, quam credunt esse genuinam, corrumpere vellet?

Vide pluribus Cl. D. Matthiam Wasmuthum hanc receptam lectionem כארי doctè probantem & confirmantem in parte 3. Vindiciarum pag. 351. & seqq.

XVIII. Altera jam sequitur quæstio, concernens vocis כארי significationem; de qua quæritur: Utrum vox כארי debeat exponi per *sicut leo*; an vero per *transfoderunt*? De significatione hujus vocis variæ sunt sententię.

1. Augustinus Nebiensis in suo Psalterio quinquelingui, & Poianus in Syntagmate vocem כארי explicant per *sicut leo*, & subintelligunt verbum, ex. gr. כָּרוּ *transfoderunt*. Nam tales ellipses sunt usitatę in Psalmis: ut Psal. 120. 7. *Ego pacem* (subintellige *diligo*,) *at cum loquor, ipsi ad bellum* (supple *conclamant*.)

2. Avenarius putat vocem כארי esse compositam ex כאר *fodit*, & אֲרִי *leo*; sensu eo: *sicut leo foderunt*. Ergo כ esset simul præfixa servilis & litera radicalis verbi כאר, quod in lingua Hebræa est insolens.

3. Gesnerus putat legendum esse כָּאֲרֵי in regimine pro כָּאֲרִים *perforantes*. Sed talis expositio est contra punctationem receptam. Deinde à כרה in Participio Benoni esset כֹּרִים, כֹּרֵי, & à כאר esset כָּאֲרִים, כָּאֲרֵי.

4. Receptissima sententia explicat כָּאֲרֵי per *transfoderunt*. Sed duo huic

huic expositioni obsunt. 1. Tum dicendum est Aleph per Epenthesin interponi. 2. Tum in fine litera Jod esset loco literæ Vau : nam secundùm regulam communem deberet scribi כָּרוּ. Non sine ratione aliquis judicabit esse absurdum tales duas anomalias fingere in tam parva voce, constante tantum quatuor literis.

5. Sunt qui exponunt vocem כָּאֲרִי per *sicut leo* ; & verbo הקיפוני aliam assignant significationem, hoc vel simili modo ; ut talis sit sensùs: *Nam circumdederunt me canes, cœtus malignantium perforarunt* (perfoderunt vel inciderunt) *instar leonis manus meas & pedes meos* : adeo ut הקיפוני descenderet à נקף habente eandem fere significationem cum נקב ; nam literæ ב & פ facilè inter se permutantur. In hanc sententiam inclinat Venerandus D. Voetius parte 1. disputat. pag. 52. Si tali modo hic versus exponeretur, non opus esset vel Textum accusare corruptionis, vel ullam anomaliam in voce כארי admittere.

XIX. Contra hanc expositionem variæ objectiones possunt formari.

1. *Objectio*. Verbum הקיפוני significat *circumcinxerunt* à Radice יקף, inde in Hiphil est הִקִּיף *ambivit, circumivit*, &c.

Respondeo. Quidam judicant הקיפוני æquè posse derivari à נָקַף *excîdit, incîdit, perfodit*, quam à יקף : nam uti à נגש in Hiphil fit הִגִּישׁוּ, sic regulariter à נקף fit הִקִּיפוּ, & cum affixo הִקִּיפוּנִי. Nam verbum נקף *perforandi, frangendi* &c. significationem habere, probant tum ex Jobi *cap*. 19. *v*. 26. tum etiam ex Kimchio in Lexico ad Radicem נקף : ubi idem ad illa verba Jobi sic commentatur : וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זאת פירוש שברו ונקרו התולעים זאת ואמר זאת על העצם וכולם ענין שבירה וכריתה *Et postquam pellem meam perfoderint hanc ; expositio est confregerunt & perfoderunt vermes hanc, & dicit* Textus זאת *de osse, & omnia illa significant fractionem & excisionem*. Lxx Interpretes, quia verbum הקיפוני à duabus Radicibus formari potest, duplicem significationem expresserunt : nam περιέσχον est ex significatione יקף *circumcingere*, & ὤρυξαν à נקף *transfodere*.

2. *Objectio*. כָּאֲרִי non significat *sicut leo* : nam litera כ, utpote una ex literis וכלב, est punctanda per Scheva, vel sequente gutturali cum Chateph-patach per Patach, uti hoc in loco.

Resp. Hic extruditur litera ה : nam tres literæ כלב sæpe post se extrudunt ה, & tum illæ literæ כלב recipiunt illud punctum, quod ה hic reciperet. Est ergo כָּאֲרִי pro כְּהָאֲרִי.

3. *Obj.* Verbum הקיפוני non poteſt conjungi cum ſequentibus *ſicut leo &c.* nam notatur cum Athnach, denotante Colon : ergo poſt הקיפוני eſt Colon.

Reſp. Accentus Athnach communiter quidem denotat Colon, ſed ſæpe nullam facit diſtinctionem, ut Geneſ. 1. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Sub voce אלהים *Deus* eſt Athnach; ſed poſt illam vocem non eſt Colon. Vide etiam *Pſal.* 83. 13. & 119. 13. & 130. 2. Jer. 7. 20. &c.

4. *Obj.* Maſora magna finalis pag. 1. verſâ, col. 4. ſic fatur : "אב מן בב" ותרויהון בתרי לישני, h. e. Eſt *Alphabetum* conſtans *ex binis vocibus, quæ diverſam habent ſignificationem.* Voces nonaginta octo, eodem modo ſcriptæ, ſed ſignificatione differentes, poſt invicem ibi enumerantur. Ex. gr. בבגדו bis occurrit in Bibliis, ſcil. Gen. 39. 12. ubi ſignificat *in veſte ejus*, ſed Exod. 21. 8. denotat *in prævaricando ipſum.* Similiter numeratur vox כארי inter tales voces : & dicit Maſora eam vocem bis occurrere in duplici ſignificatione.

כארי שויתי עד בקר׳
כארי כי סבבוני כלבים ׳

ſcil. Jeſ. 38. 13. ubi neceſſario per *ſicut leo* debet exponi, & hic *Pſal.* 22. 17. ubi ſecundùm Maſoram neceſſario debet aliquid aliud ſignificare.

Reſp. Hæc Maſora eſt bimembris, cujus priorem partem, rejecta poſteriore, approbamus. Nam כָּאֲרִי occurrit bis : ergo olim *Pſal.* 22. 17. non fuit כארו. Sed quod Maſora judicaverit vocem כארו habere duplicem ſignificationem, in eo errat Maſora. Nam nemo facile dixerit Maſoram falli non poſſe; præcipue in aſſignandis ſignificationibus vocum. Maſoræ officium primarium fuit numerare literas, voces, verſus, &c. ſed non indere ſignificationes vocibus. Et ſcimus Commentatores vel Interpretes ſæpe hallucinari & cęſpitare in excogitandis aut effingendis etymologiis & vocum ſignificationibus; quare non potuiſſet eadem hallucinatio locum habuiſſe in Maſorethis?

Ex his concludimus vocem כָּאֲרִי eſſe genuinam, eamque commodiſſime poſſe explicari per *ſicut leo.* Vide plura de hoc verſu apud Reverendum olim Præceptorem & poſtea Collegam conjunctiſſimum D. Voetium in prima parte diſput. p. 52. ubi etiam pag. 54. & ſeqq. deſcribitur ſententia Buxtorfii de hoc eodem verſu. Inſpiciatur etiam Glaſſii Philologia Sacra lib. 1. Tract. 1. pag. 124. & ſeqq.

DISSER-

DISSERTATIO TRIGESIMA-QUARTA, DE PENTATEUCHIS MANUSCRIPTIS.

§. 1. *Ex curiosa librorum MSS. descriptione probatur Judæos Vetus T. non voluisse unquam corrumpere.*

2. *Duodecim sunt consideranda in libris MSS. primò* materia, *quæ est membrana, circa quam, ut sit licita, multa requiruntur.*

3. *Secundò* dimensio : *nam longitudo debet esse proportionata ejus altitudini.*

4. *Tertiò* conjunctio *diversarum cortinarum.*

5. *Quartò* atramentum *speciali modo preparatum.*

6. *Quinto* exemplar, *juxta quod alii Codices scribuntur.*

7. *Sextò* literæ, *quæ sunt hodierna Hebraica.*

8. *Septimò* spatium *inter literas, dictiones, lineas, sectiones & inter libros Pentateuchi.*

9. *Octavò* carmina *Pentateuch.* Exod. 15. *&* Deut. 32. *alio modo sunt scribenda quam prosa.*

10. *Nonò* nomina Dei *curiosius & cum majori devotione sunt describenda quam cætera.*

11. *Decimò* correctio *librorum MSS.*

12. *Undecimò Libri MSS. tornatis lignis alligantur, fascia & palliolo involvuntur, lamina argentea & stylus argenteus annectuntur, & tandem in arcam, intrinsece & extrinsece ornatam, reconduntur.* ידוד *&* אלדים *scribuntur pro* יהוה *&* אלהים.

13. *Duodecimò* Viginti sunt vitia, *quorum singula faciunt libros MSS. profanos & inutiles ad legendum ex iis.*

14. *Usus librorum MSS. profanorum & inveteratorum ostenditur.*

SECTIO I.

JAm jam multis argumentis probavimus Judæos Textum Hebræum nunquam voluisse corrumpere: hoc idem etiam evinci potest ex curiosâ librorum MSS. descriptione. Ut hoc argumentum de libris Judæorum MSS. melius intelligatur, in principio sciendum est Judæos in publicis Synagogis nunquam Textum Pentateuchi prælegere ex libris impressis, sed semper ex manuscriptis; in quibus exscribendis miram adhibent curiositatem. Hanc curiositatem, ut inde etiam appareat quod Judæi nunquam S. Scripturam corrumpere voluerint, hac Dissertatione declara-

clarabimus. Maimonides in libro *Jad Chasaka tomo primo*, *Hal. Thephillin capp.* 7. 8. 9. *&* 10. & Schickardus ex ipso in libro qui vocatur משפט המלך (*Mischpat hammelech*) modum libros sacros exscribendi dilucidè describunt.

II Nos hæc omnia, quæ in describendis & descriptis libris sacris observanda sunt, ad hæc duodecim capita referemus.

Primò. Codicum MSS. *Materia* consideranda est, quæ nunquam est charta vel papyrus; sed semper membrana. Quare? Ut codices illi, qui magnâ difficultate exscribuntur, tam facilè corruptioni obnoxii non essent. Sed non perinde est, quali membranæ Textus sacer inscribatur. Multæ conditiones requiruntur, quæ membranam illam licitam reddunt.

1. Membrana illa desumenda est ex animali mundo, & non ex immundo. Si enim membrana ex animali immundo desumpta sit, totus liber est profanus, & ad legendum ex illo illicitus.

Omnes schedæ, ex quibus fiunt Mezuzoth & Phylacteria, etiam ex pelle animalis puri præparantur.

Nonnunquam etiam solent in membranis avium scribere, sed aves illæ debent esse magnæ, ut magna pars Textus Hebræi commodè in illis exscribi possit.

Solent etiam in pellibus spontè mortuorum vel discerptorum scribere, si modò pelles illæ sint desumptæ ex animalibus puris.

2. Membrana illa debet esse parata à Judæo, & non à Christiano vel Gentili; & quidem eum in finem, ut Textus sacer ei postea inscriberetur. Aliter si sit parata à Judæo in alium usum, vel à Christiano aut Gentili in hunc usum, ut inde liber fieret, tamen liber ille, qui inde pararetur, esset profanus.

3. Ipsi Judæi in membranis illis scribunt, non Christiani, non etiam Gentiles: nam librum à Samaritano scriptum comburunt; sed à Gentili, vel ab Israelitico apostata, vel à servo, à muliere, aut à minorenni scriptum, in terrâ sepeliunt.

3. Non scribunt supra pergamenum contiguum carni, sed supra alteram partem, quæ antea pilis ornata fuit. Si tamen corium in duas partes dissectum fuerit, scribunt in parte illâ corii, quæ fuit vicina carni.

5. Omnes regulæ, in membranâ describendæ, prius sunt delineandæ, ut scriptura appareat elegantior & rectior. Si liber absque lineato scriptus sit, habetur tanquam profanus: quia putant se hanc legem

gem de sulcis faciendis à Mose accepisse. Sulci linearum nonnunquam ducuntur à tergo, ita ut eminentiæ antrorsum conspiciantur: in aliis tamen exemplaribus iidem sulci in illâ ipsâ parte ducuntur, in quâ Textus describendus est. In duobus exemplaribus MSS. Estheræ, quæ possideo (quorum alterum est in folio, alterum in octavo) sulci linearum à parte scripturæ ducti sunt. In exemplari MS. Estheræ in folio sulci linearum non sunt ita conspicui, quàm quidem in altero exemplari; ita ut primâ fronte illi sulci vix appareant. Judæi ex hoc ipso meo exemplari diu in festis *purim* publicè in Synagogis historiam Estheræ & Hamanis prælegerunt. Omnes ergo Scribæ tenentur sulcos in membranis ducere; nec puto etiam expertissimos Scribas sine lineato audere scribere.

Tandem mihi comparavi Pentateuchum MS. (non tamen totum) nitidissime in membrana conscriptum Francofurti ad Mœnum, qui pro me inde allatus est per Rabbinum aliquem. In eo exemplari lineæ tam subtiliter sunt ductæ in parte scripturæ, ut centesimus, licèt admodum attendat, vix lineas conspicere possit, nisi de iis moneatur.

III. *Secundò.* Consideranda est *dimensio* librorum MSS. Judæi non solent libros sacros in complicatis libris more Christianorum scribere, sed in longâ continuâ membranâ, quę aliquando viginti, tringinta, vel etiam plures ulnas longa est. Hęc dimensio sive distributio secundùm certas leges fit.

1. Membranę longitudo ejus altitudini proportionata esse debet, ne crassities respectu altitudinis sit nimis enormis. Itaque altitudo Pentateuchi Manuscripti non est facienda longior ejus ambitu. Hoc optimè observatum est in libris meis MSS. Estherę.

2. Communiter altitudo Membranę est sex palmorum, & longitudo ejus est proportionata altitudini. Si omnes membranę semper ejusdem essent crassitiei, facile posset aliqua certa mensura prescribi, quam omnes Scribę commodè sequi possent: sed quum hoc fieri nequeat; & ne altitudo ambitum excedat, solent nudas aliquot membranas à scripturâ vacuas aliquoties convolvere, donec justam crassitiem nanciscantur. Deinde in rejectitia aliqua membrana priùs experimentum faciunt, ut supputent in quantum literas augere vel minuere debeant. Altitudo mei Pentateuchi MS. est circiter trium pedum.

3. Multas columnas in qualibet membrana faciunt: aliter enim

libri

libri MSS. in legendo nimium essent dissolvendi. Paginæ columnares non debent esse ampliores & latiores semisse altitudinis, ne visus inter legendum ob regularum longitudinem titubet & hallucinetur. Maimonides putat circiter 30. literas in qualibet regula esse scribendas, ut ter vox polysyllabica למשפחותיכם *familiæ vestræ* in ea commodè describi possit. Singulæ mei Pentateuchi regulæ fere etiam constant triginta literis.

4. Inter singulas columnas spatium aliquod est relinquendum vacuum. Quantum? Duorum digitorum, ne lineæ videantur esse continuæ: sed paulo majus spatium est relinquendum inter singulas cortinas, ut illæ commodè consui possint.

5. Lineæ etiam secundùm antiquam consuetudinem non sunt nimis multiplicandæ, nec nimis minuendæ. Non solent certum linearum numerum cuilibet columnæ assignare; communiter tamen non pauciores quàm quadraginta octo, nec plures quam sexaginta regulas in quâlibet columnâ exprimunt. In qualibet columna Pentateuchi jam laudati habentur regulæ quinquaginta tres.

6. Lineas in membranâ non incipiunt à summitate describere, & in extremitate paginarum finire: sed suprà communiter relinquitur spatium trium digitorum vacuum, & infrà spatium quatuor digitorum. Nam in exscribendis sacris codicibus etiam ornatus ratio habetur.

IV. *Tertiò*. Quia totus Pentateuchus non potest in unicâ continuâ membranâ describi, ideo variæ membranę, quasi diversæ cortinæ, consuuntur & conjunguntur. Sed quomodo illa conjunctio diversarum cortinarum fieri solet, ut in illis commodè totus Pentateuchus describi possit? Respondeo: his sequentibus modis.

1. Non solent has cortinas nectere filis quibusdam sericis, vel cannabinis, sed nervis animalium mundorum.

2. Nervi illi, quibus membranæ consuuntur, nectuntur extrinsecus, & non intrinsecus, ubi scriptura est, ne nodi illi varii Scripturam deforment.

3. Si nervi illi vetustate vel casu quodam rumpantur, prima & secunda vice resarciuntur; sed non tertia vice, ne scriptura lædatur.

V. *Quartò*. Non perinde est quali *atramento* Pentateuchi à Judæis describantur; sed requiritur atramentum speciali modo confectum. Maimon H. Tephil. 1. 4. transferente Schickhardo, sic ait. „Colligunt

„ gunt fumum olei, vel picis, vel sevi, vel talium, & pinsunt in exu-
„ sto ligno cum exiguo mellis, & depsunt valde, donec attenuetur:
„ postea exsiccant & reponunt. Tempore scriptionis macerant vel
„ dissolvunt in aquis gallarum aut similium, & scribunt eo. Non solent vel unicam litterulam rubeo, viridi, alioque colore depingere. Pontificii veteres, exscribentes S. Scripturam, initia librorum & capitum à literis aureis, rubeis, & aliorum colorum inchoabant; sed tales colores solent Pentateuchos Hebræorum profanare. Referunt de Pentateucho Alexandri M. quod in eo nomen Dei ubique aureis literis descriptum fuerit: sed Sapientes Judæorum, de hoc Pentateucho interrogati, judicarunt è medio esse tollendum.

VI. *Quintò*. Ne errori esset locus, solent suos particulares Pentateuchos ex auctentico quodam *exemplari* describere. Antiquitùs originale exemplar servabatur à Levitis in sanctuario. Ex eo Rex Pentateuchum suum describebat & corrigebat: nam singuli Reges propriis manibus totum Pentateuchum exscribere tenebantur. Sunt quidem Judæi, qui integrum Pentateuchum memorię callent, & à quolibet dato loco recitare possunt: sed talibus tamen non licitum est vel unicam literam absque auctentico quodam exemplari scribere; ne, nimium memorię confidentes, vitia quædam in Textum sacrum intruderent.

VII. *Sextò*. Non perinde est qualibus *literis* Pentateuchi describantur. Nonnullę conditiones requiruntur, quæ literas licitas efficiunt.

1. Literæ hodiernæ Hebraicæ usurpari debent: nam si quis aliis literis in describendo uteretur, is totum librum profanaret.

2. Occurrunt quędam voces Chaldaicæ in Pentateucho, ut *Gen.* 31. 47. sed illæ etiam iisdem characteribus sunt exprimendæ. Fuerunt nonnulli inter Christianos, qui Textum Hebraicum literis Gręcis vel Latinis in commodum lectorum expresserunt, sed talis transformatio plane in libris MSS. Judæorum illicita est.

3. Non licitum est voces aliquas dividere; ita ut quędam literæ in prima, & aliæ in sequenti regulâ scribantur. Nonnulli solent etiam quasdam literas extra communem regulam in margine aliquando collocare; sed hoc alii Rabbini prohibent.

4. Diligentissima ratio habetur literarum Majuscularum, Minuscularum, Inversarum, Suspensarum, & Punctatarum. De

his vide suprà in Dissertatione decima.

5. In MSS. Pentateuchis, & in similibus libris Esthere, in Phylacteriis & in Mezuzoth diligenter attenditur ad septem literas שעטנזגץ, quæ quibusdam corniculis sive apicibus supernè coronantur. Etiam Scribæ solent literam ח cum gibbo, & literam פ sæpe reduplicatam pingere. Rationes ejus scriptionis vide retrò in Dissertatione 26.

VIII. *Septimò.* Omnes literæ decenti modo disposite esse debent; & *spatium* quod inter literas & dictiones est relinquendum, non debet esse nimis magnum vel nimis parvum. Hinc variis modis distantias illas determinarunt.

1. Omnes & singulæ litere à se invicem ita debent esse *distinctæ*, ut una alteram non attingat. In multis linguis Orientalibus & Occidentalibus litere inter scribendum conjunguntur; & propterea facilius scribuntur: sed in scriptura Hebraica literæ ita divise esse debent, ut spatium unius pili inter singulas literas vacuum relinquatur.

2. Inter singulas dictiones relinquendum est spatium unius literulæ.

3. Inter singulas lineas omittitur spatium unius linee.

4. Inter sectiones *clausas*, que in Pentateucho literâ *Samech* denotantur, relinquitur spatium trium literarum; inter sectiones *apertas*, que literâ *Pe* indigitantur, relinquitur spatium novem literarum; & inter sectiones *maximas*, que tribus literis *Samech* vel *Pe* denotantur, omittitur spatium trium regularum vacuum. Maimonides toto capite 8. in Hal. Tephil. omnes sectiones *clausas* & *apertas* enumerat, & ibidem allegat loca in quibus sectiones *apertæ* & *clausæ* observari debeant. Sectiones illæ sunt varie. Maimonides ait sectiones סְתוּמִים *clausas* in Pentateucho inveniri trecentas septuaginta novem; פְּתוּחִים *apertas* verò ducentas & nonaginta. Ergo in Pentateucho simul occurrunt sectiones tam clause quàm aperte sexcentæ & sexaginta novem. Sed hæ omnes & singulæ in multis Bibliis Hebraicis accuratè non exprimuntur. Vide de his sectionibus suprà in Dissertat. IV.

5. Inter singulos Pentateuchi libros omittitur spatium quatuor linearum. Hæc omnia accurati Scribæ in Pentateuchis MSS. tenentur diligenter observare.

IX. *Octavò.* Exodi capite 15. & Deuteronomii capite 32. occurrunt

runt *carmina*, quæ ita sunt scribenda, ut quisque primo intuitu videat esse carmina: aliter enim liber esset profanus. Maimonides capite 7. describit modum, secundùm quem hæc duo carmina describenda sunt. Docet unde initia regularum sint desumenda, & quot voces in singulis regulis sint scribendæ, &c. Non mirum est Judæos differentiam aliquam observare in carminibus Hebraicis exscribendis, quum ille mos apud Christianos etiam sit usitatissimus: nam carmina Virgilii, Ovidii, aliorumque Poetarum aliter disponuntur, quàm prosa Ciceronis & aliorum Oratorum.

X. *Nonò. Nomina Dei* cum magnâ devotione sunt describenda; & qui secundùm leges Judæorum eadem benè exscribere vult, has conditiones observare tenetur.

1. Scriba intingens calamum non audet tali jam intincto calamo nomen Dei describere; sed tali pleno calamo ab antecedente literâ incipere debet, ne nomen Dei præ nimiâ atramenti copiâ maculetur.

2. Scriba, describens nomina Dei, semper attendere debet ad Majestatem Dei. Si enim quis eo tempore, quo Pentateuchum exscribit, non esset devotus, totus liber redderetur profanus.

3. Scriba eo tempore ita astrictus esse debet scripturæ, ut Regem salutantem non resalutet, antequam duo vel tria verba post nomen Dei addiderit.

XI. *Decimò*. Quandoquidem ex oscitantiâ Scribarum nonnunquam quædam vitia in Textum irrepunt, ideo Pentateuchi MSS diligenter ad exemplar auctenticum sunt examinandi & *corringendi*: & ut Pentateuchi MSS. benè corrigantur, hæ conditiones requiruntur.

1. Correctio illa intra breve tempus, scil. intra 30. dies post scriptionem, ne planè oblivioni tradatur, est instituenda: si enim liber intra hoc tempus non corrigatur, profanus est.

2. Si liber MS. ita negligenter sit exaratus, ut vix corrigi possit, planè abjicitur. Attamen ut certi essent, an corrigibilis esset nec ne, ita rem hanc determinarunt. Si pagina sive columna contineat tantum tria errata, corrigibilis est; si vero contineat quatuor, pagina illa removenda est.

3. In nominibus Divinis nihil licet mutare. Si quis vel unicam literam corrigeret vel deleret, graviter eum peccare existimant. Attamen concesserunt pronomina præfixa & affixa corrigi posse. Ex his decem antecedentibus observationibus videmus, quàm curio-

curiosi sint Judæi in libris MSS. exscribendis.

XII. *Undecimò*. Judæi circa libros jam descriptos adhuc hæc sequentia observant:

1. Judæi solent Pentateuchis, in Synagogis asservari solitis, ut iidem commode ex arcâ depromi, & per Synagogas gestari possint, bina *tornata ligna* unà cum manubriis ab utraque extremitate annectere, quæ ab ipsis עֲצֵי חַיִּים *ligna vitæ* vocantur ex Prov. 3. 18. *Sapientia lignum vitæ est apprehendentibus eam*. Infantes semestres solent hos cylindros, quando Sabbatho in Synagogam deferuntur, attingere. In Synagogis Hispanorum, utpote Judæorum divitum, ligna illa variis ornamentis, ut turriculis, factis ex auro, argento aliisque pretiosis rebus, ornantur. In solâ Hispanorum Synagogâ sunt sexaginta circitèr MSS. Pentateuchi, ornati variis splendidis ornamentis, quos omnes vidi unicâ vice à totidem Judæis ter circumgestari per Synagogam in festo, quod vocatur שמחת תורה *Lætitia Legis*.

2. Omnes & singulos MSS. Pentateuchos *fasciæ* cuidam, quatuor aut quinque ulnas longæ, & palmum latæ, semper *involvunt*. Tales fascias solent pueruli semestres donare, quando in Synagogam primùm deferri solent. Et quia plures pueruli in Synagogam deferuntur, quam ibidem sunt Pentateuchi, ideo solent eas, ut ipsemet sæpe vidi, in angulum Synagogę projicere. In omnibus & singulis illis fasciis nomen infantis, nomen patris, ætas, & dies nativitatis ipsius artificiosè sunt depicta.

3. Judæi judicant hanc fasciam ad Pentateuchum servandum non sufficere; ideoque adhuc alii cuidam *palliolo* Bombycino, *vel ex aliâ* quâdam materiâ facto, eum involvunt. Omnes adstantes solent illud palliolum, unà cum Pentateucho circumlatum, quando illud attingere possunt, osculari; vel si ore eò usque pertingere non possint, solent idem digitis attingere, quos repentè ori & oculis suis admovent. Nam putant talem attactum adversus oris fœtorem & oculorum lippitudinem optimum esse remedium.

4. Ab hoc palliolo, cui Pentateuchus involvitur, de catenulâ argenteâ dependet *lamina argentea*, cui nomina festorum, dierum, aliaque inscripta sunt. Memini me in Synagogâ Judæorum Germanorum talem laminam vidisse, in quâ hæc sequentia verba inscripta erant ab unâ parte:

ראש חודש חול המועד ראש השנה ויום כפור

יום טוב

הענדלה ברת יעקב שליט

Ab alterâ vero parte hęc eidem laminæ erant inscripta:

לפרט כי שם צוה ה את הברכה חיים עד העולם

שבת

מנחם בר אברהם וצל

5. Etiam dependet de Pentateucho, ex quo lectiones Sabbathinas in Synagogis prælegunt, *stylus argenteus*, in cujus summitate est parva manus argentea. Hunc stylum Prælector in manus sumit, ut Textum eo demonstrare possit, ne inter legendum hallucinetur.

6. Postquam sectionem aliquam ex Pentateucho prælegerunt, solent eundem rursus recondere in *arcam*, quæ parieti versus plagam orientalem affixa est. Arca Amstelodamensis, quæ in Judæorum Germanorum, utpote paucorum, Synagoga erecta est, non est magna; quia pauci Pentateuchi in eâ reconduntur: sed quæ in Judæorum Hispanorum, utpote multorum divitum, Synagoga splendidè fabrefacta extat, est multo major; quia, ut ante dixi, sexaginta, vel fortasse plures Pentateuchi ibidem pro tempore asservantur.

Arcæ illę *intrinsecus* solent ornari eleganti velo acupicto; atque quo festum est majus, eo pretiosius solet esse velum. Communiter avium picturæ in velis illis exprimuntur. Vide plura in Synag. Buxtorf. cap. 14.

Nonnunquam *extrinsecus* in januis arcarum solent Textus quidam Biblici depingi. Amstelodami in antiqua Synagoga Hispanorum hęc verba magnis aureis literis depicta olim in arcâ conspiciebantur:

יי מלך

יי מלך

שמע ישראל ידוד
אלדינו ידוד אחד :
וזאת התורה אשר שם
משה לפני בני ישראל
ידוד מלך ידוד מלך
יי ימלוך לעולם ועד
דרכיה דרכי נעם
וכל נתיבותיה שלום ·

יי ימלוך לו

ברוך שם כבוד ,
מלכותו לעולם ועד :
תורה צוה לנו משה
מורשה קהלת
יעקב יי הוא
האלדים ידוד הוא
האלדים ידוד עוז
לעמו יתן יי יברך את
עמו בשלום ·

ארון אשר שם ברית יי אשר
כרת עם אבותינו בהוציאו אתם
מארץ מצרים ·

Hæc ita Latinè transferuntur:

Jehova Regnavit.

Jehova regnabit in seculum & æternitatem.

Benedictum sit nomen gloriæ
Regni ejus in seculum & æternitatem,
Legem præcepit nobis Moses,
Hæreditarium congregationi
Jacobi. *Deut.* 33. 4. Jehova est
Deus, Jehova est
Deus. Jehova robur
Populo suo dat, Jehova benedicit
Populo suo cum pace. *Psal.* 29. 11.

Jehova regnat

Audi Jisraël, Jehova
Deus noster Jehova unus est. *Deut.* 6. 4.
Hæc autem illa *est* lex, quam proposuit
Moses filiis Jisraëlis. *Deut.* 4. 44.
Jehova regnavit, Jehova regnat,
Jehova regnabit in omnia secula. *Exod.* 15. 18.
Viæ ejus *sunt* viæ amœnitatis,
Et omnes semitæ ejus, pacis. *Prov.* 3. 17.

Arca, in qua *est* fœdus Jehovæ, quod
pepigit cum Patribus nostris, quum
educeret eos è terra Ægypti. 1. *Reg.* 8. 21.

Hoc

Hoc unicum hìc observandum est, quod pro אלהים & יהוה in asseribus, in libris profanis, & in aliis rebus utplurimum scribant ידוד & אלדים, vel nonnunquam etiam אלקים. Quare? Quia verentur, ne, si instrumenta illa profanarentur, etiam nominum Divinorum profanatio fieret. Propter hanc causam ante arcam Amstelodamensem inveniuntur ידוד & אלדים pro יהוה & אלהים.

XIII. *Duodecimò*. Ut Judæi certi essent, quinam libri sint sacri & liciti, & quinam propter scripturam illiciti; ideo Maimonides *Hal. Thephillin cap.* 20. viginti vitia enumerat, quæ libros MSS. reddunt profanos, & ad legendum ex eis illicitos. Omnia illa vitia ordine & breviter hìc enumerabo. Si quis plura de his desideret, adeat ipsum Maimonidem loco citato.

Viginti vitia, quæ libros MSS. reddunt profanos.

א. אם נכתב על עור בהמה טמאה׃	1. Si liber sit scriptus supra pellem immundæ bestiæ, liber ille est profanus.
ב׳ שנכתב על עור בהמה טהורה שאינו מעובד׃	2. Etiamsi sit scriptus in pelle animalis puri, si pellis illa non sit debito modo parata, liber est profanus.
ג׳ שהיה מעובד שלא לשם ספר תורה׃	3. Si pellis debito quidem modo sit parata, sed non cum hac intentione, ut inde liber legis fieret.
ד׳ שנכתב שלא במקום כתיבה על הגויל במקום בשר ועל הקלף במקום שער׃	4. Liber est profanus, quando scriptura non est scripta in debito loco scripturæ, hoc est, si in parte pergameni, quæ contigua fuit carni, aut in parte illa membranę, in qua fuerunt pili, scripta sit. *Ut hoc intelligatur, sciendum est Judæos pelles nonnunquam dividere in duas partes; quod si hoc factum sit, tum non licet scribere ubi fuerunt pili. Illa pars membranæ, quæ pilis olim ornata fuit, vocatur* קלף, *& nos distinctionis ergo vocamus* membranam; *sed quando pellis non est divisa, tum eam nominamus* pergamenum.
ה׳ שכתב מקצתו על הגויל ומקצתו על הקלף׃	5. Liber est profanus, quando pars ejus est scripta in pergameno, & pars in membrana.

ו׳ 6. Si

ו. שנכתב על דוכסוסטוס.	6. Si ſit ſcriptus in corio, *hoc eſt, in alterâ parte pellis diviſæ, quæ reſpicit carnem.*
ז. שנכתב בלא שירטוט.	7. Qui eſt ſcriptus ſine lineato.
ח. שנכתב בלא שחור העומד.	8. Qui eſt ſcriptus atramento evanido.
ט. שנכתב בשאר לשונות.	9. Qui eſt ſcriptus aliis linguis.
י. שכתבו אפיקורוס או כיוצא בו משאר פסולין.	10. Ille liber etiam eſt profanus, quem ſcripſit Epicuræus, ſive aliquis ex profanis, aut gentilibus.
יא. שכתב האזכרות בלא כוונה.	11. Si quis ſcripſerit Nomina Divina ſine attentione.
יב. שחסר אפילו אות אחת.	12. Si una litera deſit, liber profanus eſt.
יג. שהוסיף אפילו אות אחת.	13. Si una litera redundet, etiam profanus eſt.
יד. שנגעה אות באות.	14. Si una litera tangat aliam.
טו. שנפסדה צורת אות אחת עד שלא תקרא כל עיקר או תדמה לאות אחרת בין בעקר הכתיבה בין בנקב בין בקרע בין בטשטוש.	15. Si figura literarum ſit corrupta, aut ſi literæ ſint ambiguæ, perverſæ, perforatæ, aut maculatæ.
יו. שהרחיק או שהקריב בין אות לאות עד שתראה התיבה כשתי תיבות או שתי תיבות כתיבה אחת.	16. Si literæ ita anguſtè, vel ita latè ſint ſcriptæ, ut una vox videatur ut duæ, aut duæ voces ut una.
יז. ששינה צורת הפרשיות.	17. Quando Paraſchæ ſive ſectiones legales ſunt mutatæ, & non debito modo diſtinctæ.
יח. ששינה צורת השירות.	18. Quando carmina *Exod.* 15. & *Deut.* 32. ſunt ſcripta ut reliqua proſa.
יט. שכתב כשאר הכתב כשירה.	19. Si proſa Pentateuchi ſit ſcripta uti Carmina ſcribi debent.
כ. שתפר היריעות בלא גידי טהורה.	20. Si cortinæ libri MS. ſint conſutæ nervis animalium immundorum.

XIV. Quem

XIV. Quem usum, quæso, habent tales profani libri MSS. sive etiam inveterati?

Resp. 1. Nonnunquam solent ex illis docere pueros.

2. Vel sepeliunt tales libros unà cum hominibus probis, includendo eos vasi testaceo, quod collocatur juxta cadaver viri probi.

Ex his omnibus apparet, quàm curiosi, si non superstitiosi, sint Judæi circa S. Scripturam: unde etiam verosimiliter & valde probabiliter concludi potest Judæos nunquam datâ operâ sacram Scripturam corrumpere voluisse.

DISSERTATIO TRIGESIMA-QUINTA,

QUÆ EST

DE

VERSIONE SANCTIS PAGNINI

PARS PRIMA.

§. 1. *Intentio edendi quadruplicia Biblia proponitur. Interim animus est edere versionem Latinam Pagnini emendatiorem.*

2. *Rationes dantur quare potius versionem Pagnini statuamus edere quàm ullam aliam versionem Latinam.*

3. *Rationes allegantur quare non elegerimus versionem Junii & Tremellii, aut versionem Pagnini ab Aria Montano interpolatam.*

4. *Multi Pontificii egregiis elogiis condecorarunt versionem Pagnini.*

5. *Etiam Reformati.*

6. *Etiam Augustanæ confessionis Theologi.*

7. *Etiam Remonstrantes.*

8. *Utilitas versionis Pagnini in minori forma ostenditur.*

9. *Pontificii varias editiones versionis Pagnini procurarunt, & in publicum emiserunt.*

10. *Etiam Reformati.*

11. *Sed eam emendatiorem cogitamus edere: nam eam emendavit ipse Pagninus aliquoties. Versio Pagnini, quæ est in Bibliis interlinearibus, non convenit nec cum prima nec cum aliis editionibus. Ratio ejus diversitatis datur. Hodiernæ editiones conveniunt cum editione Roberti Stephani.*

12. *Editio prima versionis Pagnini in multis præferenda est editionibus posterioribus; quod aliquot exemplis confirmatur.*

13. *Propterea quæ in posterioribus editionibus quodammodo sunt depravata,*

pravata, ea restituentur secundùm primam editionem, & in Textum ipsum intrudentur.

14. *Deinde infra Textum Pagnini literulis Alphabeti quadam emendationes annotabuntur.*

SECTIO I.



Ogitaveramus in gratiam Latinorum, Belgarum, Anglorum & Gallorum minutioribus literis in lucem emittere quadruplicia Biblia, scilicet Hebręo-Latina, Hebręo-Belgica, Hebręo-Anglica & Hebręo-Gallica; quorum singulorum etiam specimina typis impressa dedimus: adeo ut singulæ versiones Textui Hebræo per columnas apponerentur. Sed Typographum, cui animus esset tantos sumptus Bibliis illis imprimendis impendere, hactenus non offendimus. Hinc exactam versionem Latinam, quę Textui Hebręo fuisset adjicienda, studemus hoc tempore pręmittere; si fortè Deo placeat tractu temporis aliquem vel aliquos incitare ad opus illud magnum inchoandum & absolvendum.

II. Elegimus præ cæteris versionem Pagnini: tum quia ea optima & pręstantissima est, accuratè ac simpliciter Textum Hebræum exprimens; tum etiam quia eadem recepta fere est ab omnibus Christianis, & multis vicibus ab iisdem in variis locis impressa.

III. Conqueruntur sæpe Studiosi, quod secundùm Junii & Tremellii versionem Textum Hebræum enodare & explicare difficile sit: illa enim (præterquam quod diversitas Capitum confusionem magnam pariat) puritatem Latini sermonis sectans, plusculum à serie & phrasi Hebraica abscedit. Versio autem Pagnini ab Aria Montano interpolata adeo κατὰ πόδα Hebraicis insistit, ut, plerisque in locis, seorsim si legas, sensum reddat obscuriorem. Sed versio Pagnini, sive sola legatur, sive cum nostris emendationibus, quas basi ipsius Textus cogitaveramus adjicere, bonum reddit sensum, & seriem ac phrasin Hebraicam accuratè sequitur, & dilucidè exprimit.

IV. Hinc propter elegantiam eadem versio à plerisque Christianis, cujuscunque fuerint professionis, est olim recepta, & adhuc hodie recipitur.

Pontificii multis elogiis hanc versionem condecorarunt. Leo X. Romæ ad se vocavit Pagninum, & petiit videre utriusque Testamenti translationem; cujus cum vidisset aliquot quinterniones: volo, inquit,

inquit, ut meis impensis totus transcribatur liber, & typis, exacte revisus, excudatur. Propterea etiam idem Leo non modo pro scribis, sed etiam pro parandis iis, quæ ad opus edendum necessaria erant, impensas suppeditavit. Sed propter mortem Leonis omnia pro tempore sunt intermissa.

Clemens VII. anno 1526. die 6. Junii dedit Pagnino per quinquennium privilegium imprimendi Translationem S. Scripturæ; quod privilegium Pagninus primæ suæ editioni, editæ Anno 1528. ubi etiam legi potest, præfixit. Vide hæc fusius allegata & probata in Philologo Græco, Dissertatione octava.

Hinc Arias Montanus in Præfatione Bibliorum Regiorum, volens Pagnini versionem laudare, sic ait: '*Ex versionibus vero iis quæ ad verbum hactenus extitere, illa præcipue doctis probatur quæ à Sancte Pagnino Vaticanæ Bibliotheca quondam præfecto, edita fuit, tum quod summorum Pontificum privilegiis comprobata, tum etiam quod ea ad eum, propter quem edita est, usum, commoditatis plurimum, suspicionis & offensionis minimum habere censeatur.*

Laurentius Beyerlinck, S. Theologiæ Licentiatus, Archipresbyter, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, ac librorum Censor in civitate Antverpiensi, in Præfatione, quam Bibliis variarum Translationum Anno 1616. Antverpiæ præposuit, ita de versione Pagnini præfatur: „Priores omnes versiones Latinas tum sermonis puritate, tum proprietate verborum ab ipsis fontibus cum delectu petita, præcellit ea „quam SANCTES PAGNINUS Lucensis indefesso studio, & stupenda „judicii maturitate, pererudito sagacissimi sui pectoris arcano, magno Ecclesiæ commodo depromsit, & lucem ab omnibus desideratam adspicere voluit sub annum Dominicę Incarnationis millesimum, quingentesimum, vigesimum octavum. Quam Translationem in doctissima sua, quam in Originem evulgavit Præfatione, „nunquam interituris elogiis celebravit sui sęculi & soli non infimum „decus GILBERTUS GENEBRARDUS in Academia Parisiensi Professor, &c.

De Versione Hispanica Bibliorum, quam Cassidorus de Reyno in linguam Hispanicam transtulit, & Anno 1569. in publicum emisit, fatetur Auctor in Præfatione, se passim sequi translationem Sanctis Pagnini.

Idem fatetur etiam Auctor versionis Italicæ, editæ Anno 1562. quod in emendatione & expolitione veteris Brucciolinæ translationis,

 publi-

publicatæ Venetiis Anno 1538. sequutus fuerit Pagninum. Vide totum locum Italicè allegatum ab Arnoldo Bootio in Indice Auctorum, quem Animadversionibus sacris præfixit.

V. Reformati multis encomiis eam versionem utpote maxime fidam commendarunt. Ut hic breves simus, inspiciatur Præfatio, quæ fere omnibus Bibliis Pagnini, quorum editiones Reformati procurarunt, præmittitur. Sic ibidem præfantur: *Ergo cum hujusmodi Biblia summo studio & labore, annis quoque multis, paraverit vir in lingua sacra & diligentissimus & doctissimus* D. SANCTES PAGNINUS LUCENSIS, *cujus versionem Testamenti Veteris ut maxime literalem & propriam fidamque docti linguarumque periti plerique commendent atque legendam suadeant, studiosis sane sacrarum literarum hac in re inservire volentes, istius versionem Testamenti Veteris summa diligentia excusam hic tradimus. Non est autem quod in ejus laudibus decantandis multum insumam laboris. Exstant ejus libri editi de lingua sacra; exstat jam editio Veteris Testamenti, adeoque integer Codex Bibliorum, qui satis idonei sunt laudum ejus præcones.*

VI. Lutherani passim in scriptis suis eam versionem tanquam de meliori nota lectoribus commendant: imo Theologi Lipsienses Anno hujus seculi 1657. Biblia interlinearia, ex mandato potentissimi & serenissimi DD. Johannis Georgii I. Ducis Electoris Saxoniæ, unà cum versione Sanctis Pagnini, egregiis & præstantissimis literis, Lipsiæ in folio ediderunt; cui editioni Collegium Facultatis Theologicæ in Universitate Lipsiensi prolixam præposuit præfationem, quâ eam ut correctam Lectoribus commendat.

VII. Remonstrantes Pagnini versionem ut fidam & Textui Hebræo exactè respondentem etiam laudant. Vide Institutiones Theologicas Episcopii Lib. 4. cap. 21. pag. 278. ubi sic ait: *Hinc laudandæ mihi videntur* SUPRA MODUM *versiones S. Pagnini, B. Ariæ Montani quæ sine notis ullis editæ sunt, ac proinde ab omnibus promiscue leguntur.* Et pag. „279. Versiones istæ cæteris omnibus præferuntur, quæ proxime ac„cedunt ad sacrorum Auctorum verba, sive quæ de verbo ad verbum „reddunt Textum sacrum, absque ulla elegantiæ adfectatione, & „privati propriique sensus seu interpositione seu immistione; cujus„modi versio est B. Ariæ Montani, quam ego longe cæteris omni„bus, eam unam ob caussam, præferendam esse existimo, quia per „eam nec dictioni Spiritus S. nec mortalium cuiquam fit injuria; sed „contra, Spiritus S. dictio reverenter habetur, & de sensu ejus suum

cuique

„ cuique judicium liberum relinquitur. Ad has proxime accedunt „ eæ, quæ textus sacros non quidem reddunt de verbo ad verbum, „ sed verbis tamen adeo religiose insistunt, ut adscititiæ omnis aut af„ fectatæ elegantiæ cura nulla magna duci comperiantur; cujusmo„ di versio est S. Pagnini.

VIII. Ergo hæc versio Pagnini, cujus editionem in octavo aut in magno duodecimo olim moliti fuimus, esset commoda tum studiosis, qui eam ubique, propter parvitatem, secum portare, eamque facillimè cum Textu Originali conferre poterunt; tum etiam omnibus Christianis cujuscunque fuerint professionis communi poterit esse usui.

IX. Quod Pagnini translatio revera ab illis diversæ professionis Christianis sit recepta, apparet ipso jubare meridiano clarius ex creberrimis editionibus, quas illi ipsi procurarunt.

Ipse Pagninus eam prima vice Anno 1528. approbante Clemente VII. Lugduni edidit.

Robertus Stephanus eam, duobus voluminibus in folio, unà cum versione Vulgata & Commentariis Vatabli publicavit Parisiis Anno 1557.

Arias Montanus eandem unà cum Textu Hebręo ut interlinearem in publicum emisit Anno 1572. apud Plantinum, quæ editio postea Anno 1584. iterum eodem modo excusa est, & Anno 1613. in octavo ex officina Plantiniana Raphelingii.

Prima editio Pagnini pura, prout eam ipse evulgavit prima vice, est in publicum emissa Antverpiæ Anno 1616. per columnas apud Johannem Keerbergium: adeo, ut in Veteri Testamento hę quatuor versiones Latinæ juxta invicem conspiciantur, videlicet Versio Vulgata, Versio Pagnini, Versio Latina LXX. Interpretum, & versio Latina Paraphraseos Chaldaicæ: sed in Novo Testamento expressæ sunt totidem versiones Latinæ, scil. Versio Vulgata, versio Latina Textus Syriaci, Versio Ariæ Montani, & Versio Erasmi. Hęc Biblia sub hoc titulo sunt edita & approbata: BIBLIA SACRA *variarum translationum, tribus tomis distincta.*

X. Reformati versionem Pagnini multis vicibus in diversis formis ediderunt. Vide nonnullas editiones in quarto & in octavo, quæ diversis temporibus & in diversis locis à Reformatis sunt editę; quas omnes & singulas enumerare supervacaneum est, præcipuè cum passim manibus Christianorum terantur. Sed prætereundum non est

quod Angli eam versionem, ut interlinearem, in famosissimis Bibliis Polyglottis supra Textum Hebræum collocarint, prout antea Arias & postea Lutherani Lipsienses etiam fecerunt.

XI. Sed quia nonnulla sunt in illa laudata versione, quæ ulteriorem emendationem postulant, ideo versionem eam quibusdam in locis, collatione facta cum Textu originali è recentioribus translationibus Munsteri, Tigurina, Junii, Deodati, Anglica, præcipue etiam Belgica (communicatis operis cum Reverendo D. Johanne Levingstono, veterano Verbi Divini ministro, Scoto-Britanno) emendavimus; quas emendationes infra Textum Pagnini collocabimus.

Non mirum est Spicilegium aliquod post messem adhuc fuisse relictum, cum ipse Pagninus in prima editione multa loca, ante eam absolutam & editam, moneat esse corrigenda; prout videre est in prima editione: ex. gr. Genes. 3. 24. pro, *& ejecit Adam* monet corrigendum esse: *& ejecit hominem*. Sic Genes. 49. 10. pro, *de inter pedes ejus*, ait scribendum esse: *è pedibus ejus*. Similiter versu 18. pro, *Ghad, exercitum succidet, & ipse succidet calcaneum*, monet scribendum esse: *Ghad exercitus superabit eum, & ipse superabit demum*.

Imo aliquot annis post editam primam editionem videtur ipse Pagninus propria manu multa loca correxisse: sic enim testatur Robertus Stephanus in editione versionis Pagninianæ Anni 1557. cum ait: *In exteriori autem parte interpretationem Sanctis Pagnini (quam potissimum, ut maxime fidam omnes uno ore laudant) crassioribus literis excusam damus: sed hanc quidem certe multis partibus ea quam in aliis editionibus habes, meliorem. Nacti enim sumus duo ex prima illius editione exemplaria, in quibus non solum typographica errata non pauca, nec levia, manu propria ipse auctor correxerat, sed multos etiam locos diligentius & accuratius quam antea examinatos recognoverat. — Ejus præterea linguæ Hebraicæ Thesaurum non sine magno fructu in consilium fere semper adhibuimus.*

Arnoldus Bootius in Animadversionibus sacris, in Indice Auctorum, ad vocem *Hieronymi* idem confirmat, cum sic fatur: *Unum præ omnibus nominasse sufficiat Pagninum, qui non modo primam suam Versionem interpolavit plus semel, sed sexcentos locos in Dictionario suo interpretatur longè aliter & nonnunquam planè contrario modo, quàm in ipsius corporis Biblici versione fecerat.*

Hinc procul dubio editiones versionis Pagnini, quæ Francofurti & alibi sæpissimè editæ sunt, tam multum differunt tum à prima editione

tione quam ipse auctor prima vice procuravit, quamque Johannes Keerbergius Antverpiæ Anno 1616. secundùm primam editionem impressit; tum etiam ab aliis editionibus, quæ nomine Pagnini evulgatæ sunt.

Imo illa Pagnini versio, quam Arias Montanus in Bibliis interlinearibus in publicum emisit, non convenit nec cum prima Pagnini editione, nec cum aliis editionibus Francofurti & alibi editis. Ejus rei hanc assignat causam Arias Montanus in illa Præfatione, quæ de versione Latina Pagnini disserit: *Censores Theologi, collatis inter se tribus ipsius Pagnini exemplaribus, diversis temporibus in lucem emissis, adhibito etiam ejus Dictionario Hebraico, aliisque lucubrationibus & vigiliis, pleraque loca adnotarunt, quæ ipse Pagninus veritatis & sapientiæ amore ductus, aliter quàm in prima editione habebantur, legenda, & tenenda esse, & ingenue agnovit, & constanter asseveravit.*

Video editiones Latinas versionum Pagnini, quæ ejus nomine in octavo, in quarto, & in alia forma eduntur, esse impressas secundum editionem, quam Robertus Stephanus Anno 1557. unà cum Vulgata Versione Parisiis evulgavit.

XII. Ut verum fatear, prima editio, quam ipse procuravit, infinitis fere in locis magis congrua est cum Textu Hebræo quam ceteræ editiones: Ex. gr. Genes. 1. 15. Voces Hebraicæ והיו למאורות vertuntur in prima editione: *Et sunt in luminaria*, cum in posterioribus editionibus habeatur: *Sint inquam luminaria*, quæ sane non tam bene conveniunt cum Textu Hebræo quam priora.

Versu 20. verbum ישרצו *repere faciant* vertitur jam per *producant*, cum prima editio multo melius vim verbi exprimat: vel dicendum fuisset *abundè producant*.

Genes. 2. 10. וזהב הארץ ההוא טוב vertuntur in prima editione: *Et aurum terræ illius bonum*, cum in posterioribus editionibus habeatur: *& aurum terræ illius optimum.*

Gen. 3. 24. ויגרש את האדם *Et ejecit hominem*: in postremis edit. habetur: *Ejecit inquam hominem.*

Gen. 4. 9. ויאמר לא ידעתי *Et dixit*: *non novi*: in aliis edit. habetur: *qui respondit*, *nescio.*

Genes. 5. 12. In multis editionibus posterioribus adduntur post: *Vixit autem Cenan septuaginta annos, & genuit Mahaleël*, hæc sequentia verba, *quadraginta & octingentos annos, genuitque filios & filias*, cum illa omnia

omnia nec in prima Pagnini editione, nec in Textu Hebræo inveniantur.

Genes. 6. 13. והנני משחיתם *Et ecce ego disperdo eos*: sed in aliis editionibus habetur: *itaque ego paratus sum disperdere*, quæ cum Textu originali non conveniunt.

Gen. 9. 8. לאמר *dicendo*, alibi vertitur per *hunc in modum*. Et vers. 9. ואני הנני מקים *Et ego, ecce ego statuo*, transfertur in poster. edit. per: *Equidem ego statuo*. Ex his allatis exemplis clarè probatur editionem priorem in multis preferendam esse editionibus posterioribus.

XIII. Ut ut sit, nos infinita talia loca (quæ judicamus magis esse corrupta quam emendata, queque in prima editione bene fuerunt expressa) secundùm primam editionem restituimus & *emendavimus* in ipso Textu Pagnini: nam in illis locis Textus Hebræus magis convenit cum prima editione, quam cum cæteris editionibus; prout apparet ex locis sectione precedente allatis. Et propterea muniti & confirmati auctoritate primæ editionis, quam semper sequimur, verba primæ editionis, que cum Textu Originali melius *conveniunt*, in ipsum Textum intrusimus: ex. gr. Genes. 1. 15. In Textu Latino habebitur, prout in prima editione fuit expressum: *Et sint in luminaria*. Et versu 20. *repere faciunt*. Et sic deinceps.

XIV. Sed quia adhuc in prima & in reliquis editionibus nonnulla occurrunt, quæ ulteriorem emendationem postulant: nam nihil simul & inventum & perfectum est, nec una, eademque etas omnia in lucem profert, nec etiam unius mente omnia perspici & peragi possunt: ideo, adjuti aliorum versionibus & interpretationibus, nonnulla observavimus, que emendanda Lectores, inspicientes & conferentes Textum Originalem, judicabunt. Eas emendationes, ut versionem Pagnini puram servemus, infra Textum literulis Alphabeti annotabimus: quarum emendationum diversa exempla duabus Dissertationibus sequentibus proferemus; ad quas Lectorem curiosum ablegamus.

DISSER-

DISSERTATIO TRIGESIMA-SEXTA,

QUÆ EST

DE

VERSIONE SANCTIS PAGNINI

PARS SECUNDA,

Continens castigationes in triginta priora Capita Geneseos.

§. 1. *In versione Pagnini (licèt sit præstantissima, præcipue ejus prima editio in quamplurimis locis) adhuc nonnulla sunt, quæ ulteriorem emendationem postulant.*

2. *Quod multis exemplis demonstratur in triginta prioribus capitibus Geneseos.*


3. *Ex illis antecedentibus tria consectaria eliciuntur.*

Primò. *Quod editio Pagnini prima sit præstantior posterioribus editionibus.*

Secundò. *Quod nova versio Belgica aliis versionibus vel sit præferenda, vel ad minimum cum iis æquiparanda.*

Tertiò. *Quod versio Vulgata Latina multum differat à Textu Originali.*

SECTIO I.



IN præcedente disputatione monstravimus versionem Pagnini esse versionem optimam, quæ seriem & phrasin Hebraicam accuratè sequitur, & dilucidè exprimit; etiam diversa loca protulimus, in quibus versio primæ editionis magis congrua est cum Textu Originali Hebræo quam editiones sequentes. Nihilominus nonnulla sunt in illis editionibus, (sive sola versio prima sumatur, sive omnes illius versionis sequentes editiones) quæ ulteriorem emendationem postulant. Promisi superiori disputatione me has emendationes, incipiendo ab initio Geneseos, jam secundùm ordinem capitum esse enumeraturum.

II. Exempli gratia: Gen. 1. 22. habetur פרו *crescite*, quod melius potest transferri per *fœcundi estote*. Sed Pagninus hoc retinuit ex versione Vulgata, & ex LXX. quæ habet *αὐξάνεσθε*: sed Interpres versionis Syriacæ vertit hoc verbum rectius per *fœcundamini*, & versio Belgica

gica per: *zijt vruchtbaer*. Vide etiam Cap. 8. v. 17. & Cap. 9. v. 2. 7.

Verſ. 30. את כל ירק עשב *Omne olus herbæ* erit, pro, dedi *omnem viridem herbam*: nam præterquam quod ſubintelligatur verbum נתתי ex verſu 29. quod apparet ex את denotante Accuſativum, etiam ירק עשב ſignificat *viridem herbam*. Auctor verſionis Latinæ in Targum vertit per *virentem herbam*, & verſio Belgica per [hebb' ick] *al't groen kruyt* [gegeven.]

Gen. 2. 15. ויקח *Et tulit*, pro, *Et accepit*: Sed ſequutus eſt verſionem Vulgatam, quæ habet *Tulit ergo*. Vide etiam Cap. 3. v. 6. Et Cap. 21. v. 14.

Verſ. 24. *Idcirco derelinquet* איש UNUSQUISQUE *patrem ſuum & matrem ſuam & adhærebit uxori ſuæ*. Præſtat vertere per *Idcirco derelinquet* VIR; quod etiam correxit Montanus, & verſio Belg. vertit: *de man*.

Gen. 3. 2. נאכל *veſcimur* pro *veſcemur*: nam eſt futurum: hinc verſio Belgica habet *ſullen wy eten*.

Verſ. 11. המן־העץ NONNE EX ARBORE *quam præcepi tibi*, pro *An ex arbore*: nam non habetur הלא denotans *nonne*, ſed tantum ה *an*.

Verſ. 13. מה זאת עשית *Cur hoc feciſti*? Præſtat vertere per *Quid hoc* eſt quod *feciſti*? Nam מה non ſignificat *cur*. Ita vertit Junius; & Verſio Belg. habet: *Wat is dit* [dat] *gy gedaen hebt*? Vide etiam Cap. 12. v. 18.

Verſ. 24. ואת להט החרב המתהפכת *& aciem gladii verſatilem*, pro *Et Laminam-flammantem gladii ſeſe-vibrantis*. Accuratè ita vertit Verſio Bel. *Ende een vlammigh lemmer eenes zweerts, dat ſich omkeerde*. Pagninus ex parte ſequutus eſt verſionem Vulg. dicentem: *& flammeum gladium atque verſatilem*.

Geneſ. 4. 12. *Non addet dare* כחו FRUCTUM SUUM, pro *facultatem ſuam*, ſive *vim ſuam*, Belg. *ſijn vermogen*.

Verſ. 22. כל חרש נחשת *Omne opificium æris*, pro *omnem artificem æris*: nam eſt Partic. Benoni, & non Pahul. Miror hoc non animadvertiſſe Montanum, cum in aliis aliquando ſit nimis curioſus. Verſio Belg. habet *allen werker in kooper*.

Geneſ. 5. 12. Hæc ſunt addita in poſterioribus editionibus, quæ in Textu Hebræo non habentur, ſcil. *quadraginta & octingentos annos, genuitque filios & filias*.

Geneſ. cap. 6. v. 11. 13. *Et repleta eſt terra* חמס INIQUITATE, pro *violentiâ*. Sed iterum Pagninus hic ſequutus eſt Verſionem Vulgatam.

Verſ.

Vers. 14. *Fac tibi arcam è lignis gopher*, קנים NIDOS *facies*. Præstat vertere *mansiones*.

Vers. 16. תחתיים שניים ושלשים תַּעֲשֶׂהָ *inferiora, secunda, & tertia facies in ea*, pro *infimarum, secundarum & tertiarum* mansionum *facies eam*.

Vers. 19. 20. *Introduces in arcam* להחיות אתך AD VIVENDUM TECUM, pro, *ad conservandum in vita*, Belgicè *om met u in't leven te behouden*: nam verbum non est in Kal, sed in Hiphil.

Gen. 7. 11. וארבות ET FENESTRÆ *cœli apertæ sunt*, pro, *& cataractæ*, Belg. *de sluysen*. Vide etiam Cap. 8. v. 2.

Vers. 19. *Et aquæ* גברו מאד מאד ROBORAVERUNT SE VALDE. Melius est si sic vertantur, *invaluerunt vehementissime*. Belgicè: *namen gansich seer d'overhand*. Nam גבר non significat *roborare se*, & Adverbium מאד bis repetitum plus denotat quam semel *valde*. Vide etiam vers. 18. & 20.

Vers. 21. ויגוע ET MORTUA EST *omnis caro*, pro *expiravit*. Belgicè, *en alle vleesch gaf den geest*. Vulgatus Interpres malè vertit *Consumptaque est omnis caro*. Versio Græca habet *καὶ ἀπέθανε*, quod sequutus est Pagninus.

Vers. 23. וַיִּמַּח את כל היקום *Et delevit* Deus *omnem substantiam*; pro, *Et deleta est omnis substantia*: nam וימח est Futurum Passivum: in Activo enim est יִמְחֶה. Particula את post Verba Activa regit quidem Accusativum, sed post Passiva Nominativum. Hinc Versio Belgica, quæ omnium versionum accuratissima fere est, etiam passivè transfert: *Also wert verdelgt al wat bestond*.

Gen. 8. 2. ויכלא ET PROHIBITA EST *pluvia*, pro, *& cohibita est*. Belgicè, *wert op-gehouden*: nam aliud est prohibere, aliud cohibere.

Vers. 7. *Donec siccarentur aquæ* מעל הארץ SUPER TERRAM, pro *desuper terram*: Belgicè *van boven de aerde*. Vide etiam vers. 11. & 13.

Gen 9. 6. *Effundens sanguinem hominis* באדם IN HOMINE *sanguis ejus effundetur*. Pro, *per hominem*, Belgicè *door den mensche*: quod versio Vulgata plane omisit.

Vers. 8. לאמר *hunc in modum* habetur in edit. poster. pro, *dicendo*. Vide etiam Cap. 22. 20.

Vers. 20. ויחל נח איש האדמה ויטע כרם *Et cœpit Noach agricola plantare vineam*, pro, *Et cœpit Noach agricola* esse, *& plantavit vineam*. Eodem modo habet versio Belgica. In prima editione fuerat sic

 impres-

impressum: *& incœpit Noach colere terram, & plantavit vineam*, quod quoad partem posteriorem melius cum Textu Originali convenit.

Vers. 22. 23. את ערות אביו *turpitudinem patris sui*. Præstat explicare per *nuditatem* sive *pudenda patris sui*: nam descendit à ערה *nudari*. Hinc versio Belg. habet *sijns Vaders naektheyt*. בחוץ *in platea*, pro *foris*.

Gen. 10. 5. מאלה נפרדו איי הגוים *Ab illis separatæ sunt insulæ gentium*, pro *divisæ sunt*, sicuti etiam transfert versio Vulgata.

Vers. 21. אחי יפת הגדול *frater Jepheth major*, pro, majoris: nam יפת הגדול sunt gentivi: hinc versio Belgica habet *van Japheth de grootste*.

Gen. 11. 6. לא יבצר *non prohibebitur*, pro *nonne prohibebitur*? לא hoc in loco est particula interrogativa: aliter enim sententia esset *falsa*, si haberetur *non prohibebitur*. Interrogativè etiam vertit versio Belg. *en soude hem niet af-gesneden worden*?

Gen. 12. 10. 11. 14. & alibi. מצרימה *Misraim*. Præstat vertere *in Ægyptum* quàm retinere vocem Hebraicam. Sic etiam habet editio prima & Ariæ Montani: hinc miror quomodo in alias editiones irrepserit ipsa vox Hebraica.

Vers. 19. *Ut quid dixisti soror mea est*? ואקח אתה ET TULI (vel ACCEPI, prout habetur in posterioribus editionibus) EAM *mihi in uxorem*: quod debet transferri per *& accepissem eam*: nam Pharoh nondum acceperat Saram in uxorem. Hinc versio Belgica habet *sonde genomen hebben*.

Genes. 13. 11. *Et profectus est Lot* מקדם AB ORIENTE, pro *versus Orientem*: nam Lot non deseruit Orientem, sed profectus est versus fluvium Jarden, qui erat situs versus Orientem: hinc versio Belg. habet *tegen 't Oosten*. Pagninus sequutus est Vulgatum interpretem, qui habet *& recessit ab Oriente*, & LXX. καὶ ἀπῆρε Λὼτ ἀπὸ ἀνατολῶν *& abiit Lot ab Oriente*.

Gen. 14. 14. וירק את חניכיו ילידי ביתו *& armavit pueros suos, pueros domus suæ*, pro *& armavit*, (vel expedivit) *initiatos suos, vernas domus suæ*: sic transfert etiam versio Belg. *so wapende hy sijne onderwesene, d'ingeborene van sijn huys*. Absurdè vertit Vulgatus וירק per NUMERAVIT *expeditos vernaculos suos*, & LXX. per ἠρίθμησε.

Vers. 18. והוא כהן לאל עליון *Et ipse quum esset Sacerdos Deo altissimo*, pro *& ipse erat Sacerdos Dei Altissimi*. Ita Vulgatus etiam transtulit: (*erat enim Sacerdos Dei altissimi.*) LXX. ἦν δὲ ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου. Belg.

Ende

Ende hy was een Priester des Alderhoogsten Godts: nam litera ל sæpe etiam denotat Genitivum: ut מזמור לדוד *Psalmus Davidis.*

Genes. 15. 5. ויאמר *additque*, melius habetur in prima & Montani editione: *& dixit.* Vide etiam Cap. 16. v. 10. 11.

Vers. 6. ויחשבה *& imputatum* (vel reputatum) *est*, pro *& imputavit illud*: nam est verbum activæ conjugationis. Hinc Belgæ vertunt Active *ende rekende het hem.* Pagninus sequutus est tum Vulgatum *& reputatum est illi*, tum etiam Lxx. καὶ ἐλογίσθη.

Vers. 18. *Semini tuo* נתתי DABO *terram hanc*, pro *dedi*: nam est Preteritum. Iterum pagninus sequitur Vulgatum & Lxx. Melius habet Versio Belg. *heb gegeven.* Scriptura de re certò futura sæpe loquitur tanquam de re præterita.

Genes. 17. 6. והפרתי *Et multiplicabo*, pro, *Et fæcundum faciam*: ita etiam habet Versio Belgica: *En ick sal vruchtbaer maken.* Vide etiam Cap. 17. 20.

Vers. 14. אשר לא ימול ארת בשר ערלתו *Qui non circumciderit carnem præputii sui*, pro, *cujus non circumcisa fuerit caro præputii*: nam ימול est Futurum Passivum à Radice מול *circumcidit.* Vide etiam vers. 24.

Gen. 18. 2. *Et incurvavit se* ארצה SUPER TERRAM, pro *in terram*. Belg. *ter aerde.* Nam ה locale, fini additum, denotat motum ad locum. Versio Vulgata habet: *& adoravit in terram.* Vide etiam cap. 19. vers. 1. & cap. 24. v. 52.

Vers. 14. היפלא מיהוה דבר *Nun quid abscondetur à domino quicquam*, pro, *Num nimis mirabile esset Jehovæ quicquam*? Belg. *Soude iet voor den HEERE te wonderlijck sijn*?

Vers. 16. *Et respexerunt* על פני סדם CONTRA FACIEM SEDOM, pro *versus Sedom.* Belg. *Ende sagen na Sodom toe.*

Genes. 21. 2. למועד TEMPORE *quod dixerat ei Deus*, pro *tempore præfixo.* Belg. *ter gesetter tyd.* Pagninus hîc sequutus est Vulgatum Interpretem.

Vers. 9. *Et vidit Sara filium Hagar* מצחק LUDENTEM, pro *irridentem*, vel ut Montanus correxit *subsannantem*, Belg. *spottende.*

Vers. 16. אל אראה *non videbo*, pro *ne videam*. Belg. *dat ick niet en sie.*

Vers. 22. לאמר *his verbis*, pro *dicendo.*

Vers. 34. ויגר ET HABITAVIT *Abraham*, pro *& peregrinatus est.* Sic emendavit etiam Montanus.

Gen. 22. 6. 10 *Et accepit in manu sua* המאכלת *gladium*, pro *cultrum* Belg. *het mes.*

Vers. 12. 16 ולא חשכת את בנך *quod non peperceris filio tuo*, pro, *& non prohibuisti* (vel subtraxisti) *filium tuum*. Ita etiam scriptum est in prima editione. Belg. *dat gy uwen sone niet en hebt onthouden.*

Vers. 14. יהוה יראה *Jehova videbit*, melius *Jehova providebit*, Belg. *De Heere sal't versien.* Et ibidem בהר יהוה יֵרָאֶה *In monte Jehova videbitur*: potius *providebitur*.

Gen. 23. 10. *Et Ephron* ישב HABITABAT, pro *sedebat*. Belg. *Ephron nu satt.*

Vers. 16. וישמע אברהם *& obedivit Abraham*, pro *& auscultavit Abraham*. Belg. *Ende Abraham luysterde na Ephron.*

Gen. 24. 6. ויאמר אליו אברהם *Qui respondit*, pro *Et dixit ad eum Abraham*, prout etiam in prima editione fuit impressum.

Vers. 18. 20. ותמהר ותורד *& festinavit & descendere fecit*. Sic etiam habetur in prima editione.

Vers. 35. ויהוה ברך את ארני מאד ויגדל *Cui Jehova benedixit mirum in modum, & crevit*, pro, *Et Jehova benedixit domino meo valde, & magnus factus est*. Iterum editio prima multo melius Textum Originalem expressit, quàm posteriores editiones, quę tamen dicuntur emendatæ ab ipso Pagnino: sic enim prima vice hę voces fuerunt translatę: *Dominus benedixit domino meo valde, & magnificatus est*. Eodem plane modo habent Biblia interlinearia.

Vers. 47. *Et posui inaurem* עַל־אַפָּהּ SUPER NARES EJUS, pro *super faciem ejus*. Belg. *op haer aen-gesichte*. Vulgatus Interpres etiam transfert per *faciem*, sed plura addit: *Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus.*

Gen. 25. 1. ויוסף אברהם ויקח אשה *Abraham vero aliam duxit uxorem*, pro, *Perrexit autem Abraham, & duxit uxorem*. In editione prima & in Bibliis interlinearibus melius habetur: *Et addidit Abraham, & accepit uxorem.*

Vers. 18. *In conspectu omnium fratrum suorum* נפל MORTUUS EST, pro *cecidit*. Vulgatus habet *obiit*.

Vers. 21. *Et oravit Ischac Jehovam* לנכח אשתו PRO UXORE SUA, pro, *in præsentia uxoris suæ*. Belg. *Inde tegenwoordigheyt van sijne Huysvrouwe.* Arias Montanus: *è regione uxoris suæ.*

ויעתר *Et complacuit*, pro, *& exoratus est*, Belg. *De Heere liet sich verbid-*

bidden. Arias extrudens *& complacuit*, vertit per, *& exorabilis fuit.*

Gen. 26. 3. גור בארץ הזאת *Inhabita ergo terram hanc*, pro, *peregrinare in terra hac*, Belg. *Woont als vreemdelinck in dit Land.* Vulgatus habet: *Et peregrinare in ea.*

Vers. 8. וירא והנה יצחק מצחק *videretque Ishaac ludentem*, pro, *& vidit, & ecce Ishac ludebat*. Eodem modo habetur in prima editione.

Vers. 27. *Et emiseritis me* מאתכם NE essem VOBISCUM, pro *à vobis.* Belg. *ende hebt my van u wegh gesonden.*

Vers. 35. ותהין מורת רוח ליצחק *Et irritabant spiritum Ishac*, pro, *& fuerunt amaritudo spiritus Ishaco.* Belg. *Ende dese waren Isaak — eene bitterheyt des geestes.*

Gen. 27: 4. 7. 9. 14. 17. *Fac mihi* מטעמים CIBOS, pro *cupedias*, vel *cibos sapidos aut delectabiles*, Belg. *smakelijke spijsen.*

Vers. 34. *Esau clamavit clamore magno* ומרה עד מאד ET AMARITUDINE AFFECTUS EST VEHEMENTISSIME, pro, *amore admodum.* Belg. *Ende Esau schreeuwde met grooten ende bitteren schreeuw gansch seer.* Vulgatus habet *& consternatus*, quod nullo modo convenit cum Textu Originali.

Vers. 37. *Et frumento*, *& musto* סמכתיו *stabilivi eum*, pro *fulcivi eum*, Belg. *ondersteunt.*

Vers. 40. והיה כאשר תריד ופרקת עלו *quum autem incipies dominari, franges jugum*, pro, *Erit autem quando dominaberis, ut* (vel *&*) *frangas jugum.* Pagninus in prima editione multo melius verterat quam in posterioribus editionibus. Sic enim hæc transtulit: *Et erit, quando dominaberis, franges jugum.*

Vers. 44. עד אשר תשוב DONEC QUIESCAT *furor fratris tui*, pro, *donec avertatur*, uti etiam Pagninus ipsum verbum שוב versûs sequentis in prima editione transtulit. Belg. *tot dat de bittige gramschap uwes broeders keere.*

Gen. 28. 11. וישם מראשתיו וישכב *Et posuit sub capite suo, & dormivit*, pro, *& posuit cervical suum & cubuit*: Belg. *ende maeckte sijn Hooft-peuluwe, ende leyde sich te slapen.* Vide etiam vers. 13. & 18.

Gen. 29. 1. *Et ivit ad terram* בני קדם ORIENTIS, pro *filiorum Orientis.* Belg. *En ginck na het Land der kinderen van't Oosten.* Pagninus in prima editione scripserat *ad terram filiorum Orientalium.*

Vers. 25. ויהי בבקר והנה היא לאה *Mane autem facto cognovit esse Leah*, pro, *Fuit autem in mane, & ecce erat Lea.* Pagninus in prima edi-

editione habuit: *Et fuit mane, & ecce erat Leah*; quod melius cum Textu Originali convenit, quam quod habetur in aliis editionibus.

Verf. 35. *Et dixit, hac vice,* אודה את יהוה *confitebor Jehovæ*, pro *celebrabo Jehovam.* Belg. *dit mael sal ik den Heere loven.* Nam Lea pro acceptis post invicem beneficiis non vult confiteri Jehovæ, sed vult ipsum laudare & celebrare.

Gen. 30. 2. ויחר אף יעקב *Et iratus est furor Jaacob*, pro *& accensa est ira Jacob.* Belg. *Doe ontstak Jacobs toorn.*

Verf. 8. *Et dixit Rachel*: נפתולי אלהים LUCTATIONIBUS VEHEMENTIBUS *luctata sum*, pro *luctationibus Dei.* Belg. *worstelingen Godes.* Per luctationes Dei intelliguntur quidem luctationes vehementes, sed in Textu Originali occurrit vox Dei. Sic Nineve dicitur Urbs magna Deo, h. e. maxima. Cedri Dei, h. e. maximæ.

Verf. 11. בגד *venit prosperitas*, pro *venit turma.* Belg. *Daer komt een hoop*: nam est vox composita ex בא & גד.

Verf. 13. בְּאָשְׁרִי *ut beata dicar*, pro, *ad felicitatem meam*: Belg. *tot mijn geluck*: nam non est verbum sed nomen cum affixo: absolutè est אֹשֶׁר *beatitudo*, &c.

Verf. 30. ויפרץ לרב *& crevit vehementer*, pro, *& erupit in multitudinem.* Belg. *dat is tot een menigte uyt-gebroken.*

Verf. 32. 33. 35. חום בכבשים *rufum inter oves*, pro, *fuscum inter agnos.* Belg. *Het bruyne onder de lammeren.*

III. Ex his allatis exemplis hæc tria sequentia elicimus. 1. Quod editio prima Pagnini Anni 1528. in multis sit præferenda posterioribus editionibus, quæ respectu multorum locorum potius sunt depravatæ quàm emendatę. An non posteriores editiones sunt mutatæ ab ipso Pagnino? *Resp.* Sic vulgo asserunt.

2. Quod ex superioribus exemplis Belgicis appareat præstantia Versionis novæ Belgicæ: nam in omnibus locis allatis, etiam difficilioribus, Versio nostra Belgica optimè cum Textu Originali convenit. Hinc non mirum est quod Versio nova Belgica à plerisque ita desideretur, & ab aliis Christianis, etiam diversę professionis & linguę, toties in Scriptis laudetur, atque in locis difficilioribus & dubiis allegetur. Audeo Versionem novam Belgicam Veteris Test. vel prę-ferre omnibus aliarum linguarum versionibus, vel ad minimum cum præstantissimis æquiparare.

3. Quod ex præcedentibus exemplis manifesta fiat disconvenientia

tia Versionis Vulgatæ Pontificiorum à Textu Originali Hebræo. Hinc Reformati aliique justas ob causas concludunt Decretum Concilii Tridentini, quo hanc Versionem canonizarunt, esse irritum & absonum.

DISSERTATIO TRIGESIMA-SEPTIMA. ET ULTIMA, QUÆ EST DE

VERSIONE SANCTIS PAGNINI

PARS TERTIA & ULT.

Continens castigationes in reliqua capita Geneseos.

§. 1. *Adhuc multa alia exempla ex reliquis capitibus Geneseos, à Capite 31. usque ad finem, proferuntur, ex quibus clarè probamus in versione Pagnini quamplurima adhuc esse emendanda.*

2. *Facillimè possemus tali modo totum Vetus T. percurrere, & in singulis libris ac capitibus annotare, quæ emendanda sunt: nam eadem modo sunt parata, & in chartam conjecta.*

3. *Conclusio totius operis. Fit mentio Philologi Græci, in quo similes quæstiones Philologicæ circa Novum Test. tractantur.*

SECTIO I.



Hactenus percurrimus triginta priora capita Geneseos, & ostendimus nonnulla in Versione Pagnini (licèt sit præstantissima, & à multis jure merito laudata) adhuc superesse, quibus medica manus adhibenda est. Jam igitur ordine sequuntur reliqua capita Geneseos examinanda.

Gen. 31. 7. *Et pater vester* החל בי MENTITUS EST MIHI, pro *illusit mihi*. Nam התל significat *ludificavit*, *delusit*, *illusit*.

Vers. 36. כי דלקת *quod persecutus es*, pro, *quod fervidè insectatus es*. Belg. *dat gy bittiglyck hebt na-gejaegt*.

Vers. 37. ויוכיחו ET DECLARENT *inter nos duos*, pro, *& arguant*. Ita etiam illud verbum emendavit Montanus in Textu.

Gen. 32. 25. *Et tetigit* בכף ירכו NERVUM (sive palam) FOEMO-

RIS EJUS, pro, *acetabulum* (sive curvaturam, uti vertit Montanus) *fæmoris ejus*. ותקע ET MOVIT SE *nervus*, pro, *& pendebat—luxatum acetabulum*: nam יקע significat *pendêre luxatum*, *luxari*. Vide vers. 32.

Vers. 28. ותוכל *& prævalebis*, pro, *& prævaluisti*. Belg. *en hebt vermocht*: nam Vau est conversivum.

Gen. 33. 5. 11. *Liberi sunt* אשר חנן *quos, donavit*, pro, *quos benigne donavit*, Belg. *die genadelyk verleent heeft*. In versione interlineari est, *quos benigne dedit*: sed in versione prima & in aliis editionibus est simpliciter *donavit*.

Vers. 10. *Vidi faciem tuam ac si viderem* (sive vidissem) פני אלהים *faciem Angeli*, pro *Dei*. Sic vertunt LXX. Vulgatus & Versio Belgica; sed Targum habet *faciem principum*.

Vers. 11. ויפצר בו *& coëgit eum*, vel *vim fecit ei*: pro, *& institit apud eum*. Belg. *en hy hielt by hem aen*.

Vers. 13. ודפקום *Et si pulsavero eas*, prout habetur in prima & interlineari editione: pro, *& pulsaverint eas*. Vulgatus habet: *quas si plus in ambulando fecero laborare*.

Vers. 18. ויחן את פני העיר *& mansit ante urbem*, pro, *& castrametatus est ante urbem* Vulgatus habet: *& habitavit ante urbem*. Belg. *en hy legerde sich in 't gesichte der Stad*.

Genes. 34. 8. בני חשקה נפשו בבתכם *filii mei adhæsit anima cum filia vestra*, pro, *filius meus, amore propendet anima ejus erga filiam vestram*. Pagninus sequutus est Vulgatum Interpretem. LXX *Filius meus elegit animo filiam vestram*, Targum: *anima filii mei complacuit filia vestra*. Arias, extrudens verbum *adhæsit*, intrusit *complacuit*: Sed omnibus his versionibus preferenda est versio Belgica, quæ ait: *Myns soons ziele is verlief op u lieder dochter*.

Vers. 14. כי חרפה הוא לנו *quia abominatio est nobis*, pro, *quia probrum esset nobis*. Absurdè Vulgatus: *quod illicitum & nefarium est apud nos*. Melius LXX. & Targum: *quoniam opprobrium est nobis*. Belg. *dat ware ons een schande*.

Vers. 18. וייטבו דבריהם בעיני חמור *& placuerunt verba eorum ipsi Hamor*, pro, *& bona fuerunt verba eorum in oculis Hamor*. Belg. *Ende hare woorden waren goet in de oogen Hemors*. Vulgata Versio longe recedit à Textu Orig. *Placuit oblatio eorum Hemor*.

Vers. 24. וימולו *& circumciderunt se*, pro, *& circumcisi sunt*. Belg. *en sy werden besneden*. Iterum errat hic Versio Vulgata, quæ pro vocibus hujus

hujus versus (*Et obedierunt Chamor, & Sechem filio ejus omnes egredientes per portam civitatis ejus: & circumcisi sunt, omnis masculus, omnes egredientes per portam civitatis ejus,*) hæc tantum substituunt: *Assensique sunt omnes: circumcisis cunctis maribus.* Hoc sane non est vertere. Nulla ex aliis famosis versionibus tantum differt à Textu Originali, quàm hæc Vulgata Versio. Propterea non possum mihi persuadere qua fronte Pontificii versionem suam, ita corruptam, tam longis passibus à Fonte Originali discedentem, ausi fuerint canonizare. Sed cordatiores inter Pontificios in locis dubiis, relicta Versione Vulgata, se ad Textus Originales contulerunt.

Gen. 35. 13. ויעל מעליו אלהים ET DISCESSIT AB EO DEUS, è *loco in quo locutus est secum*, pro, *& ascendit ab eo Deus.* Belg. *Doe voer God van hen op.* Vulgatus omittit omnes posteriores voces, & simpliciter sic ait: *Et recessit ab eo.*

Vers. 14 *Et erexit Jacob* מצבה TITULUM (pro *statuam*) -- מצבת אבן TITULUM LAPIDEUM (pro *statuam lapideam.*) Pagninus sequutus est Versionem Vulgatam, LXX. & Targum.

Gen. 37. 19. *Ecce* בעל החלומות SOMNIATOR, pro, *dominus somniorum*: sic vertit Targum. Belgicè transfertur: *Siet de meester droomer.* Montanus habet, *magister somniorum.* Pagninus sequitur Vulgatum & LXX.

Vers. 36. סרים פרעה שר הטבחים *principi Paroh, principi laniorum*, pro, *aulico* (sive *eunucho*) *Pharaonis, præfecto satellitum.* Belg. *Pharaos Hovelinck Overste der Trawanten.* Vide etiam cap. 39. v. 1.

Genes. 38. 8. ויבם אותה *& affinitatem contrahe cum ea*, pro, *& fratris jure* (sive *nomine*) *duc eam.* Belg. *ende trouwt se in uwes broeders name.* Nam יבם non est simpliciter *affinitatem contrahere*, sed denotat *fratris defuncti absque liberis uxorem ducere.*

Vers. 14. 21. ותשב בפתח עינים *& mansit in ostio Enaim*, pro, *& sedit in aditu duorum fontium.* Belg. *ende settede haer aen den in-ganck der twe fonteynen.* Præstat עינים explicare per nomen appellativum quam per nomen proprium.

Vers. 18. 25. ופתילך *& pallium tuum*, pro, *& vittam tuam.* Belg. *ende uwen snoer.* Vulg. *& armillam.* LXX. *& parvum monile.* Targ. *& sudarium tuum.*

Genes. 39. 10. ולא שמע אליה לשכב *& non pareret ei ut dormiret*, pro, *& non auscultaret ei ut cubaret.*

Vers. 19. כדברים האלה עשה לי *Talia* (vel *secundum hæc*) *fecit mihi*, pro, *secundum verba ista fecit mihi*. Belg. *Na dese selve woorden heeft by my gedaan*. ויחר אפו *& iratus est furor ejus*, pro, *& accensa est ira ejus*. Vide etiam Cap. 44. v. 8.

Gen. 40. 9. 16. בחלומי והנה גפן *me somniante videre videbar vitem*, pro, *in somnio meo, & ecce vitis*. Belg. *In mijnen droom, siet, soo was een wijn-stock*. LXX. *In somnio meo erat vitis*. Targ. *In somnio meo ecce vitis erat*. Vulg. *somnium suum : videbam vitem*.

Vers. 13. 19. בעוד שלשת ימים *In fine trium dierum*, pro, *Intra adhuc tres dies*. Belg. *Binnen noch drie dagen*. Vulg. *post quos*.

Vers. 17. מכל מאכל פרעה עשה אופה *ex omnibus cibis Paroh opere pistorio*, pro, *ex omni cibo Paroh opere pistoris*. Belg. *Van alle spijse van Pharao, die backers werk is*. Vulg. *portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria*.

Vers. 22. *Quemadmodum interpretatus fuerat* להם יוסף EI JOSEPH, pro, *eis Joseph*. Nam להם est plurale.

Genes. 41. 1. והנה עומד *putabat se stare*, pro, *& ecce stabat*. Belg. *Ende siet, hy stont*.

Vers. 17. בחלמי הנני עומד *me somniante putabam me stare*, pro, *in somnio meo, ecce ego stabam*. In prima editione sic habetur: *me somniante ecce stabam*.

Vers. 37. *Et in oculis* כל עבדיו SERVORUM EJUS, pro, *omnium servorum ejus*.

Vers. 40. *Et ad sermonem tuum* ישק כל עמי ARMABITUR UNIVERSUS POPULUS MEUS, pro, *osculabitur* manum *universus populus meus*. Belg. *Ende op u bevel sal al mijn volk* [de hand] *kussen*. LXX. & Vulgatus vertunt per *obediet*. Autor Miclal Jophi explicat etiam genuino modo, quando ait ישק ענין נשיקה *significare osculationem*, cujus sensum clarius sequentibus verbis exponit . כלומר להודותו לאדון

Vers. 43. אברך *Abrech*, pro *flecte genua*, Belg. *Knielt*. Targ. *hic est pater regis*. Alii *pater tener*. Non est nomen, sed Infinitivus in Hiphil, à Rad. ברך. Ita etiam explicatur in Miclal Jophi : אברך האלף במקום הא הברך והוא מקור כלומר לזה נאה להבריך לפניו *In verbo* אברך *Aleph est loco He* הברך, *estque infinitivus, quasi diceret, conveniens est ei, ut genua flectant coram eo*. Allegorici scribunt, quod אברך sit quasi אב בחכמה *pater sapientiâ*, ורך בשנים *& tener annis*.

Vers. 47. ותעש הארץ בשבע שני השבע לקמצים *Et congregaverunt habitatores terræ in septem annis saturitatis frumenta in horrea*, pro,

Et

Et produxit terra ipsa in septem annis saturitatis ad manipulos. Belg. *Ende het Land brachte voort inde seven jaren des over-vloeds, by hand vollen.* Vulg. periphrasticè, uti sæpe solet, exponit: *Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes, &c.*

Genes. 42: 4. 38. *Ne forte accidat illi* אסון MORS, pro *exitium*. Belg. *het verderf*. Aben Esra exponit per מות *mortem*, & Michal Jophi addit מות בידי אדם או בידי שמים *mortem infligendam per homines aut per cœlum* (h. e. Deum.)

Vers. 19. *Asportate frumentum* רעבון בתיכם AD EXPELLENDAM FAMEM è DOMIBUS VESTRIS: præstat vertere: *pro fame domorum vestrarum*. Accuratè vertit versio Belgica: *Brenget het koorn voor den honger uwer huysen*. Absurdè vertit Vulgatus Interpres: *& ferte frumenta quæ emistis in domos vestras.*

Gen. 43. 11. קחו מזמרת הארץ *tollite de optimis fructibus terræ*, pro, *accipite de laudatissimis rebus hujus terræ*. Belg. *Nemet van het loslicxste deses Lands*. Proprie habetur *de cantione terræ*, h. e. de rebus laudatissimis terræ, quæ decantari solent.

מעט צרי *pusillum resinæ*, pro *pusillum balsami*. Belg. *weynig balsem.*

Vers. 26. השלום אביכם הזקן *Num sanus est pater vester senex?* pro, *Num pax est patri vestro seni?* Belg. *Is 'twel met uwen Vader den ouden?*

Vers. 28. ויאמרו שלום לעבדך *Qui responderunt, Sanitas*, pro, *& dixerunt pax servo tuo*. Belg. *Ende zy seyden, het is wel met uwen knecht.*

ויקדו וישתחו *& incurvaverunt se, & adoraverunt*, pro, *& inclinarunt caput, & incurvaverunt se*. Belg. *ende zy neygden het hooft, ende bogen sich neder*. Vulgatus, Lxx. & Targum absurde exponunt ישתחוו per *adoraverunt*.

Vers. 30. *Quia incalescebant* רחמיו *miserationes ejus*, pro *viscera ejus*. Belg. *Want sijn in-gewand ontstak.*

Vers. 34. וישא משאות *& accepit partes*, pro, *& sustulit fercula*. Belg. *Ende hy langde van de gerichten.*

Gen. 44. 5. והוא ינחש בו *iste inquam in quo augurando augurari solet, tentando tentat*, pro *& ipse experiendo experietur per eum*. Belg. *ende daer by hy* [yet] *sekerlijck waer-nemen sal.* Pagninus in prima editione multo melius transtulerat: *& ipse tentando tentat in eo.*

Vers. 9. *Nos erimus* לאדני DOMINO TUO *servi*, pro *domino meo*. Belg. *mijnen Heere.*

Gen. 46. 29. ויפול על צואריו *& jactavit se super collum ejus*, pro, *& irruit*

irruit in collum ejus. Belg. *so viel by hem aen sijnen hals*. Targum habet: *ruit super collum ejus*. Lxx. *procidit super collum ejus*. Arias: *& cecidit super collum ejus*.

Gen. 47. 2. ומקצה אחיו לקח *Et de extremis fratribus suis cepit*, pro, *partem fratrum suorum cepit*; [videlicet] Belg. *Ende hy nam een deel sijner broederen*, [te weten] *vijf mannen*, &c.

Vers. 7. 10. ויברך יעקב את פרעה *Et salutavit Jaacob ipsum Paroh*, pro, *& benedixit Jaacob ipsi Paroh*. Belg. *Ende Jacob segende Pharao*. Ita transferunt Lxx, Targum & Vulgatus Interpres.

Vers. 9. מעט ורעים PARVI ET MALI *fuerunt dies annorum vitæ meæ*, pro, *pauci & mali*. Belg. *weynig ende quaed*. Pagninus sequutus est Versionem Vulgatam: *parvi & mali*. Sed Lxx & Targum vertunt per *pusilli* vel *pauci*.

Vers. 13. ותלה ET LABORAVIT, vel DEFECIT *terra Ægypti*: pro *& furebat terra Ægypti*. Belg. *Ende het lant raesde van wegen dien honger*. Lxx & Targum explicant per *defecit*. In Miclal Jophi eodem modo exponitur, scil. per ותשתגע à Rad. שגע.

Vers. 24. בתבואת *ex frugibus*, pro, *ex* (vel *cum*) *proventibus*. Belg. *met de in-komsten*.

Vers. 27. וישב ישראל בארץ מצרים בארץ גשן *Habitavit igitur Israël in terra Gosen*, pro, *Et habitavit Israël in terra Ægypti, in terra Gosen*. Ita etiam fuit translatum in prima editione, sed in aliis editionibus quædam omissa sunt.

Gen. 48. 2. ויגד ליעקב ויאמר *Renuntiatum est autem ipsi Jaacob tale nuntium*, pro, *& nunciavit Jacobo, & dixit* quis. Ita fere habetur in prima edit. *Et nunciavit ipsi Jaacob* nuncius, *& dixit*. Nam יגד est activæ conjugationis Hiphil. Absurdè Vulgatus ait: *Dictumque est seni*.

ויתחזק *& confortatus est*, vel *vim fecit sibi*, pro, *& confirmavit se*. Belg. *hy versterkte sich*.

Vers. 4. הנני מפרך *Ecce ego crescere facio te*, pro, *Ecce ego fœcundum faciam te*. Belg. *Siet ik sal u vruchtbaer maken*.

Vers. 6. ומולדתך *Liberi autem tui*, pro, *Progenies autem tua* Belg. *Maer u geslachte*.

Vers. 7. מתה עלי רחל *Mortua est mihi Rachel*, pro, *apud me*. Arias vertit *super me*. Belg. *by my*.

Vers. 9. ויקח *& tulit*, pro, *& accepit*, בימינו *à dextera sua*, pro, *dexterâ suâ*, Belg. *met sijne rechterhand*.

Vers.

Vers. 14. כי מנשה הבכור *quamvis Menasse esset primogenitus*, pro, *quia Menasse* erat *primogenitus*. Belg. *want Menasse was de Eerst-geborene.* Pagninus in prima editione vertit: *quod Menasseh foret primogenitus.*

Vers. 16. וידגו לרב *& multiplicentur plurimum*, pro, *& instar piscium sint in multitudinem.* Ita habent versio prima, & Biblia Interlinearia. Belg. *ende dat zy vermenigvuldigen als Visschen.*

Gen. 49. 4. אז חללת יצועי עלה *ex quo polluisti stratum meum evanuit*, vel *tunc polluisti, stratum meum excisum fuit*: pro, *tunc polluisti, stratum meum ascendit*. Belg. *doe hebt gy* (het) *geschend: hy heeft myn bedde beklommen.* Vulgatus non vertit verbum עלה.

Vers. 5. כלי חמס מכרותיהם *Arma iniquitatis in habitationibus suis*, pro *Instrumenta violentiæ* sunt *negotiationes* (sive *pactiones*) *eorum*. Belg. *Hare handelingen sijn werk-tuygen van gewelt.* Absurdè vertit Vulgatus Interpres per: *Vasa iniquitatis bellantia.*

Vers. 6. עקרו שור *eradicaverunt murum*, pro, *avulserunt boves*. Belg. *Sy hebben de Ossen weg geruckt*. Lxx. *subnervaverunt taurum.* In Miclal Jophi שור, denotans *bovem*, exponitur per בהמות *bestias* (scil. in notis Abendanæ) ad indicandum שור non denotare שור *murum.*

Vers. 7. *Maledictus furor eorum* כי עז QUIA PERTINAX, pro, *quia vehemens*. Belg. *want hy is hestig.* Arias habet: *quia fortis.*

Vers. 9. וכלביא *& sicut leana*, pro, *& sicut leo major* (vel *immanis.*) Belg. *en als een oude Leeuw*. In prima editione כארי & כלביא explicantur bis per *sicut leo*: sed לביא est leo annosior & major eo leone, qui ארי vocatur. Vulg. etiam vertit *leænam.*

Vers. 10. ולו יקהת עמים *& ei* erit *aggregatio populorum*, pro *& ei* erit *obedientia populorum*. Targum habet: *& ei obedient populi.* Ita etiam explicatur in Miclal Joph שאליו ישמעו העמים לקבל עליהם מה שיצום *quod auscultabunt ei populi, ad suscipiendum in se id quod præcepit ipsis.*

Vers. 14. חמר גרם *asinus fortis*, pro, *asinus ossibus-valens*: nam גרם est *os ossis*. Arias habet *osseus*. Belg. *een sterck gebeent Ezel.*

Vers. 24. ותשב באיתן קשתו *Et habitavit in forti arcus ejus*, pro, *Sed permansit in robore arcus ejus*. Belg. *Maer sijn boge is in styvigheyt gebleven.*

Gen. 50. 10. 11. *Et venerunt usque ad* גרן האטד *Goren Atad*, pro, *aream Kynosbati* (h. e. Rubi canini.) Belg. *pleyne vanden Doorn-bosch.*

Vers. 14. *Et reversus est Joseph in Ægyptum, ipse* ואחיו ET FRATER EJUS, pro, *& fratres ejus*. In prima editione etiam habetur *fratres ejus*.

Vers. 17. שא פשע אחיך *Parce prævaricationi fratrum tuorum*, pro, *con-*

condona prævaricationem fratrum tuorum. Belg. *Vergeeft*, &c.

II. Sicuti jam incepimus in Genesi, ita possemus facili negotio totum Vetus T. percurrere, & ubique ad singulos libros annotare, quæ judicamus esse corrigenda: nam omnes illæ emendationes jam modo in chartam sunt conjectæ. Sed placuit hoc tempore tantum hunc primum Mosis librum perambulare: quia unusquisque ex his paucis satis poterit cognoscere quæ & qualia nos in Versione Pagnini, quam de novo cogitaveramus in publicum emittere, fuissemus emendaturi.

III. Hæc dicta sufficiant de Veteri Test. Si quis similes quæstiones desideret circa Novum T. legat Philologum meum Græcum, quem Anno 1670. prima vice, & anno 1685. altera vice, una cum Translatione Hebraica omnium Textuum Chaldaicorum Veteris Test. *in publicum* emisi. Interim Deo sit laus & gloria, qui mihi concessit vires & vitam edendi tertiâ vice hunc Philologum.

לישועתך קויתי יהוה.

SALUTEM TUAM EXSPECTO JEHOVA.

I N D E X.

Rerum in hoc libro contentarum.

A.

Biblia

Fontes

postea

refu-

FINIS.

355 שלא תהיה קדשה והיא הנבעלת בלא כתובה ובלא קדושין שנ׳ לא תהיה קדשה

355. Ne sit meretrix, & illa est quæ est conjugata sine literis matrimonialibus, & sine sponsaliis: sicut dicitur Deut. 23. 17. *Non erit meretrix.*

356 שלא יחזיר המגרש גרושתו אחר שנישאת לאחר שנ׳ לא יוכל בעלה הראשון אשר שלחה לשוב לקחתה

356. Ne qui divortium fecit cum uxore, iterum ducat eam, postquam nupta fuerit alteri: sicut dicitur Deut. 24. 4. *Non poterit maritus ejus prior, qui dimiserat eam, iterum capere eam.*

357 שלא תנשא היבמה לאחר חוץ מיבמה שנאמר לא תהיה אשת המת

357. Ne fratria nubat alteri quàm leviro suo: sicut dicitur Deut. 25. 5. *Non erit uxor mortui.*

358 שלא יגרש האונס אנוסתו שנ׳ לא יוכל שלחה כל ימיו

358. Ne, qui vim intulit *puellæ*, divortium faciat cum eâ, cui vim intulit: sicut dicitur Deut. 22. 29. *Non poterit dimittere eam omnibus diebus suis.*

359 שלא יגרש מוציא שם רע שנאמר לא יוכל לשלחה כל ימיו

359. Ne divortium faciat, qui protulit malam famam, *sive qui diffamavit uxorem suam*: sicut dicitur Deut. 22. 29. *Non poterit dimittere eam omnibus diebus suis.*

360 שלא יקח סריס בת ישראל שנאמר לא יבא פצוע דכא

360. Ne Eunuchus in uxorem ducat filiam Israelis: sicut dicitur Deut. 23. 1. *Non ingredietur læsus attritione.*

361 שלא לסרס זכר אחד מכל המינין לא אדם ולא בהמה חיה ועוף שנאמר ובארצכם לא תעשו

361. Ne castrent masculum aliquem ex omnibus speciebus, non hominem, neque jumentum, bestiam, neque avem: sicut dicitur Levit. 22. 24. *Et in terrâ vestrâ non facietis.*

362 שלא למנות על ישראל איש מקהל גרים שנאמר לא תוכל לתת עליך איש נכרי

362. Ne supra Israelem constituatur vir *sive Rex* ex gente extraneâ: sicut dicitur Deut. 17. 15. *Non poteris ponere super te virum alienigenam.*

363 שלא ירבה לו המלך סוסים שנאמר לא ירבה לו סוסים

363. Ne Rex multiplicet sibi equos: sicut dicitur Deut. 17. 16. *Non multiplicabit sibi equos.*

364 שלא ירבה לו המלך נשים שנ׳ לא ירבה לו נשים

364. Ne Rex multiplicet sibi uxores: sicut dicitur Deut. 17. 17. *Et non multiplicabit uxores.*

365 שלא ירבה לו המלך כסף וזהב שנאמר וכסף וזהב לא ירבה לו מאד

365. Ne Rex multiplicet sibi argentum & aurum: sicut dicitur Deut. 17. 17. *Et argentum & aurum non multiplicabit sibi valde.*

הוי זהיר במצוה קלה כבחמורה

Esto æquè cautus in servando levi aliquo præcepto, quàm in gravi.

344 שלא לגלות ערות אשת אח שנאמר ערות אחיך לא תגלה

344. Ne quis revelet nuditatem uxoris fratris: ficut dicitur Levit. 18. 16. *Nuditatem fratris tui non revelabis.*

345 שלא לגלות ערות אחות אשתו שנ׳ ואשה אל אחותה לא תקח

345. Ne quis revelet nuditatem fororis uxoris fuæ: ficut dicitur Levit. 18. 18. *Et uxorem cum forore ejus non capies.*

346 שלא לגלות ערות אשה נדה שנאמר ואל אשה בנדת טומאתה לא תקרב

346. Ne quis revelet nuditatem mulieris menftruatæ: ficut dicitur Levit. 18. 19. *Et ad mulierem in menftruo immunditiei fuæ non accedes.*

347 שלא לגלות ערות אשת איש שנ׳ ואל אשת עמיתך לא תתן שכבתך לזרע

347. Ne quis revelet nuditatem uxoris alterius: ficut dicitur Levit. 18. 20. *Et ad uxorem proximi tui non dabis concubitum tuum in femen.*

348 שלא לשכב עם בהמה שנאמר ובכל בהמה לא תתן שכבתך

348. Ne quis coeat cum beftia: ficut dicitur Levit. 18. 23. *Et in omni animali non dabis concubitum tuum.*

349 שלא תביא אשה בהמה עלידה שנ׳ ואשה לא תעמוד לפני בהמה

349. Ne mulier fe fubjiciat bruto: ficut dicitur Levit. 18. 23. *Et mulier non ftabit ante animal.*

350 שלא לשכב עם זכר שנאמר ואת זכר לא תשכב משכבי אשה

350. Ne quis coeat cum mafculo: ficut dicitur Levit. 18. 22. *Et cum mafculo non coibis coitu muliebri.*

351 שלא לגלות ערות האב עצמו שנאמר ערות אביך לא תגלה

351. Ne quis revelet ipfam nuditatem Patris: ficut dicitur Levit. 18. 7. *Nuditatem Patris tui non revelabis.*

352 שלא לגלות ערות אחי האב עצמו שנאמר ערות אחי אביך לא תגלה

352. Ne quis revelet ipfam nuditatem fratris patris: ficut dicitur Levit. 18. 14. *Nuditatem fratris patris tui non revelabis.*

353 שלא לקרב בעריות בדברים המביאין לידי גילוי ערוה כגון חיבוק ונישוק ורמיזה וקפיצה שנ׳ אל כל שאר בשרו לא תקרבו לגלות ערוה מפי השמועה למדו שזו אזהרה לקירוב המביאה לידי גילוי ערוה

353. Ne quis in libidinibus appropinquet ad ea, quæ præbent occafionem revelandi nuditatem, ut funt amplexus, ofculatio, nutus oculorum, & occlufio [*five motitatio*] oris: ficut dicitur Levit. 18. 6. *Ad omnem propinquam carnis fuæ, non accedetis ad revelandum nuditatem.* Per traditionem didicerunt, quod hæc fit admonitio de appropinquatione præbente occafionem revelandi nuditatem.

354 שלא ישא ממזר בת ישראל שנאמר לא יבא ממזר בקהל יהוה

354. Ne fpurius in uxorem ducat filiam Ifraelis: ficut dicitur Deut. 23. 2. *Non ingredietur fpurius in ecclefiam Domini.*

ערותה

est, non revelabis nuditatem ejus.

331 שלא לגלות ערות אחות שנ׳ ערות אחותך בת אביך וגומר לא תגלה

331. Ne quis revelet nuditatem sororis: sicut dicitur Levit. 18.9. *Nuditatem sororis tuæ, filiæ Patris tui &c. non revelabis.*

332 שלא לגלות ערות אשת אב שנאמר ערות אשת אביך לא תגלה

332. Ne quis revelet nuditatem uxoris Patris: sicut dicitur Levit. 18.8. *Nuditatem uxoris Patris tui non revelabis.*

333 שלא לגלות ערות אחות מן האב או מן האם שנאמר ערות בת אשת אביך

333. Ne quis revelet nuditatem sororis vel à parte Patris, vel à parte Matris: sicut dicitur Levit. 18.11. *Nuditatem filiæ uxoris Patris tui.*

334 שלא לגלות ערות בת הבן שנאמר ערות בת בנך

334. Ne quis revelet nuditatem filiæ filii: sicut dicitur Levit. 18. 10. *Nuditatem filiæ filii tui.*

335 שלא לגלות ערות בת הבת שנאמר או בת בתך לא תגלה ערותה

335. Ne quis revelet nuditatem filiæ filiæ: sicut dicitur Levit. 18.10. *Aut filiæ filiæ tuæ non revelabis nuditatem ejus.*

336 שלא לגלות ערות הבת שנ׳ ערותך היא לא תגלה ערותה

336. Ne quis revelet nuditatem filiæ, sicut dicitur Levit. 18. *Illa est nuditas tua: non revelabis nuditatem ejus.*

337 שלא לגלות ערות אשה ובתה שנאמר ערות אשה ובתה לא תגלה

337. Ne quis revelet nuditatem mulieris *sive Matris*, & filiæ: sicut dicitur Levit. 18.17. *Nuditatem uxoris & filiæ ejus non revelabis.*

338 שלא לגלות ערות אשה ובת בנה שנ׳ את בת בנה

338. Ne quis revelet nuditatem mulieris & filiæ filii ejus: sicut dicitur Levit. 18. 17. *Filiam filii ejus.*

339 שלא לגלות ערות אשה ובת בתה שנאמר ואת בת בתה לא תקח

339. Ne quis revelet nuditatem mulieris & filiæ filiæ ejus: sicut dicitur Levit. 18. 17. *Et filiam filiæ ejus non accipies.*

340 שלא לגלות ערות אחות האם שנ׳ ערות אחות אמך לא תגלה

340. Ne quis revelet nuditatem sororis Matris, *sive materteræ*: sicut dicitur Levit. 18. 13. *Nuditatem sororis matris tuæ non revelabis.*

341 שלא לגלות ערות אחות אב שנ׳ ערות אחות אביך לא תגלה

341. Ne quis revelet nuditatem sororis Patris *sive amitæ*: sicut dicitur Levit. 18. 12. *Nuditatem sororis Patris tui non revelabis.*

342 שלא לגלות ערות אשת אחי האב שנאמר ואל אשתו לא תקרב

342. Ne quis revelet nuditatem uxoris fratris Patris, *sive patrui*: sicut dicitur Levit. 18. 14. *Ad uxorem ejus non accedes.*

343 שלא לגלות ערות אשת הבן שנאמר ערות כלתך לא תגלה

343. Ne quis revelet nuditatem uxoris filii: sicut dicitur Levit. 18. 15. *Nuditatem nurus tuæ non revelabis.*

344. Ne

318 שלא לקלל אב ואם שנ׳ ומקלל אביו ואמו מות יומת

318. Ne quis maledicat Patri & Matri: sicut dicitur Exod.21.17. *Et maledicens Patri suo, & Matri suae moriendo morietur.*

319 שלא להכות אב ואם שנאמר ומכה אביו ואמו מות יומת

319. Ne quis percutiat Patrem & Matrem: sicut dicitur Exod.21.15. *Et percutiens Patrem suum & Matrem suam moriendo morietur.*

320 שלא לעשות מלאכה בשבת שנאמר לא תעשה כל מלאכה

320. Ne fiat *ullum* opus in Sabbatho: sicut dicitur Exod. 20. 10. *Non facies omne opus.*

321 שלא לחלך חוץ לתחום מדינה כהולכי דרכים בשבת שנאמר אל יצא איש ממקומו

321 Ne quis exeat in Sabbatho extra terminum civitatis, sicuti viatores: sicut dicitur Exod. 16, 29. *Ne egrediatur quisquam è loco suo.*

322 שלא לענוש בשבת שנאמר לא תבערו אש בכל מושבותיכם

322. Ne quis puniatur in Sabbatho: sicut dicitur Exod. 35. 3. *Non accendetis ignem in omnibus habitaculis vestris.*

323 שלא לעשות מלאכה בראשון של פסח שנאמר כל מלאכה לא תעשו

323 Ne quis faciat *ullum* opus in primo *die* Paschatis: sicut dicitur Levit. 23. 7. *Omne opus non facietis.*

324 שלא לעשות מלאכה בשביעי של פסח שנאמר כל מלאכה לא יעשה בהם

324. Ne quis faciat *ullum* opus in septimo *die* Paschatis: sicut dicitur Exod. 12. 16. *Nullum opus fiat in eis.*

325 שלא לעשות מלאכה בחג השבועות שנאמר כל מלאכת עבודה לא תעשו

325. Ne quis faciat *ullum* opus in festo septimanarum: sicut dicitur Levit. 23. 21. *Omne opus servile non facietis.*

326 שלא לעשות מלאכה באחד לחדש השביעי שנ׳ בו כל מלאכת עבודה לא תעשו

326. Ne quis faciat *ullum* opus in primo *die* mensis septimi, *hoc est, in primo die novi anni:* sicut dicitur de eo Levit. 23. 25. *Omne opus servitutis non facietis.*

327 שלא לעשות מלאכה ביום הכפורים שנאמר בו כל מלאכה לא תעשו

327. Ne quis *ullum* opus faciat in die Expiationum, *hoc est, decimo die novi anni:* sicut dicitur de eo Levit. 23. 28. *Omne opus non facietis.*

328 שלא לעשות מלאכה בראשון של חג הסוכות שנ׳ בו כל מלאכת עבודה לא תעשו

328. Ne quis opus *ullum* faciat in primo *die* festi Tabernaculorum: sicut dicitur de eo Levit. 23. 35. *Omne opus servile non facietis.*

329 שלש לעשות מלאכה ביום שמיני של חג שנ׳ בו כל מלאכת עבודה לא תעשו

329. Ne quis opus *ullum* faciat in die octavo festi *Tabernaculorum*: sicut dicitur Lev. 23. 36. *Omne opus servile non facietis.*

330 שלא לגלות ערות אם שנאמר אמך היא לא תגלה

330. Ne quis revelet nuditatem Matris: sicut dicitur Levit. 18. 7. *Mater tua*

שנאמר ואת הנתק לא יגלח

nis: ſicut dicitur Levit. 13.33. *Sed maculam nigram non radet.*

308 שלא לתלוש סימני הצרעת שנאמר השמר בנגע הצרעת

308. Ne tollantur ſigna lepræ: ſicut dicitur Deut. 24.8. *Cave tibi à plagâ lepræ.*

309 שלא לעבוד ולזרוע בנחל איתן שנאמר אשר לא יעבד בו ולא יזרע

309. Ne colatur neque ſeminetur in valle horrida, *ſcil. in quâ propter ignotum homicidium fuit decollata juvenca*: ſicut dicitur Deut. 21.4. *In qua non coletur, neque ſeretur.*

310 שלא להחיות מכשף שנאמר מכשפה לא תחיה

310. Ne ſinatur vivere Præſtigiator: ſicut dicitur Exod. 22.18. *Maleficam non ſines vivere.*

311 שלא יתחייב חתן בדבר מצרכי צבור כגון צבא ושמירת החומה וכיוצא בהם שנאמר לא יצא בצבא ולא יעבור עליו לכל דבר

311. Ne obligetur *novus* ſponſus ad neceſſaria, *ad quæ obligata* eſt congregatio, ſicut adire exercitum, cuſtodire murum, & ſimilia: ſicut dicitur Deut. 24.5. *Non egredietur in exercitum, neque tranſibit ſuper eum omne verbum.*

312 שלא להמרות פי בית דין שנאמר לא תסור מכל הדבר אשר יגידו לך

312. Ne quis contumax ſit adverſus domum judicii: ſicut dicitur Deut. 17.11. *Non declinabis ab omni verbo, quod annuntiabunt tibi.*

313 שלא להוסיף על מצות התורה בין תורה שבכתב בין תורה שבעל פה שנ׳ את כל הדבר אשר אנכי מצוה אתכם אותו תשמרו לעשות לא תוסף עליו

313. Ne quis addat ad præcepta Legis ſive Scriptæ ſive oralis: ſicut dicitur Deut. 12.32. *Omne verbum quod ego præcipio vobis, illud cuſtodietis ad faciendum. non addes ſuper illud.*

314 שלא לגרוע מכל מצות התורה שנ׳ ולא תגרע ממנו

314. Ne quis diminuat ex omnibus præceptis legis: ſicut dicitur Deut. 12.32. *Neque diminues ex eo.*

315 שלא לקלל הדיין שנ׳ אלהים לא תקלל

315. Ne quis maledicat Judici: ſicut dicitur Exod. 22.28. *Judicibus non maledices.*

316 שלא לקלל הנשיא והוא המלך או ראש ישיבת ארץ ישראל שנ׳ ונשיא בעמך

316. Ne quis maledicat Principi, ſive ille ſit Rex, ſive Caput conſeſſus in terra Iſrael: ſicut dicitur Exod. 22.28. *Et Principi in populo tuo.*

317 שלא לקלל אחד משאר ישראל שנ׳ לא תקלל חרש

317. Ne quis maledicat uni ex cæteris Iſraelitis: ſicut dicitur Levit. 19.14. *Non maledices ſurdo.*

כפה לא תחוס עינך

num illius, non parcet oculus tuus.

294 שלא לענוש האנוס שנ׳ ולנערה לא תעשה דבר

294. Ne puniatur qui vim passus est: sicut dicitur Deut. 22. 26. *Et puellæ non facies quicquam.*

295 שלא ליקח כופר מן הרוצח שנאמר ולא תקחו כופר לנפש רוצח

295. Ne accipiatur præmium ab homicidâ: sicut dicitur Num. 35. 31. *Et non accipietis pretium pro animâ homicidæ.*

296 שלא ליקח כופר בגלות רוצח בשגגה שנאמר ולא תקחו כופר לנוס אל עיר מקלטו

296. Ne accipiatur pretium ab homicida, qui per errorem *occidit*: sicut dicitur Num. 35. 32. *Et non accipietis expiationem ad fugiendum ad civitatem receptus sui.*

297 שלא לעמוד על הדם שנ׳ לא תעמוד על דם רעך

297. Ne quis stet super sanguinem proximi sui: sicut dicitur Levit. 19. 16. *Non stabis super sanguinem proximi tui.*

298 שלא להניח מכשול שנ׳ לא תשים דמים בביתך׳

298. Ne relinquatur offendiculum *in domo*: sicut dicitur Deut. 22. 8. *Non pones sanguines in domo tua.*

299 שלא להכשיל תם בדרך ולפני עור לא תתן מכשול

299. Ne integro *sive simplici* ponatur offendiculum in via: sicut dicitur Levit. 19. 14. *Et coram cæco non dabis offendiculum.*

300 שלא להוסיף במלקות המחויב מלקות שנאמר לא יוסיף פן יוסיף

300. Ne addatur in Malkut *flagellatione* Rei flagellatio: sicut dicitur Deut. 25. 3. *Non addet, ne forte si addat.*

301 שלא לרגל שנאמר לא תלך רכיל בעמך

301. Ne quis calumnietur: sicut dicitur Levit. 19. 16. *Non ibis detractator inter populos tuos.*

302 שלא לשנא בלב שנ׳ לא תשנא את אחיך בלבבך

302. Ne odio habeamus *proximum* in corde: sicut dicitur Levit. 19. 17. *Ne odio habeas fratrem tuum in corde tuo.*

303 שלא להלבין פני אדם מישראל שנאמר הוכח תוכיח את עמיתך ולא תשא

303. Ne quis pallidum reddat, *sive pudore afficiat* vultum alicujus ex Israelitis: sicut dicitur Levit. 19. 17. *Corripiendo corripies proximum tuum, & ne suscipias.*

304 שלא לנקום. שנאמר לא תקום

304. Ne quis ulciscatur: sicut dicitur Levit. 19. 18. *Ne ulciscaris te.*

305 שלא לנטור שנ׳ לא תטור

305. Ne servetur odium: sicut dicitur Levit. 19. 18. *Non servabis odium.*

306 שלא ליקח האם על הבנים שנאמר לא תקח האם על הבנים

306. Ne accipiatur mater cum filiis: sicut dicitur Deut. 22. 6. *Non accipies matrem cum filiis.*

307 שלא לגלח שער הנתק

307. Ne tondeatur capillus convulsione:

נפשות שנאמר לא תענה על ריב לנטות

284 שלא למנות בדיינין אדם שאינו חכם בדברי תורה אף על פי שהוא חכם בחכמות אחרות שנאמר לא תכירו פנים במשפט

285 שלא להעיד בשקר שנ׳ לא תענה ברעך עד שקר

286 שלא יעיד בעל עבירה שנ׳ אל תשת ידך עם רשע להיות עד חמס

287 שלא יעיד קרוב שנ׳ לא יומתו אבות על בנים ובנים לא יומתו על אבות מפי השמועה למדו שלא יומתו אבות בעדות בנים והוא הדין לשאר קרובים

288 שלא לכרות הדין על פי עד אחד שנאמר לא יקום עד אחד באיש

289 שלא להרוג נקי שנ׳ לא תרצח

290 שלא לחתוך הדין באומד הדעת עד שיראו שני עדים גופו של דבר שנ׳ ונקי וצדיק אל תהרוג

291 שלא יורה העד בדין שהעיד בו בדיני נפשות שנ׳ ועד אחד לא יענה

292 שלא להרוג מחויב הריגה קודם שיעמוד בדין שנ׳ ולא ימות הרוצח וגומר

293 שלא לחוס על הרודף אלא הורגין אותו הריגה קודם שיגיע לנרדף ויהרגנו או יגלה ערותו שנאמר וקצותה את

tur Exod. 23. 2. *Non respondebis super lite ad declinandum.*

284. Ne eligatur inter Judices aliquis qui non est doctus in verbis Legis, etiamsi sit doctus in aliis sapientiis: sicut dicitur Deut. 1. 17. *Non agnoscetis facies in judicio.*

285. Ne quis testetur falsò: sicut dicitur Exod. 20. 16. *Non testificaberis in proximum tuum testimonium mendax.*

286. Ne testetur impius, sicut dicitur Exod. 23. 1. *Ne ponas manum tuam cum impio ut sis testis iniquitatis.*

287. Ne testetur consanguineus: sicut dicitur Deut. 24. 16. *Non morientur patres pro filiis, & filii non morientur pro patribus.* Per traditionem didicerunt: quod non morientur Patres per testimonium filiorum. & hoc etiam valet pro reliquis consanguineis.

288. Ne quis condemnetur ob unum testem: sicut dicitur Deut. 19. 15. *Non stabit testis unus in virum.*

289. Ne occidatur innocens: sicut dicitur Exod. 20. 14. *Non occides.*

290. Ne quis judicet ex conjecturis, donec duo testes viderint ipsam rem: sicut dicitur Exod. 23. 7. *Et innocentem, & justum ne occidas.*

291. Ne judicet in judiciis capitalibus, qui in iisdem testis fuit: sicut dicitur Num. 35. 30. *Et testis unus non testificabitur.*

292. Ne occidatur dignus occisione antequam compareat in judicio: sicut dicitur Num. 35. 12. *Et non morietur homicida, &c.*

293. Ne quem misereatur persecutoris, sed occidendus est antequam læserit eum, qui persecutionem patitur, aut occiderit eum, aut revelaverit nuditatem ejus: sicut dicitur Deut. 25. 12. *Et abscindes ma-*

ובמשורה

judicio, in mensione, in pondere, & in mensura.

272 שלא להיות אצלנו אבן ואבן איפה ואיפה שנ׳ לא יהיה לך בביתך

272. Ne sint nobis pondus *majus* & pondus *minus*, modius *major* & modius *minor*: sicut dicitur Deut. 25. 13. 14. *Non erit tibi in domo tuâ.*

273 שלא לעול המשפט שנ׳ לא תעשו עול במשפט

273. Ne violetur justitia: sicut dicitur Levit. 19. 15. *Non facietis iniquitatem in judicio.*

274 שלא ליקח שחד שנ׳ ושחד לא תקח

274. Ne quis accipiat munus: sicut dicitur Exod. 23. 8. *Et munus non accipies.*

275 שלא לכבד בדין שנ׳ לא תהדר פני גדול

275. Ne quis honoretur in judicio: sicut dicitur Lev. 19. 15. *Non honorabis faciem magni.*

276 שלא ירא הדיין בדין מאדם רע שנאמר לא תגורו מפני איש

276. Ne Judex in judicio timeat hominem malum: sicut dicitur Deut. 1. 17. *Non timebitis à facie viri.*

277 שלא לרחם על עני בדין שנאמר ודל לא תהדר בריבו

277. Ne misereat nos pauperis in judicio: sicut dicitur Exod. 23. 3. *Et pauperem non honorabis in causa sua.*

278 שלא להטות משפט אדם חוטא שנאמר לא תטה משפט אביונך למדו מפי השמועה שזה אביון במצות

278. Ne quis pervertat judicium hominis peccatoris: sicut dicitur Exod. 23. 6. *Non pervertes judicium egeni tui.* Didicerunt per traditionem hunc esse egenum in præceptis, *hoc est, peccatorem.*

279 שלא לרחם על המזיק בדיני קנסות שנ׳ לא תחוס עינך עליו

279. Ne in judiciis criminalibus misereat nos illius, qui damnum infert: sicut dicitur Deut. 19. 13. *Non parcet oculus tuus super eo.*

280 שלא להטות משפט גרים ויתומים שנאמר לא תטה משפט גר יתום

280. Ne quis pervertat judicium peregrinorum & orphanorum: sicut dicitur Deut. 24. 17. *Non pervertes judicium peregrini, pupilli.*

281 שלא לשמוע מאחד מבעלי דינין ואין חבירו עמו שנאמר לא תשא שמע שוא

281. Ne audiatur una pars litigantium, cum altera non est præsens: sicut dicitur Exod. 23. 1. *Non suscipies auditionem mendacii.*

282 שלא לנטות אחרי רבים בדיני נפשות אם היו המחייבין יותר על המזכין אחד שנאמר לא תהיה אחרי רבים לרעות

282. Ne inclinetur post multos in judiciis capitalibus, si numerus damnantium superet tantum unitate numerum absolventium: sicut dicitur Exod. 23. 2. *Non eris post multos ad mala.*

283 שלא ילמד חובה מי שלמד זכות תחלה בדיני

283. Ne quis condemnet, qui antea absolvit in judiciis capitalibus; sicut dici-

לעבוד בעבד עברי הנמכר
לו בפרך שנאמר לא ירדנו

à servo Hebræo sibi vendito servitium cum acerbitate: sicut dicitur Levit. 25. 53. *Non dominabitur ei in duritia.*

261 שלא ימכר אמה עבריה
לאחר שנ׳ לא ימשל למכרה

261. Ne ancilla Hebræa vendatur alteri: sicut dicitur Exod. 21. 8. *Non erit ei potestas vendendi eam.*

262 שלא למנוע מאמה
העבריה היעודה שאר כסות
ועונה שנאמר שארה כסותה
ועונתה לא יגרע והוא הדין
לשאר הנשים

262. Ne *dominus* omittat dare ancillæ Hebrææ desponsatæ *hæc tria, scil.* alimentum, operimentum, & habitationem: sicut dicitur Exod. 21. 10. *Alimentum ejus, operimentum ejus, & habitationem ejus non diminuet.* Et hoc jus etiam habet locum in reliquis uxoribus.

263 שלא למכור אשת יפת
תאר להיות שפחה שנאמר
לא תמכרנה.

263. Ne quis vendat mulierem pulchram formâ, *captam in bello*, ut sit ancilla: sicut dicitur Deut. 21. 14. *Non vendes eam.*

264 שלא לכבוש אשת יפת
תאר להיות שפחה שנאמר
לא תתעמר בה

264. Ne quis muliere pulchrâ utatur tanquam servâ: sicut dicitur Deut. 21. 14. *Neque uteris servitio in eâ.*

265 שלא לחמד אשת איש
שנ׳ לא תחמד אשת רעך

265. Ne quis concupiscat uxorem alterius: sicut dicitur Exod. 20. 17. *Non concupisces uxorem socii tui.*

266 שלא להתאוות שנאמר
לא תתאוה בית רעך

266. Ne quis concupiscat ullam rem: sicut dicitur Deut. 5. 21. *Et non concupisces domum socii tui.*

267 שלא יאכל השכיר מן
המחובר בשעת מלאכה
שנאמר וחרמש לא תניף

267. Ne comedat mercenarius de fructibus in terrâ stantibus quandiu laborat in agro: sicut dicitur Deut. 23. 25. *Et falcem non elevabis.*

268 שלא יקח השכיר יתר
על אכילתו שנאמר ואכלת
ענבים כנפשך שבעך

268. Ne mercenarius [*in agro laborans*] plus capiat, quàm quod comedet: sicut dicitur Deut. 23. 24. *Et comedes uvas secundum animam tuam, satietatem tuam.*

269 שלא יתעלם מן האבידה
שנאמר לא תוכל להתעלם.

269. Ne quis se abscondat à re deperditâ *proximi sui*: sicut dicitur Deut. 22. 3. *Non poteris abscondere te.*

270 שלא להניח בהמה
רובצת תחת משאה שנאמר
לא תראה חמור אחיך

270. Ne relinquatur animal cubans sub onere: sicut dicitur Deut. 22. 4. *Non videbis asinum fratris tui.*

271 שלא לעשות עול במדות
ובמשקלות שנאמר לא תעש
עול במשפט במדה במשקל

271. Ne quis committat fraudem in mensuris & ponderibus: sicut dicitur Levit. 19. 35. *Non facietis iniquitatem in judicio.*

248 שלא לכחש בממון חבירו שנאמר לא תכחשו

248. Ne quis neget se habere facultates proximi sui: sicut dicitur Levit. 19. 11. *Non negabitis.*

249 שלא לישבע על כפירת ממון חבירו שנ׳ לא תשקרו

249. Ne quis juret falsò, negando se habere facultates proximi sui: sicut dicitur Levit. 19. 11. *Et non fraudabitis.*

250 שלא יונה במקח וממכר שנ׳ אל תונו איש את אחיו

250. Ne quis decipiat in emptione & venditione: sicut dicitur Levit. 25. 14. *Ne decipiatis unusquisque fratrem suum.*

251 שלא יונה בדברים שנאמר ולא תונו איש את עמיתו זו אונאת דברים

251. Ne quis decipiat verbis: sicut dicitur Levit. 25. 17. *Et non decipietis unusquisque proximum suum.* Hæc est defraudatio, quæ fit verbis.

252 שלא להונות את הגר בדברים שנ׳ וגר לא תונה

252. Ne quis decipiat peregrinum verbis: sicut dicitur Exod. 22. 21. *Et peregrinum non defraudabis.*

253 שלא להונות את הגר במקח וממכר שנ׳ ולא תלחצנו

253. Ne quis decipiat peregrinum in emptione & venditione: sicut dicitur Exod. 22. 21. *Et non opprimes eum.*

254 שלא להחזיר עבד שברח לארץ ישראל לאדניו בחוצה לארץ שנאמר לא תסגיר עבד אל אדניו

254. Ne servus, qui fugit in terram Israelis, reddatur domino extra terram *sanctam habitanti*: sicut dicitur Deut. 23. 15. *Non trades servum domino ejus.*

255 שלא להונות עבד שנ׳ עמך ישב בקרבך במקום אשר יבחר וגומר

255. Ne quis decipiat *talem* servum: sicut dicitur Deut. 23. 16. *Tecum manebit in medio tui, in loco quem elegerit &c.*

256 שלא לענות יתום ואלמנה שנאמר כל אלמנה ויתום לא תענון

256. Ne quis affligat orphanum & viduam: sicut dicitur Exod. 22. 22. *Omnem viduam & pupillum non affligetis.*

257 שלא לעבוד בעבד עברי עבודת עבד שנאמר לא תעבוד בו עבודת עבד

257. Ne quis utatur servo Hebræo tanquam mancipio: sicut dicitur Levit. 25. 39. *Non facies servire eum servitute servi.*

258 שלא למכור אותו ממכרת עבד שנ׳ לא ימכרו ממכרת עבד

258. Ne quis vendat eum venditione servi (*hoc est, tanquam mancipium*) sicut dicitur Levit. 25. 42. *Non vendentur venditione servi.*

259 שלא לעבוד בעבד עברי בפרך שנ׳ לא תרדה בו בפרך

259. Ne exigatur à servo Hebræo servitium cum acerbitate: sicut dicitur Levit. 25. 46. *Non dominaberis ei in duritiâ.*

260 שלא להניח לכותי עבד עבודת כוכבים ומזלות

260. Ne permittatur ut Cuthæus [*sive Ethnicus*] colens stellas & planetas, exigat à servo

237 שלא להשית יד בין לוה למלוה ברבית לא להיות ערב ולא להיות עד ולא לכתוב שטר ביניהם שנאמר לא תשימון עליו נשך

237. Ne quis ponat manum (*sive fit proxeneta*) inter mutuò accipientem & mutuò dantem cum fœnore, ne fit sponsor, neque sit testis, neque scribat literas contractus inter illos: sicut dicitur Exod. 22.25. *Non ponetis super eum usuram.*

238 שלא לאחר פעולת שכיר שנאמר לא תלין פעולת שכיר אתך

238. Ne differatur solutio mercedis mercenario debitæ: sicut dicitur Levit. 19.13. *Non pernoctabit opus mercenarii tecum.*

239 שלא ימשכן בעל חוב בזרוע שנאמר לא תבא אל ביתו לעבוט עבוטו

239. Ne pignus accipiat debitor cum violentiâ: sicut dicitur Deut. 24.10. *Non ingredieris in domum ejus ad pignorandum pignus ejus.*

240 שלא למנוע העבוט מבעליו העני בשעה שהוא צריך לו שנאמר לא תשכב בעבוטו כלומר לא תשכב ועבוטו עמך אלא השיבנו לו בלילה הואיל והוא צריך לו בלילה

240. Ne retineatur pignus pauperis tum, cum indiget eo: sicut dicitur Deut. 24.12. *Non cubabis cum pignore ejus.* Quasi diceret: non cubabis & pignus ejus apud te, sed restitue illud ei in nocte, quandoquidem illud ipsi necessarium est in nocte.

241 שלא למשכן האלמנה שנ׳ ולא תחבול בגד אלמנה

241. Ne accipiatur pignus à viduâ: sicut dicitur Deut. 24.17. *Neque capies in pignus vestimentum viduæ.*

242 שלא לחבול כלים שעושין בהם אוכל נפש שנ׳ לא יחבל ריחים ורכב

242. Ne in pignus accipiantur instrumenta, quibus fit cibus ad sustentandam vitam: sicut dicitur Deut. 24.6. *Nemo capiet pro pignore duas molas & catillum.*

243 שלא לגנוב נפש מישראל שנאמר לא תגנוב זה גונב נפשות

243. Ne quis furetur hominem ex Israele (*hoc est, ne plagium committatur*) sicut dicitur Exod. 20.15. *Non furaberis.* Hic *intelligitur* qui furatur animas *sive homines.*

244 שלא לגנוב ממון שנ׳ לא תגנובו זו גניבת ממון

244. Ne quis furetur bona *sive divitias*: sicut dicitur Levit. 19.11. *Non furabimini.* Hoc est furtum bonorum.

245 שלא לגזול שנאמר לא תגזול

245. Ne quis rapiat per vim *alicujus bona*: sicut dicitur Levit. 19.13. *Non rapies.*

246 שלא להשיג גבול שנ׳ לא תשיג גבול רעך

246. Ne transferantur *sive coarctentur* limites *proximi*: sicut dicitur Deut. 19. 14. *Non transferes terminum socii tui.*

247 שלא לעשוק שנאמר לא תעשוק את רעך

247. Ne opprimatur proximus: sicut dicitur Levit. 19.13. *Non opprimes proximum tuum.*

248. Ne

228 שלא לשנות מגרשי הלוים ושדותיהם שנ׳ ושדה מגרש עריהם מפי השמועה למדו שזו אזהרה שלא ישתנה

228. Ne mutentur suburbia Levitarum, eorumque agri: sicut dicitur Levit. 25. 34. *Et ager suburbii civitatum eorum.* Per traditionem didicerunt esse præmonitionem de non mutandis.

229 שלא לעזוב את הלוים שנאמר השמר לך פן תעזוב את הלוי

229. Ne derelinquantur Levitæ: sicut dicitur Deut. 12. 29. *Cave tibi ne forte derelinquas Levitam.*

230 שלא יתבע הלואה שעברה עליה שביעית שנ׳ לא יגש את רעהו

230. Ne repetatur debitum, cum præterierit super illud annus septimus: sicut dicitur Deut. 15. 2. *Non exiget à proximo suo.*

231 שלא ימנע להלוות לעני מפני השמטה שנ׳ השמר לך פן יהיה דבר. זה הכלל כל מקום שנאמר השמר פן ואל אינו אלא מצות לא תעשה

231. Ne omittatur mutuum dare pauperi propter annum remissionis *instantem*: sicut dicitur Deut. 15. 9. *Cave tibi ne forte sit quidpiam.* Hoc est generale: in omni loco, in quo dicitur השמר פן ואל *cave tibi, ne forte, & ne,* non est nisi præceptum negativum.

232 שלא ימנע מלהלוות לעני מליתן לו מה שהוא צריך שנ׳ לא תאמץ את לבבך נמצא הנותן צדקה עושה מצות עשה והמעלים עיניו מן הצדקה יותר על שבטל עשה עובר על לא תעשה

232. Ne omittatur mutuò dare pauperi id quo indiget: sicut dicitur Deut. 15. 7. *Non indurabis cor tuum.* Qui dat eleemosynam facit præceptum affirmativum; sed qui occultat oculum suum ab eleemosyna, *sive qui non dat eleemosynam*, præterquam quod omittat *præceptum* affirmativum, transgreditur *præceptum* negativum.

233 שלא לשלח עבד עברי ריקם כשיצא חפשי שנאמר לא תשלחנו ריקם

233. Ne remittatur servus Hebræus vacuus, cum exit liber: sicut dicitur Deut. 15. 13. *Non dimittes eum vacuum.*

234 שלא יתבע העני בחובו כשידע שהוא עני שנאמר לא תהיה לו כנושה

234. Ne repetatur debitum à paupere, quum notum est eum esse pauperem: sicut dicitur Exod. 22. 25. *Non eris ei sicut fœneratur.*

235 שלא להלוות ברבית לישראל שנאמר את כספך לא תתן לו בנשך

235. Ne pecunia mutuò detur Israëlitæ cum fœnore: sicut dicitur Levit. 25. 27. *Argentum tuum non dabis ei ad usuram.*

236 שלא ללוות ברבית שנ׳ לא תשיך לאחיך מפי השמועה למדו שזו אזהרה ללוה שלא ישוך למלוה

236. Ne accipiatur mutuò datum cum usurâ: sicut dicitur Deut. 23. 19. *Non fœnerabis fratri tuo.* Per traditionem didicerunt esse præmonitionem mutuò accipienti, ne in usuram accipiat à mutuò dante.

237. Ne

217 שלא להרביע בהמה מין בשאינו מינו שנ׳ בהמתך לא תרביע כלאים

217. Ne aliquis faciat coire animal suum cum animali diversæ speciei: sicut dicitur Levit. 19. 19. *Animal tuum non facies coire cum alterâ specie.*

218 שלא יעשה מלאכה בשני מיני בהמה כאחד שנ׳ לא תחרוש בשור ובחמור יחדו

218. Ne fiat opus (*sive aretur*) cum duabus speciebus bestiæ pariter: sicut dicitur Deut. 22. 10. *Non arabis cum bove & cum asino pariter.*

219 שלא יחסום בהמה בשעת מלאכה בדבר שאוכלת ממנו ונהנית שנאמר לא תחסום שור בדישו

219. Ne obturetur os animalis cum laborat in re aliqua, de quâ edit, & unde commodum percipit: sicut dicitur Deut. 25.4. *Non obturabis os bovis, cum ille triturat.*

220 שלא לעבוד אדמה בשביעית שנ׳ שדך לא תזרע

220. Ne aretur terra anno septimo: sicut dicitur Levit. 25.4. *Agrum tuum non seres.*

221 שלא לעבוד אילן בשביעית שנאמר וכרמך לא תזמור

221. Ne colantur arbores anno septimo: sicut dicitur Levit. 25.4. *Et vineam tuam non putabis.*

222 שלא לקצור ספיחי שביעית כדרך שקוצרין בשאר השנים שנ׳ את ספיח קצירך לא תקצור

222. Ne demetantur spontè nata in anno septimo, sicut demetuntur in reliquis annis: sicut dicitur Levit. 25. 5. *Sponte nascens messis tuæ non metes.*

223 שלא לאסוף פירות האילן בשביעית כדרך שאוספין בכל השנה שנאמר ואת ענבי נזירך לא תבצור

223. Ne colligantur fructus arborum in anno septimo, sicut colliguntur in omnibus annis: sicut dicitur Levit. 25. 5. *Et uvas separationum tuarum non vindemiabis.*

224 שלא לעבוד בשנת יובל בין אדמה בין אילן שנאמר בה לא תזרעו

224. Ne colatur terra sive arbor in anno Jubilæi: sicut dicitur de illo Levit. 25. 11. *Non seretis.*

225 שלא לקצור ספיחי יובל כשאר השנים שנ׳ בו לא תקצרו את ספיחיה

225. Ne demetantur sponte nata in Jubilæo, sicut in reliquis annis: sicut dicitur de eo Levit. 25. 11. *Non metetis sponte nascentia ejus.*

226 שלא לאסוף פירות יובל כאסיפת שאר שנים שנ׳ בו ולא תבצרו את נזיריה

226. Ne colligantur fructus Jubilæi, sicut colliguntur in cæteris annis: sicut dicitur de eo Lev. 25. 11. *Neque vindemiabitis separationes ejus.*

227 שלא למכור שדה בארץ ישראל לצמיתות שנ׳ והארץ לא תמכר לצמיתות

227. Ne ager in terrâ Israelis vendatur ad excisionem, *hoc est, in perpetuum*: sicut dicitur Levit. 25. 23. *Et terra non vendatur ad excisionem.*

228. Ne

204 שלא יאכל ענבים יבשים שנ׳ ויבשים לא יאכל

204. Ne comedat uvas siccas *sive passas*: sicut dicitur Num. 6.3. *Et siccas non comedet.*

205 שלא יאכל חרצנים שנ׳ מחרצנים ועד זג לא יאכל

205. Ne comedat nucleos acinorum: sicut dicitur Num.6.4. *Ab acinis, & usque ad corticem non comedet.*

206 שלא יאכל זגים שנ׳ ועד זג לא יאכל

206. Ne comedat cutim exteriorem uvarum: sicut dicitur Num.6.4. *Et usque ad corticem non comedet.*

207 שלא יטמא הנזיר למת שנ׳ לאביו ולאמו לא יטמא

207. Ne contaminet se Nazirӕus pro mortuo: sicut dicitur Num.6.7. *Super patre suo, & super matre suâ non polluet se.*

208 שלא יכנס באהל המת שנאמר על כל נפשות מת לא יבא

208. Ne ingrediatur tentorium defuncti: sicut dicitur Num. 6.6. & Exod.21. 11. *Et super omnes animas mortui non ingredietur.*

209 שלא יגלח הנזיר שנ׳ תער לא יעבור על ראשו

209. Ne Nazirӕus radat capillos: sicut dicitur Num.6.5. *Novacula non transibit super caput ejus.*

210 שלא לקצור כל השדה שנאמר לא תכלה פאת שדך לקצור

210. Ne demetatur totus campus: sicut dicitur Levit.19.9. *Non consummabis angulum agri tui metendo.*

211 שלא ללקוט השבלים הנופלים בשעת קצירה שנ׳ ולקט קצירך לא תלקט

211. Ne colligantur spicӕ cadentes tempore messis: sicut dicitur Levit.19.9. *Et spicilegium messis tuӕ non colliges.*

212 שלא לבצור עוללות הכרם שנ׳ וכרמך לא תעולל

212. Ne vindemientur racemi vineӕ: sicut dicitur Lev. 19. 10. *Et vineӕ tuӕ non colliges racemos.*

213 שלא ללקוט פרט הכרם שנ׳ ופרט כרמך לא תלקט

213. Ne colligatur granum vineӕ: sicut dicitur Levit.19.10. *Et granum vineӕ tuӕ non colliges.*

214 שלא ליקח עומר השכחה שנאמר לא תשוב לקחתו וכן כל האילנות יש שכחה שנאמר לא תפאר אחריך

214. Ne *redeant* ad accipiendum manipulum per oblivionem relictum: sicut dicitur Deut.24.19. *Non reverteris ad capiendum eum.* Et sic in omnibus arboribus etiam hӕc oblivio habet locum: sicut dicitur versu 20. *Non scrutaberis ramos post te.*

215 שלא לזרוע כלאי זרעים שנ׳ שדך לא תזרע כלאים

215. Ne serantur *simul* diversa genera seminum: sicut dicitur Levit.19.19. *Agrum tuum non seres diversis speciebus.*

216 שלא לזרוע תבואה או ירק בכרם שנאמר לא תזרע כרמך כלאים

216 Ne plantentur in vineâ fruges, *ut frumentum &c.* & olera: sicut dicitur Deut.22.9. *Non seres vineam tuam diversis generibus rerum.*

הכרם שנ׳ פן תקדש המלאה הזרע אשר תזרע ותבואת הכרם הוא איסור אכילה

194 שלא לשתות יין נסך שנ׳ אשר חלב זבחימו יאכלו ישתו יין נסיכם

195 שלא לאכול ולשתות דרך זולל וסובא שנאמר בננו זה זולל וסובא

196 שלא לאכול ביום הצום שנאמר כי כל הנפש אשר לא תענה

197 שלא לאכול חמץ בפסח שנ׳ לא יאכל חמץ

198 שלא לאכול תערובת חמץ שנאמר כל מחמצת לא תאכלו

199 שלא לאכול חמץ אחר חצות יום ארבעה עשר שנ׳ לא תאכל עליו חמץ

200 שלא יראה חמץ שנ׳ לא יראה לך חמץ ולא יראה לך שאור

201 שלא ימצא שאור שנ׳ שאור לא ימצא בבתיכם

202 שלא ישתה הנזיר יין ולא דבר שנתערב בו יין וטעמו כטעם יין שנאמר וכל משרת ענבים ואפילו החמיץ היין או דבר שנתערב בו היין הרי זה אסור עליו שנ׳ וחומץ יין וחומץ שכר לא ישתה

203 שלא יאכל ענבים לחים שנאמר וענבים לחים

cut dicitur Deut. 22. 9. *Ne forte sanctificetur plenitudo, semen quod seminaveris, & proventus vineæ.* Hoc est interdictum edere.

194 Ne bibatur vinum libaminis *Planetarum*: sicut dicitur Deut. 32. 38. *Qui adipem sacrificiorum eorum comedent, bibent vinum libaminis eorum.*

195. Ne comedatur & bibatur instar gulosi & ebriosi: sicut dicitur Deut. 21. 20. *Filius noster iste vorator & potator.*

196. Ne comedatur in die jejunii, *h. e. cippur*: sicut dicitur Levit. 23. 29. *Quia omnis anima quæ non afflicta fuerit.*

197. Ne comedatur fermentum in Paschate, sicut dicitur Exod. 13. 3. *Non comedetur fermentatum.*

198. Ne comedatur mixtura fermenti: sicut dicitur Exod. 12. 20. *Omne fermentatum non comedetis.*

199. Ne comedatur fermentum post dimidium decimi quarti diei: sicut dicitur Deut. 16. 3. *Non comedes super eo fermentatum.*

200. Ne conspiciatur fermentum *in nostrâ Jurisdictione*: sicut dicitur Exod. 13. 7. *Non conspicietur tibi fermentatum, & non conspicietur tibi fermentum.*

201. Ne inveniatur fermentum *in nostris ædibus*: sicut dicitur Exod. 12. 19. *Fermentum non invenietur in domibus vestris.*

202. Ne Naziræus bibat vinum, nec quicquam cum quo mixtum est vinum, cujus sapor est sicut sapor vini: sicut dicitur Num. 6. 3. *Et omnem madefactionem uvarum* non bibet. Etiamsi vinum acesceret, aut quicquam in quo mixtum est vinum, certè hoc est prohibitum ipsi: sicut dicitur ibidem. *Acetum vini, & acetum sechar non bibet.*

203. Ne comedat uvas virides: sicut dicitur Numer. 6. 3. *Et uvas virides.*

204. Ne

182 שלא לאכול אבר מן החי שנ׳ לא תאכל הנפש עם הבשר

182. Ne comedatur membrum animalis vivi: ſicut dicitur Deut. 12. 23. *Non comedes animam cum carne.*

183 שלא לאכול גיד הנשה שנאמר על כן לא יאכלו בני ישראל את גיד הנשה

183. Ne comedatur nervus contractus: ſicut dicitur Geneſ. 32. 32. *Idcirco non comedunt filii Iſrael nervum contractionis.*

184 שלא לאכול דם שנ׳ וכל דם לא תאכלו

184. Ne comedatur ſanguis: ſicut dicitur Levit. 7. 26. *Et omnem ſanguinem non comedetis.*

185 שלא לאכול חלב שנ׳ כל חלב שור וכשב ועז לא תאכלו

185. Ne comedatur adeps: ſicut dicitur Levit. 7. 23. *Omnem adipem bovis, & agni, & capræ non comedetis.*

186 שלא לבשל בשר בחלב שנ׳ לא תבשל גדי בחלב אמו

186. Ne coquatur caro cum lacte: *ſicut* dicitur Exod. 23. 19: *Non coques Hædum in lacte matris ſuæ.*

187 שלא לאכול בשר בחלב שנאמר לא תבשל גדי פעם שניה מפי השמועה למדו שהאחד לאיסור בישול האחד לאיסור אכילה

187. Ne comedatur caro cum lacte: ſicut dicitur Deut. 14. 21. *Non coques Hædum*, vice ſecundâ *hic textus repetitur*, per traditionem didicerunt, quod prior textus ſcil. Exod. 23. 19. interdicat coctionem: & poſterior ſcil. Deut. 14. 21. interdicat comeſtionem carnis cum lacte.

188 שלא לאכול בשר שור הנסקל שנאמר ולא יאכל את בשרו

188. Ne comedatur caro bovis lapidati: ſicut dicitur Exod. 21. 28. *Et non comedetur caro ejus.*

189 שלא לאכול פת תבואה חדשה קודם הפסח שנאמר ולחם וגומר

189. Ne comedatur fruſtum proventus novi ante Paſcha: ſicut dicitur Levit. 23. 14. *Et panem, &c.*

190 שלא לאכול קלי מן החדש שנאמר וקלי

190. Ne comedatur triticum toſtum de novis frugibus: ſicut dicitur Levit. 23. 14. *Et toſtum.*

191 שלא לאכול כרמל מתבואה חדשה שנ׳ וכרמל לא תאכלו

191. Ne comedatur ſpica ex novo proventu: ſicut dicitur Levit. 23. 14. *Et ſpicam teneram non comedetis.*

192 שלא לאכול ערלה עד שלש שנים שנ׳ שלש שנים יהיה לכם ערלים לא יאכל

192. Ne comedatur præputium (*hoc eſt, fructus arboris junioris*) donec *tranſierint* tres anni: ſicut dicitur Levit. 19. 23. *Tribus annis erit vobis præputiatus, non comedetur.*

193 שלא לאכול כלאי

193. Ne comedatur mixtura vineæ: ſi-

170 שלא יקח כל שבט לוי חלק בביזה בשעת כיבוש הארץ שנ׳ לא יהיה לכהנים הלוים חלק ונחלה

170. Ne tribus Levi accipiat partem in spoliis tempore subjugationis terræ: sicut dicitur Deut. 18. 1. *Non erit Sacerdotibus Levitis — pars & hæreditas.*

171 שלא לעשות קרחה על מת שנאמר לא תשימו קרחה בין עיניכם למת

171. Ne faciat calvitium propter mortuum: sicut dicitur Deut. 14. 1. *Non ponetis calvitium inter oculos vestros super mortuum.*

172 שלא לאכול בהמה טמאה שנאמר את זה לא תאכלו ממעלי הגרה

172. Ne comedatur animal immundum: sicut dicitur Lev. 11. 4. *Hoc non comedetis de facientibus ascendere ruminationem.*

173 שלא לאכול דג טמא שנ׳ ושקץ יהיו לכם מבשרם לא תאכלו

173. Ne comedatur piscis immundus: sicut dicitur Levit. 11. 11. *Et abominatio erunt vobis: de carne eorum non comedetis.*

174 שלא לאכול עוף טמא שנאמר ואת אלה תשקצו מן העוף

174. Ne comedatur avis immunda: sicut dicitur Levit. 11. 13. *Et ista abominamini ex volatili.*

175 שלא לאכול שרץ עוף שנאמר כל שרץ העוף טמא הוא לכם

175. Ne comedatur reptile ex avibus: sicut dicitur Deut. 14. 19. *Et omne reptile volatile immundum est vobis.*

176 שלא לאכול שרץ הארץ שנ׳ וכל השרץ השורץ על הארץ שקץ הוא

176. Ne comedatur שרץ *reptile* terrestre: sicut dicitur Levit. 11. 41. *Et omne reptile reptans super terram abominatio est.*

177 שלא לאכול רמש הארץ שנאמר ולא תטמאו את נפשותיכם בכל השרץ

177. Ne comedatur רמש *reptile* terrestre, *sive vermes terrestres*: sicut dicitur Levit. 11. 44. *Et non polluetis animas vestras in omni reptili.*

178 שלא לאכול תולעת הפירות כשתצא לאויר שנ׳ לכל השרץ השורץ

178. Ne comedantur vermes fructuum, cum prodeunt in aërem: sicut dicitur Levit. 11. 42. *Inter omne reptile reptans.*

179 שלא לאכול שרץ המים שנאמר אל תשקצו את נפשותיכם בכל השרץ

179. Ne comedatur reptile aquaticum: sicut dicitur Levit. 11. 43. *Ne contaminetis animas vestras in omni reptili.*

180 שלא לאכול מתה שנ׳ לא תאכלו כל נבלה

180. Ne comedatur morticinium: sicut dicitur Deut. 14. 21. *Non comedetis omne cadaver.*

181 שלא לאכול טריפה שנאמר ובשר בשדה טריפה לא תאכלו

181. Ne comedatur discerptum: sicut dicitur Exod. 22. 31. *Et carnem in agro raptam non comedetis.*

182. Ne

158 שלא יקח כהן זונה שנ׳ אשה זונה וחללה לא יקחו

158. Ne Sacerdos meretricem ducat in uxorem: ſicut dicitur Levit. 21. 7. *Mulierem meretricem & profanam non capient.*

159 שלא יקח כהן חללה שנאמר וחללה לא יקחו

159. Ne Sacerdos ducat prophanam: ſicut dicitur Levit. 21. 7. *Et prophanam non capient.*

160 שלא יקח גרושה שנ׳ ואשה גרושה מאשה לא יקחו

160. Ne *Sacerdos* ducat repudiatam: ſicut dicitur Levit. 21. 7. *Et mulierem repulſam à viro ſuo non accipient.*

161 שלא יקח כהן גדול אלמנה שנ׳ אלמנה וגרושה וחללה זונה את אלה לא יקח

161. Ne ſummus Sacerdos ducat viduam: ſicut dicitur Levit. 21. 14. *Viduam, repudiatam, & prophanam, meretricem: iſtas non accipiet.*

162 שלא יבעול כהן גדול אלמנה ואפילו בלא קידושים מפני שמחללה שנאמר לא יחלל זרעו הרי הוא מוזהר שלא לחלל כשרה

162. Ne Sacerdos magnus in uxorem accipiat viduam, etiam id ſit ſine ſponſaliis, quoniam contaminaret eam: ſicut dicitur Levit. 21. 15. *Non contaminabit ſemen ſuum.* Certe hic admonetur ne contaminet rectam.

163 שלא יכנס כהן למקדש פרוע ראש שנאמר ראשיכם אל תפרעו

163. Ne Sacerdos ingrediatur in Sanctuarium retecto capite: ſicut dicitur Levit. 10. 6. *Capita veſtra ne nudetis.*

164 שלא יכנס כהן למקדש קרוע בגדים שנאמר ובגדיכם לא תפרומו

164. Ne Sacerdos ingrediatur in Sanctuarium laceratis veſtibus: ſicut dicitur Levit. 10. 6. *Et veſtimenta veſtra ne ſcindatis.*

165 שלא יצא כהן מן העזרה בשעת עבודה שנ׳ ומפתח אהל מועד

165. Ne Sacerdos exeat ex Templo in tempore, quo cultus divinus *celebratur*: ſicut dicitur Levit. 10. 7. *Et ex oſtio Tabernaculi conventus.*

166 שלא יטמא כהן הדיוט לשאר מתים שנאמר לנפש לא יטמא

166. Ne Sacerdos idiota *ſive minor* polluat ſe propter reliquos mortuos, *ſive propter extraneos*: ſicut dicitur Lev. 21. 1. *Super animam non contaminabit ſe in populis ſuis.*

167 שלא יטמא כהן גדול ואפילו לקרוביו שנ׳ לאביו ולאמו לא יטמא

167. Ne ſummus Sacerdos ſe contaminet etiam pro ſuis propinquis, *ſive parentibus*: ſicut dicitur Levit. 21. 11. *Super patre ſuo, & ſuper matre ſua non contaminabit ſe.*

168 שלא יכנס כהן גדול עם מת שנ׳ ועל כל נפשת מת לא יבא

168. Ne ſummus Sacerdos ingrediatur ubi eſt mortuus: ſicut dicitur Levit. 21. 11. *Et ſuper omnes animas mortui non ingredietur.*

169 שלא יקח כל שבט לוי חלק בארץ שנאמר ונחלה לא יהיה לו

169. Ne tribus Levi accipiat partem in terra *Sancta*: ſicut dicitur Deut. 18. 2. *Et hæreditas non erit ei.*

170. Ne

150 שלא לאכול מעשר שני בטומאה ואפילו בירושלם עד שיפדה שנ׳ לא בערתי ממנו בטמא

151 שלא לאכול מעשר שני באנינות שנאמר לא אכלתי באוני ממנו

152 שלא להוציא דמי מעשר שני בשאר דברים שאין בהם אכילה ושתיה שנאמר ולא נתתי ממנו למת

153 שלא לאכול הטבל והטבל הוא דבר שגידוליו מן הארץ החייבת בתרומת ובמעשרות שלא הוציאו ממנו תרומת יהוה שנ׳ ולא יחללו את קדשי בני ישראל את אשר ירימו ליהוה

154 שלא להקדים תרומה לבכורים ולא מעשר ראשון לתרומה ולא מעשר שני לראשון אלא מוציאן על הסדר בכורים תחלה ואחר כך תרומה גדולה ואחר כך מעשר ראשון ואחר כך מעשר שני שנאמר מלאתך ודמעתך לא תאחר כלומר לא תאחר דבר הראוי להקדימו

155 שלא לאחר הנדרים והנדבות שנדר ושנדב שנ׳ לא תאחר לשלמו

156 שלא לעלות לחג בלא קרבן שנ׳ לא יראו פני ריקם

157 שלא לעבור על דברים שאסר אדם על נפשו שנאמר לא יחל דברו

150. Ne comedatur decima secunda in immunditiâ etiamsi Hierosolymæ donec redimatur: sicut dicitur Deut. 26. 14. *Neque abstuli ex eâ cum immundo.*

151. Ne comedatur decima secunda in luctu: sicut dicitur Deut. 26. 14. *Non comedi in tristitia mea ex ea.*

152. Ne impendatur pretium decimæ secundæ in cæteris rebus, quæ non comeduntur & bibuntur: sicut dicitur Deut. 26. 14. *Neque dedi ex ea pro defuncto.*

153. Ne comedatur cibus non decimatus. Cibus non decimatus est res, cujus nutritio est ex terra, quæ tenetur dare oblationes & decimas, unde tamen non protulerunt oblationem JEHOVÆ: sicut dicitur: Levit. 22. 15. *Et non contaminabunt sanctificata filiorum Israel, quæ elevabunt Domino.*

154. Ne תרומה *oblatio* præveniat primitias, neque decima prima oblationem, neque decima secunda primam, sed proferantur secundum ordinem in *Lege præscriptum*, primitiæ in principio, deinde oblatio magna, & postea decima prima, denique decima secunda: sicut dicitur Exod. 22. 29. *Primitias sementis tuæ cum fuerint maturæ & primitias vini tui offerre non tardabis*: quasi diceret: non differes rem, quæ debet antecedere.

155. Ne differantur vota & voluntaria sacrificia, quæ aliquis vovit, & ad quæ offerenda spontè est motus: sicut dicitur Deut. 23. 21. *Non tardabis rependere illud.*

156. Ne ascendant *Hierosolymam* ad festum sine sacrificio: sicut dicitur Exod. 23. 15. *Non conspicientur coram me vacui.*

157. Ne aliquis transgrediatur verba, ad quæ ligavit animam suam (*hoc est, ne aliquis violet promissa sua*): sicut dicitur Num. 30. 3. *Non polluet verbum suum.*

158. Ne

של דגן חוץ לירושלם שנ׳
לא תוכל לאכול בשעריך

frumenti extra Jerusalem: sicut dicitur Deut. 12.17. *Non poteris comedere intra portas tuas.*

142 שלא לאכל מעשר שני
של תירוש חוץ לירושלם שנ׳
תירושך

142. Ne comedatur decima secunda musti extra Jerusalem: sicut dicitur Deut. 12.17. *Musti tui.*

143 שלא לאכל מעשר שני
של יצהרך חוץ לירושלם שנ׳
ויצהרך

143. Ne comedatur decima secunda olei extra Jerusalem: sicut dicitur Deut. 12.17. *Et olei tui.*

144 שלא לאכול בכור
תמים חוץ לירושלם שנאמר
לא תוכל וגומר ובכורות

144. Ne comedatur primogenitum perfectum extra Jerusalem: sicut dicitur Deut.12.17. *Non poteris &c. & primogenita.*

145 שלא יאכלו הכהנים
חטאת ואשם חוץ לעזרה שנ׳
לא תוכל וגומר בקרך וצאנך
מפי השמועה למדו שלא בא
הכתוב אלא לאסור בשר
חטאות ואשמות חוץ לעזרה
לפי שכל דבר שיאכל חוץ
למקום אכילתו לא תוכל
לאכול בשעריך אקרא בו

145. Ne Sacerdotes comedant expiationem & delictum extra Atrium: sicut dicitur Deut. 12.17. *Non poteris &c. Bovis tui & pecoris tui.* Per traditionem didicerunt, quod Scriptura non prohibeat nisi carnem expiationum & delictorum extra atrium, quia ad omne, quod comeditur extra *debitum* locum comestionis, applicabo verba textus: *Non poteris comedere in portis tuis.*

146 שלא לאכול בשר עולה
שנ׳ לא תוכל ונדריך אשר
תידור כלומר לא תוכל
לאכול נדריך אשר תדור

146. Ne comedatur caro holocausti: sicut dicitur Deut.12.17. *Non poteris. Et vota tua quæ voveris:* quasi diceret, non poteris comedere vota tua, quæ vovisti.

147 שלא לאכול בשר
קדשים קלים קודם זריקת
הדם שנאמר לא תוכל וגומר
ונדבותיך כלומר לא תוכל
לאכול נדבותיך קודם זריקת
הדם

147. Ne comedatur caro sanctitatum leviorum ante aspersionem, *sive effusionem* sanguinis: sicut dicitur Deut.12.17. *Non poteris &c. Et spontanea tua,* quasi diceret, non poteris comedere spontanea tua ante aspersionem sanguinis.

148 שלא יאכל זר בשר
קדשי הקדשים שנאמר וזר
לא יאכל כי קדש הם

148. Ne comedat extraneus carnem sanctitatis sanctitatum: sicut dicitur Exod. 29.33. *Et alienigena non comedet, quia sanctitas sunt.*

149 שלא יאכל כהן בכורות
קודם הנחה בעזרה שנ׳ לא
תוכל וגומר ותרומת ידך

149. Ne Sacerdos comedat primitias antequam posuerit illas in Templo: sicut dicitur Deut. 12.17. *Non poteris &c. & oblationem manus tuæ.*

130 שלא לאכול מן הקדשים שנטמאו שנאמר ובשר אשר יגע בכל טמא לא יאכל

130. Ne comedantur sancta, quæ sunt contaminata: sicut dicitur Levit. 7. 19. *Et caro quæ tetigerit in omne immundum, non comedetur.*

131 שלא לאכול נותר שנ׳ ואוכליו עונו ישא ונכרתה הנפש ההיא

131. Ne comedatur de eo quod remansit ex sacrificiis: sicut dicitur Levit. 19. 8. *Qui vero comederit illud, iniquitatem suam portabit & exscindetur anima ipsa.*

132 שלא לאכול פיגול שנ׳ המקריב אותו לא יחשב לו פיגול יהיה

132. Ne comedatur res abominanda: sicut dicitur Levit. 7. 18. *Offerens illud, non reputabitur illi. Profanum erit.*

133 שלא יאכל זר תרומות שנ׳ וכל זר לא יאכל קדש

133. Ne comedat extraneus oblationes: sicut dicitur Levit. 22. 10. *Et omnis extraneus non comedet sanctificationem.*

134 שלא יאכל אפילו תושב כהן ושכירו תרומה שנאמר תושב כהן ושכיר לא יאכל

134. Ne comedat etiam inquilinus Sacerdotis & ejus mercenarius oblationem: sicut dicitur Levit. 22. 10. *Inquilinus Sacerdotis, & mercenarius non comedet.*

135 שלא יאכל ערל תרומה והוא הדין לשאר קדשים

135. Ne comedat incircumcisus oblationem, & hoc est jus pro reliquis sanctitatibus.

136 שלא יאכל כהן טמא תרומה שנ׳ איש מזרעך והוא צרוע בקדשים לא יאכל

136. Ne comedat Sacerdos immundus oblationem: sicut dicitur Levit. 22. 4. *Vir è semine tuo &c. de sanctitatibus non comedet.*

137 שלא תאכל חללה קדש לא תרומה ולא חזה ושוק שנאמר ובת כהן כי תהיה לאיש זר

137. Ne profana, *sive filia Sacerdotis nupta extraneo*, comedat sanctificationem, nec oblationem, neque pectus, nec crus: sicut dicitur Levit. 22. 12. *Et filia Sacerdotis cum fuerit viro extraneo.*

138 שלא תאכל מנחת כהן שנאמר וכל מנחת כהן כליל תהיה לא תאכל

138. Ne comedatur munus Sacerdotis: sicut dicitur Levit. 6. 23. *Et omne munus Sacerdotis totum erit, non comedetur.*

139 שלא לאכול בשר חטאות שנעשו בפנים שנאמר וכל חטאת אשר יובא מדמה

139. Ne comedatur caro expiationum quæ intus fiunt: sicut dicitur Levit. 6. 30. *Et omnis oblatio pro peccato, de cujus sanguine adducetur.*

140 שלא לאכול פסולי המוקדשים שהוטל בהם מום בכוונה שנאמר לא תאכל כל תועבה

140. Ne comedantur maculata sacrificia, quæ corrupta sunt datâ operâ: sicut dicitur Deut. 14. 3. *Non comedes omnem abominationem.*

141 שלא לאכול מעשר שני

141. Ne comedatur decima secunda frumen-

120 שלא להותיר מבשר התודה עד בוקר שנ׳ ולא תותירו ממנו עד בוקר והוא הדין לשאר קדשים שאין מניחין אותן לאחר זמן אכילתן

120. Ne aliquid asservetur de carne confessionis usque mane: sicut dicitur Levit. 7. 15. & Exod. 12. 10. *Et non relinquetis ex eo usque mane.* Et hoc est jus pro reliquis sanctitatibus, quæ non relinquuntur post tempus comestionis.

121 שלא לשבור עצם בפסח שנאמר ועצם לא תשברו בו

121. Ne frangatur ullum os ex agno Paschali: sicut dicitur Exod. 12. 46. *Et os non confringetis in eo.*

122 שלא לשבור עצם בפסח שני שנ׳ ועצם לא ישברו בו

122. Ne frangatur ullum os ex agno Paschali secundo: sicut dicitur Num. 9. 12. *Et os non confringent in eo.*

123 שלא להוציא מבשר הפסח מן החבורה שנאמר ולא תוציא מן הבית

123. Ne aliquid carnis agni Paschalis auferatur ex sodalitio: sicut dicitur Exod. 12. 46. *Neque educes è domo* de carne extrà.

124 שלא לעשות שירי מנחות חמץ שנ׳ לא תאפה חמץ חלקם

124. Ne reliquiæ oblationum fiant fermentatæ: sicut dicitur Levit. 6. 17. *Non coquetur fermentatum. Partem eorum.*

125 שלא לאכול בשר הפסח נא ומבושל שנ׳ אל תאכלו ממנו נא ובשל מבושל

125. Ne comedatur caro agni Paschalis cruda & elixa: sicut dicitur Exod. 12. 9. *Ne comedatis ex eo crudum, aut coctione coctum* in aqua, sed assum igni.

126 שלא להאכיל בשר הפסח לגר תושב שנ׳ תושב ושכיר לא יאכל בו

126. Ne caro agni Paschalis detur comedenda peregrino advenæ: sicut dicitur Exod. 12. 45. *Advena & mercenarius non comedet ex eo.*

127 שלא יאכל הערל בשר פסח שנאמר כל ערל לא יאכל בו

127. Ne incircumcisus comedat carnem agni Paschalis: sicut dicitur Exod. 12. 49. *Omnis præputiatus non comedet ex eo.*

128 שלא להאכיל בשר הפסח לישראל שנהפך לעבודת כוכבים ומזלות שנ׳ כל בן נכר לא יאכל בו כלומר ישראל שנלוה לבני נכר ועבד כוכבים ומזלות כמותם לא יאכל בו

128. Ne caro agni Paschalis detur comedenda Israelitæ *apostatæ*, qui conversus est ad idololatriam: sicut dicitur Exod. 12. 43. *Omnis filius alienigenæ non comedet ex eo*: quasi diceret, Israel, qui adjunxit se filiis alienigenæ, & colit stellas & planetas sicut illi, non comedet ex eo.

129 שלא יאכל אדם שנטמא קדשים שנאמר והנפש אשר תאכל בשר מזבח השלמים

129. Ne quis immundus comedat res sanctas: sicut dicitur Levit. 7. 20. *Et anima quæ comederit carnem de sacrificio pacificorum.*

108 שלא לפדות בכור בהמה טהורה שנ׳ אך בכור שור וגומר לא תפדה

109 שלא למכור מעשר בהמה שנאמר לא יגאל

110 שלא למכור שדה החרם שנאמר לא ימכר

111 שלא לפדות שדה החרם שנאמר לא יגאל

112 שלא יבדיל ראש חטאת העוף שנאמר ומלק את ראשו ממול ערפו

113 שלא לעבוד בקדשים שנ׳ לא תעבוד בבכור שורך

114 שלא לגזוז את הקדשים שנאמר ולא תגוז בכור צאנך

115 שלא ישחט הפסח והחמץ קיים שנ׳ לא תשחט על חמץ דם זבחי

116 שלא להניח אימורי הפסח עד שיפסל בלינה שנ׳ לא ילין חלב חגי

117 שלא להותיר מבשר הפסח שנאמר ולא תותירו ממנו עד בוקר

118 שלא להותיר מחגיגת ארבעה עשר ליום השלישי שנ׳ ולא ילין מן הבשר מפי השמועה למדו שבבשר חגיגת יד׳ הכתוב מדבר וזהו שנ׳ לבקר לבוקרו של יום שני של יום הפסח שהוא שלישי לשחיטה

119 שלא להותיר מבשר פסח שני עד בוקר שנ׳ ולא ישאירו ממנו עד בוקר

108. Ne redimatur primogenitum animalis mundi: ſicut dicitur Num. 18. 17. *Sed primogenitum bovis &c. non redimes.*

109. Ne vendantur decimæ animalium: ſicut dicitur Levit. 27. 33. *Non redimetur.*

110. Ne vendatur ager anathematis: ſicut dicitur Levit. 27. 28. *Non vendetur.*

111. Ne redimatur ager anathematis: ſicut dicitur Levit. 27. 28. *Neque redimetur.*

112. Ne ſeparetur caput avis expiationis: ſicut dicitur Levit. 5. 8. *Et contorquebit caput ipſius è regione cervicis ejus.*

113. Ne quis operetur animalibus ſanctis: ſicut dicitur Deut. 15. 19. *Non operaberis primogenito bovis tui.*

114. Ne quis tondeat animalia ſancta: ſicut dicitur Deut. 15. 19. *Neque tondebis primogenitum pecoris tui.*

115. Ne mactetur agnus Paſchalis, dum adhuc eſt fermentum: ſicut dicitur Exod. 23. 18. *Non immolabis ſuper fermento ſanguinem victimæ meæ.*

116. Ne aſſerventur partes agni Paſchalis, donec profanetur pernoctatione: ſicut dicitur Exod. 23. 18. *Neque pernoctabit adeps feſti mei* uſque mane.

117. Ne aliquid relinquatur ex carne agni Paſchalis: ſicut dicitur Exod. 12. 10. *Et non relinquetis ex eo uſque mane.*

118. Ut nihil relinquatur ex ſacrificiis decimi quarti *diei, ſcil. Paſchatis* uſque ad tertium diem: ſicut dicitur Deut. 16. 4. *Neque pernoctabit de carne.* Per traditionem didicerunt, quod de carne ſacrificii decimi quarti diei Scriptura loquatur, & hoc eſt quod dicitur *uſque mane*, ſc. uſque mane diei ſecundi diei Paſchatis, qui eſt tertius mactationis.

119. Ne aliquid relinquatur ex carne agni Paſchalis ſecundi uſque mane: ſicut dicitur Num. 9. 12. *Neque reliquum facient ex eo uſque mane.*

96 שלא להקריב בעל מום מיד הכותים שנאמר ומיד בן נכר לא תקריבו

96. Ne offerant animal maculatum, *quod acceperunt* è manu Ethnicorum: ficut dicitur Levit. 22. 25. *Et de manu filii extranei non offeretis.*

97 שלא יתן מום בקדשים שנ׳ מום לא יהיה בו כלומר לא תתן בו מום

97. Ne fiat ulla macula in facrificiis: ficut dicitur Levit. 22. 21. *Macula non erit in eo.* Quafi diceret: non facies in eo maculam.

98 שלא יקטיר שאור או דבש שנ׳ כי כל שאור וכל דבש לא תקטירו

98. Ne offerant fermentum aut mel: ficut dicitur Levit. 22. 11. *Quia omne fermentum, & omne mel non facietis fuffire.*

99 שלא להקריב תפל שנ׳ ולא תשבית מלח ברית אלהיך

99. Ne offerant *facrificium* infulfum (*fine fale*) ficut dicitur Levit. 2. 13. *Et non facies ceffare fal fœderis Dei tui.*

100 שלא להקריב אתנן ומחיר שנ׳ לא תביא אתנן זונה ומחיר כלב

100. Ne offerant mercedem *meretricis*, & pretium *canis*: ficut dicitur Deut. 23. 18. *Non introduces mercedem meretricis, & pretium canis.*

101 שלא לשחוט אותו ואת בנו שנ׳ אותו ואת בנו לא תשחטו ביום אחד

101. Ne mactent animal cum ejus fœtu eodem die: ficut dicitur Levit. 22. 28. *Ipfum & filium ejus non mactabitis in die una.*

102 שלא יתן שמן זית במנחת חוטא שנ׳ לא ישים עליה שמן

102. Ne conjiciatur oleum olivæ in oblationem peccatoris: ficut dicitur Levit. 5. 11. *Non ponet fuper eam oleum.*

103 שלא יתן עליה לבונה שנאמר ולא יתן עליה לבונה

103. Ne injiciatur ei thus: ficut dicitur Levit. 5. 11. *Neque ponet fuper eam thus.*

104 שלא יתן שמן במנחת סוטה שנאמר ולא יצוק עליו שמן

104. Ne conjiciatur oleum in oblationem Sotà (*hoc eft, mulieris declinantis*) ficut dicitur Num. 5. 15. *Et non effundet fuper eam oleum.*

105 שלא יתן עליו לבונה שנאמר ולא יתן עליו לבונה

105. Ne injiciatur ei thus: ficut dicitur Num. 5. 15. *Et non dabit fuper eam thus.*

106 שלא להמיר את הקדשים שנ׳ לא יחליפנו ולא ימיר אותו

106. Ne permutentur facrificia *animalium*: ficut dicitur Levit. 27. 10. *Non permutabit illud, neque commutabit illud.*

107 שלא לשנות את הקדשים מקרבן לקרבן שנ׳ בבכור לא יקדיש איש אותו כלומר שלא יקדישנו לקרבן אחר

107. Ne permutetur facrificium unum in alterum: ficut dicitur de primogenito Levit. 27. 26. *Non fanctificabit vir illud*: quafi diceret, quod non fanctificaret illud in facrificium aliud.

85 שלא לעשות במתכנת הקטרת שנאמר ובמתכנתה לא תעשו

85. Ne faciant suffimentum secundum pondus: sicut dicitur Exod. 30. 37. *Et secundum pondus ejus non facietis.*

86 שלא להוציא בדי הארון שנאמר לא יסורו ממנו

86. Ne educantur vectes Arcæ sanctæ: sicut dicitur Exod. 25. 15. *Non removebuntur vectes* ab eâ.

87 שלא יזח החושן מעל האפוד שנ׳ ולא יזח החשן מעל האפד

87. Ne separetur pectorale à superhumerali: sicut dicitur Exod. 28. 28. *Et non separetur pectorale à superhumerali.*

88 שלא יקרע המעיל שנ׳ כפי תחרא יהיה לו לא יקרע

88. Ne laceretur pallium Sacerdotale: sicut dicitur Exod. 28. 32. *Sicut os loricæ erit ei, ne scindatur.*

89 שלא להעלות קדשים בחוץ שנאמר השמר לך פן תעלה עולותיך

89. Ne offerant sacrificia extra Templum: sicut dicitur Deut. 12. 13. *Caveas tibi ne offeras holocausta tua.*

90 שלא לשחוט קדשים בחוץ שנ׳ איש איש אשר ישחט שור או כשב ואל פתח אהל מועד לא הביאו ונכרת

90. Ne mactentur sacrificia extra Templum: sicut dicitur Levit. 17. 3. 4. *Vir qui mactaverit bovem, vel agnum. Et ad ostium Tabernaculi conventus non adduxerit eum. & excidetur.*

91 שלא להקדיש בעלי מומין למזבח שנ׳ כל אשר בו מום לא תקריבו וזהו איסור הקדישו

91. Ne sanctificentur ad altare res maculatæ: sicut dicitur Levit. 22. 20. *Omne in quo est macula non appropinquare facietis.* Hoc est vetitum ad sanctificandum.

92 שלא לשחוט בעלי מומין לשם קרבן שנ׳ לא תקריבו אלה ליהוה

92. Ne mactentur res maculatæ in sacrificium: sicut dicitur Levit. 22. 22. *Non offeretis illa* JEHOVÆ.

93 שלא לזרוק דם בעלי מומין לגבי המזבח שנאמר בבעלי מומין לא תקריבו ליהוה וזהו איסור זריקת דמו

93. Ne spargatur sanguis animalium maculatorum super altari: sicut dicitur de maculatis Levit. 22. 24. *Non offeretis* JEHOVÆ. Et hoc est interdictum ad spargendum sanguinem ejus.

94 שלא להקטיר אימורי בעלי מומין שנ׳ ואשה לא תתנו מהם

94. Ne suffiant partes animalium maculatorum: sicut dicitur Levit. 22. 22. *Et oblationem ignitam non dabitis ex his.*

95 שלא להקריב בעל מום עובר שנ׳ לא תזבח ליהוה אלהיך שור ושה אשר יהיה בו מום זהו מום עובר

95. Ne offerant animal, in quo est macula accidentalis: sicut dicitur Deut. 17. 1. *Non sacrificabis* JEHOVÆ *Deo tuo bovem, & pecus parvum, in quo fuerit macula.* Hæc est macula transiens.

96. Ne

יין ושכר אל תשת בבואכם אל אהל מועד ונאמר ולהורות את בני ישראל

ſicut dicitur Levit. 10. 9. *Vinum & ſiceram ne bibas, cum vos intrabitis in tabernaculum conventus.* Et dicitur verſu 11. *Et ad docendum filios Iſraël.*

74 שלא יעבוד הזר במקדש שנאמר וזר לא יקרב אליכם

74. Ne ſerviat extraneus in Sanctuario: ſicut dicitur Num. 18. 4. *Et extraneus non appropinquabit ad vos.*

75 שלא יעבוד כהן טמא שנ׳ וינזרו מקדשי בני ישראל

75. Ne ſerviat Sacerdos immundus: ſicut dicitur Levit. 22. 2. *Et ſeparentur à ſanctitatibus filiorum Iſrael.*

76 שלא יעבוד כהן טבול יום עד שיעריב שמשו שנ׳ ולא יחללו

76. Ne ſerviat Sacerdos qui laverit illo die uſque dum noctefcat: ſicut dicitur Levit. 22. 2. *Et non polluant.*

77 שלא יכנס כהן טמא לעזרה שנ׳ ולא יטמאו את מחניהם זו מחנה שכינה

77. Ne Sacerdos immundus intret in atrium: ſicut dicitur Num. 5. 3. *Et non polluent caſtra ſua.* Hæc ſunt caſtra præſentiæ divinæ.

78 שלא יכנס טמא למחנת לויה שנ׳ לא יבוא אל תוך המחנה זו מחנה לויה

78. Ne intret immundus in caſtra Levitarum: ſicut dicitur Deut. 23. 10. *Non ingredietur ad medium caſtrorum.* Hæc ſunt caſtra Levitarum.

79 שלא לבנות אבני מזבח גזית שנאמר לא תבנה אתהן גזית

79. Ne ædificetur altare ex lapidibus politis: ſicut dicitur Exod. 20. 25. *Non ædificabis eos exciſos.*

80 שלא לפסוע על המזבח שנ׳ ולא תעלה במעלות על מזבחי

80. Ne aſcendatur *gradibus* ad altare: ſicut dicitur Exod. 20. 26. *Et non aſcendes per gradus ad altare meum.*

81 שלא להקטיר ולהקריב במזבח הזהב שנ׳ לא תעלו עליו קטרת זרה

81. Ne ſuffire faciant, neque offerant in altari aureo: ſicut dicitur Exod. 30. 9. *Non aſcendere facietis ſuper illud ſuffimentum alienum.*

82 שלא לכבות אש המזבח שנאמר אש תמיד תוקד על המזבח לא תכבה

82. Ne extinguatur ignis altaris: ſicut dicitur Levit. 6. 13. *Ignis jugiter accenſus erit ſuper altari, non extinguetur.*

83 שלא לעשות במתכונת שמן המשחה שנ׳ ובמתכונתו לא תעשו

83. Ne faciant oleum unctionis ſecundum pondus: ſicut dicitur Exod. 30. 32. *Et ſecundum pondus ejus non facietis.*

84 שלא לסוך בשמן המשחה זר שנ׳ על בשר אדם לא יסך

84. Ne ſe ungat extraneus oleo unctionis: ſicut dicitur Exod. 30. 32. *Super carnem hominis non ungetur.*

85. Ne

תחללו את שם קדשי

non polluetis nomen Sanctitatis meæ.

64 שלא לנסות את דבר יהוה שנאמר לא תנסו את יהוה אלהיכם

64. Ne quis tentet JEHOVAM: sicut dicitur Deut. 6. 16. *Non tentabitis* JEHOVAM *Deum vestrum.*

65 שלא לאבד בית המקדש או בתי כנסיות או בתי מדרשות וכן אין מוחקין את השמות המקודשין ואין מאבדין כתבי הקדש שנאמר אבד תאבדון לא תעשון כן ליהוה אלהיכם

65. Ne quis perdat Sanctuarium, aut Synagogas, aut Scholas, & sic, non sunt delenda nomina *Dei* sanctificata, neque sunt perdenda scripta sancta: sicut dicitur Deut. 12. 2, 4. *Perdendo perdetis. Non facietis sic* JEHOVÆ *Deo vestro.*

66 שלא ילין הצלוב על העץ שנ׳ לא תלין נבלתו על העץ

66. Ne pernoctet suspensus in patibulo: sicut dicitur Deut. 21. 23. *Non pernoctabit cadaver ejus super ligno.*

67 שלא להשבית שמירה סביב למקדש שנ׳ ושמרתם את משמרתי

67. Ne cesset custodia circa Sanctuarium: sicut dicitur Num. 18. 5. *Et custodietis custodiam meam.*

68 שלא יכנס כהן להיכל בכל עת שנ׳ ואל יבא בכל עת אל הקדש

68. Ne ingrediatur Sacerdos in Templum omni tempore: sicut dicitur Levit. 16. 2. *Et non ingrediatur in omni tempore ad sanctitatem.*

69 שלא יכנס בעל מום מן המזבח ולפנים שנאמר אך אל הפרוכת לא יבא

69. Ne ingrediatur maculatus ab altari & interius: sicut dicitur Levit. 21. 23. *Veruntamen ad velum non ingredietur.*

70 שלא יעבוד בעל מום שנאמר אשר יהיה בו מום

70. Ne maculatus serviat *in Sanctuario*: sicut dicitur Levit. 21. 17. *Cui fuerit in eo macula.*

71 שלא יעבוד בעל מום עובר שנאמר כל איש אשר בו מום לא יקרב

71. Ne serviat qui maculatus est macula transeunte, hoc est, *qui per accidens, aut ad tempus tantum maculatus est*: sicut dicitur Levit. 21. 21. *Omnis vir cui in eo est macula non appropinquabit.*

72 שלא יתעסקו הלוים בעבודת הכהנים ולא הכהנים בעבודת הלוים שנ׳ בלוים אל כלי הקדש ואל המזבח לא יקרבו גם הם גם אתם

72. Ne administrent Levitæ quæ sunt muneris Sacerdotalis, nec Sacerdotes quæ sunt muneris Levitici: sicut dicitur Num. 18. 3. de Levitis. *Ad vasa sanctitatis, & altare non appropinquabunt, etiam ipsi, etiam vos.*

73 שלא יכנס למקדש ולא יורה בתורה שותי יין שנאמר

73. Ne ingrediatur in Sanctuarium, neque doceat Legem, is qui vinum bibit: sicut

53 שלא ישא עמוני ומואבי בת ישראל לעולם שנאמר לא יבא עמוני ומואבי בקהל יהוה

53. Ne unquam Hammonita aut Moabita in uxorem sumat filiam Israelis: sicut dicitur Deut. 23. 3. *Non ingredietur Hammonita, & Moabita in ecclesiam Dei.*

54 שלא להרחיק זרע עשו מן הקהל אלא עד שלשה דורות שנ׳ לא תתעב ארומי

54. Ne removeant posteros Esau ab ecclesiâ, nisi usque in tertiam generationem: sicut dicitur Deut. 23. 7. *Non abominaberis Edomæum.*

55 שלא להרחיק מצרי מן הקהל אלא עד שלשה דורות שנאמר לא תתעב מצרי

55. Ne removeant Ægyptios ab ecclesiâ, nisi usque in tertiam generationem: sicut dicitur Deut. 23. 7. *Non abominaberis Ægyptium.*

56 שלא לקרוא שלום לעמון ומואב בתחלה בשעת מלחמה כשאר כותים שנאמר לא תדרוש שלומם וטובתם

56. Ne offeratur pax Hammonitæ & Moabitæ in principio, tempore belli, sicut cæteris nationibus: sicut dicitur Deut. 23. 6. *Non quæres pacem eorum, & bonum eorum.*

57 שלא להשחית אילני מאכל שנ׳ לא תשחית את עצה

57. Ne perdant arbores fructiferas: sicut dicitur Deut. 20. 19. *Non corrumpes arbores ejus.*

58 שלא יראו אנשי המלחמה ולא יפחדו מאויביהם בשעת מלחמה שנאמר לא תערוץ מפניהם לא תיראום

58. Ne timeant milites, neque paveant propter hostes suos tempore belli: sicut dicitur Deut. 20. 3. & 7. 21. *Ne paveas à faciebus eorum.* Et Deut. 3. 22. *Ne timeatis eos.*

59 שלא נסור מלבנו מעשה הרע שעשה לנו עמלק שנ׳ לא תשכח

59. Ne obliviscamur operum malorum, quæ nobis fecit Hamalek: sicut dicitur Deut. 25. 19. *Ne obliviscaris.*

60 שאנו מוזהרין על ברכת השם שנ׳ אלהים לא תקלל

60. Ut simus admoniti de benedictione Dei: sicut dicitur Exod. 22. 28. *Elohim non maledices.*

61 שלא לעבור על שבועת בימוי שנ׳ ולא תשבעו בשמי לשקר

61. Ne quis transgrediatur juramento temerario, *quod postea non observat*: sicut dicitur Levit. 19. 12. *Et non jurabitis in nomine meo mendaciter.*

62 שלא ישבע לשוא שנ׳ לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא

62. Ne quis juret in vanum: sicut dicitur Exod. 20. 7. *Non assumes nomen* JEHOVÆ *Dei tui in vanum.*

63 שלא לחלל את שם הקדוש ברוך הוא שנ׳ ולא

63. Ne quis profanet nomen Dei benedicti: sicut dicitur Levit. 22. 32. Et

ומזלות שנאמר לא תלבש שעטנז

aut ex aliis prohibitis generibus, ficut fefe veftiunt Sacerdotes idololatrici: ficut dicitur Deut. 22. 11. *Non indues te contexturâ.*

43 שלא להקיף פאת ראש ככומרי עבודת כוכבים ומזלות שנאמר ולא תקיפו פאת ראשכם

43. Ne quis in circuitu attondeat angulum capitis, ficut Sacerdotes idololatrici *faciunt*: ficut dicitur Levit. 19. 27. *Non in circuitu attondebitis angulum capitis veftri.*

44 שלא להשחית כל הזקן כעובדי עבודת כוכבים ומזלות שנאמר ולא תשחית את פאת זקנך

44. Ne quis corrumpat totam barbam ficut cultores cultus ftellarum & planetarum *faciunt*: ficut dicitur Levit. 19. 27. *Et non corrumpes angulum barbæ tuæ.*

45 שלא להתגודד כעובדי עבודת כוכבים ומזלות שנ׳ לא תתגודדו וגדידה ושריטה אחת היא

45. Ne quis incifiones faciat ficut idololatræ: ficut dicitur Deut. 14. 1. *Non incidetis vos*, גדידה & שריטה *incifio* idem funt.

46 שלא לשכון בארץ מצרים לעולם שנאמר לא תוסיפון לשוב בדרך הזה עוד

46. Ne unquam *redeant* ad habitandum in terrâ Ægypti: ficut dicitur Deut. 17. 16. *Non addetis ut revertamini per viam iftam amplius.*

47 שלא לתור אחר מחשבות הלב וראיית העינים שנאמר ולא תתורו וגומר

47. Ne quis perveftiget (*hoc eft, erret*) poft cogitationes cordis & vifum oculorum: ficut dicitur Num. 15. 39. *Et non perveftigabitis &c.*

48 שלא לכרות ברית לשבעה עממין שנאמר לא תכרות להם ברית

48. Ne pangant fœdus cum feptem populis: ficut dicitur Exod. 23. 32. *Non percuties cum eis fœdus.*

49 שלא להחיות אדם משבעה עממים שנאמר לא תחיה כל נשמה

49. Ne finant vivere ullum hominem ex feptem populis: ficut dicitur Deut. 20. 16. *Non vivificabis omnem animam.*

50 שלא לחון על עובדי כוכבים ומזלות שנאמר לא תחונם

50. Ne mifericordiam habeamus erga cultores ftellarum & planetarum: ficut dicitur Deut. 7. 2. *Non mifereberis eorum.*

51 שלא להושיב עובדי כוכבים ומזלות בארצנו שנ׳ לא ישבו בארצכם

51. Ne finamus habitare in terrâ noftrâ cultores ftellarum & planetarum: ficut dicitur Exod. 23. 33. *Non habitabunt in terrâ veftrâ.*

52 שלא להתחתן בעובדי כוכבים ומזלות שנאמר לא תתחתן בם

52. Ne connubia ineamus cum idololatris: ficut dicitur Deut. 7. 3. *Non junges te affinitate cum eis.*

53. Ne

30 שלא ללכת בחקות עבודת כוכבים ומזלות ולא במנהגותם שנאמר ולא תלכו בחקות וגומר.

30. Ne quis ambulet in statutis cultus stellarum, & planetarum, neque in ritibus ipsorum: sicut dicitur Levit. 20. 23. *Et ne ambuletis in statutis &c.*

31 שלא לקסום שנאמר לא ימצא בך קוסם קסמים

31. Ne aliquis divinationibus operam det: sicut dicitur Deut. 18. 10. *Non inveniatur in te — divinans divinationes.*

32 שלא לעונן שנאמר לא תעוננו

32. Ne aliquis præstigiis utatur: sicut dicitur Levit. 19. 26. *Neque præstigiabimini.*

33 שלא לנחש שנאמר לא תנחשו

33. Ne aliquis auguretur: sicut dicitur Levit. 19. 26. *Non augurabimini.*

34 שלא לכשף שנאמר לא ימצא בך וגומר ומכשף

34. Ne aliquis magiam exerceat: sicut dicitur Deut. 18. 10. *Non inveniatur in te &c. Et maleficus.*

35 שלא לחבור חבר שנ׳ וחובר חבר

35. Ne aliquis incantet incantationes: sicut dicitur Deut. 18. 11. *Et incantans incantationem.*

36 שלא לשאול באוב שנאמר ושואל אוב

36. Ne quis consulat oraculum Ob, *hoc est*, *Pythonis*: sicut dicitur Deut. 18. 11. *Et interrogans Pythonem.*

37 שלא לשאול בידעוני שנאמר ושואל אוב וידעוני

37. Ne quis consulat oraculum Jiddeoni, *hoc est*, *Arioli*: sicut dicitur Deut. 18. 11. *Et interrogans Pythonem & Sciolum.*

38 שלא לשאול בחלום מן המתים שנאמר ודורש אל המתים

38. Ne aliquis consulat in somnio mortuos: sicut dicitur Deut. 18. 11. *Et quærens à mortuis.*

39 שלא תעדה אשה עדי איש שנאמר לא יהיה כלי גבר על אשה

39. Ne mulier se ornet ornamento virili: sicut dicitur Deut. 22. 5. *Non erit instrumentum virile super mulierem.*

40 שלא יעדה איש עדי אשה שנאמר לא ילבש גבר שמלת אשה מפני שזהו מנהג עובדי עבודת כוכבים ומזלות

40. Ne vir se ornet ornamento muliebri: sicut dicitur Deut. 22. 5. *Non induet vir vestimentum muliebre.* Quoniam hæc est consuetudo colentium cultum stellarum & planetarum.

41 שלא לכתוב בגוף כעובדי עבודת כוכבים ומזלות שנ׳ וכתבת קעקע לא תתנו בבשרכם

41. Ne aliquis scribat in corpore, sicut colentes cultum stellarum & planetarum *faciunt*: sicut dicitur Levit. 19. 28. *Et scripturam exarationis non dabitis in carne vestrâ.*

42 שלא ללבוש שעטנז כמו שלובשין כומרי עבודת כוכבים

42. Ne quis induat vestimentum heterogeneum *h. e. confectum ex lanâ & lino*,

20 שלא ילמד המוסת זכות על המסית שנ׳ לא תחמול.

20. Ne seductus causam impostoris defendat, *hoc est, pro eo intercedat*: sicut dicitur Deut. 13. 8. *Non ignosces.*

21 שלא ישתוק המוסת מללמד חובה על המסית אם ידע לו חובה שנ׳ ולא תכסה עליו

21. Ne seductus taceat ostendere culpam seductoris, si noverit ipsius culpam: sicut dicitur Deut. 13. 8. *Et non operies super eum.*

22 שלא ליהנות בציפוי נעבד מעבודת כוכבים ומולות שנ׳ לא תחמוד כסף וזהב עליהם

22. Ne utamur iis, quibus imagines idololatriæ ornantur & vestiuntur: sicut dicitur Deut. 7. 25. *Non concupisces argentum & aurum super eis.*

23 שלא לבנות עיר הנדחת כמות שהיתה שנאמר לא תבנה עוד

23. Ne urbs seducta *ad idololatriam* reædificetur sicut fuit: juxta id quod dicitur Deut. 13. 16. *Non ædificabitur amplius.*

24 שלא ליהנות בממון עיר הנדחת שנ׳ ולא ידבק בידך

24. Ne utamur opibus *sive spoliis* urbis seductæ *ad idololatriam*: sicut dicitur Deut. 13. 17. *Et non adhærebit in manu tua.*

25 שלא ליהנות בעבודת כוכבים ומולות ובכל משמשיה ובתקרובת שלה וביין שנתנסך לה שנאמר ולא תביא תועבה אל ביתך

25. Ne utamur iis, quæ ad cultum stellarum & planetarum pertinent, neque omnibus quæ inserviunt ei, neque munere, quod ei offertur, neque vino, quod libatur ei: sicut dicitur Deut. 7. 26. *Et non introduces abominationem in domum tuam.*

26 שלא להתנבא בשמה שנ׳ ואשר ידבר בשם אלהים אחרים

26. Ne quis prophetet in nomine ejus, *hoc est, in nomine falsorum deorum*: sicut dicitur Deut. 18. 20. *Et qui loquetur in nomine deorum alienorum.*

27 שלא להתנבא בשקר שנאמר אשר יזיד לדבר דבר בשמי את אשר לא צויתיו

27. Ne quis prophetet falsò: sicut dicitur Deut. 18. 20. *Qui superbe egerit loquendo verbum in nomine meo quod non præcepi ei.*

28 שלא לשמוע למתנבא לשם עבודת כוכבים ומולות שנאמר לא תשמע אל דברי הנביא

28. Ne quis audiat prophetantem in nomine cultus stellarum & planetarum: sicut dicitur Deut. 13. 3. *Non audies ad verba Prophetæ.*

29 שלא ימנע מהריגת נביא השקר ולא נירא ממנו שנ׳ לא תגור ממנו

29. Ne aliquis prohibeatur ab occisione Prophetæ falsi, & ne timeamus eum *scil. occidere*: sicut dicitur Deut. 18. 22. *Non timebis ab eo.*

30. Ne

9 שלא לעשות מעשה ידעוני שנאמר ואל הידעונים

9. Ne exerceant opus Jiddeoni, *hoc est*, *Arioli*: ſicut dicitur Levit. 19. 31. *Et ad Sciolos.*

10 שלא לפנות אחר עבודת כוכבים ומזלות שנאמר אל תפנו אל האלילים

10. Ne reſpiciamus ad cultum ſtellarum & planetarum: ſicut dicitur Levit. 19. 4. *Ne reſpiciatis ad idola.*

11 שלא להקים מצבה שנ׳ ולא תקים לך מצבה

11. Ne erigamus ſtatuam: ſicut dicitur Deut. 16. 22. *Neque eriges tibi ſtatuam.*

12 שלא ליתן אבן משכית שנ׳ ואבן משכית לא תתנו בארצכם

12. Ne conſtituatur lapis figuratus, *ſive depictus*: ſicut dicitur Levit. 26. 1: *Et lapidem depictum non ponetis in terrâ veſtrâ.*

13 שלא ליטע אילן במקדש שנאמר לא תטע לך אשרה כל עץ

13. Ne plantetur arbor in Sanctuario: ſicut dicitur Deut. 16. 21. *Non plantabis tibi lucum, omnem arborem.*

14 שלא לישבע בעבודת כוכבים ומזלות לעובדים ולא משביעין אותן בה שנ׳ ושם אלהים אחרים לא תזכירו לא ישמע על פיך

14. Ne per cultum ſtellarum & planetarum (*hoc eſt, per falſos Deos*) juremus idololatris, neque faciamus illos jurare per eum *ſc. cultum idololatricum*: ſicut dicitur Exod. 23. 13. *Et nomen Deorum aliorum non memorabitis. Non audietur ſuper os tuum.*

15 שלא להדיח בני ישראל אחר עבודת כוכבים ומזלות שנאמר ולא ישמע על פיך זו אזהרה למדיח

15. Ne quis inducat filios Iſrael ad cultum ſtellarum & planetarum: ſicut dicitur Exod. 23. 13. *Et non audietur ſuper os tuum.* Hæc eſt præmonitio ſeductori.

16 שלא להסית אדם מישראל אחר עבודת כוכבים ומזלות שנאמר במסית ולא יוסיפו לעשות

16. Ne quis incitet *ſive urgeat* aliquem ex Iſraelitis ad cultum ſtellarum & planetarum: ſicut dicitur de incitatore, *Et non addent facere.* Deut. 13. 11.

17 שלא לאהוב המסית שנאמר לא תובה לו

17. Ne amemus impoſtorem: ſicut dicitur Deut. 23. 8. *Non acquieſces ei.*

18 שלא לעזוב השנאה למסית שנ׳ ולא תשמע אליו

18. Ne deſinamus odiſſe impoſtorem: ſicut dicitur Deut. 13. 8. *Et non audies ad eum.*

19 שלא להציל המסית אלא עומד על דמו שנאמר לא תחוס עינך עליו

19. Ne liberemus impoſtorem, ſed potius opera danda eſt ut occidatur: ſicut dicitur Deut. 13. 8. *Neque parcet oculus tuus ſuper eum.*

מצות לא תעשה



1 מצוה ראשונה ממצות לא תעשה שלא לעלות במחשבה שיש שם אלוה זולתי יהוה שנאמר לא יהיה לך אלהים אחרים על פני

2 שלא לעשות פסל לא יעשה בידו ולא יעשו לו אחרים שנאמר לא תעשה לך פסל

3 שלא לעשות עבודת כוכבים ומזלות ואפילו לאחרים שנאמר אלהי מסכה לא תעשה לך

4 שלא לעשות צורות לכותי ואף על פי שאין עובדין אותן שנאמר לא תעשון אתי

5 שלא להשתחות לעבודת כוכבים ומזלות ואף על פי שאין דרך עבודתה בהשתחויה שנ' ולא תשתחוה להם

6 שלא לעבוד עבודת כוכבים ומזלות בדברים שדרכה להעבד בהם שנ' ולא תעבדם

7 שלא להעביר בנו למולך שנאמר ומזרעך לא תתן להעביר למולך

8 שלא לעשות מעשה אוב שנ' אל תפנו אל האובות

1. Præceptum primum ex præceptis Negativis est, ne cogitemus alium esse Deum præter JEHOVAM: sicut dicitur Exod. 20. 3. *Non erunt tibi dii alii coram facie mea.*

2. Ne sculptilia vel ipsi nobis faciamus, vel per alios nobis fieri curemus: sicut dicitur Exod. 20. 4. *Non facies tibi sculptile.*

3. Ne faciamus ullum cultum stellarum & planetarum (*hoc est, imaginem idololatricam*) etiamsi aliis, *sive in aliorum gratiam*: sicut dicitur Exod. 34. 17. *Deos conflatiles non facies tibi.*

4. Ne faciamus *saltem ad ornatum* ullas imagines Cuthæis *sive Gentilibus*, etiamsi non colant eas: sicut dicitur Exod. 20. 23. *Non facietis mecum.*

5. Ne incurvemus nos cultui stellarum & planetarum, etiamsi modus cultus eorum non *consistat* in incurvatione: sicut dicitur Exod. 20. 5. *Non incurvabis te eis.*

6. Ne serviamus cultui stellarum & planetarum rebus, quarum consuetudo est ut colantur per illas: sicut dicitur Exod. 20. 5. *Et non servies eis.*

7. Ne aliquis *per ignem* transire faciat filium suum *aut filiam suam* Molocho: sicut dicitur Levit. 18. 21. *Et de semine tuo non dabis ad transire faciendum ad Molochum.*

8: Ne exerceant opus Ob, *hoc est, Pythonis*: sicut dicitur Levit. 19. 31. *Ne respiciatis ad Pythones.*

9. Ne

כי תצא אש ומצאה קוצים

ignem: ficut dicitur Exod. 22. 6. *Cum egressus fuerit ignis, & invenerit spinas.*

242 לדון בנזקי שומר חנם שנאמר כי יתן איש אל רעהו

242. Ut judicent de damnis *commissis apud custodem* gratis custodientem: ficut dicitur Exod. 22. 7. *Cum dederit quispiam proximo suo.*

243 לדון בדין נושא שכר שנ׳ כי יתן איש אל רעהו חמור או שור

243. Ut judicent judicium capientis mercedem, hoc eft, *ut judicent de rebus, quae mercedis gratiâ alicujus curae sunt commissae*: ficut dicitur Exod. 22. 10. *Si dederit quis proximo suo asinum vel bovem.*

244 לדון בדין השואל שנ׳ וכי ישאל איש מעם רעהו

244. Ut judicent judicium accipientis mutuò gratis, hoc eft, ut *judicent de rebus, quae gratis mutuò datae sunt*: ficut dicitur Exod. 22. 14. *Et cum petierit* commodatum *quispiam à proximo suo.*

245 לדון בדיני מקח וממכר שנאמר וכי תמכרו ממכר לעמיתך

245. Ut judicent de rebus emptionis & venditionis: ficut dicitur Levit. 25. 14. *Et cum vendideritis venditionem proximo tuo.*

246 לדון בדין טוען ונטען שנאמר על כל דבר פשע על שור על חמור על שה

246. Ut judicent caufam Actoris & Rei: ficut dicitur Exod. 22. 9. *Super omni verbo praevaricationis, super bove, super asino, super agno.*

247 להציל הנרדף ואפילו בנפש הרודף שנ׳ וקצותה את כפה

247. Ut liberetur is, qui perfequutionem patitur, etiamfi effet cum animâ *seu vitâ* perfequentis, *h. e. etiamsi persequens occidendus esset*: ficut dicitur Deut. 25. 12. *Et abscindes manum illius.*

248 לדון בדיני נחלות שנ׳ איש כי ימות ובן אין לו

248. Ut judicent caufas haereditatum: ficut dicitur Numer. 27. 8. *Vir cum mortuus fuerit, & filius non fuerit ei.*

230 לתלות מי שנתחייב תלייה שנאמר ותלית אותו על עץ

230. Vt suspendant eum, qui dignus est suspendio: sicut dicitur Deut. 21. 22. *Et suspenderis eum in ligno.*

231 לקבור הנהרג ביומו שנ׳ כי קבור תקברנו ביום ההוא

231. Vt occisi eo ipso die sepeliantur: sicut dicitur Deut. 21. 23. *Sed sepeliendo sepelies eum in die ipsa.*

232 לדון לעבד עברי כהלכותיו שנאמר כי תקנה עבד עברי

232. Vt judicent servum Hebræum secundum leges suas: sicut dicitur Exod. 21. 2. *Cum emeris servum Hebræum.*

233 ליעד אמה עבריה שנ׳ אשר לא יעדה והפדה

233. Vt *Herus* desponset servam Hebræam: sicut dicitur Exod. 21. 8. *Qui sibi desponsavit eam, & redimere faciet eam.*

234 לפדות אמה עבריה שנאמר והפדה

234. Vt redimatur serva Hebræa: sicut dicitur Exod. 21. 8. *Et redimere faciet eam.*

235 לעבוד בעבד כנעני לעולם שנאמר לעולם בהם תעבודו

235. Vt servi Cananæi in perpetuam servitutem addicantur: sicut dicitur Levit. 25. 46. *In perpetuum eis ut servis utemini.*

236 להיות החובל משלם ממון שנ׳ כי יריבון אנשים והכה איש

236. Vt qui damnum intulit, solvat mulctam pecuniariam: sicut dicitur Exod. 21. 18. *Quum rixati fuerint viri, & percusserit quispiam.*

237 לדון בנזקי בהמה שנאמר וכי יגוף שור איש את שור רעהו

237. Vt judicent de damnis ab animali bruto *illatis*: sicut dicitur Exod. 21. 35. *Et cum percusserit bos cujuspiam bovem socii sui.*

238 לדון בנזקי הבור שנ׳ כי יפתח איש בור

238. Vt judicent de damnis *per neglectam* putei *munitionem illatis*: sicut dicitur Exod. 21. 33. *Cum aperuerit quispiam puteum.*

239 לדון לגנב בתשלומין או במיתה שנאמר וכי יגנב אם במחתרת ימצא הגנב וגונב איש ומכרו

239. Ut fur damnetur ad restitutiones, aut ad mortem: sicut dicitur Exod. 2. 1. *Et cum furatus fuerit.* versu 2. *Si in perfossione inventus fuerit fur.* Et Exod. 21. 16. *Et qui furatus fuerit virum & vendiderit eum.*

240 לדון בנזקי המבער שנ׳ כי יבער איש שדה או כרם

240. Ut judicent de damnis depastionis: sicut dicitur Exod. 22. 5. *Cum pasci fecerit quispiam agrum vel vineam.*

241 לדון בנזקי האש שנ׳

241. Ut judicent de damnis *illatis* per ignem

218 לישא אונס את אנוסתו שנאמר ולו תהיה לאשה

218. Vt, qui per vim virginem oppressit, eam in uxorem ducat: sicut dicitur Deut. 22. 29. *Et ei erit in uxorem.*

219 לישב מוציא שם רע עם אשתו כל ימיו שנאמר ולו תהיה לאשה

219. Vt omnibus diebus suis habitet cum uxore sua *sine spe repudii*, qui eam diffamavit: sicut dicitur Deut. 22.29. *Et ei erit in uxorem.*

220 לדון במפתה בחמשים שקל עם שאר דינין שנאמר וכי יפתה

220 Ut qui *virginem* seduxit *ad stuprum* judicetur, *& solvat* quinquaginta siclos, cum aliis judiciis: sicut dicitur Exod. 22. 16. *Et cum seduxerit.*

221 לעשות ליפת תאר ככתוב בתורה שנ׳ וראית בשביה אשת יפת תואר

221. Ut *mulieri* pulchrae formâ *in bello captae* fiat juxta quod scriptum est in Lege: sicut dicitur Deut. 21. 11. *Et videris in captivitate mulierem pulchram formâ.*

222 לגרש בשטר שנאמר וכתב לה ספר כריתות

122. Ut divortium fiat per literas *repudii*: sicut dicitur Deut. 24. 1. *Et scribet ei libellum repudii.*

223 לעשות לסוטה כתורה שנאמר ועשה לה הכהן את כל התורה הזאת

223. Vt mulieri declinanti (*hoc est, de adulterio suspectae*) fiat secundum Legem: sicut dicitur Numer. 5. 30. *Et fecerit ei Sacerdos omnem legem hanc.*

224 להלקות לרשע שנ׳ והפילו השופט והכהו לפניו

224. Ut flagellent impium, *qui criminis capitalis reus non est*: sicut dicitur Deut. 25. 2. *prosternere faciet eum Judex, & caedere faciet eum coram se.*

225 להגלות הרוצח בשגגה שנ׳ וישב בה עד מות הכהן הגדול

225. Ut in exilium agatur homicida ex ignorantia [*hoc est, involuntarius*] sicut dicitur Num. 35. 25. *Et manebit in eâ donec moriatur Sacerdos magnus.*

226 להיות בית דין הורגין בסיף שנאמר נקם ינקם

226. Ut domus judicii *sive Judices* occidant gladio: sicut dicitur Exod. 21. 20. *Vindicando vindicabitur.*

227 להיות בית דין הורגין בחנק שנ׳ מות יומת הנואף והנואפת

227. Ut Judices occidant *sontes* strangulatione: sicut dicitur Levit. 20. 10. *Moriendo morietur adulter & adultera.*

228 להיות בית דין שורפין באש שנ׳ באש ישרפו אותו

228. Ut Judices igne comburant *sontes*: sicut dicitur Levit. 20. 14. *Igne comburent eum.*

229 להיות בית דין סוקלין באבנים שנ׳ וסקלתם אותם וגומר

229. Ut Judices lapidibus lapident *sontes*: sicut dicitur Deut. 22. 24. *Et lapidabitis eos &c.*

השב תשיבם לאחיך

205 להוכיח החוטא שנ׳ הוכח תוכיח את עמיתך

206 לאהוב כל אדם מבני ברית שנאמר ואהבת לרעך כמוך

207 לאהוב את הגר שנ׳ ואהבתם את הגר

208 לצדק מאזנים עם המשקלות שנ׳ מאזני צדק אבני צדק

209 לכבד החכמים שנ׳ מפני שיבה תקום

210 לכבד אב ואם שנ׳ כבד אביך ואת אמך

211 ליראה מאב ואם שנ׳ איש אמו ואביו תיראו

212 לפרות ולרבות שנאמר פרו ורבו

213 לבעול בקידושין שנ׳ כי יקח איש אשה

214 לשמח חתן את אשתו שנה שנ׳ נקי יהיה לביתו שנה אחת וגומר

215 למול את הבן שנאמר וביום השמיני ימול בשר ערלתו

216 ליבם אשת אח שנ׳ יבמה יבא עליה

217 לחלוץ ליבם שנאמר וחלצה נעלו מעל רגלו

dicitur Deut. 22. 1. *Reducendo reduces eos ad fratrem tuum.*

205. Ut *proximus* peccans redarguatur: ſicut dicitur Levit. 19. 17. *Corripiendo corripies proximum tuum.*

206. Vt omnes fœderati amentur: ſicut dicitur Levit. 19. 18. *Et diliges ſocium tuum ſicut te ipſum.*

207. Ut peregrinus ametur: ſicut dicitur Deut. 10. 19. *Et diligite peregrinum.*

208. Ut juſtificent, h. e. ut ſtateræ & pondera ſint juſta *ſive exacta*, ſicut dicitur Levit. 19. 36. *Stateræ juſtitiæ, lapides juſtitiæ.*

209 Vt Sapientes honorentur: ſicut dicitur Levit. 19. 32. *Ante caniciem conſurge.*

210. Vt honorentur pater & mater: ſicut dicitur Exod. 20. 12. *Honora patrem tuum, & matrem tuam.*

211. Vt timeantur pater & mater: ſicut dicitur Levit. 19. 3. *Vir matrem ſuam, & patrem ſuum timeatu.*

212. Vt fœtificent & multiplicent: ſicut dicitur Geneſ. 1. 28. *Creſcite & multiplicamini.*

213. Vt conjugium contrahatur cum *præcedentibus* ſponſaliis: ſicut dicitur Deut. 24. 1. *Cum acceperit vir uxorem.*

214. Vt ſponſus exhilaret ſe cum uxore ſuâ anno *primo*: ſicut dicitur Deut. 24. 5. *Immunis erit in domo ſuâ anno uno &c.*

215. Vt filii circumcidantur: ſicut dicitur Levit. 12. 3. *Et in die octavo circumcidetur caro præputii ejus.*

216. Vt vidua mariti ſine liberis defuncti nubat fratri ejus: ſicut dicitur Deut. 25. 5. *Levir ejus ingredietur ad eam.*

217. Vt neganti viduam fratris ſui defuncti ducere calceus extrahatur: ſicut dicitur Deut. 25. 9. *Et ſolvet calceamentum ejus à pede ejus.*

218. Vt

194 להשיב את הגזל שנ׳ והשיב את הגזלה אשר גזל

194. Vt reddant rapinam: ficut dicitur Levit. 6. 4. *Et reddet rapinam quam rapuit.*

195 ליתן צדקה שנאמר פתח תפתח את ידך

195. Vt dent eleemofynam: ficut dicitur Deut. 15. 8. 11. *Aperiendo aperies manum tuam.*

196 להעניק לעבד עברי שנאמר העניק תעניק לו וכן אמה העבריה

196. Vt fervus Hebræus, *quum fervitute exit*, fit bene muneratus: ficut dicitur Deut. 15. 14. *Onerando onerabis eum.* Sic etiam ferva Hebræa *eft dimittenda*, uti dicitur *verfu* 12.

197 להלוות לעני שנאמר אם כסף תלוה את עמי אם זה אינו רשות אלא מצוה שנאמר והעבט תעביטנו

197. Vt egeno mutuum detur: ficut dicitur Exod. 22. 25. *Si argentum mutuaveris populo meo.* Vox אם non *denotat tantum* licentiam, fed præceptum: ficut dicitur Deut. 15. 8. *Et mutuando mutuabis ei.*

198 להלוות לנכרי עובד כוכבים ומזלות ברבית שנ׳ לנכרי תשיך מפי השמועה למדו שזו מצות עשה

198. Ut cum fœnore mutuum detur extraneo colenti ftellas & planetas: ficut dicitur Deut. 23. 20. *Extraneo fœnerabis.* Per traditionem didicerunt hoc effe præceptum affirmativum.

199 להשיב המשכון לבעליו שנאמר השב תשיב לו את העבוט

199. Ut reddatur pignus domino fuo: ficut dicitur Deut. 24. 13. *Reddendo reddes ei pignus.*

200 ליתן שכר שכיר בזמנו שנאמר ביומו תתן שכרו

200. Ut detur mercenario merces tempore fuo: ficut dicitur Deut. 24. 15. *In die ejus dabis mercedem ejus.*

201 להיות השכיר אוכל בזמן שכירות שנ׳ כי תבוא בכרם רעך כי תבוא בקמת רעך

201. Ut mercenarius laborans *in vinea* &c. edat de *fructibus* tempore illo quo laborat: ficut dicitur Deut. 23. 24. 25. *Cum ingreffus fueris in vineam focii tui. Cum ingreffus fueris in fegetem focii tui.*

202 לעזוב מעול חבירו או מעול בהמתו שנאמר עזוב תעזוב עמו

202. Ut proximi jumento, fub onere lapfo, in levando onere auxilium præftetur: ficut dicitur Exod. 23. 5. *Auxiliando auxiliaberis ei.*

203 להקם המשא על הבהמה שנאמר הקם תקים עמו

203. Ut *proximum adjuvemus* in imponendo farcinam fupra jumentum: ficut dicitur Deut. 22. 4. *Erigendo eriges cum ipfo.*

204 להשיב אבדה שנאמר

204. Ut reftituatur res perdita: ficut dicitur

שנ׳ תכין לך הדרך ושלשת

five azyla; ficut dicitur Deut. 19.3. *Parabis tibi viam, & in tres partes divides.*

183 לתת ללוים ערים לשבת וגם הם קולטות שנ׳ ונתנו ללוים ערים

183. Vt Levitis dent urbes ad habitandum, etiam illæ recipiunt *homicidas*: ficut dicitur Num. 35.2. *Et dabunt Levitis urbes.*

184 לעשות מעקה לגגך שנאמר ועשית מעקה לגגך

184. Vt tecta ædium peribolo circumdentur: ficut dicitur Deut. 22.8. *Et facies loricam ad tectum tuum.*

185 לאבד עבודת כוכבים ומזלות ומשמשיה שנ׳ אבד תאבדון וגומר

185 Vt exftirpentur cultus ftellarum & planetarum (*hoc eft, Idololatria*) & fervientes ei: ficut dicitur Deut. 12.2. *Perdendo perdetis &c.*

186 להרוג אנשי עיר הנדחת ולשרוף את העיר שנאמר ושרפת באש את כל שללה

186. Vt occidantur cives, qui ad idololatriam fe induci paffi funt, & ut civitas eorum comburatur: ficut dicitur Deut. 13.16. *Et combures igne omne fpolium ejus.*

187 לאבד שבעה עממים מארץ ישראל שנאמר החרם תחרימם

187. Vt internecioni dentur feptem populi terræ Ifraelis: ficut dicitur Deut. 20.17. *Perdendo perdes eos.*

188 להכרית זרעו של עמלק שנ׳ תמחה את זכר עמלק

188. Vt femen Amalekitarum exfcindatur: ficut dicitur Deut. 25.19. *Delebis mentionem Amalek.*

189 לזכור מה שעשה לנו עמלק תדיר שנאמר זכור את אשר עשה לך עמלק

189. Vt *Ifraelitæ* omni tempore recordentur eorum, quæ ipfis fecit Amalek: ficut dicitur Deut. 25.17. *Memento, quæ fecit tibi Amalek.*

190 לעשות במלחמת הרשות כמשפט הכתוב בתורה שנ׳ כי תקרב אל עיר

190. Vt bellum liberum (*h. e. non in fingulari mandatum à Deo*) inftituatur fecundum morem præfcriptum in Lege: ficut dicitur Deut. 20.10. *Cum appropinquaveris ad urbem.*

191 למשוח כהן במלחמה שנאמר ונגש הכהן ודבר אל העם

191. Vt ungatur Sacerdos prælii causâ: ficut dicitur Deut. 20.2. *Et accedet Sacerdos, & loquetur ad populum.*

192 להתקין יד במחנה שנאמר ויד תהיה לך מחוץ למחנה

192. Vt locus defignetur in caftris *ad requifita naturæ facienda*: ficut dicitur Deut. 23.12. *Et locus tibi erit extra caftra.*

193 להתקין יתד שנאמר ויתד תהיה לך על אזנך

193. Vt geftent paxillum *in exercitu fuper armis fuis*: ficut dicitur Deut. 23.13. *Et paxillus erit tibi fuper arma tua.*

194. Vt

העובר על הפקודים

tur Exod. 30. 13. *Hoc dabunt omnes transeuntes ad visitatos.*

172 לשמוע מכל נביא שיהא בכל דור ודור אם לא יוסיף ולא יגרע שנאמר אליו תשמעון

172. Vt obedientia præstetur omni Prophetæ in quacunque ætate & generatione, si non addiderit vel detraxerit: sicut dicitur Deut. 18. 15. *Ei obedietis.*

173 למנות מלך שנאמר שום תשים עליך מלך

173. Vt constituant Regem: sicut dicitur Deut. 17. 15. *Ponendo pones super te Regem.*

174 לשמוע מכל בית דין הגדול שיעמדו להם לישראל שנאמר ועל המשפט

174. Vt Senatui magno, qui constitutus est super Israële, obtemperetur: sicut dicitur Deut. 17. 11. *Et super judicium.*

175 לנטות אחרי רבים אם תהיה מחלוקת בין הסנהדרין בדינין שנאמר אחרי רבים להטות

175. Vt accedatur majori parti suffragiorum, si in judiciis sit dissensio penes Sanhedrin: sicut dicitur Exod. 23. 2. *Post multos ad pervertendum.*

176 למנות שופטים ושוטרים בכל קהל וקהל מישראל שנ׳ שפטים ושטרים תתן לך

176. Vt constituant Judices & Præfectos in qualibet congregatione populi Israelitici: sicut dicitur Deut. 16. 18. *Judices & præfectos pones tibi.*

177 להשוות בין בעלי דינין בשעה שעומדים בדין שנ׳ בצדק תשפט עמיתך

177. Vt, qui in judicio ad causam dicendum comparent æqualiter audiantur, & judicentur, sicut dicitur Levit. 19. 15. *In justitia judicabis proximum tuum.*

178 להעיד בבית דין למי שיש לו עדות שנאמר והוא עד או ראה או ידע

178. Vt ille, qui verè testari potest, in senatu testetur: sicut dicitur Levit. 5. 1. *Et ipse testis, vel vidit, vel scivit.*

179 לחקור העדים הרבה שנ׳ ודרשת וחקרת ושאלת היטב

179. Vt testes rigidè examinentur: sicut dicitur Deut. 13. 14. *Et quæres, & investigabis, & interrogabis diligenter.*

180 לעשות לעדים זוממין כמו שזממו לעשות שנאמר ועשיתם לו כאשר זמם

180. Vt falsis testibus idem fiat, quod cogitarunt *innocentibus* facere: sicut dicitur Deut. 19. 19. *Et facietis ei, quemadmodum cogitavit.*

181 לערוף את העגלה כמצותה שנאמר וערפו שם את העגלה בנחל

181. Vt vitula decollętur secundum præceptum ejus, *quando aliquis occisus invenitur, incerto cædis authore*: sicut dicitur Deut. 21. 4. *Et decollabunt ibi vitulam in valle.*

182 להכין שש ערי מקלט

182. Vt constituant sex urbes refugii,

מקרא קדש

die primo convocatio ſanctitatis.

160 לשבות בשביעית בו שני וביום השביעי מקרא קדש

160. Vt quieſcant ſeptimo *die in eodem feſto* : ſicut dicitur Exod. 12. 16. *Et in die ſeptimo convocatio ſanctitatis.*

161 לספור מקצירת העומר מ"ט יום שנאמר וספרתם לכם ממחרת השבת

161. Vt numerent à meſſe Homer quadraginta novem dies : ſicut dicitur Levit. 23. 15. *Et numerabitis vobis à craſtino Sabbathi.*

162 לשבות ביום חמשים שנאמר וקראתם בעצם היום הזה מקרא קדש

162. Vt quieſcant die quinquageſimâ, *quæ eſt feſtum Pentecoſtes* : ſicut dicitur Levit. 23. 21. *Et vocabitis in ipſo illo die convocationem ſanctitatis.*

163 לשבות בראשון של חדש השביעי שנאמר באחד לחדש יהיה לכם שבתון

163. Vt quieſcant primo die menſis ſeptimi : ſicut dicitur Levit. 23. 24. *In unâ menſis erit vobis requies.*

164 להתענות בעשירי בו שנאמר ובעשור לחדש תענו את נפשותיכם

164. Vt quiſque ſe affligat decimo die menſis Tiſri, *ſive Septembris* : ſicut dicitur Levit. 16. 29. *In decimâ menſis affligetis animas veſtras.*

165 לשבות ביום הצום שנאמר שבת שבתון

165. Vt quieſcant in die jejunii, *hoc eſt, decimo illo die*, ſicut dicitur Levit. 23. 32. *Ceſſatio quietis.*

166 לשבות בראשון של חג הסוכות שנ' ביום הראשון מקרא קדש

166. Vt quieſcant primo die feſti Tabernaculorum : ſicut dicitur Levit. 23. 35. *In die primo erit convocatio ſanctitatis.*

167 לשבות בשמיני של חג שנאמר וביום השמיני מקרא קדש

167. Vt quieſcant octavo die illius feſti : ſicut dicitur Lev. 23. 36. *Et in die octavo convocatio ſanctitatis.*

168 לישב בסוכה שבעת ימים שנאמר בסוכות תשבו שבעת ימים

168. Vt habitent in Tabernaculis per ſeptem dies : ſicut dicitur Levit. 23. 42. *In Tabernaculis habitabitis ſeptem diebus.*

169 ליטול לולב שנאמר ולקחתם לכם ביום הראשון פרי עץ הדר כפות תמרים

169. Vt geſtetur *Lulab*, hoc eſt, *palma* : ſicut dicitur Levit. 23. 40. *Et capietis vobis in die primo fructum ligni decoris ramos palmarum.*

170 לשמוע קול שופר בראש השנה שנאמר יום תרועה יהיה לכם

170. Vt audiatur vox buccinæ in principio *novi* anni : ſicut dicitur Numer. 29. 1. *Dies triumphi erit vobis.*

171 ליתן מחצית השקל בכל שנה שנאמר זה יתנו כל

171. Vt *omnis Iſraelita* det dimidium ſiclum *argenti* ſingulis annis ; ſicut dici-

tur

148 לשלח אם צפור מן הקן שנאמר שלח תשלח את האם

148. Vt mater incubans pullis in nido dimittatur libera, quando pulli eximuntur: ſicut dicitur Deut. 22. 7. *Dimittendo dimittes matrem.*

149 לבדוק בסימני בהמה שני זאת חיה אשר תאכלו

149. Vt diligenter inquirantur ſigna animalium *mundorum*: ſicut dicitur Levit. 11. 2. *Hæc eſt beſtia quam comedetis.*

150 לבדוק בסימני העוף שנאמר כל צפור

150. Vt diligenter inquirantur ſigna avium: ſicut dicitur Deut. 14. 11. *Omnem avem.*

151 לבדוק בסימני חגבים לידע טהור מן הטמא. שנ׳ אשר לו כרעים

151. Vt diligenter inquirantur ſigna locuſtarum, ut dignoſcantur puræ ab immundis: ſicut dicitur Levit. 11. 21. *Cui ſunt crura.*

152 לבדוק בסימני דגים שנאמר את זה תאכלו מכל אשר במים

152. Vt diligenter inquirantur ſigna piſcium, *antequam comedantur*: ſicut dicitur Levit. 11. 9. *Hoc comedetis ex omnibus, quæ ſunt in aquis.*

153 לקדש חדשים ולחשב שנים וחדשים בבית דין בלבד שנ׳ החדש הזה לכם ראש חדשים ראשון הוא לכם לחדשי השנה

153. Vt menſes ſanctificentur, & ut menſes & anni ſolum ſupputentur per Senatum, *ſive beth din*: ſicut dicitur Exod. 12. 2. *Menſis iſte vobis caput menſium, primus ipſe vobis in menſibus anni.*

154 לשבות בשבת שנאמר וביום השביעי תשבות

154. Vt in Sabbatho quieſcamus: ſicut dicitur Exod. 23. 12. *Et in die ſeptimo quieſces.*

155 לקדש שבת שנאמר זכור את יום השבת לקדשו

155. Vt Sabbathum ſanctificetur: ſicut dicitur Exod. 20. 8. *Recordare diei Sabbathi ad ſanctificandum eum.*

156 לבער חמץ שנאמר ביום הראשון תשביתו שאור מבתיכם

156. Vt expellatur *omne* fermentum *ex ædibus in feſto Paſchatis*: ſicut dicitur Exod. 12. 15. *In die primâ ceſſare facietis fermentum à domibus veſtris.*

157 לספר ביציאת מצרים בלילה ראשונה של חג המצות שנ׳ והגדת לבנך ביום ההוא

157. Vt in primâ nocte feſti azymorum ſermocinatio fiat de *admirabili* exitu *populi* ex Ægypto: ſicut dicitur Exod. 13. 8. *Et nuntiabis filio tuo in die iſto.*

158 לאכול מצה בליל זה שנאמר בערב תאכלו מצות

158. Vt comedant panem infermentatum in nocte illâ: ſicut dicitur Exod. 12. 18. *In veſperâ comedetis infermentata.*

159 לשבות בראשון של פסח שנאמר וביום הראשון

159. Vt quieſcant primo die feſti Paſchatis; ſicut dicitur Exod. 12. 16. *Et in die*

137 לתקוע בשופר בשנת היובל שנאמר והעברת שופר תרועה

137. Ut clangatur tuba in anno Jubilæo: sicut dicitur Levit. 25. 9. *Et transire facies tubam jubilationis.*

138 ליתן גאולה לארץ בשבת היובל שנאמר ובכל ארץ אחוזתכם גאולה תתנו לארץ

138. Ut dent redemptionem terræ in anno Jubilæo: sicut dicitur Levit. 25. 24. *Et in omni terrâ possessionis vestræ redemptionem dabitis pro terra.*

139 להיות גאולה בבתי ערי חומה עד שנה שנאמר ואיש כי ימכר בית מושב

139. Ut sit *venditori* jus redimendi intra unius anni spatium domos stantes in urbibus, cinctis muris: sicut dicitur Levit. 25. 29. *Et vir cum vendiderit domum habitationis.*

140 למנות שני יובל שנים ושמטים שנאמר וספרת לך שבע

140. Vt numerentur anni Jubilæi per annos, & per septem annos: sicut dicitur Levit. 25. 8. *Et numerabis tibi septem.*

141 להשיב כספים בשביעית שנאמר שמוט כל בעל משה

141. Vt debitorum remissio fiat anno septimo: sicut dicitur Deut. 15. 2. *Ut remittat omnis dominus crediti.*

142 לנגש לנכרי שנאמר את הנכרי תגש ואשר יהיה לך את אחיך תשמט ידיך

142. Vt exigatur ab alienigenâ: sicut dicitur Deut. 25. 3. *Ab alienigena exiges, & quod fuerit tibi cum fratre tuo remittet manus tua:*

143 ליתן מן הבהמה לכהן הזרוע והלחיים והקיבה שנ׳ ונתן לכהן הזרוע

143. Ab animalibus *oblatis* dentur Sacerdoti brachium, maxillæ, & ventriculus: sicut dicitur Deut. 18. 3. *Et dabit Sacerdoti brachium.*

144 ליתן ראשית הגז לכהן שנ׳ ראשית גז צאנך תתן לו

144. Dentur Sacerdoti primitiæ tonsuræ: sicut dicitur Deut. 18. 4. *Primitias velleris ovium tuarum dabis ei.*

145 לדון בדיני חרמים מהם ליהוה ומהם לכהן שנ׳ אך כל חרם אשר יחרים

145. Judicia de *cherem* fiant, ita ut quædam Deo, quædam Sacerdoti *cedant*: sicut dicitur Levit. 27. 28. *Veruntamen omnis consecratio, quam consecrabit.*

146 לשחוט בהמה חיה ועוף ואחר יאכל בשרם שנ׳ וזבחת מבקרך ומצאנך

146. Vt *rite prius* mactentur jumenta, bestiæ, & aves, & postea caro ipsarum comedatur: sicut dicitur Deut. 12. 21. *Et mactabis de bove tuo, & de pecore tuo.*

147 לכסות דם חיה ועוף שנאמר ושפך את דמו וכסהו בעפר

147. Vt operiatur sanguis animalium & avium *pulvere*: sicut dicitur Levit. 17. 13. *Et effundet sanguinem ejus, & operiet illum in pulvere.*

127 להפריש מעשר דגן ללוים שנ׳ כל מעשר הארץ וגומר

127. Ut separentur decimæ frumenti Levitis: sicut dicitur Num. 27. 30. *Omnis decima terræ &c.*

128 להפריש מעשר שני להאכיל לבעליו בירושלם שנ׳ עשר תעשר מפי השמועה למדו שזהו מעשר שני

128. Ut separentur decimæ secundæ ad cibandum dominos Hierosolymæ: sicut dicitur Deut. 14. 22. *decimando decimabis*. Per traditionem didicerunt, quod sit decima secunda.

129 להיות הלוים מפרישים מעשר מן המעשר שלקחו מישראל ונותנין אותו לכהנים שנאמר ואל הלוים תדבר

129. Ut Levitæ separent decimas à decimis, quas acceperunt ab Israelitis, ut darent eas Sacerdotibus: sicut dicitur Num. 18, 26. *Et ad Levitas loqueris.*

130 להפריש מעשר עני תחת מעשר שני בשלישית ובשישית בשבוע שנ׳ מקצה שלש שנים תוציא את כל מעשר תבואתך

130. Ut separetur decima pauperum loco decimæ secundæ in tertio & sexto anno Schemitæ, *h. e. anni intermissionis*: sicut dicitur Deut. 14. 28. *A fine trium annorum educes omnem decimam proventus tui.*

131 להתודות וידוי מעשר שנאמר ואמרת לפני יהוה אלהיך בערתי הקדש

131. Ut confessio peccatorum fiat super decimâ: sicut dicitur Deut. 26. 13. *Et dices ad facies Domini Dei tui, abstuli sanctitatem.*

132 לקרות על הבכורים שנאמר וענית ואמרת לפני יהוה אלהיך

132. Ut legatur super primitiis oblatis: sicut dicitur Deut. 26. 5. *Et respondebis & dices ad facies Domini Dei tui &c.*

133 להפריש חלה לכהן שנאמר ראשית עריסותיכם חלה תרימו תרומה

133. Ut separetur placenta Sacerdoti: sicut dicitur Num. 15. 20. *Principium massarum vestrarum, placentam elevabitis elevationem.*

134 להשמיט קרקע שנ׳ והשביעית תשמטנה ונטשתה

134. Ut intermittatur terra *septimo anno, hoc est, ut, quicquid anno septimo nascitur, sit commune*: sicut dicitur Exod. 23. 11. *Et septimo* anno *relinques eam, & dimittes eam.*

135 לשבות מעבודת הארץ שנ׳ בחריש ובקציר תשבות

135. Ut *anno septimo* quiescat *terra* ab *omni* cultura: sicut dicitur Exod. 34. 21. *In aratione, & in messe cessabis.*

136 לקדש שנת יובל בשביתה בשמיטה שנאמר וקדשתם את שנת החמשים

136. Ut annus Jubilæus sanctificetur per quietem, & per intermissionem: sicut dicitur Levit. 25. 10. *Et sanctificabitis annum quinquagesimum.*

דמים הקצובין בפרשה שנ׳
איש כי יפליא נדר

minis, det pretium determinatum in parascha, *h. e. in sectione legis*: sicut dicitur Levit. 27. 2. *Vir cum separaverit votum.*

115 להיות מעריך בהמה
טמאה נותן דמיה שנאמר
והעמיד את הבהמה

115. Ut, qui vovet taxationem animalis immundi, solvat pretium ejus, sicut dicitur Lev. 27. 11. *Et statuet animal.*

116 להיות מעריך ביתו נותן
בערך הכהן שנאמר והעריכו
הכהן

116. Ut, qui vovet taxationem domus suæ, solvat secundum æstimationem Sacerdotis: sicut dicitur Levit. 27. 14. *Et æstimabit eam Sacerdos.*

117 להיות מקדיש שדהו
נותן כערך הקצוב בפרשה
שנאמר והיה ערכך כפי זרעו

117. Ut, qui consecrat agrum suum, solvat juxta æstimationem definitam in Parascha: sicut dicitur Levit. 27. 16. *Et erit æstimatio tua juxta sementem ejus.*

118 לשלם השוגג במעילה
מה שמעל ליהוה ולהוסיף חומש
שנאמר ואת אשר חטא מן
הקדש ישלם

118. Ut, qui per errorem culpam falsi erga Deum commiserit, solvat quintam partem *ultra rem falsatam*: sicut dicitur Levit. 5. 16. *Et quod peccavit de sanctificatione retribuet.*

119 להיות נטע רבעי קדש
שנאמר יהיה כל פריו קדש
הלולים ליהוה

119. Ut planta anni quarti sit *Deo* sancta: sicut dicitur Levit. 19. 24. *Erit omnis fructus ejus sanctitas laudum Domino.*

120 להניח פאה

120. Ut relinquantur anguli agrorum *pauperibus*: Levit. 19. 9.

121 להניח לקט

121. Ut relinquantur spicilegia: Levit. 19. 9.

122 להניח עמר השכחה

122. Ut relinquatur manipulus, qui per oblivionem in agro relictus est: Deut. 24. 19.

123 להניח עוללות בכרם

123. Ut relinquantur racemi in vinea: Levit. 19. 10.

124 להניח פרט הכרם לפי
שבכל אלו נאמר לעני ולגר
תעזוב אותם

124. Ut relinquantur grana vineæ, quia in omnibus illis dictum est Levit. 19. 10. *Pauperi & peregrino relinques ea.*

125 להביא בכורים לבית
הבחירה שנ׳ ראשית ביכורי
אדמתך

125. Ut adferantur primitiæ *primitivorum fructuum* in Templum Hierosolymitanum: sicut dicitur Exod. 23. 19. *Initium primitivorum terræ tuæ.*

126 להפריש תרומה גדולה
לכהן שנאמר ראשית דגנך
תתן לו

126. Ut separetur oblatio magna Sacerdoti: sicut dicitur Deut. 18. 4. *Initium frumenti tui dabis ei.*

127. Ut

104 להיות הזב מטמא

104. Gonorrhæus immundat: Levit. 15: 2.

105 להיות שכבת זרע מטמא

105. Cubatio seminis immundat: Levit. 15. 16.

106 להיות הזבה מטמאה

106. Mulier fluens *extra statum tempus* immundat: Lev. 15. 25.

107 להיות המת מטמא

107. Mortuus immundat: Numer. 19. 14.

108 להיות מי נדה מטמאין לאדם טהור ומטהרין לאדם טמא מטומאת מת בלבד

108. Aquæ mulieris menstruatæ immundant hominem purum, & purgant hominem immundum tantummodo ab immunditie mortui.

109 להיות הטהרה מכל הטמאות בטבילה במי מקוה שנאמר ורחץ במים את כל בשרו למדו מפי השמועה שרחיצה זו במים שכל גופו עולה בהן בבת אחת

109. Mundatio ab omnibus pollutionibus fieri debet immersione in aquas confluentis, *sive in balnea*: sicut dicitur Levit. 15. 16. *Et abluet in aquis omnem carnem suam*: didicerunt per traditionem, quod hæc lotio in aquis sit talis, quando totum corpus ingreditur in eas vice una.

110 להיות הטהרה מן הצרעת בין צרעת אדם בין צרעת בית בעץ ארז ואזוב ושני תולעת ושתי צפרים ומים חיים שני' זאת תהיה תורת המצורע

110. Ut mundatio lepræ, sive lepræ hominis, sive lepræ domus fiat cum ligno cedri, & hyssopo, & cocco vermiculi, & duobus passerculis, & aquis vivis: sicut dicitur Levit. 14. 2. *Ista erit lex leprosi.*

111 להיות המצורע מגלח את כל שערו שנ' והיה ביום השביעי יגלח את כל שערו

111. Ut leprosus radat omnem capillum suum: sicut dicitur Levit. 14. 9. *Et erit in die septimo radat omnem capillum suum.*

112 להיות המצורע ידוע לכל בדברים האמורים בו בגדיו יהיו פרומים וראשו יהיה פרוע וגומר וכן כל שאר הטמאים צריכין להודיע את עצמן

112. Ut leprosus omnibus sit notus ex signis de ipso mandatis: vestimenta ejus erunt rupta, & caput ejus nudatum, &c. Et sic omnes reliqui immundi debuerunt se manifestare: Levit. 13. 45.

113 לעשות פרה אדומה להיות אפרה מוכן שנאמר והיתה לעדת בני ישראל

113. Ut fiat *sive comburatur* vacca rufa, & cinis ejus ponatur *extra castra*: sicut dicitur Num. 19. 9. *Et erit congregationi filiorum Israel.*

114 להיות מעריך אדם נותן

114. Ut, qui vovet taxationem hominis,

91 לשרוף הנותר שנאמר והנותר מבשר הזבח ביום השלישי באש ישרף	91. Ut residua *caro, quæ restat supra præscriptum diem tertium*, comburatur: sicut dicitur Levit. 7. 17. *Et residuum de carne sacrificii in die tertiâ igne comburetur.*
92 לגדל הנזיר שערו שנ׳ גדל פרע שער ראשו	92. Ut Naziræus crescere sinat capillos suos: sicut dicitur Numer. 6. 5. *Magnificando nuditatem capilli capitis sui.*
93 לגלח הנזיר שערו על קרבנותיו במלאת ימי נזרו או בתוך ימי נזרו אם נטמא שנ׳ וכי ימות מת עליו	93. Ut Naziræus radat capillos suos præter sacrificia sua, cum impleti sunt dies separationis suæ, aut in medio dierum separationis suæ, si immundus factus fuerit: sicut dicitur Numer. 6. 9. *Et cum mortuus fuerit mortuus super eum.*
94 לקיים אדם כל מה שיוצא בשפתיו מקרבן או צדקה וכיוצא בהם שנאמר מוצא שפתיך תשמור ועשית	94. Ut homo confirmet omne quod pollicitus est labiis suis, sive sacrificium, aut eleëmosynam, & eis similia: sicut dicitur Deut. 23. 23. *Egressionem labiorum tuorum custodies & facies.*
95 לדון בהפרת נדרים בכל הדינים האמורים בתורה	95. Ut judicium fiat de abolitione votorum secundum judicia, quæ lege sunt expressa Num. 30, 3, &c.
96 להיות כל הנוגע בנבילה טמא שנאמר וכי ימות מן הבהמה	96. Ut omnis, qui tangit morticinium, sit immundus: sicut dicitur Levit. 11. 39. *Et cum mortuum fuerit de animali.*
97 להיות שמנה שרצים מטמאין שנ׳ וזה לכם הטמא	97. Octo species reptilium *post mortem* contaminant: sicut dicitur Levit. 11. 29. *Et hoc vobis immundum.*
98 להיות האוכלין מתטמאין שנ׳ מכל האוכל אשר יאכל	98. Esculenta sunt immunditiei capacia: sicut dicitur Lev. 11. 34. *Ex omni cibo, qui comedetur.*
99 להיות הנדה טמאה ומטמאה לאחרים	99. Menstruata mulier est immunda, & polluit alia: Lev. 15. 19.
100 להיות היולדת טמאה כנידה	100. Puerpera est immunda sicut mulier menstruata Lev. 12. 2.
101 להיות המצורע טמא ומטמא	101. Leprosus immundus est, & immundat: Levit. 13. 3.
102 להיות בגד מנוגע טמא ומטמא	102. Vestis leprâ tacta immunda est, & immundat: Lev. 13. 47.
103 להיות בית מנוגע מטמאה	103. Domus leprâ tacta immundat: Levit. 14. 35.

81 לפדות פטר חמור שנ׳ ופטר חמור תפדה בשה .

81. Ut redimatur primogenitus asini: sicut dicitur Exod. 13. 13. *Et primogenitum asini redimes agno.*

82 לערוף פטר חמור שנ׳ ואם לא תפדה וערפתו

82. Ut cervix frangatur primogenito asini: sicut dicitur Exod. 13: 13. *Et si non redemeris, cervicem franges ei.*

83 לחביא כל הקרבנות שיש על האדם בחובה או בנדבה ברגל ראשון שפגע בו שנאמר ובאת שמה והבאתה שמה

83. Ut adferantur *Hierosolymam* omnes oblationes tàm ex legis præscripto necessariæ, quàm spontaneæ festo proximo, quod instat: sicut dicitur Deut. 12. 5. 6. *Et venietis illuc. Et afferetis illuc.*

84 להקריב כל הקרבנות בבית הבחירה שנ׳ ושם תעשה כל אשר אנכי מצוך היום

84. Ut omnia sacrificia offerantur in templo Hierosolymitano: sicut dicitur Deut. 12. 14. *Et ibi facies omnia, quæ ego præcipio tibi hodie.*

85 להטפל בהבאת הקרבנות מחוצה לארץ לבית הבחירה שנאמר רק קדשיך אשר יהיו לך ונדריך תשא ובאת מפי השמועה למדו שאינו מדבר אלא בקדשי חוצה לארץ

85. Operam esse dandam ut sacrificia, ad quæ offerenda quis se obligat extra terram sanctam, in sacrâ æde Hierosolymitanâ offerantur: sicut dicitur Deut. 12. 26. *Sed sanctificata tua, quæ erunt tibi, & vota tua feres, & venies.* Per traditionem didicerunt, quod non loquatur Textus nisi de sanctitatibus extra terram sanctam.

86 לפדות קדשים בעלי מומים ויהיו מותרים שנאמר רק בכל אות נפשך תזבח

86. Ut redimantur sancta animalia, in quibus macula est, & tum erunt licita: sicut dicitur Deut. 12. 15. *Tantummodo in omni desiderio animæ tuæ mactabis.*

87 להיות התמורה קדש שנאמר והיה הוא ותמורתו יהיה קדש

87. Ut, quod mutatum est, sit etiam consecratum *Deo*: sicut dicitur Levit. 27. 10. *Et erit illud, & commutatio ejus erit sanctitas.*

88 לאכל שירי מנחות שנ׳ והנותרת ממנה יאכלו אהרן ובניו

88. Ut *Aharon & filii ejus* comedant reliquias *minchárum*: sicut dicitur Levit. 6. 16. *Et residuum ex ea comedent Aharon & filii ejus.*

89 לאכל בשר חטאת ואשם שנאמר ואכלו אותם אשר כופר בהם

89. Ut *Sacerdotes* comedant carnem *sacrificiorum* pro peccato & reatu *oblatorum*: sicut dicitur Exod. 29. 33. *Et comedent ea per quæ propitiatio facta est.*

90 לשרוף בשר קדש שנטמא שנאמר והבשר אשר יגע בכל טמא

90. Ut comburatur caro sancta, quæ immunda facta est: sicut dicitur Levit. 7. 19. *Et caro quæ tetigit omne immundum.*

72 להקריב קרבן עולה ויורד שנאמר אם לא תגיע ידו ואם לא תשיג ידו

72. Vt offeratur sacrificium ascendens & descendens, h. e. *Ut sacrificium offeratur pro ratione facultatum cujusque:* sicut dicitur Levit. 5. 7. 11. *Et si non attigerit manus ejus. Et si non attigerit manus ejus.*

73 להתודות לפני יהוה מכל חטא שיעשה האדם בשעת הקרבן ושלא בשעת קרבן שנ׳ והתודו את חטאתם אשר עשו

73. Vt peccator confiteatur coram Jehova omne peccatum, qualecunque homo commiserit sive tempore sacrificii, sive extra tempus sacrificii: sicut dicitur Numer. 5. 7. *Et confitebuntur peccatum suum, quod fecerunt*

74 להקריב הזב קרבן אחר שיטהר מזובו שנ׳ וכי יטהר הזב מזובו

74. Vt affectus gonorrhæâ offerat sacrificium postquam mundatus fuerit à profluvio suo: sicut dicitur Levit. 15. 13. *Et cum mundatus fuerit fluens à fluxu suo.*

75 להקריב הזבה קרבן אחר שתטהר שנאמר ואם טהרה מזובה

75. Vt mulier fluens offerat sacrificium postquam mundata fuerit: sicut dicitur Levit. 15. 28. *Et si mundata fuerit à fluxu suo.*

76 להקריב המצורע קרבן אחר שיטהר שנאמר וביום השמיני יקח

76. Vt leprosus offerat sacrificium postquam mundatus fuerit: sicut dicitur Levit. 14. 10. *Et in die octavo accipiet.*

77 להקריב היולדת קרבן אחר שתטהר שנאמר ובמלאת ימי טהרה

77. Vt puerpera offerat sacrificium postquam mundata fuerit: sicut dicitur Levit. 12. 6. *Et cum impleti fuerint dies purificationis ejus.*

78 לעשר הבהמה שנאמר וכל מעשר בקר וצאן כל אשר יעבור

78. Vt decimentur animalia: sicut dicitur Levit. 27. 32. *Et omnis decima boum & ovium, cujuscunque* animalis, *quod transibit.*

79 לקדש בכור הבהמה הטהורה ולהקריבו שנא׳ כל הבכור וגו׳

79 Vt sanctificetur primogenitum ex mundis animalibus, & ut idem offeratur *Deo*: sicut dicitur Deut. 15. 19. *Omne primogenitum &c.*

80 לפדות בכור אדם שנ׳ אך פדה תפדה את בכור האדם

80. Vt redimatur primogenitus hominis: sicut dicitur Numer. 18. 15. *Sed redimendo redimes primogenitum hominis.*

62 למלוח כל קרבן שנאמר על כל קרבנך תקריב מלח

62. Vt sale conspergantur omnia sacrificia : sicut dicitur Levit. 2. 13. *Super omni oblatione tuâ Offeres sal.*

63 מעשה העולה שנאמר אם עולה קרבנו

63. *Ut* holocausta *offerantur juxta præscriptam formam*: sicut dicitur Levit. 1. 3. *Si holocaustum est oblatio ejus.*

64 מעשה חטאת שנאמר זאת תורת החטאת

64. *Ut similiter fiat* sacrificium pro peccato : sicut dicitur Levit. 6. 26. *Ista est lex oblationis pro peccato.*

65 מעשה האשם שנאמר זאת תורת האשם

65. *Ut similiter fiat* sacrificium pro delicto : sicut dicitur Levit. 7. 1. *Illa est lex delicti.*

66 מעשה זבח השלמים שנ׳ וזאת תורת זבח השלמים

66. *Ut similiter secundum legem fiat* sacrificium pacificorum : sicut dicitur Levit. 7. 11. *Et hæc est lex sacrificii pacificorum.*

67 מעשה המנחה שנאמר ונפש כי תקריב קרבן מנחה

67. *Ut ita etiam fiat* sacrificium Mincha : sicut dicitur Levit. 2. 1. *Et anima cum obtulerit oblationem Mincha* muneris.

68 להקריב בית דין קרבן אם טעו בהוראה שנאמר ואם כל עדת ישראל ישגו

68. Vt offerat Sanhedrin sacrificium si erraverit in doctrina : sicut dicitur Levit. 4. 13. *Et si tota congregatio Israel erraverit.*

69 להקריב יחיד קרבן חטאת אם שגג במצות לא תעשה שחייבים עליהם כרת שנאמר ונפש כי תחטא

69. Vt offerat privatus sacrificium pro peccato si erraverit in præceptis negativis propter quæ dignus esset excisione : sicut dicitur Levit. 4. 27. & 5. 1. *Et anima, cum peccaverit.*

70 להקריב היחיד קרבן אם נסתפק לו אם חטא חטא שחייבים עליו חטאת או לא חטא שנאמר ולא ידע וגו׳ והביא את אשמו וזהו נקרא אשם תלוי

70. Vt offerat privatus sacrificium, si dubitet, an peccatum commiserit, ob quod tenetur offerre sacrificium pro peccato ; aut an non peccaverit : sicut dicitur Levit. 5. 17. 18. *Et non cognoverit &c. Et adferet delictum suum* : & hoc vocatur delictum suspensum.

71 להקריב השוגג במעילה או החוטא בגזילה או בשפחה חרופה או שכפר בפקדון ונשבע מביא קרבן אשם וזהו הנקרא אשם ודאי

71. Vt offerat qui erravit in prævaricatione, i. e. *in culpa falsi*, Levit. 5. 15. 16. aut qui peccaverit in furto: Levit. 6. 2. aut cum ancilla despecta *sive desponsata*, Levit. 19. 20. aut qui negavit depositum, Levit. 6. 2. Et juravit, versu 3. adferat sacrificium delicti, & hoc vocatur delictum confessum.

72. Vt

51 להוסיף קרבן ביום שמיני עצרת כי רגל בפני עצמו הוא שנאמר וביום השמיני

51. Vt addatur sacrificium in die octavo festi *Tabernaculorum*, quoniam est festum per se: sicut dicitur Numer. 29. 35. *Et in die octava.*

52 לחוג ברגלים שנאמר שלש רגלים תחוג לי

52. Vt festum agatur tribus vicibus in anno: sicut dicitur Exod. 23. 14. *Tribus vicibus festum ages mihi* in anno.

53 להראות ברגלים שנא׳ שלש פעמים בשנה יראה כל זכורך

53. Vt *omnis masculus* appareat in festis illis: sicut dicitur Deut. 16. 16. *Tribus vicibus in anno conspicietur omnis masculus tuus.*

54 לשמוח ברגלים שנאמר ושמחת בחגך

54. Vt lætentur in festis illis *tribus*: sicut dicitur Deut. 16. 14. *Et lætaberis in solennitate tua.*

55 לשחוט כבש הפסח שנ׳ ושחטו אותו כל קהל וגו׳

55. Vt mactetur agnus Paschalis: sicut dicitur Exod. 12. 6. *Et immolabunt eum omnis cœtus &c.*

56 לאכול בשר פסח צלי בלילה חמשה עשר מניסן שנ׳ ואכלו את הבשר

56. Vt comedatur caro Paschalis assata in decimâ quintâ nocte *mensis* Nisan, *Martii*: sicut dicitur Exod. 12. 8. *Et comedent carnem.*

57 לעשות פסח שני שנאמר בחדש השני בארבעה עשר יום לחדש תעשו אותו במועדו

57. Vt *secundo mense, decimâ quartâ die* Pascha secundum celebretur *ab illis, qui in primo Paschate fuerant immundi*: sicut dicitur Num. 9. 11. *In mense secundo, in decima quarta die mensis celebrabitis illud in tempore statuto suo.*

58 לאכול את בשר פסח שני על מצה ומרור שנ׳ על מצות ומרורים יאכלוהו

58. Vt comedatur caro Paschatis secundi cum panibus infermentatis & herbis amaris: sicut dicitur Num. 9. 11. *Cum panibus infermentatis & amaritudinibus comedent illam.*

59 לתקוע חצוצרות על הקרבנות ובשעת הצרות שנ׳ ותקעתם בחצוצרות

59. Vt clangantur tubæ super sacrificiis, & tempore angustiarum: sicut dicitur Numer. 10. 10. *Et clangetis in tubis.*

60 להיות כל קרבנות בהמה מיום שמיני והלאה שנאמר מיום השמיני והלאה

60. Vt fiant omnia Sacrificia ex animalibus à die octavo & supra: sicut dicitur Levit. 22, 27. *A die octavo & supra.*

61 להיות כל קרבן בהמה תמים שנ׳ תמים יהיה לרצון

61. Vt omne sacrificium ex animali sit integrum: sicut dicitur Levit. 22. 21. *Integrum erit ad beneplacitum.*

62. Vt

חדש וראש חדש שנ׳ ובראשי
חדשיכם

vilunio, ficut dicitur: Numer. 28. 11. *Et in capitibus menfium veftrorum.*

43 להוסיף קרבן בחג הפסח
שנאמר שבעת ימים תקריבו
אשה ליהוה

43. Ut addatur oblatio *fpecialis* in fefto Pafchatis, ficut dicitur Levit. 23. 36. *Septem diebus appropinquare facietis ignitionem* JEHOVÆ.

44 להקריב מנחת העומר
ממחרת יום ראשון של פסח
עם כבש אחד שנאמר והבאת
את עומר ראשית קצירכם אל
הכהן

44. Ut offeratur oblatio manipuli *primitiarum meffis* altero die Pafchatis [*hoc eft, decimo fexto Menfis Nifan*] cum agno uno, ficut dicitur: Levit. 23. 10. *Et afferetis Homer primitiarum meffis veftræ ad Sacerdotem.*

45 להוסיף קרבן ביום עצרת
שנאמר וביום הבכורים וגו׳

45. Ut addatur oblatio in fefto Pentecoftes, ficut dicitur Numer. 28. 26. *Et in die primitiarum, &c.*

46 להביא שתי הלחם עם
הקרבנות הקרבים בגלל הלחם
ביום עצרת שנ׳ ממושבותיכם
תביאו לחם תנופה

46. Ut offerantur in fefto Pentecoftes duo panes unà cum facrificiis, quæ *ex lege Dei* propter panes illos offerenda erant: ficut dicitur Levit. 23. 17. *Ex habitaculis veftris adferetis panem elevationis.*

47 להוסיף קרבן בראש השנה
שנאמר ובחדש השביעי באחד
לחדש

47. Ut addatur oblatio *peculiaris* in principio anni, ficut dicitur Numer. 29. 1. *Et in menfe feptimo, in una menfis.*

48 להוסיף קרבן ביום הצום
שנאמר ובעשור לחדש השביעי
מקרא קדש יהיה לכם

48. Ut addatur facrificium *peculiare* die jejunii, *hoc eft, decimo die Tifri five Septembris*: ficut dicitur Numer. 29. 7. *Et decimo die menfis hujus feptimi convocatio fancta efto vobis.*

49 לעשות עבודת היום ביום
הצום שנאמר בזאת יבא אהרן
אל הקדש בפר בן בקר וכל
העבודה הכתובה בפרשת אחרי
מות

49. Ut minifteria diei *folicitè* obeantur in die jejunii, i. e. *expiationis*: ficut dicitur Levit. 16. 3. *In ifto ingredietur Aharon in Sanctitatem cum juvenco filio bovis.* Etiam omnia minifteria defcripta in parafcha אחרי מות *poft mori, fcil.* Levit. 16. &c.

50 להוסיף קרבן בחג הסוכות
שנאמר והקרבתם עולה אשה
ריח ניחוח

50. Ut addatur facrificium *peculiare* in fefto Tabernaculorum: ficut dicitur Numero. 29. 13. *Et appropinquare facietis holocauftum, igne abfumendum, odorem gratum* JEHOVÆ.

32 לחלוק כבוד לזרעו של אהרן ולהקדימו לכל דבר שבקדושה שנאמר וקדשתו

33 להלביש הכהנים לעבודת בגדי כהונה שנא׳ ועשית בגדי קדש

34 לשאת את הארון על הכתף כשנושאים אותו שנאמר עבדת הקדש עליהם בכתף ישאו

35 למשוח כהנים גדולים ומלכים בשמן המשחה שנאמר שמן משחת קדש

36 להיות הכהנים עובדים במקדש משמרות משמרות ובמועדים עובדים כאחד שנאמר וכי יבא הלוי לבד ממכריו על האבות

37 להיות הכהנים מטמאים לקרוביהן ומתאבלין עליהן כשאר קרוביהם שהן מצווין להתאבל שנאמר לא יטמא

38 להיות כהן גדול נושא בתולה שנאמר והוא אשה בבתוליה יקח

39 להקריב תמידין בכל יום שנאמר שנים ליום עולה תמיד

40 להקריב כהן גדול מנחה בכל יום שנאמר זה קרבן אהרן ובניו

41 להוסיף קרבן אחד בכל שבת שנאמר וביום השבת שני כבשים

42 להוסיף קרבן בכל ראש

32. Ut in omnibus rebus & negotiis sacris honoris prærogativa sit penes Aharonis posteros : sicut dicitur Levit. 21. 8. *Et sanctificabis eum.*

33. Ut induantur Sacerdotes ad ministerium vestibus Sacerdotii : sicut dicitur, Exod. 28. 2. *Et facies vestes sanctitatis.*

34. Ut tollant arcam supra humerum, quum portant eam : quia dicitur, Numer. 7. 9. *Servitium sanctitatis super eos, in humero ferent.*

35. Ut ungant Sacerdotes summos & Reges oleo unctionis : sicut dicitur: Exod. 30. 31. *Oleum unctionis sanctitatis.*

36. Ut Sacerdotes ministrantes in Sanctuario per vices ministeria sua obeant : at simul omnes juncti ministrent in festis solennibus: sicut dicitur Deut. 18. 6. 8. *Et cum venerit Levita præter venditiones ejus super patribus.*

37. Ut Sacerdotes *minores* se contaminent propter cognatos suos *defunctos*, & ut lugeant super eis sicut cæteri propinqui illorum, quibus mandatum est lugere : sicut dicitur Levit. 21. 3. *In eâ contaminabitur.*

38. Ut Sacerdos magnus ducat uxorem virginem : sicut dicitur, Levit. 21. 13. *Et ipse mulierem in virginitatibus ejus accipiet.*

39. Ut quotidie juge Sacrificium offeratur : sicut dicitur, Numer. 18. 3. *Duos per diem, holocaustum juge.*

40. Ut Sacerdos summus offerat singulis diebus oblationem Mincha : sicut dicitur, Levit. 6. 20. *Ista est oblatio Aharonis, & filiorum ejus.*

41. Ut addatur oblatio una singulis Sabbathis, sicut dicitur, Numer. 28. 9. *Et in die Sabbathi duos agnos.*

42. Ut addatur oblatio quolibet novilunio,

שנא' ומקדשי תיראו

meum reverebimini. Levit. 19. 30.

22 לשמור בית זה תמיד שנאמר ואתה ובניך אתך לפני העדות

22. Ut custodiatur domus hæc jugiter, *scil. à Sacerdotibus & Levitis*: sicut dicitur Numer. 18. 2. *Tu autem & filii tui tecum* ministrabitis *ante tentorium testimonii.*

23 להיות הלוי עובד במקדש שנאמר ועבד הלוי

23. Ut Levita serviat in sanctuario: sicut dicitur: *Et serviet Levita.* Numer. 18. 23.

24 לקדש הכהן ידיו ורגליו בשעת העבודה שנאמר ורחצו אהרן ובניו וגומר.

24. Ut sanctificetur *sive lavent* Sacerdotes manus suas & pedes suos tempore ministerii: sicut dicitur Exod. 30. 19. *Et lavabunt Aharon & filii ejus* &c.

25 לערוך נרות במקדש שנ' יערוך אותו אהרן ובניו

25. Ut ordinent lucernas in sanctuario: sicut dicitur: *Disponet eam Aharon, & filii ejus.* Exod. 27. 21.

26 לברך הכהנים את ישראל שנאמר כה תברכו את בני ישראל

26. Ut Sacerdotes benedicant Israeli: sicut dicitur: *Sic benedicetis filiis Israel.* Numer. 6. 23.

27 להסדיר לחם ולבונה לפני יי' בכל שבת שנאמר לחם הפנים לפני תמיד

27. Ut quolibet Sabbatho ante facies JEHOVÆ disponantur panes *facierum*, & thus *per ordinem ponatur*: sicut dicitur: *Panem facierum ad facies meas jugiter.* Exod. 25. 30.

28 להקטיר הקטרת פעמים ביום שנאמר והקטיר עליו אהרן את קטרת סמים

28. Ut faciat suffire suffimentum bis singulis diebus, sicut dicitur: *Et suffire faciet super illud Aharon suffimentum aromatum.* Exod. 30. 7.

29 להבעיר אש במזבח העולה תמיד שנאמר אש תמיד תוקד על המזבח

29. Ut ignis in altari perpetuò accensus ardeat: sicut dicitur: *Ignis jugiter accensus erit super altare.* Levit. 6. 13.

30 להרים את הדשן מעל המזבח שנ' והרים את הדשן

30. Ut *quotidie* removeant cineres ab altari: sicut dicitur: *Et removebit cinerem.* Levit. 6. 10.

31 לשלח טמאים ממחנה שכינה שהוא המקדש שנאמר וישלחו מן המחנה כל צרוע וכל זב וכל טמא לנפש

31. Ut mittant immundos è castris, *sive area* divinæ præsentiæ, quæ erat Sanctuarium: sicut dicitur, Deut. 5. 2. *Et emittant è castris omnem leprosum, & omnem fluentem, & omnem immundum animæ.*

10 לקרות קרית שמע פעמים ביום שנ׳ ודברת בם בשכבך ובקומך

10. Ut legamus lectionem שמע *Audi* (Deut. 6. 4.) bis singulis diebus: sicut dicitur: *& loqueris de eis quum cubas, & quum surgis.* Deut. 6. 7.

11 ללמוד תורה וללמדה שנאמר ושננתם לבניך

11. Ut ipsi Legem discamus, eamque *alios* doceamus: sicut dicitur: *& acutè ingeres ea filiis tuis.* Deut. 6. 7.

12 לקשור תפילין בראש שנ׳ והיו לטוטפות בין עיניך

12. Ut Thepillin i. e. *Philacteria* capiti allegemus: sicut dicitur Deut. 6. 8. *Et erunt pro frontalibus inter oculos tuos.*

13 לקשור תפילין ביד שנאמר וקשרתם לאות על ידיך.

13. Ut phylacteria alligemus manui, *sive brachio*: sicut dicitur Deut. 6. 8. *Et alligabis ea in signum manui tuæ.*

14 לעשות ציצית שנאמר ועשו להם ציצית

14. Ut faciamus zizith i. e. *fimbrias*, sicut dicitur: *& faciant sibi fimbrias.* Numer. 15. 38.

15 לקבוע מזוזה שנ׳ וכתבתם על מזוזות ביתיך

15. Ut affigamus postibus מְזוּזָה *Schedam sacram*: sicut dicitur Deut. 6. 9. *Et inscribes ea postibus domus tuæ.*

16 להקהל את העם לשמוע התורה במוצאי שביעית שנאמ׳ הקהל את העם

16. Ut congregetur populus ad audiendum Legem in fine anni septimi: sicut dicitur: *Fac congregari populum* Deut. 31. 12.

17 לכתוב כל איש ספר תורה לעצמו שנא׳ כתבו לכם את השירה הזאת

17. Ut unusquisque sibi exscribat librum Legis, *sive Pentateuchi*: sicut dicitur: *Scribite vobis canticum istud.* Deut. 31. 19.

18 לכתוב המלך ספר תורה לעצמו יתר על אחד של כל אדם ויהיו לו שתי תורות שנא׳ וכתב לו את משנה התורה הזאת

18. Ut Rex sibi exscribat librum Legis, præter illum particularem, quem singuli exscribunt, & erunt ei duæ Leges: sicut dicitur: *Et scribet sibi duplum Legis hujus.* Deut. 17. 18.

19 לברך אחר המזון שנאמר ואכלת ושבעת וברכת את יי׳ אלהיך

19. Ut benedicamus post cibum: juxta id quod dicitur Deut. 8. 10. *Et comedes & saturaberis, & benedices Domino Deo tuo.*

20 לבנות בית הבחירה שנ׳ ועשו לי מקדש

20. Ut extruatur domus electionis *sive Templum Hierosolymytanum*: juxta id quod dicitur Exod. 25. 8. *Et facient mihi Sanctuarium.*

21 ליראה מבית המקדש

21. Ut revereantur Domum sanctuarii: sicut dicitur: *Et sanctuarium*

meum

Sexcenta & Tredecim

PRÆCEPTA MOSACA

à Maimonide ex

PENTATEUCHO

Hebraicè excerpta, quæ, additis locis Pentateuchi, Latinè translata hic ordine exhibentur.

מצות עשה

1 
צוה ראשונה ממצות עשה לידע שיש שם אלוה שנאמר ואנכי ה׳ אלהיך

2 ליחדו שנאמר ה׳ אלהינו ה׳ אחד

3 לאהבו שנאמר ואהבת את ה׳ אלהיך

4 ליראה׳ ממנו שנאמר את ה׳ אלהיך תירא

5 להתפלל שנאמר ועבדתם את ה׳ אלהיכם ועבודה זו תפלה

6 לדבקה בו שנ׳ ובו תדבק

7 להשבע בשמו שנ׳ ובשמו תשבע

8 להדמות בדרכיו הטובים והישרים שנאמר והלכת בדרכיו

9 לקדש את שמו שנאמר ונקדשתי בתוך בני ישראל

1. PRæceptum primum ex Præceptis Affirmativis est, ut cognoscamus Dominum Deum existere: sicut dicitur Exod. 20. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus.*

2. Quod Deus sit unus: sicut dicitur: *Dominus Deus noster est Dominus unus.* Deut. 6. 4.

3. Quod Deus sit diligendus: sicut dicitur: *Et diliges Dominum Deum tuum.* Deut. 6. 5.

4. Quod Deus sit timendus: sicut dicitur: *Dominum Deum tuum timebis.* Deut. 6. 13. & 10. 20.

5. Quod Deus sit invocandus: sicut dicitur: *Et coletis Dominum Deum vestrum.* Exod. 23. 25. & servitium hoc est oratio.

6. Ut ei adhæreamus: sicuti dicitur: *& ei adhæreto.* Deut. 10. 20.

7. Ut juremus per Nomen ejus: sicut dicitur: *& per nomen ejus jurato.* Deut. 6. 13. & 10. 20.


8. Ut Similes ei simus in viis ejus bonis & rectis: juxta id quod dicitur: *& ambulabis in viis ejus:* Deut. 28. 9.

9. Ut sanctificemus Nomen ejus: sicut dicitur: *& sanctificabor in medio filiorum Israel.* Levit. 22. 32.

JOHANNES LEUSDEN

Benevolo Lectori

S.



Abes hic, benevole Lector, Sexcenta & Tredecim Præcepta Mosaica, quæ olim seculo circiter undecimo à Maimonide ex Pentateucho hebraicè fuerunt excerpta, & anno 1657. primæ editioni Philologi Hebræi Hebraicè & Latinè à me addita, quæque in editione secunda ob rationes ibidem in Præfatione allegatas sunt omissa: sed jam rursus in tertia hac editione ad modum Tractatus specialis adduntur. De sexcentis & tredecim illis præceptis, quorum 248 sunt affirmativa, & 365 negativa, quare sint tot & non plura vel pauciora, & quomodo Judæi eadem præcepta per fimbrias memoriæ infigant, vide me fusè differentem in Philologo Hebræo dissertatione quinta. Et ut Eruditorum Judicia de his Præceptis eorumque versione Latina intelligerem, placuit magnam eorum partem publico Examini Academico subjicere; quod insignis Juvenis, D. SAMUEL MEAD, Londino-Anglus, magni Theologi D. MATTHEI MEAD filius, die 28. Novemb. anno 1685. omnium cum applausu in multorum Auditorum conspectu publicè defendit. Vale.

Sex-

Nobilissimis & Amplissimis
Viris, Dominis,

D. GUILJELMO de WEEDE } Ultrajectinæ Reipublicæ Consulibus.
D. ALBERTO van BENTHEM }



Um hic sit primus fœtus literarius, qui à primo Jubilæo, primò omnium ex hac Academia in lucem emittitur, non possum non, Gravissimi Viri, Academiæ nostræ Curatores, Nomina Vestra huic libro præscribere, ut posteritas sciat, quando secundus fortè Jubilæus celebrabitur, quinam Amplissimi DD. Consules fuerint, qui eo tempore ad clavum Reipublicæ sederunt, & Academiam tanquam Curatorum Præsides feliciter & liberaliter gubernarunt. Accipite igitur, Amplissimi Viri, hunc primum fœtum, quem Amplitudinibus Vestris, ex mero affectu & debita observantia inscribo; & simul peto ut eodem favore & amore Vestros Professores, qui hoc tempore sunt quatuordecim, & Cives Academiæ ipsamque Academiam prosequamini, quo (Vos) & Vestri Antecessores quinquaginta integros annos illos & hanc hactenus, sunt prosequuti. Interim Deus Vestris Amplissimis Personis & Familiis atque Vestro Regimini cælitus benedicat. Hæc peto, hæc voveo

NN. AA. VV.

cIↄ Iↄc LXXXVI.
die 17 Martii, *die primo post celebratum Jubilæum.*

Devotissimus

JOHANNES LEUSDEN,

Anno trigesimo sexto meæ in Vestro Athenæo professionis.

Sexcenta & Tredecim
PRÆCEPTA MOSAICA,
à Maimonide ex
PENTATEUCHO
Hebraicè olim excerpta, quæ, additis locis Pentateuchi, Latinè translata hic ordine exhibentur,

AUCTORE
JOHANNE LEUSDEN,
Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academia Ultrajectina Professore Ordinario.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ *OTTHONIS de VRIES,*
ANNO MDC XCIIII.

PHILOLOGUS HEBRÆO-GRÆCUS GENERALIS,

CONTINENS

Quæstiones Hebrȩo-Grȩcas,

Quæ circa Novum Test. Græcum fere moveri solent.

Editio Secunda, cui in fine additur

TRANSLATIO HEBRAICA

Omnium Textuum Chaldaicorum Veteris Test.

AUCTORE

JOHANNE LEUSDEN,

Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academiâ Ultrajectinâ Professore Ordinario.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JORDANUM LUCHTMANS.

Anno cIↄ Iↄc LXXXV.



Nobilissimo, Generosissimo, & Magnificentissimo VIRO,

DD. HIERONYMO à TUYL à SEROOSKERCKEN,

Toparchæ in WULVEN, SEROOSKERCKEN, &c.

ATQUE

Illustr. & Præpot. DD. Ordinum, nomine Equestris Ordinis, Deputato Ordinario S.

I*Am decimus quintus agitur annus, ex quo Tibi, Vir nobilissime, (jam jam accincto ad iter in Galliam capessendum,) Libellum, sub nomine* Paucorum & brevium præceptorum ad notitiam linguæ Hebrææ & Chaldææ acquirendam perquam necessariorum) *inscripsi. Sed cum ille Libellus diu fuerit distractus, & secundâ vice, sub nomine* Synopseos Hebraicæ & Chaldaicæ, *sit impressus, placuit eundem sine ulla dedicatione in publicum emittere: tum quia non decuit aliud nomen illi Libello præfigere, cui tuum splendidum Nomen olim fuerat præfixum; tum etiam quia hoc tempore non videbatur conveniens tuum amplissimum Nomen Libello tan-*

 tum

tum præscribere, cum jam sis ad publicum & illustre munus evectus; & numero Illustrium ac Præpotentium D D. Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ adscriptus. Mutato itaque consilio, judicavi consultius Nobil. Vest. offerre hunc Philologum Græcum, *utpote concernentem Instrumentum illud Novum, in quo via salutis clarissimè enarratur. Non opus est rationes allegare, quæ me ad hoc faciendum impulerunt: nam eæ sunt multæ & prægnantes, quas libentius volo silentio præterire, quàm parcè & jejunè attingere. Beneficia in me meosque collata abhinc tredecim annis me incitaverant ut* Joëlem Explicatum cum Commentariis Rabbinorum *Generosissimo tuo Parenti, piæ & illustris memoriæ Viro, inscriberem, cujus, ut & nobilissimæ ac devotissimæ Uxoris, Matris tuæ B. R. memoriam non sine tacita gratiarum actione recolo. Et cum experiar Te, Generosissime Domine, & benevolentiam generosorum tuorum Parentum p. m. continuare, atque favore tuo me indies magis magisque prosequi, non potui non aliquo gratiarum actionis signo gratum meum animum ostendere. Rogo igitur ut sereno vultu hoc chartaceum munusculum in benevoli animi tesseram accipias, & ut me, quem hactenus amasti, amare non desinas. Ego interim non intermittam Deum ter maximum optimum, omnis bonitatis fontem inexhaustum, & misericordiarnm Patrem precari, ut Nobilitati Vestræ, ad bonum Reipublicæ & Ecclesiæ, annos felices & Nestorios largiatur, & supra illos Nestorios post hanc vitam æternos in secula seculorum. Hæc omnia medullitùs voveo.*

Dabam in musæo meo Ipsis Kalendis Julii Anno cIↄ Iↄ c LX.

Vest. Nobil.

Devotissimus

JOHANNES LEUSDEN.

ALLOQUUTIO
AD
BENEVOLUM LECTOREM.



Abes hîc, Benevole Lector, Philologum *Hebræo*-Græcum, continentem quæstiones & positiones Hebræo-Græcas, quæ circa Novum T. Græcum moveri solent. Voco *Philologum*: tum quia continet meras fere quæstiones Philologicas; tum etiam quia erit instar vivi Philologi, qui Te tanquam magister quæstiones & positiones Philologicas docebit. Voco eundem Hebræo-GRÆCUM: quia comprehendit quæstiones non purè Hebræas, vel purè Græcas, sed mixtas ex utraque lingua. Nam Scriptores Novi T. utpote Judæi, scripserunt quidem Novum T. Græcè: sed quia ipsis lingua Syriaca erat vernacula, ideo immiscuerunt voces, phrases, & modos loquendi, Hebraicam & Syriacam linguam redolentes. Hinc ille, cui animus est quæstiones Philologicas circa Novum T. tractare, non tantum linguæ Græcæ, sed etiam linguarum Orientalium, præcipuè Hebraicæ & Syriacæ notitiâ imbutus esse debet. Audi hac de re disserentem Ludovicum Capellum in Præfatione Spicilegii sui, ubi sic fatur: „Cum enim Novi Testamenti phrasis tota sit Hebraica (etsi voces Græcæ sint) sane penitior & accuratior ejus intelligentia pendet à linguæ Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ, earumque propriæ phraseos cognitione: multa etiam sunt in N. T. in quibus sacri Scriptores tacitè alludunt ad ea quæ sunt in Veteri; multa item in quibus tum Christus, tum ejus Apostoli respexerunt ad mores, placita, dogmata, usum, consuetudinem, sententias, proverbia, parabolas, gnomas veterum sui temporis Judæorum, inter quos vixerunt & docuerunt; unde fit ut in his lux non contemnenda elici, & educi possit ex illorum Scriptis, & antiquioribus monumentis, ad horum illustrationem aut confirmationem, & verò etiam declarationem atque explicationem. Voco eundem Philologum GENERALEM: quia continet quæstiones & positiones generales, quæ circa totum Novum T. in genere moventur. Non tracto hîc quæstiones speciales Hebræo-Græcas circa hunc vel illum Textum: ex. gr. Non expli-

Sexcenta & Tredecim

PRÆCEPTA MOSACA

à Maimonide ex

PENTATEUCHO

Hebraicè excerpta, quæ, additis locis Pentateuchi, Latinè translata hìc ordine exhibentur.

מצות עשה

1  צוה ראשונה ממצות עשה לידע שיש שם אלוה שנאמר ואנכי ה' אלהיך

2 ליחדו שנאמר ה' אלהינו ה' אחד

3 לאהבו שנאמר ואהבת את ה' אלהיך

4 ליראה ממנו שנאמר את ה' אלהיך תירא

5 להתפלל שנאמר ועבדתם את ה' אלהיכם ועבודה זו תפלה

6 לדבקה בו שנ' ובו תדבק

7 להשבע בשמו שנ' ובשמו תשבע

8 להדמות בדרכיו הטובים והישרים שנאמר והלכת בדרכיו

9 לקדש את שמו שנאמר ונקדשתי בתוך בני ישראל

1. PRæceptum primum ex Præceptis Affirmativis est, ut cognoscamus Dominum Deum existere: sicut dicitur Exod. 20. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus.*

2. Quod Deus sit unus: sicut dicitur: *Dominus Deus noster est Dominus unus.* Deut. 6. 4.

3. Quod Deus sit diligendus: sicut dicitur: *Et diliges Dominum Deum tuum.* Deut. 6. 5.

4. Quod Deus sit timendus: sicut dicitur: *Dominum Deum tuum timebis.* Deut. 6. 13. & 10. 20.

5. Quod Deus sit invocandus: sicut dicitur: *Et coletis Dominum Deum vestrum.* Exod. 23. 25. & servitium hoc est oratio.

6. Ut ei adhæreamus: sicuti dicitur: *& ei adhæreto.* Deut. 10. 20.

7. Ut juremus per Nomen ejus: sicut dicitur: *& per nomen ejus jurato.* Deut. 6. 13. & 10. 20.


8. Ut Similes ei simus in viis ejus bonis & rectis: juxta id quod dicitur: *& ambulabis in viis ejus:* Deut. 28. 9.

9. Ut sanctificemus Nomen ejus: sicut dicitur: *& sanctificabor in medio filiorum Israel.* Levit. 22. 32.

JOHANNES LEUSDEN

Benevolo Lectori

S.

Abes hic, benevole Lector, Sexcenta & Tredecim Præcepta Mosaica, quæ olim seculo circiter undecimo à Maimonide ex Pentateucho hebraicè fuerunt excerpta, & anno 1657. primæ editioni Philologi Hebræi Hebraicè & Latinè à me addita, quæque in editione secunda ob rationes ibidem in Præfatione allegatas sunt omissa: sed jam rursus in tertia hac editione ad modum Tractatus specialis adduntur. De sexcentis & tredecim illis præceptis, quorum 248 sunt affirmativa, & 365 negativa, quare sint tot & non plura vel pauciora, & quomodo Judæi eadem præcepta per fimbrias memoriæ infigant, vide me fusè disserentem in Philologo Hebræo dissertatione quinta. Et ut Eruditorum Judicia de his Præceptis eorumque versione Latina intelligerem, placuit magnam eorum partem publico Examini Academico subjicere; quod insignis Juvenis, D. SAMUEL MEAD, Londino-Anglus, magni Theologi D. MATTHEI MEAD filius, die 28. Novemb. anno 1685. omnium cum applausu in multorum Auditorum conspectu publicè defendit. Vale.

Sex-

Nobilissimis & Amplissimis
Viris, Dominis,

D. GUILJELMO de WEEDE
D. ALBERTO van BENTHEM

Ultrajectinæ Reipublicæ Consulibus.



Cum hic sit primus fœtus literarius, qui à primo Jubilæo, primò omnium ex hac Academia in lucem emittitur, non possum non, Gravissimi Viri, Academiæ nostræ Curatores, Nomina Vestra huic libro præscribere, ut posteritas sciat, quando secundus fortè Jubilæus celebrabitur, quinam Amplissimi DD. Consules fuerint, qui eo tempore ad clavum Reipublicæ sederunt, & Academiam tanquam Curatorum Præsides feliciter & liberaliter gubernarunt. Accipite igitur, Amplissimi Viri, hunc primum fœtum, quem Amplitudinibus Vestris, ex mero affectu & debita observantia inscribo; & simul peto ut eodem favore & amore Vestros Professores, qui hoc tempore sunt quatuordecim, & Cives Academiæ ipsamque Academiam prosequamini, quo (Vos) & Vestri Antecessores quinquaginta integros annos illos & hanc hactenus, sunt prosequuti. Interim Deus Vestris Amplissimis Personis & Familiis atque Vestro Regimini cælitus benedicat. Hæc peto, hæc voveo


NN. AA. VV.

Devotissimus

JOHANNES LEUSDEN,

Anno trigesimo sexto meæ in Vestro Athenæo professionis.

cIɔ Iɔc LXXXVI. die 17 Martii, *die primo post celebratum Jubilæum.*



Sexcenta & Tredecim
PRÆCEPTA MOSAICA,
à Maimonide ex
PENTATEUCHO
Hebraicè olim excerpta, quæ, additis locis Pentateuchi, Latinè translata hic ordine exhibentur,

AUCTORE
JOHANNE LEUSDEN,
Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academia Ultrajectina Professore Ordinario.



ULTRAJECTI,
Ex Officinâ *OTTHONIS de VRIES*,
ANNO MDC. XCIIII.

PHILOLOGUS HEBRÆO-GRÆCUS GENERALIS,

CONTINENS

Quæstiones Hebreo-Grecas,

Quæ circa Novum Test. Græcum fere moveri solent.

Editio Secunda, cui in fine additur

TRANSLATIO HEBRAICA

Omnium Textuum Chaldaicorum Veteris Test.

AUCTORE

JOHANNE LEUSDEN,

Philosophiæ Doctore, & Linguæ Sanctæ in Academiâ Ultrajectinâ Professore Ordinario.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JORDANUM LUCHTMANS.

Anno CIↃ IↃC LXXXV.



Nobilissimo, Generosissimo, & Magnificentissimo VIRO,

DD. HIERONYMO à TUYL à SEROOSKERCKEN,

Toparchæ in WULVEN, SEROOSKERCKEN, &c.

ATQUE

Illustr. & Præpot. DD. Ordinum, nomine Equestris Ordinis, Deputato Ordinario S.



Am decimus quintus agitur annus, ex quo Tibi, Vir nobilissime, (jamjam accincto ad iter in Galliam capessendum,) Libellum, sub nomine Paucorum & brevium præceptorum ad notitiam linguæ Hebrææ & Chaldææ acquirendam perquam necessariorum) *inscripsi. Sed cum ille Libellus diu fuerit distractus, & secundâ vice, sub nomine* Synopseos Hebraicæ & Chaldaicæ, *sit impressus, placuit eundem sine ulla dedicatione in publicum emittere: tum quia non decuit aliud nomen illi Libello præfigere, cui tuum splendidum Nomen olim fuerat præfixum; tum etiam quia hoc tempore non videbatur conveniens tuum amplissimum Nomen Libello tan-*

tum præscribere, cum jam sis ad publicum & illustre munus evectus; & numero Illustrium ac Præpotentium D D. Ordinum Provinciæ Ultrajectinæ adscriptus. Mutato itaque consilio, judicavi consultius Nobil. Vest. offerre hunc Philologum Græcum, *utpote concernentem Instrumentum illud Novum, in quo via salutis clarissimè enarratur. Non opus est rationes allegare, quæ me ad hoc faciendum impulerunt: nam eæ sunt multæ & prægnantes, quas libentius volo silentio præterire, quàm parcè & jejunè attingere. Beneficia in me meosque collata abhinc tredecim annis me incitaverant ut* Joëlem Explicatum cum Commentariis Rabbinorum *Generosissimo tuo Parenti, piæ & illustris memoriæ Viro, inscriberem, cujus, ut & nobilissimæ ac devotissimæ Uxoris, Matris tuæ B. R. memoriam non sine tacita gratiarum actione recolo. Et cum experiar Te, Generosissime Domine, & benevolentiam generosorum tuorum Parentum p. m. continuare, atque favore tuo me indies magis magisque prosequi, non potui non aliquo gratiarum actionis signo gratum meum animum ostendere. Rogo igitur ut sereno vultu hoc chartaceum munusculum in benevoli animi tesseram accipias, & ut me, quem hactenus amasti, amare non desinas. Ego interim non intermittam Deum ter maximum optimum, omnis bonitatis fontem inexhaustum, & misericordiarnm Patrem precari, ut Nobilitati Vestræ, ad bonum Reipublicæ & Ecclesiæ, annos felices & Nestorios largiatur, & supra illos Nestorios post hanc vitam æternos in secula seculorum. Hæc omnia medullitùs voveo.*

Dabam in musæo meo Ipsis Kalendis Julii Anno cIↄ Iↄ c Lxx.

Vest. Nobil.

Devotissimus

JOHANNES LEUSDEN.

ALLOQUUTIO

AD

BENEVOLUM LECTOREM.



Abes hîc, Benevole Lector, Philologum *Hebræo*-Græcum, continentem quæstiones & positiones Hebræo-Græcas, quæ circa Novum T. Græcum moveri solent. Voco *Philologum*: tum quia continet meras fere quæstiones Philologicas; tum etiam quia erit instar vivi Philologi, qui Te tanquam magister quæstiones & positiones Philologicas docebit. Voco eundem Hebræo-GRÆCUM: quia comprehendit quæstiones non purè Hebræas, vel purè Græcas, sed mixtas ex utraque lingua. Nam Scriptores Novi T. utpote Judæi, scripserunt quidem Novum T. Græcè: sed quia ipsis lingua Syriaca erat vernacula, ideo immiscuerunt voces, phrases, & modos loquendi, Hebraicam & Syriacam linguam redolentes. Hinc ille, cui animus est quæstiones Philologicas circa Novum T. tractare, non tantum linguæ Græcæ, sed etiam linguarum Orientalium, præcipuè Hebraicæ & Syriacæ notitiâ imbutus esse debet. Audi hac de re differentem Ludovicum Capellum in Præfatione Spicilegii sui, ubi sic fatur: „ Cum enim Novi Testamenti phrasis tota sit Hebraica (etsi voces Græcæ sint) sane penitior & accuratior ejus intelligentia pendet à linguæ Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ, Rabbinicæ, earumque propriæ phraseos cognitione: multa etiam sunt in N. T. in quibus sacri Scriptores tacitè alludunt ad ea quæ sunt in Veteri; multa item in quibus tum Christus, tum ejus Apostoli respexerunt ad mores, placita, dogmata, usum, consuetudinem, sententias, proverbia, parabolas, gnomas veterum sui temporis Judæorum, inter quos vixerunt & docuerunt; unde fit ut in his lux non contemnenda elici, & educi possit ex illorum Scriptis, & antiquioribus monumentis, ad horum illustrationem aut confirmationem, & verò etiam declarationem atque explicationem. Voco eundem Philologum GENERALEM: quia continet quæstiones & positiones generales, quæ circa totum Novum T. in genere moventur. Non tracto hîc quæstiones speciales Hebræo-Græcas circa hunc vel illum Textum: ex. gr. Non

explico hîc ex professo, quid sit *attrahere præputium*, cujus Apostolus 1 *Cor*.7.18. meminit? Aut quid sit *Anathema Maranatha* 1 *Cor*. 16. 22.? Aut quid sit *dilatare phylacteria* & *producere fimbrias*, *Matth*. 23.5.? Aut quare Gentium Apostolo quinquies non plures vel pauciores plagæ inflictæ fuerint quam triginta novem 2 *Cor*.11.24? Hæ & similes quæstiones speciales, (quæ ex linguis Orientalibus & ex Ritibus Judæorum illustrari possunt & debent,) concernentes hos vel illos Textus, fortè, si Deus vitam & vires concedat, sequentur postea, eæque constituent Philologum Hebræo-Græcum *specialem*. Interim hic generalis nunc prodit; alter hujus specialis speculabitur fortunam. Causæ, quæ me, ad hunc Philologum tertium edendum, impulerunt, possunt esse variæ. Edidi antea *Philologum Hebræum* in Vetus Test. qui magno numero impressus & distractus est; postea etiam eundem secundâ vice prelo subjeci, & propediem eum tertia vice etiam prelo subjiciam. Postea emisi & alterum Philologum *Hebræo-Mixtum*, etiam fere in Vetus Test. Etiam & ille altera vice impressus est. Nam in nonnullis Academiis uterque & publicè & privatim docetur ac explicatur. Hinc Cl. Joh. Benedictus Carpzovius, Linguæ Sanctæ in Acad. Lipsiensi publicus Professor, ibidemque Ecclesiastes, cum aliquoties Philologum Hebræum in collegiis explicuisset, anno 1660. 7. Junii per literas mihi significavit, Typographum, propter defectum exemplarium, eundem prelo voluisse subjicere; seque tam diu impedivisse, donec ad me scripsisset, & expiscatus esset, num exemplaria comparari possent. Ego, ne Typographus noster damnum pateretur, curavi eò aliquot exemplaria transmitti. Imo illo ipso tempore ibidem publicè Diebus Martis & Jovis uterque Philologus explicabatur: prout in Programmate sive Serie lectionum habebatur: *Nolim tamen, dum his literis datis operam, spectantes huc controversias, quæ nostro seculo passim agitantur, vel insuper haberi, vel in aliud differri tempus: eas igitur cum nemo compendiosius accumularit Cl. Viro, Joh. Leusdenio,* PHILOLOGUM *ejus cùm* HEBRÆUM, *tùm* HEBRÆO-MIXTUM *ordine, quo Dissertationes invicem sequuntur, bis hebdomadatim posthac, singulis Martis & Jovis Diebus ventilabimus.* Et in Commentariis ad Rutham pag. 14. cum allegaret *Jonam Illustratum* & *Philologum Hebræo-mixtum*, inter cætera, volens meos libros commendare, ait: *Cumprimis Leusdenius, cujus scripta ob facilitatem Tyronibus semper*

ſemper commendare ſolemus. Magnus Buxtorfius, cum utrumque Philologum vidiſſet & legiſſet, ita ad me Baſileâ de his ſcripſit 20. Martii 1664. *Philologi tui ambo* (ſcil. Hebræus & Mixtus) *mihi valde placuerunt, tum quod tu Scriptis his eruditis Spartam nactam publicè exornare ſatagis, tum quod iiſdem S. Theologiæ & Philologiæ Cultores ad hæc utiliſsima ſtudia capeſſenda & proſequenda tam dextrè incitas & informas; additis inſuper Exercitiis privatis & publicis, quibus hæc omnia accuratius illis, pro captu ipſorum, explicas. Utinam hanc tuam diligentiam plures alii imitentur! Sed utinam etiam Juventus Theologiæ conſecrata hæc ſua bona agnoſcant, & pari ſtudio excipiant, quo à Te offeruntur, & in rem ſuam convertant! Novi enim, quàm frigidè paſsim in Academiis & Scholis, hæc ſtudia tractentur. — Si per Studioſorum diligentiam tibi liceat Collegia iſta Philologica continuare, non dubitandum, quin cum magno illud ipſorum uſu ſit conjunctum futurum. Prudentiam etiam tuam laudo, quod hac ratione per jucunditatem ſtudiorum Philologicorum, ad laborioſius ſtudium linguarum ſimul pellicere ſatagis, & illius jucunditate, hujus tædia & moleſtias temperare conaris. Deus his tuis conatibus & laboribus ex alto benedicat, vitamque & valetudinem longævam largiatur, ut quod facis, diu poſsis facere. &c.* His aliiſque rationibus motus, cum hactenus occupatus fuerim præcipuè circa Vetus T. judicavi officii mei eſſe etiam circa Novum T. (præcipuè cum ſcateat Hebraiſmis, Syriaſmis, aliiſque rebus, quarum cognitio ex linguis Orientalibus debet hauriri) quæſtiones Philologicas tractare: tum ut incitarem alios ad ſimile ſtudium aggrediendum; tum ut Studioſos manuducerem ad Textum Novi T. Græcè legendum. Animus mihi ſemper fuit S. Theologiæ initiatos incitare ad ſtudium linguarum, utpote maxime neceſſarium omni molimine inchoandum & continuandum. Hinc non tantum publicis & privatis lectionibus atque diſputationibus eos exercui, ſed etiam, ut domi hoc ſtudium promoverent, publicis Scriptis incitare placuit.

Propterea *primò* Anno 1655. edidi *Præcepta Hebraica & Chaldaica*, ut eos manuducerem ad utramque hanc linguam; quæ auctiora ſecundâ vice ſub nomine *Synopſios Hebraicæ & Chaldaicæ anno 1667. in publicum emiſi.*

2. Deinde anno 1656. ſequutus eſt *Jonas illuſtratus*, in quo Commentaria trium Rabbinorum ſunt punctata, tranſlata, & notis illuſtrata, unà cum explicatione Maſoræ magnæ & parvæ.

3. *Eo-*

3. Eodem anno, ut Studiosos quæstiones Philologicas docerem, *Philologum Hebræum*, unà cum sexcentis & tredecim Præceptis Hebraicè & Latinè in lucem edidi. Eundem auctiorem & emendatiorem edidi anno 1672.

4. Anno 1657 Prophetas *Joëlem & Obadjam* in lucem emisi, eodem fere modo, instar Jonæ, illustratos; exceptò quod Commentaria Rabbinorum non sint punctata. Hos, quum Clarissimo D. Hulsio, tum temporis apud Bredanos linguæ Sanctæ Professori meritissimo, misissem, ita mihi in literis suis respondit: *Jonam tuum & Joëlem doctè elaboratos Professori linguæ Sanctæ in Academia Lovaniensi, qui non ita pridem ex discipulis meis fuit, commendavi ut publicè prælegerentur, & discipulis Rabbanismi & Chaldaismi cupidis explicarentur: excellentius enim & altius in re Hebraica versandi adminiculum hactenus datum non fuit.* Imo idem celeberrimus D. Hulsius, vocatus Bredâ in Academiam Lugduno-Batavam, publicè anno 1669. Joëlem unà cum Commentariis Rabbinorum prælegit; prout in literis, 4. Martii datis, scribit: *Seriò injunxi Studiosis, ut omnes sibi comparent tuum Joëlem illustratum, quem publicè cum annexis prælego & explico.* Hunc Jonam Illustratum & Joëlem commendat Clarissimus D. Wasmuth in Præfatione Hebraismi sui Restituti (Operis nunquam satis laudandi) his verbis: *Qua in re, ut & Masora facili usu, Tyronem proprio Marte progressurum, insigniter juvavit* CL. *Leusdenii* JONAS ILLUSTRATUS, *cui præmissa Dissertatio* VI. *pluribus Lectorem instruet; nec minus ejusdem* JOEL EXPLICATUS.

5. Quia videbam cognitionem Linguæ Syriacæ, propter Novum Testamentum Syriacum, esse necessariam, ideo Amstelodami meis sumptibus curavi exsculpi & fundi literas Syriacas, quibus Anno 1658. edidi *Scholam Syriacam*, unà cum dissertatione de Literis & Lingua Samaritanorum. Hanc secunda vice etiam cum Synopsi Chaldaica publici juris feci anno 1672.

6. Cum viderem *Biblia Hebraica* esse vel cara, vel destituta distinctione numerali versuum, vel eadem tantum per quintum quemlibet versum literis Hebraicis esse distincta, anno 1661 edidi tria millia Bibliorum, in quibus singuli versus Biblici, fere per notas numerales, quas cifras vocamus, sunt distincti.

7. Quia

7. Quia etiam quæstiones mixtæ præcipuè circa Vetus Test. moveri possunt, ideo anno 1663. *Philologum Hebræo-Mixtum* in publicum emisi; cui adjunxi decem Centurias Quæstionum & Positionum Philologicarum: tum ut Studiosi ex iis Corollaria, publicis disputationibus annectenda, eligerent; tum etiam ut iidem, circa illas Centurias, privatas disputationes sustinerent; quod singulis hebdomadibus ad minimum semel, clausis foribus, in Academia fieri solet. Hic idem secundò, multis æneis figuris auctus, hîc Ultrajecti est impressus anno 1682. per Franciscum Halma.

8. Studiosi nonnunquam querebantur se significationem Nominum propriorum S. Scripturæ in Lexicis inquirere non posse; ideo, ut eos juvarem, edidi anno 1665. *Onomasticum Sacrum*, in quo omnia nomina propria Veteris & Novi Testamenti, ut & librorum Apocryphorum, tam Hebraica quam Græca, clarè & dilucidè explicantur. Hoc idem altera vice majoribus literis in publicum est emissum Lugduni Batavorum per Jordanum Luchtmans anno 1684.

9. Ut Studiosos meos ad altiora deducerem, placuit eodem anno Tractatum Misnicum, vocatum פרקי אבות *Pirke Abboth*, translatum, punctatum, & notis illustratum edere. Ejus fini adjeci Translationem Hebraicam *duorum Capitum* Chaldaicorum, scil. Capitis secundi & tertii Danielis. Etiam cætera Capita Chaldaica Danielis & Esræ, Hebraicè & Latinè sunt translata, & tribus linguis per decem disputationes edita; quæ in hoc Philologo Græco, brevitatis causa, Hebraicè & Latinè de novo impressa conspiciuntur.

10. Cum Biblia illa Hebraica, magno numero edita, intra tres quatuorve annos essent distracta, Typographus Judæus de alia editione paranda me alloquutus est. Ideo anno 1667. edidimus alia correctissima *Biblia*, prioribus multo correctiora, unâ cum Lemmatibus Latinis in margine, approbata à multis Christianis & Judæis. Hæc per totam Europam celebrantur, & omnibus aliis Editionibus longè præferuntur. Secundum hanc editionem Francofurtenses anno 1677. aliam editionem procurarunt.

11. Quia exemplaria Psalmorum erant rara, eodem anno in publicum emisi triplicia *Psalteria*, correctissima & nitidissima, scilicet *Hebraica* tantùm, *Hebraico-Latina*, & *Hebraico-Belgica*. In illis Psal-

teriis præposui stellulas versiculis 564. in quibus circiter duæ tertiæ partes Radicum totius Veteris T. occurrunt. Et ut Studiosi ad cognitionem cæterarum Radicum facili negotio pervenirent, adjeci fini illorum Psalteriorum, ex aliis libris Veteris Test. Catalogum 546. versiculorum, in quibus cæteræ Radices, in Psalterio non occurrentes, inveniuntur.

12. Ut zelum in studiosis languentem excitarem, placuit anno 1668. edere *Manuale Hebræo-Latino-Belgicum*, in quo omnes voces Veteris Testamenti, tam Hebraicæ quam Chaldaicæ, Latinè & Belgicè explicantur; ut & Belgis occasionem præberem linguam Sanctam addiscendi. Huic Manuali non tantùm simplicem Catalogum illorum 546. versiculorum adjeci, sed ibi etiam ipsas voces Radicales expressi: adeo ut jam Studiosi omnes Radices in paucis versibus Veteris Testamenti legere & discere possint. Hoc idem Manuale anno 1683. secunda vice iterum est impressum. Habeo jam adhuc parata tria similia Manualia in usum Germanorum, Gallorum & Anglorum, scil. Manuale Hebræo-Latino-Germanicum, Hebræo-Latino-Gallicum & Hebræo-Latino-Anglicum; unà cum totidem Grammaticis, in usum illarum trium Nationum paratis.

13. Sed quia Belgæ hoc Manuali & Psalterio Hebræo-Belgico vix uti poterant sine Grammatica Hebræa; ideo in gratiam Belgarum (si fortè tali medio Studiosos ad zelum provocare possem) edidi eodem anno 1668. parvam *Grammaticam Hebræo-Belgicam*, sub nomine: Een Hebreusche Grammatica of Taal-konst.

14. His omnibus addidi anno 1670. hunc Philologum hebræo Græcum, qui jam hoc anno 1685. altera vice, auctus Translatione Hebraica omnium Textuum Chaldaicorum Veteris Test. in lucem emittitur.

15. Sub meis auspiciis Clavis Græca Novi Test. est edita, quæ fere tota antea fuerat conscripta à D. Antonio Bynæo (jam V. D. M. Naerdæ) anno 1672. Sed ea à me curiosè fuit perlecta & correcta, atque varia fuerunt addita & deleta.

16. Anno 1673. edidi Epitomen Buxtorfii, variis in locis à mendis Typographicis emendatam, illustratam, & nonnullis necessariis præceptis auctam, atque per Sectiones & Paragraphos ubique distinctam.

17. Com-

17. Compendium Biblicum continens ex versibus 23202 totius V. T. tantum versiculos 2289, non tamen integros, in quibus omnes universi Vet. Test. voces extant, editum est prima vice anno 1674. Secunda editio prodiit anno 1680. Hoc anno editio tertia in majori forma sub prelo sudat, in qua voces omnes totius Veteris Test. quæ sunt 5460. in simplici forma & absoluta infrà sine affixis, præfixis & sine regimine collocantur; addita ubique Radice: adeo ut jam, in enucleatione hujus Compendii, non opus sit Radices investigare, easque in librum conjicere. Jam fere hoc Compendium Hebraicum ita editum est ut Compendium Græcum Novi Testamenti.

18. Anno 1675. novis literis Græcis, quas de novo curaveram fundi, in lucem emisi minori forma Novum Testamentum Græcum, in quo asteriscos præfixi 1900 circiter versiculis continentibus in se omnes voces totius Novi Test. quæ sunt 4938.

19. Syllabum Pasoris Græco-Latinum, vocibus deficientibus auctum & annotatione Textuum Novi T. ac distinctione vocum semel tantum occurrentium illustratum, edidi anno 1675.

20. COMPENDIUM GRÆCUM Novi Test. continens ex 7959 versiculis totius Nov. T. tantum versiculos 1900 (non tamen integros) in quibus omnes universi Novi Test. voces inveniuntur, prima vice editum est anno 1675. Illam ipsam editionem etiam impressit, me nesciente & invito, Johannes Lüderwaldus, Bibliopola Magdeburgensis, Jenæ, typis Viduæ Samuelis Krelsii anno 1680. Sed eheu! Editio illa vitiosissima est, & innumera continet errata adeo ut mihi eam nspicienti nauseam moverit, quo minus eam perlegerim: nam aperiens aginam 39. reperiebam in illa eadem pagella sex graviora vitia: scil.

Βαξυνθῶσιν	pro	βαρυνθῶσιν	lin.	4.
ἄρθριζε	pro	ὤρθριζε	lin.	8.
δείλει	pro	δείξει	lin.	14.
αἰώγεον	pro	ἀνώγεον	lin.	15.
ἐξουσιοζοντε	pro	ἐξουσιάζοντες	lin.	18.
Ὀτδὲν	pro	οὐδὲν	lin.	29.

Secundam editionem, Thematibus & vocibus derivatis auctam, impressi anno 1677. & Tertiam editionem eodem modo anno 1682. Angli quartam sive potius quintam editionem ediderunt Oxonii, quam hactenus nondum videre contigit.

21. Anno 1683 edidi in quarto *Clavem Hebraicam* VETERIS TEST. in qua Themata difficiliora Veteris Test. reserantur, & voces ac constructiones irregulares explicantur, aliæque difficultates circa Textum Hebræum enodantur.

Hæc sunt, quæ Te, Candide Lector, hoc tempore scire volui. Vale & laboribus meis fave.

Dabam in musæo meo Kalend. Novembris, Anno cIↄIↄc LXXXIV.



Nomina



Nomina Respondentium, qui Philologum Græcum defenderunt.

DISSERTATIO.

XXVI. De

XXVI. De

XXVI. De Nominibus propriis personarum & locorum in Vet. & N. Test. occurrentibus. 212

Arnoldus Boschman, Batavus. Verbi Divini Min. in pago de Bilt. 1669. 17. Martii.

Specimen aliquod hujus secundæ editionis defendit.

Zacharias Eyndhoven, Woerdâ-batavus, 10. Decemb. 1684.

Quum editio quinque Voluminum Poli curæ meæ, nescio quo fato, sit commissa, placuit tria Specimina, continentia Præparationem ad editionem Poli, publico examini Academico subjicere, quæ tres sequentes D. Studiosi publicè defenderunt, scilicet:

Samuel vander *Vliet*, Harlemo-Batavus. 2. Maii, 1683.

Matthias à *Woensel*, Ultrajectinus. 9. Maii.

Hermannus Versteegh, Ultrajectinus. 16. Maii.



Philo-



PHILOLOGI GRÆCI GENERALIS DISSERTATIO PRIMA; DE Appellationibus Novi Testamenti.

SECTIO I.



Scripta Euangelistarum & Apostolorum variis titulis à Scriptoribus insigniuntur: & quia sunt diversi Scriptores, varietate linguarum differentes, ideo etiam sunt diversi tituli, quibus eadem illa scripta indigitantur. Aliter enim appellantur à Judæis & Syris, aliter etiam à Græcis & Latinis.

II. Judæi Scripta Novi Testamenti, ut eadem à Scriptis Veteris T. distinguerent, communiter vocant תורה חדשה *Legem novam*; procul omni dubio, quia judicant inibi novas leges tradi, quarum Moses in Pentateucho non meminit. Verum enimvero jure merito hæc Scripta ita appellari nequeunt. Nam ibi non traduntur aliæ novæ leges, quæ in Veteri Test. explicitè aut implicitè non fuerunt à sacris Scriptoribus traditæ. Sociniani statuunt Christum tres novas leges in Novo Test.

 disci-

discipulis suis tradidisse; scilicet de se abnegando, de tollenda cruce, & de sequendo Christum. Præterea docent eundem Christum diversa additamenta Decalogo addidisse. Sed Reformati, aliique Theologi hæc duo strenue negant. Quid ergo fecit Salvator in Novo Testamento? *Resp.* Vel leges Mosis à falsis Rabbinorum glossis repurgavit, uti videre est Matthæi capite quinto; vel easdem ad hoc vel illud subjectum applicavit: uti in Juvene illo, nimis amante bona sua, videmus; cujus historiam graphice describit Matthæus *cap.* 19. *v.* 16. & seqq. Ei Salvator suadet ut se abnegaret, omniaque bona sua divenderet.

III. Judæus Germanus, nomine Elias, in Lexico Thisbi ad vocem גליון ait Christianos in specie Euangelium vocare *novam legem*: הנצרים קורין לתורה החדשה שלהם אוונגליון ברפי על הגימל והוא בלשון יון בשורה טובה *Christiani novam legem suam vocant Euangelium, Gimel leniter prolato, quod ipsum in lingua Græca bonum nuntium significat.* Hinc apparet in specie Euangelium ab illo Judæo etiam vocari novam legem.

IV. Ut Judæi hanc opinionem de novis legibus per Christum quasi traditis refutarent, utuntur verbis Christi, quæ leguntur *Matthæi cap.* 5. *v.* 17. *Ne existimetis, quod venerim ad destruendam Legem ac Prophetas: non veni ut destruam, sed ut impleam.* De hoc Textu ita loquitur Munsterus in Euangelio Hebraico *pag.* 156. *Non est in toto Euangelio sententia aliqua, quam Judæi nobis magis objiciunt atque istam, quam & latine probe tenent, & Christianorum auribus perpetuo ingerunt, perinde quasi Christi verba & facta parum sibi constent, cum tot ceremoniæ, purificationes, delectus ciborum, sacrificia, judicia & alia id genus sint ablata per Christum, & tamen hîc dicat se non solvisse legem & prophetas.* Sic arguunt Judæi בתורת משה כתוב ביום ח׳ ימול בשר ערלתו וכתוב כל המצוה אשר אנכי מצוך היום תשמרון לעשות לא תוסף עליו ולא תגרע ממנו נמצא שישוע הפר תורת משה וכזב תורתו שכתוב לא חליפו תורת משה מאומה שהרי הוא מוסיף וגורע בהרבה מקומות *In lege Mosis scriptum est: die octavo circumcidetur caro præputii. Rursum scriptum est: omne præceptum quod ego præcipio tibi hodie custodietis ut faciatis: non adjicies ad illud, neque minues ab eo: Constat autem Jesum solvisse legem Mosis, & mendacem fecisse legem suam, in qua scriptum est, quod nihil mutaverit de lege Mosis, cum tamen adjecerit & subtraxerit in multis locis.* Cæteras objectiones vide in loco proximè citato.

V. Syri

V. Syri eandem Scripturam vocant ܕܝܐܬܝܩܐ ܚܕܬܐ (*Dijathiki chadto*) *Testamentum, pactum, fœdus novum.* Vox illa Syriaca descendit à voce Græca διαθήκη, & hâc cognitâ facile etiam cognoscetur vox Syriaca: ideo transilimus ad vocem Græcam.

VI. Græcis vocatur ἡ καινὴ διαθήκη *Novum fœdus, Novum Testamentum*, à διατίθημι *dispono*; quæ vox desumpta est ex verbis Apostoli 2 *Cor.* 3. 6. *Qui fecit nos idoneos ministros* καινῆς διαθήκης *Novi Testamenti*, & *vers.* 14. meminit τῆς παλαιᾶς διαθήκης *Veteris Testamenti.* Sic enim fatur: *Sed obcæcati sunt sensus illorum: nam usque ad diem hodiernum, idem velamen* ἐπὶ τῇ ἀναγνώσει τῆς παλαιᾶς διαθήκης μένει *in lectione Veteris Testamenti manet.* Hæc appellatio Testamentis Græcis in fronte vulgò præponi solet. Rationes, ob quas Scriptura, ab Apostolis conscripta, vocetur διαθήκη, & quidem καινὴ, enumerabuntur in appellatione sequenti, quæ ordine erit quarta, & apud Latinos aliosque usitata.

VII. Latini appellant Scripta Euangelistarum & Apostolorum *Testamentum Novum.*

Hinc *primò quæritur:* Quare hæc Scripta appellentur nomine Testamenti?

Respondeo. Corpus librorum Canonicorum, quibus doctrina de Lege & de Christo, humani generis Redemptore exhibito, continetur, vocatur Testamentum: tum quia sicuti in Testamento mens & scriptura testatoris, ita in hoc Codice voluntas Dei continetur: tum etiam, quia ibi describuntur pacta & conventa inter Deum & homines. Meritò ergo S. Scriptura, & quidem Novi T. de quâ jam agimus, appellatur Testamentum: nam in ea habentur omnia, quæ ad solenne Testamentum requiruntur.

Quot ergo requiruntur ad tale solenne Testamentum? *Resp.* Hæc quatuor. 1. Testator certus. 2. Hæredes. 3. Bona legata. 4. Testes.

1. Testator est *Christus* filius Dei, qui est auctor Testamenti. Testator debebat mori, etiam Christus suo tempore mortuus est.

2. Hæredes instituti, sunt *omnes electi* omnium seculorum, tam qui mortui sunt, quàm qui vivunt, & qui postea nascentur. Hinc sancti vocantur hæredes, Tit. 3. 7. *Ut justificati illius gratiâ, hæredes efficeremur juxta spem vitæ æternæ*; & cohæredes Christi *Rom.* 8. 17. *Quod si filii, igitur & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

3. Bona legata sunt *vita æterna, remissio peccatorum, dona Spiritus S,*

 opera

opera bona, quæ facere hæredes decet: sed præcipuum omnium bonorum legatorum est vita æterna, cujus hæredes plenè post mortem participes fiunt.

4. Testator coram testibus vivâ voce voluntatem suam declaravit. Testes illi sunt ejus *Discipuli*, *Apostoli*, qui à Christo testes vocantur; *Actor.* 1. 8. *Eritis mihi testes non solum Hierosolymis, sed etiam in universa Judæa, Samariaque, denique usque ad extrema terra.* Testes Christi etiam possunt vocari sancti *Martyres*, qui vitam pro confessione Testamenti effuderunt; etiam omnes boni *Ministri*, qui Testamenti hujus interpretes sunt, & bona ejus mundo proponunt.

VIII. *Secundò quæritur*: Quare hæc Scripta differenter appellationem habeant Testamenti *Novi*?

Respondeo. Variæ illius appellationis possunt dari rationes. Potest enim vocari *Novum*.

1. Ratione *temporis*: nam Novum Testamentum est posterius Veteri: ea enim nova vocamus quæ tempore nobis sunt viciniora; vetera verò quæ à memoria nostra magis distant.

2. Ratione *Linguæ* novæ. Vetus T. conscriptum fuit linguâ veteri Hebraicâ, sed Novum linguâ novâ Græcâ. Erat enim novum quod Dei oracula divulgabantur & promulgabantur per aliam novam linguam; quum in Veteri T. oracula divina fuerint promulgata linguâ Hebræâ.

3. Ratione novi *Testatoris*, scil. Mediatoris Jesu Christi: Ille enim fuit novus Testator hujus Testamenti.

4. Ratione *Testium*, qui sub V. T. alii fuerunt, quam qui sunt sub Novo T. Hujus enim Testamenti testes sunt Euangelistæ, Apostoli, Martyres, & fideles Ecclesiæ ministri.

5. Ratione novarum *promißionum* sine ceremoniarum involucris propositarum; cum olim in Veteri T. promissiones spirituales ita non fuerint propositæ. Pleræque promissiones Veteris T. respiciebant ad terram Canaan, in quâ tam diu feliciter vitam transigerent, quamdiu Deo obedirent: sed ex qua etiam ejiciendi essent, quando Deum desererent: Spirituales verò promissiones de regno Christi multis ceremoniarum involucris erant involutæ. Verum sub Novo T. spirituales promissiones sine involucris sunt clarè de novo propositæ, & sæpissimè renovatæ. Quoties enim illa de novo Christi regno repetuntur in Novo T.? Quoties de novo inculcatur nostra peccata per Christi mortem esse expiata, & nos hæredes fore regni cœlorum per ejus satisfactionem? In Veteri T. tam raro, tam parcè, & fere non nisi sub involucris de fœdere illo gratiæ fuit actum: sed in-

in Novo T. millenis in locis promissiones de novo illo regno clarissimè à Christo, ab Euangelistis & ab Apostolis fuerunt propositæ & descriptæ. Ergo propter tales renovationes & creberrimas de regno novo inculcationes hoc Testamentum meritò appellatur *Novum*.

6. Nonnulli etiam hoc Testamentum vocant Novum; quia in eo docetur nova quasi *adoratio* respectu loci: nam in V. T. veri adoratores adorabant Hierosolymis: ille enim locus habebat promissionem, quod Deus ibi invocantes exaudiret. Sed in N. T. sublata est illa necessitas ibi adorandi; & de novo promissum est, Deum esse exauditurum quemvis ritè ubivis locorum se invocantem.

IX. Occasione hujus appellationis breviter quasdam Novi Testamenti proprietates proponemus.

1. Christus sub Novo T. prædicatur jam exhibitus, nec exspectandus nisi judex mundi.

2. Omnia de Christo, ejusque satisfactione hîc clarissimè & sine involucris proponuntur.

3. Ecclesia jam per totum orbem est dispersa, & ad totum mundum pertinet; quum sub Veteri T. uni populo Judaico fuerit alligata. Jam enim quicunque crediderit & baptizatus fuerit salvus erit, *Marc.* 16. 16.

4. Spiritus S. jam copiosius est effusus quàm sub Veteri T.

5. In Novo T. ipse filius Dei nobis loquitur, sed in Veteri T. loquutus est Deus Patribus per Prophetas.

6. In Novo T. præcipuè Euangelium inculcatur, quum in Veteri præcipuè Lex instilletur.

7. In Novo T. justitia per fidem in Christum abundè proponitur, quum in Veteri T. justitia legis præcipuè urgeatur.

X. Licèt Vetus T. à Novo in nonnullis differat, in multis tamen illud cum hoc etiam convenit.

1. Utrumque Testamentum eundem habet auctorem, scil. Deum; Heb. 1. 1. *Deus olim multifariam, multisque modis loquutus Patribus per Prophetas; extremis diebus hisce loquutus est nobis per filium.*

2. Eadem est via justificationis in Novo T. quæ fuit in Veteri; quod probat Petrus Actorum *cap.* 15. *v.* 11. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus nos salvos futuros, quemadmodum & illi.*

3. Utrumque duo principalia doctrinæ capita, scilicet legis & promissionis continet. Pœnæ enim in utroque proponuntur peccatoribus, & promissiones vitæ æternæ piè viventibus.

 4. Utri-

4. Utriusque Testamenti finis est Christus: nam Lex pædagogus est ad Christum, & Novum T. proponit eundem jam exhibitum. *Vide Aretium in prolegomenis ad N. T.*

XI. Antequam hanc materiam deseramus, movendæ adhuc sunt duæ quæstiones, quarum prior est: Quare Euangelistæ & Apostoli doctrinam suam libris voluerint consignare, cum Ecclesia habuerit Vetus T. in quo omnia ad salutem necessaria continentur?

Respondeo 1. In Veteri T. continentur quidem omnia ad salutem necessaria, sed non ita clare & perspicue quàm in Novo Testamento. Duplex enim datur perfectio; altera partium, altera graduum. In V. T. datur quidem perfectio partium, h. e. in eo continentur omnia dogmata ad salutem necessaria; sed non est perfectio graduum, h. e. illa dogmata tam clare & perspicue ibi non proponuntur quàm quidem in N. T.

2. Apostoli imitati sunt Prophetas. Deus agit cum nova Ecclesia uti egit cum veteri Mosaica: nam eam non tantum voluit instruere vivâ voce per Mosen & Prophetas, sed voluit etiam ut vera illa doctrina literis mandata ad posteros propagaretur. Idem etiam placuit Deo circa Ecclesiam Novi T. quam non tantum viva voce per Apostolos, sed etiam scriptis voluit erudire.

3. Si Apostoli non scripsissent gesta Christi, non potuissent ejus fuisse testes ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς *usque ad extrema terræ*; uti prædicitur Actorum *cap.* 1. *v.* 8. *Eritis mihi testes & Hierosolymis, & in tota Judæa, & Samaria, & usque ad extrema terræ.* Nam Apostoli non potuerunt omnes terras perlustrare. Etiam fideles, post discessum Apostolorum viventes, non potuissent cognovisse veram Christi & Apostolorum doctrinam, nisi per fallibilem traditionem quorundam fallibilium doctorum. Ergo Euangelistæ & Apostoli habuerunt sufficientes causas, ob quas Novum T. scriptis consignarint.

XII. Posterior quæstio est: Unde appellationes librorum Novi Testamenti desumuntur?

Respondeo. Variæ dantur causæ appellationum. 1. Nonnulli libri Novi T. nominantur à materia & ab auctore libri; ut quatuor Euangelia: exempli gratia: primum Euangelium appellatur Matthæi Euangelium; quia continet bonum nuncium conscriptum à Matthæo.

2. Alii sic vocantur à materia tantum, ut Acta Apostolorum, quia ille liber eorum acta & gesta continet; similiter Apocalypsis tali insignitur titulo, quia continet revelationes de rebus futuris: vel si ea appellationis ratio minus videatur congruere, dicendum est eum librum vocari Apocalypsin à prima voce libri.

3. Non-

3. Nonnulli appellantur ab Auctore tantum; ut epistolæ Jacobi, Petri, Johannis & Judæ.

4. Sunt nonnulli libri, qui insigniuntur ab auctore & ab objecto, ad quod illi sunt transmissi. Ita denominantur omnes Epistolæ Pauli, scil. ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Thessalonicenses, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos.

DISSERTATIO SECUNDA
DE
Lingua authentica Novi Testamenti.

1. Vetus T. est Hebraicè authenticum, & Novum Græcè.
2. N. T. debuit conscribi lingua Græca; quod confirmatur. Suavitas, fœcunditas, emphasis & necessitas linguæ Græcæ demonstrantur.
3. Textus N. T. non est revera Græcus; quod rationibus contra Psochenium probatur.
4. Antiqui Græci Oratores & Poëtæ, si reviviscerent, non perfectè intelligerent N. T. Græcum. Duæ objectiones proponuntur & solvuntur.
5. Rationes dantur quare Scriptores N. T. usi fuerint stylo simplici, vulgari & Hebraismis permixto.
6. Vulgaris lingua Græca N. T. bene potuit tum intelligi à populo, non itidem ab hodiernis Græcis potest intelligi.
7. Stylus N. T. est hebraizans.

SECTIO I.



Quemadmodum Vetus Testamentum (exceptis quibusdam capitibus Chaldaicis in Daniele & Ezra occurrentibus) Hebraicè, ita etiam Novum T. Græcè est authenticum: propterea major fides est habenda Textui Hebræo Veteris T. & Textui Græco Novi T. quàm omnibus aliis versionibus & interpretationibus. Ratio est manifesta: nam illi Textus, scil. Hebraicus Veteris & Græcus Novi Testamenti, sunt conscripti à Prophetis, ab Euangelistis & Apostolis, qui in illâ scriptione infallibiliter directi fuerunt: sed omnes versiones sunt compositæ ab auctoribus errori, in componendis versionibus, obnoxiis.

II. De Textu Græco Novi T. *primò quæritur:* Quare Novum T. est conscriptum linguâ Græcâ?

Respondeo 1. Cum Vetus T. olim fuerit scriptum in gratiam Hebræorum, Hebræam linguam callentium, uti dicitur Psalmo 147. *vers.* 19. 20. *Indi-*

Indicat verba sua Jacobo, statuta & jura sua Israëlitis. Non fecit ita ulli genti; ideoque jura ista non noverunt. Ergo debuit scribi linguâ Hebraicâ, populo illi vernaculâ. Sed cum Novum T. non tantùm in gratiam Hebræorum, sed etiam in gratiam multarum aliarum nationum sit conscriptum, ergo debuit scribi tali linguâ, quæ multis aliis nationibus tum temporis fuit familiaris: atqui linguarum omnium ubivis terrarum familiarissima, vulgarissima & latissimè diffusa, fuit lingua Græca, quæ per victorias Alexandri, & per imperium Græcorum in plurimis locis fuit plantata. Hanc diffusionem probat Cicero in Orat. pro Archia poëta, ubi sic ait: *Nam si quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis vocibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat. Propterea quod Græca lingua in omnibus ferè gentibus, Latina verò suis finibus exiguis sanè continetur.* Imo Novum T. si vel scriptum fuisset tantum in gratiam Judæorum, non tamen debuisset scribi linguâ Hebraicâ: nam hæc lingua eo tempore Judæis vulgaribus plane erat ignota, eademque non nisi pro eruditorum lingua habebatur. Nam cùm eo tempore Lex & Prophetæ Hebraicè legerentur, Lectori semper astitit Interpres, qui in vernaculam, h. e. Syriacam linguam vertebat, quod prælectum erat, ut intelligeretur à populo. Hinc regulæ istæ de officio Interpretis, & de locis quibusdam, quæ ab Interprete non erant reddenda vernacule. *Vide Horas Hebr. Lighfooti pag.* 12. *&* 13. ubi hæc ex Talmude probat.

2. Pfochenius in speciali Diatribe de linguæ Græcæ Novi T. puritate sect. 16. ait, Deum voluisse doctrinam Euangelii longè suavissimam & jucundissimam linguâ Græcâ, utpote omnium linguarum suavissimâ & jucundissimâ, propagari. Putat enim linguam Græcam respectu *suavitatis, fœcunditatis, emphaseos, necessitatis* &c. omnibus reliquis linguis esse anteferendam, nec ulli linguæ cedere, nisi solâ antiquitate *soli Hebrææ*.

Suavitatem probat idem Pfochenius ex mellifluâ illâ Atticorum eloquentiâ; cujus lepôres ita animum movent & afficiunt, ut hac dulcedine omnibus aliis linguis palmam præripere meritò dicatur.

Fœcunditatem elicit ex ubertate & multitudine vocum Græcarum, tam simplicium quam compositarum. Quot enim Derivata ab uno Themate vel φέρω, vel ἵημι, vel τίθημι vel ἔχω descendunt, ut vel unum Thema videatur parvum Lexicon constituere. Etiam vel unica vox Latina quamplurimis vocibus Græcis exprimi potest: ex. gr. Quadraginta Adjectivis nominibus exprimi potest *superbus*; & unius vocis ἐγὼ dantur novem casus Nominativi, octo Genitivi, & quinque Dativi. Propter eandem fœcunditatem Græci agnoscunt duplicia Aorista & Futura. Et cum

cum Latini Præteritum ab Imperativo excluserint, (nam nemo præteritum agendum vel cavendum imperat,) Græci tamen Præteritum Imperativo tribuunt, non tantum in activa, sed etiam in passiva voce; quod etiam fit ob copiam & excellentiam linguæ Græcæ, quâ idem pluribus modis effertur.

Emphaticam significationem probat quibusdam exemplis; scil. ex 1 *Pet.* 5. 5. 2 *Pet.* 2. 14. &c. quæ videri possunt *sect.* 19.

Necessitatem cognitionis linguæ Græcæ ita confirmat; quia Novum T. sine ejus linguæ cognitione intelligi nequit. Sed pleraque illa refutat Thomas Gataker in Dissertatione de stylo Novi Testamenti.

III. *Secundò quæritur.* An Textus Novi T. sit revera Græcus?

Respondeo. Pfochenius in citata Diatribe asserit Textum Novi T. esse verè Græcum, nec alienum planè à stylo Græco profano; præterea plerosque Hebraismos, vulgò proferri solitos, eludit, & fictitios esse asserit. Hanc assertionem ita conatur probare; quia Græci auctores profani eisdem phrasibus & verbis usi sunt, quibus Scriptores Novi Testamenti: & per consequens plerisque Hebraismis, qui vulgò ab Interpretibus pro Hebraismis annotantur, larvam detrahit. Idem centuriam Hebraismorum in medium profert, quibus probat Scriptores Novi T. verè Græcè scripsisse.

Huic sententiæ retrò laudatus Thomas Gataker se opponit in dicta Dissertatione Capite quinto, & quibusdam argumentis conatur probare assertionem Pfochenii esse elumbem, ac Textum Græcum Novi T. non esse revera Græcum, nec talem qualis fuit usitatus apud profanos Scriptores.

1. Etsi Scriptores Novi T. cum Græcis auctoribus in multis conspirarint, inde tamen non sequitur stylum utrobique esse eundem. Quis Scholasticorum stylum purè Latinum pronuntiabit, etiamsi iidem multis vocabulis & loquendi formulis utantur, quæ in Ciceronis, Salustii, Livii & Terentii scriptis occurrunt? An ergo propter illam convenientiam aliquis dicet stylum Scholasticorum esse planè Latinum?

2. Idem Gataker enumerat multas voces Latinas & Hebraicas sive Syriacas, in Novo T. occurrentes, quæ probant Textum Novi T. non esse purè Græcum. Latinas recenset has; ut *ἀσσάριον* pro *asse*, Matth. 10, 29. *Κοδράντην* quadrantem, *Matth.* 5. 26. *κουστωδίαν custodiam*, Matth. 27. 65. *μίλιον milliare*, Matth. 5. 41. &c.

Pro Hebraicis sive Syriacis enumerat has; ut *ἀββᾶ Abba*, Marc. 14. 36.

ἀλληλούϊα *Halleluia*, Apoc. 19. 1. 3. Βελίαλ *Belial*, 2 Cor. 6. 15. γέεννα *Gehenna*, Matth. 5. 22. Μεσσίας *Meßias*, Joh. 1. 41. Ex his & similibus vocibus probat Gataker Textum Novi T. non esse verè Græcum.

3. Voces Græcæ Novi T. nonnunquam plures sensus & significationes recipiunt, quàm Græci sermonis usus receptior fert: ex. gr. Αἰὼν Græcis *seculum*, *ætatem* & *æternitatem* significat; sed Scriptoribus Novi T. etiam denotat ipsum *mundum*; quod ideo fit, quia עולם apud Hebræos utrumque significat: ut *Hebr.* 1. 2. *δι᾽ οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε, per quem etiam mundum fecit.* Hinc apparet quomodo assertio Pfochenii infringi possit.

4. Quod Novum T. non constet linguâ pure Græcâ, infra uberius probabitur ex illis Hebraismorum speciebus, quæ postea in quinque Dissertationibus plenius enumerabuntur.

IV. *Tertiò quæritur.* An Homerus, Plato, Demosthenes, Isocrates, aliique Græci profani auctores, si reviviscerent, possent Novum T. Græcum bene intelligere?

Respondeo. Si illi auctores reviviscerent, non possent Novum T. Græcum exactè intelligere: nam non constat tali lingua Græca, qualis olim illis auctoribus fuit usitata.

Nihilominus suprà citatus Pfochenius in dicta Diatribe affirmativam sententiam conatur defendere his rationibus.

1. Ratio. Quia Paulus ipse loqui cum Græcis Atheniensibus, ab eisque vicissim intelligi potuit: ergo sermo Pauli & Atheniensium fuit plane idem. Et per consequens, si Paulus potuit intelligere Græcos Athenienses, & vice versa Athenienses Paulum: ergo etiam antiqui Græci possent intelligere Paulum.

Resp. Primò. Hæc ratio Pfochenii non procedit: nam Paulus usus est sermone Græco tum temporis usitato, à puro Græco sermone declinante, cui multi Hebraismi, Syriasmi &c. fuerunt immixti. Neque hoc mirum: nam Græci eo tempore versabantur cum Hebræis, Latinis, aliisque, à quibus varia vocabula & modos loquendi mutuati sunt. Et tali stylo, tum temporis usitato, loquuti sunt & scripserunt Apostoli. Non mirum ergo, si Paulus potuit loqui cum Græcis Atheniensibus, ab iisque intelligi. Attamen inde non sequitur, quod Scripta Novi T. à Græcis, quâ talibus, Græcique sermonis purioris duntaxat gnaris, potuerint intelligi: nam multa vocabula Latina & Hebraica Novo T. sunt immixta, quæ Græcis quâ talibus non sunt intelligibilia.

Resp.

Resp. Secundò. Posito, quod Homerus, aliique Græci Novum T. intelligere possent: inde tamen non sequitur esse planè Græcum. Si Cicero revivisceret, Scripta Scholastica fortè intelligeret: sed quis inde concluderet, ea constare Romanâ Latinitate? Si aliquis, admiscens vocem peregrinam, Gallicè loqueretur, Gallus fortè ex antecedentibus & consequentibus eum sermonem intelligeret: inde tamen non sequeretur, quod purè Gallicè loquutus esset.

2. Ratio. Ita pergit Pfochenius. Si Paulus potuit Græcos Poëtas & Oratores intelligere, & ipsorum formalia verba recitare, ergo illi vicissim possent Paulum intelligere, si reviviscerent. Antecedens probatur ex quibusdam locis, quæ Paulus citavit; ut *Act.* 17. 28. ubi Arati versum citat, Τοῦ γὰρ γένος ἐσμέν *Nam hujus progenies sumus.* Deinde 1 *Cor.* 15. 33. Menandrum allegat, cum ait, Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Denique *Tit.* 1. 12. recenset versum Epimenidis poëtæ Cretensis, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri.* Ex his concludit laudatus auctor: ergo Paulus potuit ab Homero, aliisque Græcis, purè Græcè loquentibus, intelligi.

Resp. 1. Non sequitur: Paulus potuit illos versus intelligere, ergò vicissim antiqui Græci quâ tales possent Paulum intelligere: nam Paulus potuit discere antiquam linguam Græcam veteribus Græcis usitatam; quod Græci reviviscentes circa linguam Græcam Pauli aliorumque Apostolorum præsupponuntur non fecisse.

2. Præterea Paulus non posset intelligi ab antiquis Græcis, quia non est usus tali stylo, quali illi Poëtæ, vel alii auctores Græci usi fuerunt. Similiter non sequitur: Scholasticus aliquis Scriptor perfectè intelligit Ovidium, Virgilium, aliosque Poëtas, & ex iis versus aliquot citat; ergo vice versâ illi Poëtæ solidè intelligerent Scripta scholastica, scatentia multis vocibus barbaris, philosophicis, & verbis fictis: nam illi classici auctores ne fando quidem audiverunt illos recentiores terminos Scholasticos.

3. Illustrabo hanc differentiam similitudine aliqua, desumpta ex hodierna lingua Græca, hodiernis Græcis usitata, quæ multis parasangis differt tum à lingua antiqua Græca Homeri, Platonis &c. tum etiam à lingua Græca Euangelistarum & Apostolorum. Fortasse nonnulli ex hodiernis Græcis intelligunt Scripta tum antiquorum Græcorum, tum etiam Apostolorum; sed inde nullo modo sequitur, ergo illi antiqui Græci & Viri Apostolici, si reviviscerent, intelligerent hodiernam linguam Græ-

cam. Nam hodierna lingua Græca est nova, tractu temporis excogitata, & multis vocibus novis aucta, de quibus ne hilum sciverunt vel antiqui Græci vel Viri Apostolici. Qui desiderat cognoscere differentias tum inter antiquam & Apostolorum linguam, tum etiam inter hodiernam linguam Græcam, consulat Novum T. Græcum, decreto & sumptibus DD. Ordinum Generalium Belgii in gratiam hodiernorum Græcorum editum per columnas; adeo ut ab una parte conspiciatur lingua Græca Euangelistarum & Apostolorum, & ab altera parte hodierna lingua Græca. Sit aliquis optime versatus & in antiquis Scriptis Græcorum, & in Scriptis Apostolorum, ille tamen non intelliget hodiernam linguam Græcam, prout ibi in illo Novo T. describitur.

V. *Quartò quæritur.* Quare Scriptores Novi T. non fuerunt usi stylo planè Græco & Oratorio, quali præstantissimi Græci Oratores usi fuerunt; sed potius stylo simplici, vulgari, & Hebraismis permixto?

Respondeo 1. Beza in notis ad Actorum *cap.* 10. *vers.* 46. ait: Apostoli putarunt interdum balbutiendum, atque adeo solœcissandum cum vulgo esse: nam sic placuit Deo confundere hujus seculi sapientes, ut Paulus adversus Corinthios illos disertulos disserit.

2. Res Viris sacris ferè fuit cum rudibus ac plebejis hominibus, quibus sese sæpenumero accommodarunt: & propterea abstinuerunt sæpe à stylo sublimi & oratorio, utpote illis minus intelligibili.

3. Sacri Scriptores sæpissimè Hebraismos immiscuerunt, tum quia ipsi & auditores ut plurimum Hebræi erant; tum quia illæ res, de quibus disserebant, Hebraicis literis erant traditæ, quæ tam feliciter sine Hebraismis exprimi non poterant.

VI. Hinc tamen non sequitur, quod Hieronymus apud Bezam loco citato ait; *Paulus Græci penè sermonis fuit imperitus. Erat disertior in linguâ Hebræâ quam in Græcâ.* Nam Apostoli cuncta dixerunt planè, aptè & appositè, ut planius ac melius à quoquam de his dici nunquam potuerit; sed usi fuerunt linguâ Græcâ tum temporis usitatâ, à puritate prisca, propter diuturnam cum aliis nationibus conversationem, parumper recedente; quæ lingua ita mixta, ab imperitis & plebejis hominibus, tum temporis viventibus, meliùs intelligi potuit, quàm purissima & elegantissima lingua Græca. Ex.gr.Si Apostoli hoc seculo viverent,& in gratiam hodiernorum Græcorum Græcè scriberent, non uterentur vel stylo Græco antiquo, vel stylo Græco usitato in Novo T. nam non intelligerentur ab hodiernis Græcis:sed uterentur stylo Græco hodierno, qui hodiernis Græcis est usitatus.

Quintò

VII. *Quintò quæritur.* Utrum lingua Novi T. debeat vocari Græca; an verò Græcanica, Hellenistica, Hebræo-Græca, Hebraizans, aut alio aliquo modo?

Respondeo. 1. Pfochenius absolutè stylum Novi T. vocat Græcum: vel si aliquis peculiari nomine eum stylum distinguere velit, putat eum posse & debere vocari *sacrum* sive *Apostolicum.* Nam credit stylum Novi T. esse purè Græcum: & propterea non mirum est si neget eum peculiari nomine esse insigniendum.

2. Attamen nos probavimus stylum Novi T. esse inflexum ad Hebrææ linguę indolem, & multùm differre à stylo auctorum profanorum; illumque designare characterem quendam peculiarem, qui Hebræorum ac Syrorum idioma, verbis licet Græcanicis, facie totâ ferè repræsentat. Ideo si aliquis stylum Novi T. *Hebraizantem* vocare vellet, toto cœlo non erraret. Hinc tamen nemo debet concludere stylum Novi T. non esse Græcum: nam est quidem Græcus, sed talis, qualis tum temporis fuit usitatus, scil. Hebraizans.

3. Quod stylus Novi T. generaliori appellatione magis Hebraizans quàm pure Græcus sit vocandus, apparet ex Hebraismis infra recensendis, quô Lectorem remitto: sed hoc loco placet hæc duo tantum in medium proferre, ex quibus demonstrabitur diversitas styli, qui est inter antiquam linguam Græcam, & inter eam quæ usitata fuit Apostolis in Novo T. Ex. gr. Antiquis Græcis, præcipuè Poëtis, usitatus est numerus Dualis, sed in toto Novo T. ne unicum exemplum talis numeri occurrit. Similiter Tempus paulo post futurum à Græcis antiquis crebrò usurpatum, non nisi semel *Luc.* 19. 40. in toto Novo T. occurrit.

DISSERTATIO TERTIA,

DE

Triplici divisione Novi Testamenti.

§. 1. Triplex divisio N. T.
2. Divisio librorum est vel in 4 partes.
3. Vel in tres, quæ approbatur.
4. Schema divisionis librorum in 3 partes.
5. Hi omnes libri pertinent ad Canonem, licèt antiqua Ecclesia de decem libris sive partibus librorum dubitaverit.
6. Divisio Capitum Novi T. est varia.
7. Auctor hodiernæ distinctionis Capitum, in N. T. usitata, est ignotus.
8. Capita V. & N. T. in Vulgata Editione solebant olim dividi per septem literas

literas Alphabeti.

9. *Quod videtur adscribendum Hugoni Cardinali.*

10. *Distinctio versuum V. T. licèt sit authentica, non tamen semper margini est adscripta; uti jam à nobis in duabus editionibus est factum.*

11. *Robertus Stephanus, Parisiensis typographus, est primus auctor hodiernæ distinctionis versiculorum N. T.*

12. *Tempus fere assignatur, quando versiculi primitus Novis T. Græcis sunt additi.*

13. *Verba Hottingeri solvuntur ex prima editione Bibliorum Latinorum à Sancto Pagnino Lugduni in Gallia primâ vice editorum.*

SECTIO I.



Novum Testamentum triplici modo vulgò solet dividi, scilicet in Libros, in Capita, & in Versiculos. De singulis ordine agemus.

I. De Divisione Librorum.

II. De divisione librorum *primò quæritur.* Quomodo Novum T. vulgò dividitur?

Respondeo. Novum T. dupliciter dividitur; vel in partes quatuor, vel in partes tres. *Prior* divisio in partes quatuor tali modo supputatur, ut *prima* contineat quatuor Euangelia sive historiam Christi; *Secundà* Acta sive historiam Apostolorum; *Tertia* Epistolas Apostolicas viginti & unam; *Quarta* denique solam Apocalypsin Johannis, librum unicum in toto Novo T. propheticum.

III. *Posterior* divisio, parumper à superiori differens, est trimembris; quarum

Prima pars comprehendit libros *Historicos*, scil. *Matthæum*, *Marcum*, *Lucam*, *Johannem* & *Acta* Apostolorum.

Secunda pars continet libros dogmaticos sive *epistolas* viginti & unam, scil. *decem* Pauli ad totas Ecclesias, videlicet *ad Romanos*, duas ad *Corinthios*, ad *Galatas*, ad *Ephesios*, ad *Philippenses*, ad *Colossenses*, duas ad *Thessalonicenses*, & ad *Hebræos*; *Quatuor* ad certas personas, scil. duas ad *Timotheum*, ad *Titum*, & ad *Philemonem*; & *Septem* denique aliorum Apostolorum, scil. Jacobi, duas Petri, tres Johannis, & Judæ.

Tertia Novi T. pars comprehendit librum *Propheticum*, qui vocatur *Apocalypsis Johannis.* Hęc divisio trimembris, utpote in pauciores partes, nobis magis arridet.

IV. Schema exhibens divisionem librorum Novi T. in tres partes.

I. *Hi-*

I. *Historici.*	II. *Epistolæ 21.*		III. *Propheticus.*
	1. ad Romanos.	1. ad Titum.	
Matthæus.	1. 2. ad Corinthios.	1. ad Philemon.	
Marcus.	1. ad Galatas.	1. ad Hebræos.	
Lucas.	1. ad Ephesios.	1. Jacobi.	Apocalypsis.
Johannes.	1. ad Philippenses.	1. 2. Petri.	
Acta.	1. ad Coloss.	1. 2. 3. Johannis.	
	1. 2. ad Thessal.	1. Judæ.	
	1. 2. ad Timotheum.		

V. *Secundò quæritur.* An omnes suprà citati libri Novi T. qui in hac triplici divisione continentur, semper pro libris Canonicis ab Ecclesiâ antiqua fuerunt recepti?

Respondeo. Antiqua Ecclesia olim dubitavit pro tempore, an ad Canonem Novi T. pertinerent, de his decem sequentibus libris; videlicet 1. De ultimo capite *Marci* à versu 9. sic incipiente, *Surgens autem Jesus manè prima Sabbathi* &c. usque ad finem ejusdem capitis. Sic testantur Hieronymus quæst. 3. ad Hedibiam, & Euthymius in explicatione hujus capitis. *Quær.* Quare Ecclesia antiqua dubitavit de his versibus? *Resp.* Quia videbatur contradictio esse inter verba Matthæi, dicentis *Christum vespere Sabbathi resurrexisse*; & inter verba Marci, scribentis *Jesum unâ Sabbathi manè surrexisse.* Hanc apparentem contradictionem ita solvit Hieronymus, respondendo, quod Matthæus dicat, *quando Dominus surrexerit*, & Marcus *quando Eum viderit Magdalena.*

2. Nonnulli ex Veteribus dubitarunt, an historia de angelica consolatione, & de sudore Christi sanguineo, sit Canonica: & propterea multi pervetusti Codices non habuerunt eam historiam, quæ legitur Lucæ *cap.* 22. *vers.* 43. 44. *Apparuit ei angelus de cœlo corroborans eum. Et correptus angore, prolixius orabat: & erat sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentes in terram.* Eam historiam in multis Græcis & Latinis codicibus non inveniri, testantur Hilarius in decimo de Trinitate, & Hieronymus in secundo adversus Pelagium dialogo. *Quær.* Quare hi duo versus in multis codicibus non fuerunt expressi? *Resp.* Orthodoxi hoc videntur fecisse pio zelo; quia Ariani ex hac historia probare conabantur filium Dei in eâdem impassibilis Dei naturâ non esse.

3. Historia mulieris in adulterio deprehensæ, quæ occurrit in Euangelio Johannis *cap.* 8. à *versu* 1. usque ad 12. in multis exemplaribus Græcis & Latinis olim non exstabat. Hoc testantur Hieronymus in secundo ad-

versus

versus Pelagium volumine, & Euthymius in Commentario ejusdem capitis. *Quær.* Quare in multis Codicibus omissa est illa historia? *Resp.* Quia credebatur desumpta ex Euangelio quodam Apocrypho secundùm Hebræos. Sic ait Eusebius in 3. Eccles. historiæ ex testimonio Papiæ: *Habetur hæc historia de adulterâ in Euangelio, quod dicitur secundùm Hebraos.*

4. Epistola ad Hebræos à Latinis pro Canonicâ diu non fuit recepta, teste Hieronymo in *cap. 6.* Jesaiæ, ubi sic ait; *Paulus in Epistola ad Hebraos, quam Latina consuetudo non recipit*, &c. *Quær.* Quare Epistola ad Hebræos pro tempore à Latinis non fuit recepta tanquam Canonica? *Resp.* Quia Latini crediderunt eam non esse Pauli epistolam. Quare? Propter styli sermonisque distantiam. A quo ergo secundùm eos esset scripta? Vel à Barnaba, vel à Lucâ Euangelistâ, vel à Clemente, vel ab aliquo alio. Sed Concilium Laodicenum, Carthaginense tertium, Arausicanum tertium, & Ecclesiæ Græcæ eam tanquam Pauli epistolam receperunt, testante Hieronymo in epist. ad Dardanum, ubi ait; *Epistola, qua inscribitur ad Hebraos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed omnibus Graci sermonis scriptoribus quasi Pauli recipitur.*

5. Jacobi epistola, temporibus Apostolorum, & aliquandiu post, non fuit inter Canonica Scripta assumpta. Sic testantur Eusebius in secundo volumine historiæ Ecclesiasticæ & Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: sed è contra Concilium Laodicenum, Carthaginense, & alia sequentia eam pro Canonica habuerunt. *Quær.* Quare non semper fuit recepta tanquam Canonica? *Resp.* Procul dubio, quia caput secundum videbatur contrariari doctrinæ Pauli, quam in Epistolis suis, de Justificatione gratuitâ ex fide, inculcaverat. Propter eandem causam etiam Lutherus de authentiâ hujus epistolæ, & ob aliam causam de epistolâ Judæ aliquandiu dubitavit.

6. De posteriori Petri Epistola, propter styli diversitatem in priori Epistola usurpatam, etiam diu fuit dubitatum, testibus Origine, Eusebio & Hieronymo.

7. 8. Olim Ecclesiæ pro tempore non receperunt, tanquam Canonicas, secundam & tertiam Epistolam Johannis. *Quær.* Quare? *Resp.* Quia crediderunt has non esse scriptas ab Apostolo Johanne. *Quær.* Ob quas causas non crediderunt? *Resp.* 1. Quia se vocat presbyterum. 2. Quia ad unam mulierem & ad unicum Gajum scripsit, contra consuetudinem epistolarum Catholicarum, quæ *Catholica*, *Universales* & *Orbicula-*

culares dicuntur, quod non uni personæ, genti aut civitati, sed universaliter omnibus fidelibus scriptæ sint. Vide has rationes infrà refutatas, ubi in genere de his Catholicis epistolis agitur.

9. De auctoritate Epistolæ Judæ etiam olim Veteres dubitarunt, teste Eusebio lib. 2. hist. Eccles. cap. 23. *Quær.* Quare? *Resp.* Quia illa Epistola allegat quædam, quæ in libris canonicis non videntur exstare, scil. allegat historiam altercationis inter Michaëlem & diabolum de corpore Mosis, & vaticinium quoddam Enochi.

10. Denique Apocalypsis è numero librorum canonicorum pro tempore fuit eliminata, quasi cum stylo Johannis Euangelistæ non conveniret. Etiam Syri in primitivâ Ecclesiâ plerosque hos antecedentes libros non receperunt; quod apparet ex omnibus fere Testamentis Syriacis, præcipuè antiquioribus, in quibus desiderantur Historia adulteræ, secunda Epistola Petri, secunda & tertia Johannis, Epistola Judæ & Apocalypsis.

II. De Divisione Capitum Novi T.

Sectio VI.

Secunda divisio Novi Testamenti, quâ idem dividitur in capita, jam sequitur describenda. De hac divisione *primò quæritur*. Quomodo distinctio capitum N. T. olim est instituta? Et quando eadem est inventa?

Respondeo. 1. Quia ipsi Euangelistæ & Apostoli nullam distinctionem capitum addiderunt, sed sua Euangelia & Epistolas scripserunt ut unum caput; ideo quidam Veteres diversimodè libros Novi T. diviserunt.

2. Ammonius Alexandrinus, sive Eusebius Cæsariensis, sive Tatianus quatuor Euangelia numeratim in capita diviserunt, scil. Matthæum in capita 355. Marcum in 235. Lucam in 343. & Johannem in capita 232.

3. Hilarius dissecuit Matthæum in triginta tres canones.

4. In Commentariis Ambrosii Euangelium Lucæ dividitur in titulos 64. sed in Commentariis Bedæ in 93. capita.

5. Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 3. pag. 188. ait, *Hanc arithmeticam capitum distinctionem, quam nunc in Bibliis habemus, recentem esse: nam ante quingentos annos nullus sive apud Hebræos, sive apud Græcos invenitur Divinæ Scripturæ locus numeratim citatus.* Paulo post pag. 190. „ sic pergit: Cæterum inter Græcos expositores, qui annis abhinc quin- „ gentis floruêre, cœperunt quidam partiri sancta scripta in partes nume-

„ ratim distinctas, & numerorum characteribus annotatas: quas interdum „ titulos, & interdum capitula nuncupabant. Sic Euthymius sive Oecu- „ menius distribuit Matthæum in titulos sive capita 68. quorum pri- „ mum inscripsit περὶ τ̃ μάγων *De magis*; secundum περὶ τ̃ ἀναιρεθέντων „ παιδίων *de pueris interfectis*, &c. Hæc divisio capitulorum sive titulorum in margine Novi T. Græci, editi anno 1569. à Roberto Stephano, præter hodiernam, etiam annotatur. Hæc distinctio capitulorum in fine nonnullis Testamentis Græcis addi solet; uti videre est in editione Elseviriorum, quæ Lugduni Batavorum anno 1641. in lucem emissa est.

6. Apud Latinos, qui post annum Christi millesimum usque ad hæc tempora vixerunt, duplex invenitur capitum Novi T. enumeratio, vetustior scilicet & recentior. *Vetustior* distinctio est numerosior: nam eo tempore, quando hæc vetustior capitum distinctio à Latinis fuit inventa, distinctio versiculorum fuit ignota. Juxta hanc vetustiorem distinctionem Matthæus in vetustis codicibus divisus fuit in 94. capita, Lucas in 107. Epistola ad Romanos in capita 50. &c. Orientales numerosiorem divisionem capitum etiam observarunt: sic Matthæus in Test. Arabico Erpenii continet capita 101. in Testam. Syriaco comprehendit capita 76. *Recentior* divisio capitum, ultimis temporibus excogitata, est in capita pauciora; estque ea ipsa divisio, quæ in hodiernis Novis T. usurpatur. Per hanc Matthæus dividitur in capita 28. Marcus in capita 16. &c. Hâc breviori capitum divisione usi fuerunt in Comm. suis Hugo Presbyter Cardinalis, Alexander Alensis, Albertus Magnus, Thomas Aquinas, aliique.

VII. *Secundò quæritur*. Quisnam est auctor hodiernæ distinctionis capitum in Novo T. usitatæ?

Respondeo. Auctor hodiernæ distinctionis capitum plane est ignotus. An Hugo Presbyter, aut Alexander Alensis, aut Albertus Magnus aliquid contulerint ad hodiernam divisionem capitum nos latet: nec etiam novimus assignare præcisum tempus, quando hodierna divisio est introducta. Sunt tamen qui eam divisionem adscribunt Stephano Langton, vel suprà scripto Hugoni Cardinali: sed præstat sub judice litem relinquere, quando nihil certi determinari potest. Nam auctores non conveniunt. Quidam adscribunt Hugoni Cardinali circa an. 1240. vel 1254. alii Scholasticis quibusdam, qui circa annum 1243. unà cum Hugone Cardinali Concordantias Latinas conscripserunt. Hottingerus Hist. Eccles. Tom. 3. p. 347. 348. sic ait: *Hugo Cardinalis scripsit in universam Scripturam Commentaria, utens numerali citatione & enumeratione capitum, quam*

nunc

nunc habemus. Primus in capitula sacros libros distinxit. Primus Biblicum indicem, quem vocant Concordantias majores, cum Conrado Alberstadio monacho collegit, conjunctis quingentorum monachorum è diversis cœnobiis operis, atque omnia Nomina, Verba, Participia, denique omnes tam declinabiles, quam indeclinabiles orationis partes, toto Bibliorum contextu comprehensas, in Alphabeticum ordinem digeßit, annotatis librorum capitibus & capitum lineis. Genebrardus ibidem allegatur, qui ad annum Christi 1243. sic scribit: *Circa hoc tempus Biblia in capitula, quæ hodie habemus, distinguuntur, Scholasticorum videtur esse inventum, eorum fortasse, qui cum Hugone Cardinali Concordantiarum fuêre auctores.*

III. De Divisione Versuum N. T.

Sectio VIII.

Jam tertia & ultima Novi T. divisio in partes minimas, h. e. versiculos, venit enarranda; de qua *primò quæritur.* Quando, & à quibus est inventa hodierna distinctio versuum Novi Testamenti?

Respondeo primò. In antiquis editionibus Novorum Test. Græcorum nulla distinctio nisi capitum fuit observata, & quidem capitum minorum, juxta quam Matthæus fuit divisus in capita 94. & Lucas in capita 107.

Respondeo secundò. Seculo decimo quarto & decimo quinto, fortè & paucis præcedentibus seculis, solebant Latini capita Veteris & Novi T. distinguere per literas alphabeti A. B. C. D. E. F. G. quas margini singulorum capitum, præcipuè prolixiorum in versionibus vulgatis adscribebant, ut textus, allegati per has literas, facilius à quovis investigari possent.

IX. *Quæritur.* Quis primus tales literas alphabeti versionibus vulgatis adscripsit ad distinguendum paragraphos?

Resp. Hoc videtur fecisse Hugo Cardinalis anno 1240. Quod probatur ex verbis Hottingeri sectione septima statim allegatis, ubi in fine scribens de hoc Hugone sic ait: *Annotatis librorum capitibus & capitum lineis.* Per *capitum lineas* intelliguntur paragraphi per literas alphabeti distincti, qui tam diu fuerunt retenti, donec in locum eorum introducta fuit distinctio versuum.

X. *Quæret* forte aliquis: An non distinctio versuum Veteris Testamenti est ab ipsis auctoribus librorum?

Resp. Imo distinctio versuum Veteris T. est ab ipsis auctoribus: nam accentus Silluk distinguit versiculos, qui ubique in fine versuum expressus est. Sed olim in Bibliis Hebraicis ad marginem non solebant exprimi literæ Hebraicæ, denotantes distinctionem versuum; uti videre est in antiquis Bibliis Hebraicis Bombergi, Munsteri, aliorumque editionibus. Postea circa medium ferè præcedens seculum quintus quilibet versus ad marginem fuit annotatus literis Hebraicis א, ה, י, טו, כ, &c. Tandem anno 1660. singuli versus Latinis numericis notis (excepto quinto quolibet versu, qui more antiquo literis Hebraicis exprimitur) in Bibliis Hebraicis editionis Amstelodamensis (me suadente & instigante) ad bonum publicum à Josepho Athia distincti sunt; quales notæ numericæ nunquam antehâc ulli textui Hebraico appositæ fuerant. Et quia vidimus ea Biblia, quorum magna copia erat impressa, intra tres quatuorve annos esse distracta & divendita, ideo anno 1667. secundam editionem, primâ longe correctiorem, unà cum lemmatibus Latinis in margine, in publicum emisimus.

XI. *Respondeo tertiò.* Hodierna distinctio versiculorum Novi T. demum est excogitata à Roberto Stephano, patre Henrici Stephani; qui ambo fuerunt accuratissimi typographi, & viri de literis optime meriti. Hic Robertus proficiscens Parisiis Lugdunum per Galliam in viâ versiculos Novi T. confecit, & quidem magnam eorum partem equitans. Audi hâc de re verba Henrici Stephani, filii, in præfatione Concordantiarum „ Græcarum Novi T. Id, cujus honorificam mentionem facio, benefi- „ cium, illud est, quòd quum Testamenti Novi libri in tmemata, quæ „ capita vulgò vocantur, divisi essent, ipse (*scil. pater meus Robertus Ste-* „ *phanus*) horum tmematum (*h. e. capitum*) unumquodque in tmema- „ tia (h. e. *versiculos*) divisit vel subdivisit. Initium à duobus sumam, quo- „ rum utrum magis mirari debeas, dubitabis. Unum est, quòd Lutetiâ „ Lugdunum petens, hanc, quâ de agitur, capitis cujusque catacopen „ confecit, & quidem magnam ejus, inter equitandum, partem: alterum, „ quòd illum paulo ante de hac cogitantem, plerique omnes incogitan- „ tem esse ajebant, perinde ac si in re prorsus inutili futurâ, ideoque non „ tantùm nullam laudem consequutura, sed in derisum etiam ventura, „ ponere tempus atque operam vellet. At ecce, contra eorum damna- „ tricem instituti patris mei opinionem, inventum illud simul in lucem, „ simul in omnium gratiam venit: simulque in tantam auctoritatem, ut „ quasi exauctorarentur aliæ Testamenti Novi sive Græcæ, sive Latinæ,

„ sive

„ sive Gallicæ, sive Germanicæ, sive in alia vernacula lingua editiones, „ quæ inventum id sequutæ non essent. Idem fere recensetur ab eodem Henrico, filio, in epistola dedicatoria, notis Novi. T. præfixa, dedicata Philippo Sidneo, ubi sic fatur: *Pudebat me equidem, cum pater meus illo toties operam & studium navasset variis Testamenti Novi Græci editionibus, ac postremò illam singulorum hujus libri capitum in certum versuum numerum distributionem excogitasset, nisi & ipse symbolam meam conferrem, ab illo videri degenerare. Sed magnam laboris paterni, h. e. illius seu distributionis seu divisionis ab eo excogitata, esse utilitatem, universi propemodum Christiani orbis in ea amplectenda consensus, quacunque Testamentum Novum excudatur lingua, satis superque testatur.* Vide hanc epist. dedicat. in Tomo VI. Bibliorum Criticorum pag. XX.

XII. *Porrò quæritur.* Quando Robertus Stephanus hodiernam versiculorum distinctionem Novo T. Græco primitus adscripsit?

Respondeo. Robertus Stephanus floruit & vixit circa annum 1550, aliquot annis ante, & aliquot annis post. Sed quoto anno superioris seculi versiculos inter equitandum suo Testamento adscripserit, firmiter & certo asserere non possum. Si liceat divinare, judico eum versiculos nondum adjecisse Græcis Novis Testamentis, vel eadem cum tali distinctione versiculorum edidisse anno 1550. Ratio divinationis hæc est: quia ille Robertus, edens eodem illo anno Lutetiæ insigne illud Novum T. Græcum in folio, non adjecit ei distinctionem versiculorum. Si verò eo anno eam distinctionem alicui Novo Test. Græco apposuisset, procul dubio illam præstantissimæ illi editioni etiam addidisset. Fortassè etiam ante annum 1550. distinctionem versiculorum privato suo Novo Test. Græco inter equitandum apposuit, attamen tale Test. eo anno nondum edidit. Est mihi Novum Test. Gallico-Italicum, editum anno 1555. apud Giovan Luigi Paschale, quod est distinctum hodierna distinctione versuum. In ejus præfatione dicitur, quod versiculi sint additi secundùm inventionem Roberti Stephani. Ergo intra illud tempus, scil. intra annum 1550. & 1555. versiculi videntur impressi à Roberto Stephano. Mihi anno 1670. non licuerat antiquius Novum T. Græcum, versiculis distinctum, lustrare, nisi illud in folio, illustratum notis Bezæ, & editum Basileæ anno 1560. impensis Nicolai Barbirii & Thomæ Courteau. Infrà pag. 166. & 167. clarè probabo primum Novum Test. Græcum, in versiculos distinctum, prima vice esse editum à Roberto anno 1551.

XIII. Contra hæc superiora forte nonnemo *objicere* posset verba

Hottingeri, dicentis in quintâ parte *Hist. Eccles. sect. 3. cap.* 16. quod Augustinus Justinianus, Episcopus Nebiensis, anno Christi 1516. octaplum utriusque Testamenti quinque præcipuis linguis molitus fuerit, & quod Novum T. more Veteris Hebraici per versiculos, numerorumque notas distinxerit.

Respondeo. Per illos versiculos & numerorum notas non intelliguntur versiculi in hodiernis Novis Test. usitati. Memini me vidisse in antiqua Latina editione Novi Testamenti (primâ vice unà cum versione Latina Veteris T. editi simul Lugduni in Galliâ à Sancte Pagnino anno 1528.) distinctionem versiculorum quorundam, non eorum qui hodie observantur, sed multo prolixiorum; adeo ut unus versiculus antiquior aliquando duos, tres, vel quatuor recentiores versiculos comprehendat. Ex. gr. caput primum Marci, continens in hodiernis Testamentis Græcis 45 versiculos, ibi tantum habet 15 versiculos. In secundo capite, loco 28 versiculorum, sunt ibi tantum versiculi 12. Similiter in capite tertio, loco 35 versiculorum, inveniuntur tantum versiculi 9. & sic deinceps. Ea versio Veteris & Novi T. à Sancte Pagnino primùm edita est anno 1528. uti in titulo habetur, etiamsi in fine Apocalypseos exprimatur annus 1527. his verbis: *Veteris ac Novi instrumenti nova translatio per reverendum sacræ Theologiæ doctorem Sanctem Pagninum Lucensem, nuper edita, explicit. Impressa est autem Lugduni per Antonium du Ry, calcographum diligentissimum, impensis Francisci Turchi & Dominici Berticinium Lucensium, & Jacobi de Giuntis Bibliopolæ civis Florentini. Anno Domini* 1527. *die vero* XXIX. *Januarii.* Sed post Apocalypsin impressa adhuc est explicatio nominum propriorum Vet. & N. T. quibus imprimendis annus sequens videtur insumptus. Hanc ipsam editionem ex Bibliotheca magni Gisberti Voetii piæ memoriæ possideo. Procul dubio verba Hottingeri sunt intelligenda de talibus majoribus versiculis, & non de recentioribus, jam usitatis in Novis Testamentis.

DISSERTATIO QUARTA,

DE

Integritate Novi Testamenti Græci.

PARS PRIMA.

§. 1. *Tria obiter proponuntur quæ concernunt integritatem N. T.*

2. *Varii libri recensentur, quos olim nonnulli ad canonem Novi T. retulerunt.*

3. *Epi-*

3. *Epistola ad Laodicenses Græcè, Hebraicè & Latinè allegatur.*
4. *Sed non est illa eadem, cujus Apostolus meminit ad* Coloss. 4. 16.
5. *Apostolus in dicto loco non intelligit priorem epist. ad Timotheum. Quidam epistolam illam ab ipsis Laodicensibus Paulo missam esse putant.*
6. *Suprà allegata epistola videtur à quodam efficta: vel si esset à Paulo conscripta, inde tamen nondum probaretur eam esse canonicam.*
7. *Nota accentuum & spirituum pertinent ad integritatem textus Græci N. T. eaque sunt à S. Scriptoribus textui addita. Complutenses culpantur.*
8. *Typographi literis majusculis neque spiritus neque accentus olim imposuerunt. Ratio additur.*

SECTIO I.

Quia nonnulli putant Novum Testamentum Græcum jam non esse integrum & perfectum, prout olim ab ipsis Euangelistis & Apostolis fuit conscriptum; sed vel nonnulla ex canone Novi T. jam esse extrusa, quæ olim ad canonem pertinuerunt; vel nonnulla esse addita, quæ olim in canone non fuerunt; vel nonnulla esse interpolata aut transmutata: ideo statui hisce tribus sequentibus dissertationibus hæc tria sequentia probare. 1. Quod nulli libri vel partes librorum ex canone Novi T. perierint. 2. Quod nullæ partes heterogeneæ eidem canoni sint adjectæ. 3. Quod nulla Novi T. membra, quæ partes essentiales ejusdem constituunt, sint depravata aut transmutata.

II. *Primò ergo quæritur.* An quidam libri ex canone Novi T. perierunt & extrusi sunt, qui olim ad illum canonem pertinuerunt?

Respondeo. Nulli libri ex canone Novi T. extrusi sunt, qui olim revera ad canonem pertinuerunt. A nonnullis Patribus & à quibusdam aliis novitiis doctoribus proferuntur quidam libri, quasi ab ipsis Euangelistis aut Apostolis conscripti, qui olim pro canonicis & authenticis Novi T. libris putantur recepti: sed illi revera nunquam ad canonem pertinuerunt. Verum ut lectores de talibus Pseudo-Apostolicis libris diiudicare possent, placet eos hîc ordine breviter recensere; suntque hi sequentes.

1. *Proto-Euangelium Jacobi.* Ejus primi Euangelii sæpè meminit Origines. Hieronymus illud idem ex idiomate Hebræo in Græcum transtulit, eique egregium præbet testimonium in Catalogo Scriptorum Illustrium. Illud Euangelium continet historiam nativitatis Mariæ usque ad adven-

adventum Magorum. Sed inter cæteras ambiguæ fidei narrationes, etiam hæc absurdissima occurrit, scil. Josephum & Mariam, stupri & sacrilegii accusatos, ex decreto sacerdotum simul fuisse adactos ad bibendum poculum zelotypiæ, quo Moses explorari jussit innocentiam fœminæ de adulterio suspectæ. *Vide Biblioth. Sixti Senens. l. 2.*

II. *Euangelium Hebionitarum*, quod idem putatur esse cum Hebraico Matthæi Euangelio, sed ab Hebionis sectatoribus adulteratum, immutatum, & multis in locis mutilatum. *Epiphanius lib.* 1. adversus hæreses contra Hebionitarum hæresin disputans, ita illud Euangelium incipere ait: *Factum est in diebus Herodis, regis Judææ, & Caipha Pontificis, venit quidam Johannes, baptizans baptismum pœnitentiæ. -- & venit vir, nomine Jesus, annorum circiter triginta, & baptizatus est à Johanne, &c.*

III. *Euangelium Nazaræanorum*, quod in usu fuit apud Nazaræos, qui unà cum Euangelicâ Christi doctrinâ etiam Mosaicas cæremonias observabant. Origenes putat Euangelistas illam sententiam, *diliges proximum tuum sicut te ipsum*, ex hoc Euangelio desumpsisse. *Eusebius l. 3. Historiæ Eccles.* ait historiam, Johannis cap. 8. de muliere in adulterio deprehensa, quæ in Test. Syriaco non habetur, ex hoc esse desumptam. Sixtus Senensis lib. 2. asserit hoc ipsum Euangelium apud veteres Patres inter alias venerandas Scripturas ad ædificationem Ecclesiæ susceptum esse.

IV. *Euangelium Encratitarum*, quod Encratitis fuit usitatum. Illud ex quatuor Euangeliis collegit Tatiacus, auctor sectæ Encratitanæ. De hoc *Theodoretus*, *Cyrenensis Episc. lib.* 1. hæreticarum fabularum ita scribit: *Tatianus composuit Euangelium, quod dicitur diatessaron, h. e. ex quatuor unum, amputatis genealogiis, & aliis, quæcunque ostendunt dominum natum esse ex Davide secundùm carnem. Eo usi sunt qui dogmata Apostolica sequuntur, compositionis fraudem non agnoscentes*, &c. Hujus Euangelii initium erat; *Quoniam quidem multi conati sunt*, &c.

V. *Euangelium Pauli.* Hujus Euangelii putant Paulum mentionem facere 2 Tim. 2. 8. quando ait: *Memento Jesum suscitatum fuisse ex mortuis, secundùm Euangelium meum.* Sed per Euangelium hîc intelligitur Euangelica doctrina, quam Paulus vivâ voce ubique prædicaverat.

VI. *Apostolorum canones quinquaginta*, à Clemente conscripti, quorum primus est; *Episcopus à duobus aut tribus episcopis ordinetur.* Hi canones à papa Leone nono inter scripta orthodoxæ fidei sunt recepti.

VII. *Apostolorum* sive *omnium discipulorum vitæ obsignatio.* Hanc Cy-

Cyrillus Hierosolymæ episcopus Catechesi quartâ inter scripta canonica Novi T. recenset. Sunt qui putant hanc *obsignationem* esse *Symbolum Apostolorum*, cujus singuli Apostoli, testante *Augustino in sermone secundo dominica Palmarum*, partem suam tali modo composuisse dicuntur.

1. Petrus dixisset, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*
2. Johannes, *Creatorem cœli & terra.*
3. Jacobus, *Credo & in Jesum Christum, Filium ejus unicum, dominum nostrum.*
4. Andreas, *Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria virgine.*
5. Philippus, *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.*
6. Thomas, *Descendit ad inferna, tertiâ die resurrexit à mortuis.*
7. Bartholomæus, *Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.*
8. Matthæus, *Inde venturus judicare vivos & mortuos.*
9. Jacobus Alphæi, *Credo & in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam.*
10. Simon Zelotes, *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.*
11. Judas Jacobi, *Carnis resurrectionem.*
12. Matthias, *vitam æternam, Amen.*

Vide Sixtum Senensem in Bibliotheca *lib.* 2.

VIII. Etiam diversa scripta *Clementis* circumferuntur; (De hoc Clemente loquitur Apostolus ad Philipp. 4. 3. *Unà cum Clemente & reliquis adjutoribus meis, quorum nomina sunt scripta in libro Vitæ.*) suntque hæc sequentia.

1. Epistola ad Corinthios prima, quæ Anglicè edita est Londini anno 1647. & variis notis illustrata.
2. Epistola ad Corinthios secunda.
3. Epistola prima ad Jacobum.
4. Item epistola secunda ad Jacobum.
5. Epistola ad omnes coëpiscopos.
6. Epistola ad Julium & Julianum.
7. Epistola ad fratres Hierosolymæ, cum Jacobo habitantes.
8. Liber unus Apostolicæ liturgiæ.
9. Canonum Apostolicorum liber unus.
10. Libri decem recognitionum priorum ad Jacobum, & libri decem recognitionum posteriorum.

11. Libri decem itinerarii Clementis. De his & aliis similibus scriptis Clementis vide in *Biblioth. Sixti Senensis. l.* 2.

IX. Paulus præter quatuordecim Epistolas canonicas & Evangelium, de quo suprà, putatur conscripsisse diversa scripta, scilicet:

1. Epistolam tertiam ad Corinthios; quam probant ex 1 Cor. 5. 9. *Scripsi vobis in epistolâ, ne commisceamini cum scortatoribus.*
2. Epistolam tertiam ad Thessalonicenses.
3. Epistolas sex ad Lucium Annæum Senecam.
4. Librum unum de raptu suo in cœlum.
5. Librum unum de actibus suis.
6. Librum unum de suis & Teclæ actibus.
7. Denique epistolam ad Laodicenses.

III. Quia ad stabiliendam imperfectionem canonis Novi T. prætẹritis ferè cæteris suprà citatis libris, ut plurimum solet in medium proferri Epistola Pauli ad Laodicenses (occasione verborum ipsius Pauli ad *Coloss.* 4, 15, 16. ubi sic Apostolus inquit; *Salutate fratres qui sunt Laodiceæ. -- Et quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite ut etiam in Laodicensium Ecclesia recitetur: & ut scriptam* ἐκ Λαοδικείας Laodiceâ, *vos quoque legatis;*) ideo placet paulo uberius de hac quàm de aliis disserere. Sed cum hæc epistola, ad Laodicenses vocari solita, plerisque ignota sit, & nonnisi in paucissimis & rarissimis libris occurrat, ideo visum est eandem Græcè & Latinè ex Hutteri Novo T. breviter hic describere, ut, quid de authentiâ hujus epistolæ statuendum sit, certius cognoscatur.

Hæc epistola, ad Laodicenses vulgò vocari solita, tantum continet caput unum.

1. Παῦλος ἀπόστολος οὐκ ἀπ' ἀνθρώπων, οὐδὲ δι' ἀνθρώπου, ἀλλὰ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῖς ἐν Λαοδικείᾳ ἀδελφοῖς.	1. Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem; sed per Jesum Christum, fatribus qui estis Laodiceæ.
2. Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.	2. Gratia vobis, & pax à Deo patre nostro, & Domino nostro J. Christo.
3. Εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου τῷ Χριστῷ πάντοτε ἐν ταῖς προσευχαῖς μου, ὅτι ἐμμένοντες καὶ προσκαρτεροῦντες ὑμεῖς ἐστὲ ἐν ἔργων καλῶν, προσδεχόμενοι τὴν ἐπαγγελίαν ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως.	3. Gratias ago Deo meo Christo in omnibus orationibus meis, quod permanentes estis, & perseverantes in operibus bonis, promissionem exspectantes in die judicii.

4. Καὶ

4. Καὶ μὴ ταράξωσιν ὑμᾶς ματαιολογίαι τινων τῶν ἀποκρινομένων τὴν ἀλήθειαν, τοῦ διαστρέψαι ὑμᾶς ἀπὸ τῆς ἀληθείας τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ εὐαγγελισθέντος ἀπ' ἐμοῦ.

4. Neque disturbant vos quorundam vaniloquia insimulantium veritatem; ut vos avertant à veritate Euangelii, quod à me prædicatur.

5. Νῦν δὲ ποιήσει ὁ θεὸς, ἵνα πάντες οἱ ἐξ ἐμοῦ εἰσιν ἐπὶ τὴν τελειότητα τῆς ἀληθείας τοῦ Εὐαγγελίου φέρωνται, τοῦ ποιῆσαι τὴν χρηστότητα τῶν ἔργων, ἃ πρέπει τῇ σωτηρίᾳ τῆς ζωῆς αἰωνίου.

5. Et nunc faciet Deus, ut omnes, qui sunt ex me, ad perfectionem veritatis Euangelii deferantur, ut faciant benignitatem operum quæ sunt saluti vitæ æternæ.

6. Καὶ νῦν φανεροὶ ἐγένοντο οἱ δεσμοί μου ἐν οἷς δέσμιός εἰμι ἐν Χριστῷ, καὶ ἐν τούτῳ χαίρω· ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι.

6. Et nunc palam sunt vincula mea quæ patior in Christo: in quibus lætor & gaudeo.

7. Οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν αἰώνιον, ὃ ἐγένετο διὰ τῆς ὑμῶν δεήσεως, καὶ ἐπιχορηγίας τοῦ πνεύματος ἁγίου.

7. Scio enim quod hoc mihi est ad salutem perpetuam, quod factum est orationibus vestris, administrante Spiritu Sancto.

8. Εἴτε διὰ ζωῆς, εἴτε διὰ θανάτου; ἐμοὶ γὰρ τὸ ζῆν Χριστὸς, καὶ τὸ ἀποθανεῖν χαρά.

8. Sive per vitam, sive per mortem; est enim mihi vivere Christus, & mori gaudium.

9. Αὐτὸς δὲ ὁ κύριος ἡμῶν, ἐν ὑμῖν ποιήσει τὸ ἔλεος αὐτοῦ μεθ' ὑμῶν, ἵνα τὴν αὐτὴν ἀγάπην ἔχοντες σύμψυχοι τὸ αὐτὸ φρονῆτε.

9. Et ipse Dominus noster in vobis faciet misericordiam suam, ut eandem dilectionem habeatis, & sitis unanimes.

10. Διὰ τοῦτο ἀγαπητοὶ, καθὼς ἠκούσατε τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου, οὕτως φρονεῖτε, καὶ ποιεῖτε ἐν φόβῳ τοῦ θεοῦ, καὶ ἔσται ὑμῖν ζωὴ αἰώνιος.

10. Propterea dilecti, ut audistis præsentiam Domini, ita sentite, & facite in timore Domini, & erit vobis vita in æternum.

11. Ὁ θεὸς γάρ ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ὑμῖν.

11. Est enim Deus qui operatur in vobis.

12. Πάντα ποιεῖτε χωρὶς γογγυσμῶν, καὶ διαλογισμῶν.

12. Omnia facite sine murmurationibus ac disceptationibus.

13. Καὶ τὸ λοιπὸν, ἀγαπητοὶ, χαίρετε ἐν τῷ κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, καὶ ὁρᾶτε, καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ πάσης αἰσχροῦ κέρδους πλεονεξίας.

14. Πάντα τὰ αἰτήματα ὑμῶν παῤῥησίᾳ γνωριζέσθω πρὸς τὸν θεὸν, καὶ βέβαιοι γίνεσθε ἐν νοῒ τοῦ Χριστοῦ.

15. Καὶ τὸ λοιπὸν, ἀδελφοὶ, ὅσα ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνὰ, ὅσα ἁγνὰ, ὅσα δίκαια, ὅσα προσφιλῆ, ταῦτα πράσσετε.

16. Καὶ ἃ ἠκούσατε, καὶ παρελάβετε ἐν καρδίαις ὑμῶν κατέχετε, καὶ ἔσται ὑμῖν εἰρήνη.

17. Ἀσπάσασθε τοὺς ἀδελφοὺς πάντας ἐν φιλήματι ἁγίῳ.

18. Ἀσπάζονται οἱ ἅγιοι πάντες.

19. Ἡ χάρις τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μετὰ τοῦ πνεύματος ὑμῶν, ἀμήν.

20. Ποιήσατε ἵνα ἡ ἐπιστολὴ ᾖ ἐν τῇ Κολοσσάων ἐκκλησίᾳ ἀναγνωσθῇ, καὶ τὴν ἐκ Κολοσσῶν, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε.

Πρὸς Λαοδικεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχικοῦ καὶ Ὀνησίμου.

13. Et quod reliquum est dilectissimi: gaudete in Domino Jesu Christo, & cavete vobis ab omni avaritia turpis lucri.

14. Omnes petitiones vestræ cum fiducia manifestæ fiant apud Deum, estote firmi in sensu Christi.

15. Denique fratres, quæ vera, & pudica, & casta, & justa, & amabilia sunt, hæc facite.

16. Et quæ audistis, & accepistis in cordibus vestris retinete: & erit vobis pax.

17. Salutate omnes fratres in osculo sancto.

18. Salutant vos omnes sancti.

19. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, Amen.

20. Curate, ut hæc epistola in Ecclesia Colossensium legatur; & ut eam quæ est ad Colossenses, vos etiam legatis.

Ad Laodicenses scripta fuit Româ per Tychicum & Onesimum.

IV. De hâc epistolâ *quæritur*: An sit eadem illa, cujus Apostolus ad *Coloss.* 4, 16. meminit? Vel, si sit diversa, An eadem tamen sit authentica?

Respondeo. Apostolus in dicto loco non facit mentionem epistolæ à se missæ ad Laodicenses, sed missæ ἐκ Λαοδικείας *Laodiceâ.* Ergo hæc Epistola non est eadem illa, cujus Apostolus meminit: nam hæc dicitur missa ad Laodicenses.

V. Adhuc *quæritur*: Qualem igitur epistolam Paulus ad *Coloss.* 4. 19. intelligit?

Re-

Respondeo. 1. Theophylactus putat hanc esse priorem epistolam ad Timotheum, quæ, uti exemplaria Græca in subscriptione habent, ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας *scripta est Laodiceâ*. Sed, præterquam quod subscriptiones non sint authenticæ, etiam hæc subscriptio non videtur probabilis: nam verisimile est ex epistola ad Coloss. cap. 2. v. 1. Paulum tum temporis nunquam adhuc fuisse Laodiceæ.

2. Alii verisimilius arbitrantur ad *Coloss.* 4, 16. intelligi epistolam, quam ipsi Laodicenses, sive ipsa Ecclesia, sive Viri quidam Apostolici, Laodiceæ habitantes, Paulo miserunt.

VI. Suprà scripta ergo epistola videtur esse ficta epistola, uti Theodoretus loquitur. Vel si concederemus, quod tamen non est necesse, suprà allegatam epistolam ab ipso Paulo esse compositam, non tamen opus esset dicere eam esse canonicam. Nam verosimile est Apostolum multo plures epistolas scripsisse, quæ tamen omnes non sunt canonicæ; sed eæ tantum ad canonem pertinent, quas scripsit eum in finem ut essent canonicæ, & regula fidei ac morum. Hæc responsio etiam potest habere locum in multis pseudocanonicis libris, quos supra allegavimus.

VII. Nonnulli inter addita ad Novum Testamentum Græcum numerant accentus & spiritus, quos putant à recentioribus quibusdam textui Græco esse adjectos.

Hinc *quæritur:* An notæ spirituum & accentuum pertineant ad integritatem Novi T. Græci?

Respondeo. 1. Notæ spirituum & accentuum pertinent ad perfectionem & integritatem Novi T. Græci: & per consequens nullo modo videtur esse dubitandum, quin eæ omnes sint textui Græco additæ ab ipsis sacris Scriptoribus. Nam absentia accentuum & spirituum sæpenumero reddit voces dubias & ambiguas, quarum ambiguitas per eorundem additionem tollitur: ex. gr. detur vox dubia ορος sine spiritu. Quis dicet, utrum vox illa denotet *montem*, an *terminum?* Sed addatur spiritus, statim omnis ambiguitas tolletur; adeo ut ὄρος cum spiritu Leni *montem*, & ὅρος cum Aspero *terminum* denotet.

Similem ambiguitatem parit absentia accentus: ex. gr. vox πλουτων est ambigua, sed accentus eam determinat; adeo ut πλούτων cum Acuto sit Deus *Pluto*, & πλουτῶν cum accentu Circumflexo sit *ditescens*. Similiter πρωτότοκος est *primogenitus*, & πρωτοτόκος *primò enixa*.

2. Cum igitur notæ accentuum & spirituum pertineant ad integritatem Novi Testamenti; malè ergo fecerunt Complutenses, qui in editione

prima & præstantissima Bibliorum, anno 1515. impressâ, multas tales notas omiserunt. Sed circa sequentes editiones fuerunt curiosiores: & propterea eas notas antea omissas addiderunt.

Rogabis forte: An igitur illa editio prima fuit corrupta?

Resp. Ea non quidem fuit corrupta, sed fuit imperfecta. Sic Vetus T. Hebraicum, destitutum vocalibus, non quidem est corruptum, sed est imperfectum: nam vocales, quæ constituunt formam sacræ Scripturæ, desunt.

VIII. Adhuc *quæritur*. Quare typographi Græcorum Testamentorum ante paucos annos literis majusculis neque spiritum neque accentum superposuerunt, neque τὸ ἰῶτα illis subscripserunt?

Respond. Quia eo tempore fusores literarum nondum invenerant artem illis typis majoribus addendi illas notas spirituum & accentuum: sed hoc tempore melius edocti didicerunt literis majoribus illa signa adjicere: propterea in hodiernis Novis T. Græcis notæ accentuum & spirituum literis majoribus appinguntur.

Ex his ergo concludimus quod textui Græco Novi T. notæ accentuum & spirituum sint addendæ: nam pertinent ad integritatem textus. Etiam nulli dubitamus, quin ipsi sacri Scriptores easdem notas adjecerint. Sed vix pretium operæ est illud hoc tempore monere, cum jam nulla Testamenta Græca in lucem amplius emittantur, in quibus notæ accentuum & spirituum desunt.

DISSERTATIO QUINTA,

DE

Integritate Textus Græci Novi T.

PARS SECUNDA.

§. 1. *Nulla partes heterogenea canoni N. T. sunt addita.*

2. *Novum T. nec injuriâ temporis nec malitiâ vel oscitantiâ hominum est corruptum; quod quatuor argumentis probatur.*

3. *Pontificii corruptionem N. T. conantur probare ex quibusdam textibus & ex variantibus lectionibus.*

4. *Bellarminus allegatur.*

5. *Textus* 1 Cor. 15. 47. *à corruptione vindicatur.*

6. *Objectio solvitur.*


7. *Lectio recepta* 1 Cor. 7. 33. 34. *approbatur.*

8. *Hieronymi objectio solvitur.*

9. Le-

9. *Lectio* Κυρίῳ *pro* Καιρῷ Rom. 12. 11. *probatur.*
10. *Historia adulteræ* Joh. 8. *& ultimi versus in Euangelio Marci pertinent ad N. T.*
11. *Locus* 1 Joh. 5. 7. *non est supposititius, licèt diversimodè fuerit lectus.*
12. *Quod sit supposititius non confirmatur exinde, quia deest in multis versionibus.*
13. *Nec exinde, quia à multis Patribus non citatur.*
14. *Nec ex stylo Johannis observato in Euangelio nec ex ipso contextu.*
15. *Inquiritur quare ille versus in quibusdam codicibus omittatur, & quare è contra in aliis exprimatur.*
16. *Vera sententia datur, quando & à quibus ille versus ex antiquis codicibus videatur extrusus.*
17. *Corruptio N. T. non evincitur ex clausula orationis Dominicæ* Matth. 6. 13.

SECTIO I.



Am *secunda* quæstio sequitur excutienda, scil. An ullæ partes heretogeneæ canoni Novi T. sint adjectæ?

Respondeo. Partes heterogeneæ, sive majores, sive minores, ad textum Novi T. non pertinentes, eidem textui non sunt adjectæ. De integris libris, & de quibusdam versibus, quasi canoni Novi T. ex sententia nonnullorum additis, suprà dissertatione tertia egimus. Jam deinceps sequitur inquirendum, an non quædam voces, sive parvæ aliquæ sententiæ Novo T. sint additæ, quæ ab ipsis sacris Scriptoribus non fuerunt descriptæ? Sed quia ad hanc quæstionem commodius responderi potest in quæstione sequenti, in qua passim de vocibus & de parvis sententiis agitur, ideo, hâc quæstione præteritâ, ad sequentem descendimus.

II. *Tertiò quæritur.* An novum T. Græcum injuriâ temporis, aut malitiâ vel oscitantiâ quorundam hominum sit corruptum, ut non possit esse regula fidei & morum?

Respondeo. Novum Testamentum Græcum nec injuriâ temporis, nec malitiâ vel oscitantiâ quorundam est corruptum, ut non possit esse regula fidei & morum; utque propterea opus sit refugere ad versionem aliquam sive Latinam vulgatam, sive Syriacam, sive ad ullam aliam cujuscunque sit linguæ. Integritas textus Græci Novi T. iisdem fere argumentis probari potest, quibus probatur Veteris T. integritas.

Nam 1. Uterqne textus Deum habet auctorem; uterque Divinam voluntatem patefacit; uterque Divinam & canonicam in Ecclesia auctori-

tatem

tatem obtinet; uterque denique controversiarum, dogmatum, fidei & vitæ Christianæ certissima norma est ac regula. Non est verosimile illum textum esse corruptum, qui talem agnoscit Auctorem, qui tam necessaria continet, & quem antiqui doctores crediderunt esse Divinæ auctoritatis, & regulam fidei ac morum.

2. Obstat etiam providentia Dei: nam Christus per doctrinam Novi Testamenti sibi collegit ecclesiam, & adhuc etiam colliget, eamque usque ad finem mundi conservabit in puritate doctrinæ: ergo verosimile est Eum etiam Verbum suum incorruptum conservare. Nam doctrina pura etiam requirit puram scripturam.

3. Semper fuerunt Viri pii & docti, qui omnem operam adhibuerunt, ut Novum T. sartum tectum conservaretur. Si vel hæretici vel malevoli quidam fuissent, qui sacrilegas suas manus in textum injicere voluissent, adfuissent etiam Viri pii, qui eas corruptiones vel detexissent, vel eos corruptionis S. Scripturæ accusassent; uti nonnunquam etiam factum est. Etiam omnia exemplaria non erant in eorum hæreticorum vel malevolorum hominum manibus & potestate; si vel sua exemplaria corrumpere voluissent, inde tamen nondum sequitur, quod etiam cætera exemplaria sint corrupta.

4. Etiam rationes, pro corrupto Novo T. adferri solitæ, sunt omnes elumbes & stramineæ, sufficienter refutatæ à Theologis & Philologis.

III. Pontificii tamen ad stabiliendam auctoritatem versionis vulgatæ, & ut eam ipsis fontibus præferrent, conantur ex quibusdam textibus Novi Testamenti, & ex variantibus lectionibus corruptionem ejusdem probare. Sed ut ostendamus nec textus vulgò adferri solitos, nec variantes lectiones ullo modo Novi T. corruptionem evincere, ideo placet præcipua loca, & argumenta, à variantibus lectionibus desumpta, breviter proponere, eaque à fictis corruptelis vindicare, & simul probare omnia illa nihil obesse Novi T. incorruptibilitati.

IV. Bellarminus *lib* 2. de *Verbo Dei, cap*. 7. *sect*. 5. *& seqq*. ait Novum T. esse summæ auctoritatis, sed cum exceptione quâdam, nisi constet illud esse corruptum: sed cum diversa loca adferat, quibus corruptionem illam evincere conetur, ideo ea loca sunt examinanda & excutienda, ne auctoritati textus Græci aliquo modo obesse videantur.

V. Unus textus, quem Bellarminus objicit, occurrit in priori Epistola ad Corinthios cap. 15. v. 47. qui ita sonat: *Primus homo de terrâ terrenus: ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ secundus homo dominus de Cælo*; cum

cum debeat legi *secundus homo de cœlo cœlestis*, uti habet versio vulgata & Æthiopica.

Respondeo. 1. His versionibus opponimus textum Græcum authenticum,& versionem Syriacam, antiquissimam, à Viro quodam Apostolico, vel ab uno ex discipulis Apostolorum, uti nonnulli putant, compositam;ut & versionem Arabicam,in quibus omnibus legitur *Dominus de cœlo*. Etiam in hodiernis vel antiquis editionibus nullibi annotatur ad hunc locum varians lectio, quæ versionem vulgatam imitatur. Inspice, si dubites, editionem Roberti Stephani,impressam anno 1550. in qua margini adscripsit variantes lectiones, quas ex sexdecim MSS. exemplaribus collegit: sed circa hunc versum nulla varians lectio annotatur.

2. Idem est sensus sive *Dominus*, sive *Cœlestis* legatur; quia Dominus designatur cœlestis ὁ κύριος. Imo vehementior videtur antithesis & efficacior sensus si *Dominus* legatur. Vide *Bellarm. Enervatum cap*. 3.

VI. Contra hæc fortè *objiciet* nonnemo verba Tertulliani lib. 5. in Marcionem, ubi ait Marcionem hunc locum corrupisse.

Resp. 1. Hunc locum depravatum esse in Græcâ editione à Marcione in nullâ editione Tertulliani reperitur, licèt exstent plures, Rhenani, Gelenii, Pammelii, &c. Agit quidem Tertullianus de Marcionis depravatione, admisâ in versu 45. ubi pro vocibus ἔσχατος Ἀδὰμ *novissimus homo* Marcion posuerat ἔσχατος κύριος, sed non agit de hoc versu 47.

2. Hæc lectio ab antiquissimis Patribus & ab ipso Tertulliano, *citato lib*. 5. *c*. 10. approbatur, cum ait: *Primus homo de humo terrenus, secundus Dominus de cœlo*.

VII. Deinde Bellarminus probat textum Græcum esse corruptum ex 1. ad *Corinthios cap*. 7. *vers*. 33, 34. ubi textus sacer habet: μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος *divisa est uxor & virgo*, cum in versione vulgatâ, Æthiopicâ,& in variantibus lectionibus ad hunc locum verbum μεμέρισται præmisso καὶ conjungatur cum præcedentibus, & non cum sequentibus: sic enim habet vulgata versio; *Qui cum uxore est solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier innupta, & virgo cogitat*, &c. Hanc lectionem approbat varians lectio Græca, in margine apud Robertum Stephanum annotata, quæ sic habet: ἀρέσῃ τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, &c.

Respondeo. 1. His oppono tum lectionem Græcam receptam in omnibus ferè codicibus, tum etiam versionem Syriacam & Arabicam, quæ omnes verbum μεμέρισται conjungunt cum consequentibus.

2. Latina versio hîc etiam vitiosa est quoad Grammaticam. Quæ enim Grammatica docet rectè Latinè dici *Solicitus est quæ sunt mundi*, pro *Solicitus est de iis quæ sunt mundi*?

3. Sensus in vulgato textu Græco est concinnior. Quid enim sibi vult *& divisus est*? Num is qui cum uxore est divisus est? Præterea non additur in textu Græco *καὶ &*, quæ vocula, ut & *innupta* adduntur in Latina versione, quæ in textu Græco non inveniuntur.

VIII. Atqui Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum *negat* lectionem vulgatam Græcam illius loci esse Apostolicæ veritatis.

Resp. 1. Hieronymus hîc fallitur, uti in aliis locis aliquando deceptus est.

2. Hieronymus lectionem Latinam vulgatam approbat: quia putabat eam inservire causæ suæ, quam per contentionis æstum defendebat: nam erat conjugio iniquior. Vide *Syntag. Polani lib.* 1. *cap.* 38.

IX. Ad Romanos *cap.* 12. *v.* 11. in multis exemplaribus Græcis habetur *κυρίῳ δουλεύοντες Domino servientes*, quum in aliis exemplaribus habeatur *καιρῷ δουλεύοντες tempori servientes*. In Novo T. Roberti Stephani margini adscribitur, ut varians lectio, vox *κυρίῳ*.

Respondeo. 1. Lectio hodierna *κυρίῳ δουλεύοντες* videtur esse vera: nam ea confirmatur multis aliis antiquis versionibus, ut vulgatâ Latinâ, versione Syriacâ, Æthiopicâ & Arabicâ, quæ omnes ita vertunt. Etiam multæ editiones Græcæ eam lectionem approbant.

2. Concedo in multis antiquis exemplaribus haberi *καιρῷ tempori*, sed non in omnibus. In hodiernis exemplaribus receptis habetur *κυρίῳ Domino*. Et licèt nonnullæ versiones habeant *tempori*, inde tamen non sequitur eam lectionem esse Divinæ auctoritatis: nam versiones non possunt probare textum originalem esse corruptum, cum ab eo differunt; sed è contrà differentia versionum à textu originali probat eas versiones vel malè esse translatas ex vitioso exemplari, vel in versiones illas irrepsisse vitium. Etiam tanta cura non fuit adhibita circa versiones, quanta quidem adhibita fuit circa textus originales: propterea argumentum desumptum à quibusdam exemplaribus, & à versionibus, differentibus à textu originali, non valet; indeque non benè elicitur consequentia pro corruptione textus originalis.

X. In multis exemplaribus Græcis & in quibusdam antiquis versionibus desunt nonnulla, quæ jam in hodiernis codicibus Græcis inveniuntur: ex. gr. Historia adulteræ, quæ jam exstat in principio capitis octavi Johan-

Johannis, in nonnullis antiquis exemplaribus Græcis & in Testamentis Syriacis deest. Similiter in multis libris non inveniuntur ultimi versus capitis 16 Euangelii Marci, scil. à versu 9 usque ad finem.

Respondeo. 1. A particularibus exemplaribus non deducitur legitima consequentia ad omnes codices, nec inde probatur omnia Græca exemplaria esse corrupta.

2. Illa suprà allegata non desunt in omnibus antiquis exemplaribus Græcis, nec in omnibus Testamentis Syriacis: nam illa Testamenta Syriaca, quæ paucis abhinc annis impressa sunt, habent totam illam historiam adulteræ. Etiam omnes codices Græci, hodie ab ecclesiis recepti, habent utrumque textum.

3. Historia adulteræ in antiquis quidem versionibus Syriacis fuit omissa; sed è contra in omnibus ferè Testamentis Græcis, & plerisque antiquis versionibus, ut vulgatâ, Persicâ, Arabicâ & Æthiopicâ, semper fuit descripta.

4. In paucis fortasse exemplaribus defuit capitis ultimi Marci magna pars, scil. à versu 9. usque ad finem: quia antiquis quibusdam videbatur esse contradictio inter verba Matthæi, dicentis *Christum vespere Sabbathi resurrexisse*, & inter verba Marci scribentis, *Christum primâ Sabbathi resurrexisse*. Sed jam in omnibus exemplaribus Græcis, & in omnibus versionibus statim allegatis illi versus habentur: & ne ipsi quidem hodierni Pontificii dubitant de authentiâ illorum versuum.

XI. Testimonium luculentum & pulcherrimum pro probanda S. S. Trinitate (desumptum ex priori Epistola Johannis cap. 5. v. 7. ita sonans; *Tres sunt qui testificantur in cælo, Pater, Sermo & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.*) in multis codicibus Græcis, & in nonnullis versionibus non habetur. Circa hoc testimonium Sectarii (quia ex illo numerus ternarius personarum & *ὁμουσία* earum luculenter probantur) diversas exceptiones excogitarunt: nam quò testimonium est evidentius, eò etiam est intolerabilius illis, qui mysterium illud Trinitatis vel negant, vel saltem ad salutem non esse necessarium asserunt.

Primò. Nonnulli ajunt illum versum esse irreptitium & suppositituim, atque adscriptum ab antiquis Patribus, Trinitatem contra Arianos defendentibus, &c. Hoc conantur probare ex multis antiquis exemplaribus Græcis, in quibus, testibus Erasmo & Lovaniensibus, ille versus non invenitur: vel si inveniatur, variis modis in editionibus Græcis fuit lectus; uti apparet ex diversis lectionibus, collectis à Roberto Stephano ex sexdecim MSS. codicibus Græcis.

Respondeo. 1. Ille versus non est irreptitius: nam inventus fuit in vetustissimis exemplaribus, quibus Ecclesia Christiana usa fuit. Cyprianus, qui floruit sub Decio Imperatore circa annum Christi 240. in libro de simplicitate prælatorum, seu unitate Ecclesiæ, eum allegat his verbis: *Dicit Dominus, Ego & Pater unum sumus. Et iterum de Patre & Filio & Spiritu S. scriptum est; & tres unum sunt*, &c. Etiam hic versus fuit lectus in exemplaribus Hieronymi, Fulgentii, aliorumque.

2. Non sequitur: ille locus in multis exemplaribus Græcis non invenitur, ergo est suppostititius vel corruptus. Æque cætera exemplaria possunt esse corrupta, in quibus ille versus est omissus.

3. Quod ille locus in multis exemplaribus Græcis sit corruptus, apparet ex illis ipsis exemplaribus, in quibus invenitur ille versus septimus: nam in illis diversimode legitur.

Complutense & Plantinianum exemplar habet εἰς τὸ ἕν.

In multis Latinis & quindecim MSS. codicibus, quos notant Lovanienses, non inveniuntur illa verba; *& hi tres unum sunt.*

Editio Complutensis non habet illa verba versus octavi: *Et hi tres unum sunt.*

Britannicus codex Erasmi & Bazileensis legit πατὴρ, λόγος, καὶ πνεῦμα sine articulis, & omittitur in priori vox ἅγιον. Sed in aliis editionibus articuli sunt additi.

Beza ait versu 7. in septem vetustis codicibus deesse ἐν τῷ οὐρανῷ.

Editio Syriaca & multi Græci ac Latini codices versu 8. non habent *in terrâ.*

Ex his apparet non tantùm in multis exemplaribus hunc versum septimum sed etiam octavum esse corruptum: verum illi duo versus in hodiernis codicibus sunt restituti.

XII. *Secundò.* Quidam putant hunc versum esse suppositititium, quia non exstat in quibusdam versionibus, scil. Latinis, & in Syriaca, Arabica ac Æthiopica; in quibus ut plurimum additur *deest versus septimus.* Ipse Lutherus in versione Germanica omisit hunc versum.

Respondeo. Verum est quod versus ille non inveniatur in suprà dictis versionibus, sed illæ non sunt authenticæ. Illæ versiones sunt procul dubio translatæ ex exemplari corrupto, in quo ille versiculus defuit. Lutherus fidem talis exemplaris etiam sequutus est.

XIII. *Tertiò.* Nonnulli asserunt hunc versum esse irreptitium; tum quia à nullo Patrum legitur, præterquam ab Hieronymo; tum etiam

quia

quia non citatur à Patribus Athanasio, Didymo, Cyrillo, Hilario, Augustino & Chrysostomo, qui pro SS. Trinitate disputarunt.

Respondeo. 1. Falsum est quod ille versus tantùm citetur ab Hieronymo: nam statim probavimus eum etiam legi à Cypriano, qui floruit 175. annis ante Hieronymum.

2. Fortassè propterea illi suprà citati Patres pro probanda Trinitate non protulerunt illum versum; quia ille in multis codicibus tum non inveniebatur; quod etiam Ariani statim respondissent. Propterea potius ex locis, sine controversiâ ab Arianis admissis, SS. Trinitatem voluerunt confirmare.

XIV. *Quartò.* Sunt qui ex stylo Johannis observato in Euangelio, & ex ipso hoc textu conantur probare hunc versum esse interpositum & adulterinum.

Respondeo. 1. Stylus Johannis in Euangelio observatus, & ipse contextus probant hæc verba non esse adulterina. Johannes *cap.* 8. *versu* 18. duos testes, Filium & Patrem, & *cap.* 15. v. 26. tertium, Spiritum S. introducit.

2. Versus sequentes post septimum ita cohærent, ut absque versu septimo non nisi violenter subsistere possint. Nam uti versu septimo allegantur tres testes cœlestes, ita versu octavo tres terrestres. Unde Johannes versibus 9. 10. 11. respiciens ad testes cœlestes, versu septimo descriptos, infert: S*i testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: nam hoc testimonium est Dei, quod testificatus est de Filio suo,* &c. Vide Vedelium in opusculis Theologicis.

XV. Porro *quæritur.* Quare hic versus septimus ex quibusdam exemplaribus est extrusus? Et quare è contra in quibusdam exemplaribus invenitur?

Respondeo. Duæ sunt planè contrariæ sententiæ de hoc versu.

1. Ariani, aliique Trinitatem negantes, ajunt hunc versum esse additum à Christianis.

2. E contrà Christiani ajunt Arianos in odium Trinitatis eum versum eo tempore expunxisse, cùm rerum potirentur Constantius & Valens Imperatores, Arianæ sectæ addicti. Sed neutra sententia placet.

Respondeo ad primam sententiam. 1. Christiani non addiderunt illum versum propter Arianos: quia modò ante Arium, qui incepit hæresin suam propagare anno Christi 310. hic versus fuit lectus, uti suprà ex Cypriano vidimus.

2. Si Christiani propter Arianos illum versiculum addidissent: ergo etiam eo versu, utpote sententiæ suæ faventissimo, usi fuissent contra eos.

Respondeo ad secundam sententiam. 1. Posito, quod Ariani quædam exemplaria corrupissent, non tamen potuerant omnia, ut & Athanasii aliorumque exemplaria corrumpere.

2. Si Ariani, fervente illa controversiâ, ausi fuissent eum versum è textu eliminare, certè Christiani non tacuissent illud, sed toti orbi hoc manifestassent cum magno fructu bonæ causæ & detrimento hæreseos.

XVI. Denique *quæritur*, Quo tempore, & unde corruptela illius versus septimi nata est?

Respondeo. Vedelius putat hunc versum esse erasum ante tempora Arii ab illis qui Deitatem Christi oppugnabant. Socrates *lib.* 7. c. 32. conqueritur hæreticos ante tempora Arii corrupisse Epistolam Johannis, cum ait: *Hoc ipsum veteres interpretes significârunt declarantes, quosdam corrupisse hanc Epistolam, volentes à Deo Christo hominem Christum separare.* Socrates floruit quidem circa annum 440. sed ille per *veteres* intelligit tales, qui diu ante Arium vixerunt; uti probat ex historia Ecclesiastica Vedelius loco citato. Et cum illi veteres multa loca in Epistola Johannis corruperint, verisimile est eos etiam hunc septimum versum, qui de Deitate Christi disserit, ex textu extrusisse. Et quum Arianorum sententiæ hic idem versus esset planè contrarius, dubium non est quin iidem corruptionem illam foverint; & diligenter sibi caverint, ne exemplaribus illis uterentur, in quibus versus ille reperiebatur; sed è contrà usurparint, conservarint & transcripserint talia exemplaria, in quibus versus ille deerat, & vice versa exemplaria corruptelæ illius expertia suppresserint. Hoc facillimè tum potuerunt efficere, cùm *totus orbis vidit se Arianum esse & ingemuit*, uti Hieronymus exclamat. Unde non mirum est quod ille versiculus tractu temporis ex plerisque codicibus fuerit erasus.

XVII. Bellarminus adhuc probat corruptionem Novi T. ex Matthæi *cap.* 6. v. 13. ubi illa clausula, *Quia tuum est regnum, & potentia, & gloria in secula,* in hodiernis Græcis editionibus invenitur, quum tamen eâ clausulâ olim Græcæ quædam editiones caruerint, & nonnullæ versiones hodie adhuc eâdem careant, scilicet versio vulgata & Arabica.

Respondeo. Omnia exemplaria Græca hodierna & antiqua, paucissimis antiquis exceptis, habent hanc clausulam. Etiam versio Syriaca, Æthiopica & Persica eam clausulam agnoscunt. Chrysostomus homilia vigesima in Matthæum copiose eam exponit.

Di-

Dices: Lucas non habet illam clausulam, ergo videtur in Matthæo addita.

Resp. Lucas multa alia non habet, quæ Matthæus & Johannes habent. Num igitur illa erunt aliunde apposita, quàm ab Euangelistis aut Apostolis?

Rogabis forte adhuc: An oratio apud Lucam non est perfecta?

Resp. Est perfecta quoad petitiones, sed non quoad clausulam, quæ in Matthæo etiam additur.

DISSERTATIO SEXTA

DE

Integritate Textus Græci Novi Test.

PARS TERTIA & ULTIMA,

Quæ agit in specie

De Variantibus Lectionibus Novi Test.

§. 1. *Variantes lectiones N. T. à Roberto Stephano ex* XVI. *exemplaribus collecta enumerantur.*

2. *Curcellaus adhuc alias collegit ex aliis exemplaribus, quæ tamen omnes pro variantibus lectionibus non sunt habendæ.*

3. *Quinque quæstiones proponuntur.*

4. *Variantes lectiones sunt facta quatuor modis.*

5. Primò *per additionem unius, vel paucarum vocum.*

6. Secundò *per detractionem.*

7. Tertiò *per mutationem, cujus varia species enumerantur.*

8. Quartò *per transpositionem.*

9. *Variantium lectionum causa prima est* negligentia *antiquiorum, ubi simul diligentia Judæorum circa V. T. laudatur. Defenditur lectio* כארי *Psal. 22. 17.*

10. *Secunda causa est* malitia *quorundam.*

11. *Tertia est* vitiosa transcriptio, *cujus tres modi recensentur.*

12. *Quarta causa est* nimia licentia, *cujus tres modi describuntur.*

13. *Hodierna recepta lectio N. T. est præferenda variantibus lectionibus; quod quatuor rationibus confirmatur.*

14. *Ex variantibus lectionibus non probatur corruptio Novi T.*

15. *Cuilibet non est concedenda facultas eligendi lectionem quamcunque velit, sive marginalem sive textualem.*

16. *Licèt in multis locis variantes lectiones fidei & pietati non obsint, tamen in aliis ea possunt obesse.*

SE-

SECTIO I.



Ontificii, ad stabiliendam versionis vulgatæ auctoritatem, plenis buccis effutiunt textum Græcum Novi Test. esse corruptum; quod inter cætera etiam conantur probare argumento, desumpto à variantibus lectionibus, passim in Novo T. Græco occurrentibus; quas colligunt tum ex MSS. tum etiam ex impressis exemplaribus. Morinus de variantibus lectionibus in *Exercitationibus pag.* 80. sic ait: Robertus Stephanus Novum T. Græcum cum sexdecim antiquis MSS. Græcis exemplaribus contulit, variasque lectiones ex iis collegit, easque adscripsit margini editionis, quæ anno 1550. typis elegantissimis in folio Lutetiæ excusa est. In solo Matthæo *collegit* 298. loca, quibus textui Græco, quem Robertus excudebat, in aliis codicibus additum erat aliquid aut immutatum; præter 35. alia loca, quæ ut dictionibus nonnullis deficientia, obelisco jugulavit. Similiter in sequentibus libris Novi T. etiam varias lectiones annotavit, adscribens simul in margine, ex quo codice MS. illas varietates deprompserit. Atqui Matthæus totius Novi T. circiter pars octava est: adeo ut ex 16. illis MSS. exemplaribus collegerit circiter 2384. variantes lectiones, præter 280. defectus obeliscis notatos. Si suprà dictus Stephanus adhuc plures codices, præter illos sexdecim, contulisset, procul dubio etiam plures varias lectiones collegisset. Illa eadem editio Roberti Stephani eodem modo cum omnibus variantibus lectionibus secunda vice impressa est Francofurti typis Wechelianis anno 1601.

II. Præter eas variantes lectiones, à Roberto Stephano annotatas, adhuc multas alias exhibet nobis Curcellæus in editione, quæ *Amstelodami* anno 1658. in octavo impressa est; quas collegit ex MS. Constantinopolitano, ex editione Frobeniana, Hispanica, aliisque, & præter eas adhuc multas alias pollicetur. Sed sciat lector eas lectiones, quæ in hoc vel illo vitioso codice inveniuntur, non statim inter variantes lectiones esse numerandas: nam aliter variantes lectiones in infinitum excrescerent pro multitudine & varietate particularium exemplarium. Sed illæ propriè sunt variantes lectiones, de quibus possunt dari justæ, sive ad minimum probabiles rationes dubitandi, an pro genuino textu sint recipiendæ nec ne.

III. Ut negotium de variantibus lectionibus Novi T. melius intelligatur, statuimus has quinque sequentes quæstiones enodare. 1. Quot

modis

modis factæ sint variantes lectiones? 2. Quæ sint causæ earum? 3. Utra lectio alteri sit præferenda; sive ea quæ jam in Novis T. est usitata, sive altera quæ ut varia lectio in margine annotatur? 4. An ex variantibus lectionibus probetur corruptio textus Græci N. T.? 5. An non cuilibet concedenda est facultas eligendi lectionem quamcunque velit, sive marginalem sive textualem?

IV. Itaque *primò quæritur.* Quot modis factæ sunt variantes lectiones Novi Testamenti?

Respondeo: Præcipuè quatuor modis. 1. Per additionem. 2. Per detractionem. 3. Per mutationem. 4. Per metathesin sive transpositionem.

V. *Primò.* Aliquando variantes lectiones docent textui Græco communiter recepto aliquid esse addendum, quod jam in textu Græco non invenitur; idque fit vel additione *unius* aut *paucarum vocum*, vel etiam additione *integrarum sententiarum.*

1. *Una* vel *altera* vox additur *Joh.* 7. 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον. *Nondum enim erat Spiritus Sanctus.* Quidam codices addunt δεδομένον *datus*, vel ἐπ' αὐτοῖς *supra ipsos*, Similiter 2 *Pet.* 1: 10. habetur σπουδάσατε βεβαίαν ὑμῶν τὴν κλῆσιν καὶ ἐκλογὴν ποιεῖσθαι; ubi in quibusdam codicibus interponuntur *quinque* voces, & tum ille versus sic legitur, σπουδάσατε ἵνα διὰ τῶν καλῶν ἔργων βεβαίαν &c. *Operam date* ut per bona opera *vocationem & electionem vestram firmam efficiatis.*

2. Nonnunquam *integra sententia* additæ vel interpositæ leguntur, quæ in communibus Novis T. Græcis jam non occurrunt. *Actor.* cap. 14. versui 7. tantum has voces continenti κἀκεῖ ἦσαν εὐαγγελιζόμενοι *Et ibi prædicabant Euangelium*, additur in aliis codicibus hæc integra sententia, καὶ ἐκινήθη ὅλον τὸ πλῆθος ἐπὶ τῇ διδαχῇ. ὁ δὲ Παῦλος καὶ Βαρνάβας διέτριβον ἐν Λύστροις *Et mota est tota multitudo super illa doctrina. Paulus vero & Barnabas degebant Lystra.* Similiter 1. Joh. 2: 23. Verbis, Πᾶς ὁ ἀρνούμενος τὸν υἱὸν, οὐδὲ τὸν πατέρα ἔχει *Quisquis negat Filium, is ne Patrem quidem habet*, adjiciuntur in quibusdam codicibus hæc sequentia ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα ἔχει *Qui confitetur Filium, etiam Patrem habet.*

VI. *Secundò.* E contra aliquando variantes lectiones judicant aliquid esse omittendum, quod jam in vulgaribus Novis T. Græcis habetur; quod iterum fit vel in *quibusdam vocibus*, vel in *integris sententiis.*

1. Matth. *cap.* 6. *vers.* 6. 18. In nonnullis libris desunt voces ἐν τῷ

φανερῷ in propatulo. Similiter *cap.* 9. *verſ.* 13. in Syriaca verſione & in quibuſdam codicibus omittitur *εἰς μετάνοιαν ad pœnitentiam.*

2. Integer verſus 11. capitis 18. Matthæi Ἦλθε γὰρ &c. *Venit enim Filius hominis ſervare quod perierat,* deeſt in quibuſdam libris; ut & 1 *Joh.* 5. 7. *ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες,* &c. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.*

VII. *Tertiò.* Variantes lectiones *per mutationem* diverſis modis fiunt; eaque conſiſtit;

1. In *Nominibus propriis,* ut Marc. 5. 1. pro Γαδαρηνῶν *Gadarenorum,* in aliis libris legitur Γεργεσηνῶν; & cap. 7. v. 26. pro Συροφοίνισσα *Syrophœniſſa* in Regiis Bibliis eſt *σύρα φοινίκισσα.*

2. In *Numero:* ut Matth. 3. 8. pro *καρποὺς ἀξίους fructus dignos* in Plurali, legunt alii codices & Biblia Regia *καρπὸν ἄξιον* in Singulari. E contra Actor. 7. 51. pro ὁ *ἀρχιερεὺς princeps ſacerdotum* in Singulari, habent alii codices οἱ *ἀρχιερεῖς.*

3. In *Genere:* ut Joh. 12: 32. pro *πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν: Omnes traham ad meipſum,* alii codices legunt *πάντα omnia* in Neutro.

4. In *Caſibus:* ut Matth. 8: 8. pro, *ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον Imo tantum dic verbum,* habetur in Regiis *λόγῳ* in Dativo. Et Rom. 4. 11. pro *καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς Et ſignum accepit circumciſionis,* legitur in aliis codicibus *περιτομὴν* in Accuſativo.

5. In *Verbis:* ut 1 Cor. 1. 15. *Ἵνα μή τις εἴπῃ ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα Ne quis dicat quod in meo nomine baptizaverim,* in Conjugatione Activa; cum alii codices habeant *ἐβαπτίσθητε baptizati eſtis,* vel *ἐβαπτίσθη baptizatus ſit,* in Conjugatione Paſſiva.

6. In *Temporibus Verborum:* ut Matth. 13. 24. pro *σπείροντι ſeminanti* in Præſenti Participii, habetur in nonnullis libris *σπείραντι* in Aoriſto.

7. In *Modis Verborum:* ut 1 Cor. 15. 49. pro, *φορέσομεν geſtabimus* in Indicativo modo, legitur in aliis codicibus *φορέσωμεν* in Subjunctivo.

8. In *Perſonis Verborum:* ut 1 Joh. 4. 3. pro ὃ *ἀκηκόατε de quo audiviſtis* in ſecunda Perſona, habetur *ἀκηκόαμεν audivimus* in prima Perſona.

9. In *Vocibus Conjugatis:* ut Matth. 5. 48. pro *ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς Sicuti Pater veſter qui eſt in cœlis,* legunt alii codices ὁ

πατὴρ

πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος *Pater vester cœlestis.* Et Matth. 17. 5. pro νεφέλη φωτεινὴ *Nubes lucida*, alibi habetur φωτὸς *lucis*.

10. In *vocibus diversis ejusdem* fere *significationis* : ut Matth. 23: 8. pro εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς *Unus est enim magister vester*, legitur ὁ διδάσκαλος *magister, doctor*.

11. In *vocibus diversis diversæ significationis* : ut Matth. 2. 11. pro εὗρον τὸ παιδίον *Invenerunt puerum*, habent Biblia Regia εἶδον τὸ παιδίον *viderunt puerum*. Et Luc. 14. 15. pro μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον *Beatus qui comedet panem*, Biblia Regia legunt ἄριστον *prandium*.

12. In *integris sententiis* : ut Matth. 19. 17. pro τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. *Cur me vocas bonum? Nullus est bonus, nisi unus, nempe Deus*; in aliis codicibus legitur τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus.*

13. In *textus Græci distinctione* : ut 1 Cor. 7. 33. pro πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. vers. 34. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, *Quomodo placebit uxori, divisa sunt* hæc duo, *mulier & virgo. Innupta curat ea quæ sunt Domini.* Alii codices aliter distinguunt hos versus, nempe ita, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου *Quomodo placebit uxori, & divisa est. Et mulier innupta & virgo curat ea quæ sunt Domini.* Etiam hîc quarundam vocum est metathesis.

VIII. *Quartò.* Variantes lectiones volunt metathesin *transpositionem* esse faciendam duobus modis.

1. In *singularibus vocibus* : ut pro ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν κράζων *In montibus & in monumentis erat clamans*, Regia Biblia ita transponunt ἐν τοῖς μνήμασιν καὶ ἐν τοῖς ὄρεσι, &c.

2. In *integris sententiis* : ut Matth. 23. 8. Verba hæc πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε, transferuntur in nonnullis codicibus ad versum 9. & quidem ad ejus finem post verba ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Vide plura exempla apud Glassium in Philologia Sacra lib. 1.

IX. *Secundò quæritur.* Quæ sunt causæ variarum lectionum in Novis T. Græcis occurrentium?

Respondeo. Causæ earum sunt multæ & diversæ.

Prima causa variarum lectionum potest esse *negligentia* antiquiorum doctorum circa conservationem integritatis Novi T. Olim Judæi circa conservationem Veteris T. multò fuerunt diligentiores Christianis: illi enim totum Vetus T. ejusque omnes versus, voces, accentus, vocales, cæteras-

φανερῷ in propatulo. Similiter *cap. 9. verſ.* 13. in Syriaca verſione & in quibuſdam codicibus omittitur *εἰς μετάνοιαν ad pœnitentiam.*

2. Integer verſus 11. capitis 18. Matthæi Ἦλθε γὰρ &c. *Venit enim Filius hominis ſervare quod perierat*, deeſt in quibuſdam libris; ut & 1 *Joh.* 5. 7. *ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες*, &c. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo: Pater, Sermo, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.*

VII. *Tertiò.* Variantes lectiones *per mutationem* diverſis modis fiunt; eaque conſiſtit;

1. In *Nominibus propriis*, ut Marc. 5. 1. pro Γαδαρηνῶν *Gadarenorum*, in aliis libris legitur Γεργεσηνῶν; & cap. 7. v. 26. pro Συροφοίνισσα *Syrophœniſſa* in Regiis Bibliis eſt *σύρα φοινίκισσα.*

2. In *Numero*: ut Matth. 3. 8. pro *καρποὺς ἀξίους fructus dignos* in Plurali, legunt alii codices & Biblia Regia *καρπὸν ἄξιον* in Singulari. E contra Actor. 7. 51. pro *ὁ ἀρχιερεὺς princeps ſacerdotum* in Singulari, habent alii codices *οἱ ἀρχιερεῖς.*

3. In *Genere*: ut Joh. 12: 32. pro *πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν*: *Omnes traham ad meipſum*, alii codices legunt *πάντα omnia* in Neutro.

4. In *Caſibus*: ut Matth. 8: 8. pro, *ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον Imo tantum dic verbum*, habetur in Regiis *λόγῳ* in Dativo. Et Rom. 4. 11. pro *καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομῆς Et ſignum accepit circumciſionis*, legitur in aliis codicibus *περιτομὴν* in Accuſativo.

5. In *Verbis*: ut 1 Cor. 1. 15. *Ἵνα μή τις εἴπῃ ὅτι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα ἐβάπτισα Ne quis dicat quod in meo nomine baptizaverim*, in Conjugatione Activa; cum alii codices habeant *ἐβαπτίσθητε baptizati eſtis*, vel *ἐβαπτίσθη baptizatus ſit*, in Conjugatione Paſſiva.

6. In *Temporibus Verborum*: ut Matth. 13. 24. pro *σπείροντι ſeminanti* in Præſenti Participii, habetur in nonnullis libris *σπείραντι* in Aoriſto.

7. In *Modis Verborum*: ut 1 Cor. 15. 49. pro, *φορέσομεν geſtabimus* in Indicativo modo, legitur in aliis codicibus *φορέσωμεν* in Subjunctivo.

8. In *Perſonis Verborum*: ut 1 Joh. 4. 3. pro *ὃ ἀκηκόατε de quo audiviſtis* in ſecunda Perſona, habetur *ἀκηκόαμεν audivimus* in prima Perſona.

9. In *Vocibus Conjugatis*: ut Matth. 5. 48. pro *ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς Sicuti Pater veſter qui eſt in cœlis*, legunt alii codices ὁ

πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος *Pater vester cœlestis.* Et Matth. 17. 5. pro νεφέλη φωτεινὴ *Nubes lucida*, alibi habetur φωτὸς *lucis.*

10. In *vocibus diversis ejusdem* fere *significationis* : ut Matth. 23: 8. pro εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ καθηγητὴς *Unus est enim magister vester*, legitur ὁ διδάσκαλος *magister, doctor.*

11. In *vocibus diversis diversæ significationis* : ut Matth. 2. 11. pro εὗρον τὸ παιδίον *Invenerunt puerum*, habent Biblia Regia εἶδον τὸ παιδίον *viderunt puerum.* Et Luc. 14. 15. pro μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον *Beatus qui comedet panem*, Biblia Regia legunt ἄριστον *prandium.*

12. In *integris sententiis* : ut Matth. 19. 17. pro τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός. *Cur me vocas bonum? Nullus est bonus, nisi unus, nempe Deus* ; in aliis codicibus legitur τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus.*

13. In *textus Græci distinctione* : ut 1 Cor. 7. 33. pro πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί. μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος. vers. 34. ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου, *Quomodo placebit uxori, divisa sunt* hæc duo, *mulier & virgo. Innupta curat ea quæ sunt Domini.* Alii codices aliter distinguunt hos versus, nempe ita, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικί, καὶ μεμέρισται. καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος, καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ τὰ τοῦ κυρίου *Quomodo placebit uxori, & divisa est. Et mulier innupta & virgo curat ea quæ sunt Domini.* Etiam hîc quarundam vocum est metathesis.

VIII. *Quartò.* Variantes lectiones volunt metathesin *transpositionem* esse faciendam duobus modis.

1. In *singularibus vocibus* : ut pro ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν κράζων *In montibus & in monumentis erat clamans*, Regia Biblia ita transponunt ἐν τοῖς μνήμασιν καὶ ἐν τοῖς ὄρεσι, &c.

2. In *integris sententiis* : ut Matth. 23. 8. Verba hæc πάντες δὲ ὑμεῖς ἀδελφοί ἐστε, transferuntur in nonnullis codicibus ad versum 9. & quidem ad ejus finem post verba ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Vide plura exempla apud Glassium in Philologia Sacra lib. 1.

IX. *Secundò quæritur.* Quæ sunt causæ variarum lectionum in Novis T. Græcis occurrentium?

Respondeo. Causæ earum sunt multæ & diversæ.

Prima causa variarum lectionum potest esse *negligentia* antiquiorum doctorum circa conservationem integritatis Novi T. Olim Judæi circa conservationem Veteris T. multò fuerunt diligentiores Christianis: illi enim totum Vetus T. ejusque omnes versus, voces, accentus, vocales, cæteras-

teraſque irregularitates annotarunt, examinarunt aut numerarunt; ne textus Hebræus vel ex oſcitantia ſcribarum, vel injuria temporis, vel quorundam malitia, vel ulla alia occaſione corrumperetur. Quoties enim quæſtio oboriebatur de genuina textus Hebræi lectione, ſtatim recurrebant ad Maſoram, ad Criticam illam ſacram, in qua pleraque totius Veteris T. conſideratione aliquâ digna, erant annotata, examinata aut numerata; adeo ut nemo ſacrilegas ſuas manus, ſi vel voluiſſet, in textum Hebræum injicere potuiſſet, quin ſtatim, inſpecta Maſora, redargui potuerit. Ex. gr. Quæritur inter Philologos; An *Pſal.* 22: *v.* 17. lectio vocis כָּאֲרִי ſit legitima? Reſpondetur affirmando: nam in aliquot locis Maſora textualis & finalis conſtanter docent eam lectionem eſſe genuinam, & ab ipſis ſacris Scriptoribus profectam: propterea eandem lectionem etiam expreſſerunt Bombergus, Buxtorfius, aliique ſine numero *typographi* & Philologi; ergo per Maſoram textus Hebræus potuit tali modo conſervari. Sed nemo unquam fuit qui talem Maſoram circa Novum T. Græcum conſcripſit: & propterea in dubia lectione recurrendum fuit vel ad antiquiſſima exemplaria, vel ad eorundem pluralitatem; quæ tamen veram lectionem non ſemper potuerunt determinare.

X. *Secunda* cauſa variarum lectionum poteſt eſſe *malitia* quorundam malevolorum hæreticorum, qui, ut hæreſes ſuas confirmarent, quoſdam textus vel corrupiſſe vel extruſiſſe videntur: ex. gr. locus ille 1 Joh. 5:7. Trinitatem Perſonarum clariſſime probans, videtur per quorundam hæreticorum malitiam, Trinitatem vel potius Chriſti divinitatem negantium, ex quibuſdam antiquis exemplaribus eliminatus.

XI. *Tertia* cauſa eſt *vitioſa transſcriptio*, quæ tribus præcipue modis fieri potuit.

1. Quando ſcribæ *negligenter* & *otioſe* textum Sacrum exſcripſerunt: ut Matth. 11. 21. pro *χοραζὶν Chorazin* in aliis codicibus vitioſe ſcriptum eſt Χωραζὶν vel *χοραζάϊμ*. Propter eandem cauſam in verſionem Græcam LXX. Interpretum, & in verſionem vulgatam multi errores irrepſerunt.

2. Quando ſcribæ hæſitabundi nonnulla *ex aliis locis parallelis*, ubi defectum eſſe crediderunt, ſuppleverunt: ex. gr. Marc. 15. 3. habetur *καὶ κατηγόρουν αὐτοῦ οἱ ἀρχιερεῖς πολλά: Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes multum:* ſed quia Matth. 27. 12. additur *οὐδὲν ἀπεκρίνατο Nihil reſpondebat*, ideo ex Matthæo videntur addita in codicibus Regiis, aliiſque ab exſcriptoribus *αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο Ille verò nihil reſpondebat*. Similiter

Luc.

Luc. 9. 35. in quibusdam codicibus inseruntur verba ἐν ᾧ εὐδόκησα *In quo mihi bene complacitum est*, ex Matth. 17. 5. ubi eadem occurrunt.

3. Quando, quod unus scriba *in margine* annotavit, alius subsequens scriba, putans illud ad textum pertinere, in textum intrusit: ex. gr. Matth. 1. 22. habetur, *Ut impleretur id quod dictum fuerat à Domino* διὰ τοῦ προφήτου *per Prophetam.* Et quia per hunc Prophetam intelligitur Jesaias, (quod videtur margini fuisse adscriptum; uti textus paralleli sæpe in margine annotari solent,) ideo subsequens scriba, credens nomen Jesaiæ ad textum pertinere, videtur illud in textum intrusisse: & propterea in quibusdam codicibus conspicitur nomen Jesaiæ.

XII. *Quarta* causa variarum lectionum potest esse *nimia licentia*, qua librarii usi fuerunt in exscribendis Novis Test. Græcis; quæ tribus modis fieri potuit.

1. Illa licentia fuit usurpata circa voces *minus emphaticas*, quas librarii in voces magis emphaticas videntur mutasse, aliquando etiam per *additionem alicujus vocis*: ex. gr. Matth. 7. 14. In hodiernis libris habetur ὅτι στενὴ ἡ πύλη *quia angusta est porta*, sed varia lectio mutat vocem ὅτι in τί, & legit cum majori emphasi τί στενὴ ἡ πύλη *ô quàm angusta est porta!* Similiter Matth. 25. 16. pro καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα *& confecit altera quinque talenta*, alii codices habent ἐκέρδησεν *lucratus est*, verbum magis emphaticum. Nonnunquam *aliquot voces* majoris illustrationis ergo additæ sunt: ut Matth. 21. 30. pro ἐγὼ κύριε *Ego domine*, alii legunt ναὶ κύριε *Imo domine*, vel ὑπάγω κύριε *Vado domine*, vel ἐγὼ κύριε, ἐγὼ ὑπάγω *Ego domine, ego vado*, quæ variantes lectiones cum circumstantiis textus videntur magis emphatice convenire.

2. Illa licentia fuit usurpata *occasione versionis vulgatæ.* Nonnulli scribæ, magni facientes versionem illam, quasdam voces Græcas videntur mutasse, ut textum Græcum accommodarent ad versionem vulgatam: ex. gr. Marc. 1. 38. pro ἄγωμεν εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις *Eamus in proximos vicos*, alii codices habent ἄγωμεν εἰς τὰς ἐγγὺς κώμας καὶ εἰς τὰς πόλεις *Eamus in proximos vicos & civitates*, prout versio vulgata legit. Sic etiam ob eandem rationem Marc. 7. 4. post voces καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς *& à foro* additur ὅταν ἔλθωσιν.

3. Librarii ob *difficultatem aliquam*, in textu occurrentem, se non valentes extricare, vocem unam aut alteram addiderunt, vel mutarunt: ex. gr. Marc. 6. 3. pro οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τέκτων, ὁ υἱὸς Μαρίας; *Nonne hic est faber ille, filius Mariæ?* alii codices legunt οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς καὶ

Μαρίας; *Nonne hic est ille fabri filius & Maria?* quod magis cum veritate Dei & Christi majestate judicarunt convenire.

XIII. *Tertiò quæritur.* Utra lectio alteri sit præferenda; sive ea quæ jam in Novis T. Græcis est usitata, sive altera, quæ ut varia lectio in margine annotatur?

Respondeo. Ea lectio, quæ jam in vulgaribus Novis T. Græcis occurrit, videtur longe præferenda variantibus lectionibus, quæ in nonnullis exemplaribus margini adscribuntur. Nam 1. hodierna lectio convenit in plerisque cum *antiquis* & *probatis exemplaribus*, ergo est præferenda. Nam, cum ipsa Apostolorum autographa perierint, quæ litem componere possent, recurrendum est ad fide digna apographa, quæ in bibliothecis alicubi asservantur, vel quorum antiqui mentionem fecerunt: ex. gr. Antiqua & maxime probata exemplaria, uti & nostra habent versum septimum primæ epistolæ Joh. cap. 5. ex quo Trinitas evidentissime probatur: ergo recepta lectio est præferenda lectioni marginali, quæ eum versum omittit.

2. Nostra lectio in multis *translata*, *explicata* & *allegata* est à veteribus interpretibus & doctoribus: ergo est præferenda illis exemplaribus, quæ illam lectionem translatam, explicatam & allegatam non habent: ex. gr. Nonnulla exemplaria omittunt versum 11. capitis 18. Matthæi, qui ita sonat Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός *Venit enim Filius hominis servare quod perierat.* Sed præterquam quod in antiquis exemplaribus exstet, etiam Græci interpretes ut Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius & alii eum versum exponunt: ergo ille versus est genuinus, & pars Novi T.

3. Hodierna lectio Græca *Scripturæ conformitati* & *fidei analogiæ* in multis magis convenit, quam varians lectio: ergo recepta lectio est præferenda: ex. gr. *Matth.* 6. 4. 6. occurrit ἐν τῷ φανερῷ *in propatulo.* Augustinus lib. 2. *de sermone Domini in monte* testatur eas voces in suis exemplaribus, quibus usus fuit, non inventas esse; cum tamen eæ voces, præterquam quod antiqui codices eas habeant, & Græci doctores interpretentur, textus conformitati apprime conformes sint: nam fit oppositio inter eleēmosynam, orationem & jejunium, quæ sunt in occulto, & inter remunerationem Dei, quæ erit in propatulo. Similiter locus ille 1 Joh. 5. 7. & scopo textus, & fidei analogiæ, in aliis locis traditæ, apprimè convenit.

4. Recepta lectio in multis congruit cum antiquissima & præstantissima

ſima *verſione Syriaca*, quæ paulo poſt tempora Apoſtolorum à viris Apoſtolicis, quorum lingua Syriaca fuit vernacula, putatur conſcripta; quæque propterea pleriſque aliis verſionibus ut plurimum præferri ſolet: ex. gr. Clauſula Orationis Dominicæ, quæ habetur Matth. 6. 13. *Quia tuum eſt regnum* &c. in nonnullis codicibus Græcis non habetur, cum tamen occurrat in Teſtamento Syriaco: ex quo videtur firmiter probari eam clauſulam olim Orationi Dominicæ fuiſſe adjunctam in Teſt. Græcis: nam ſi non extitiſſet, quomodo interpres eam transferre potuiſſet? Nolumus tamen verſionem Syriacam ſemper aliis verſionibus præferre: nam ea nonnunquam hallucinatur, & à textu recepto diſcedit contra fidem antiquorum codicum: ex. gr. locus 1 Joh. 5. 7. in textu Syriaco non exſtat, cum tamen in antiquioribus codicibus exſtet, & fidei analogiæ ac textus conformitati apprime conformis ſit.

XIV. *Quartò quæritur*. An ex variantibus lectionibus probetur corruptio textus Græci Novi T.?

Reſpondeo. Variantes lectiones, in diverſis codicibus Novi T. inventæ, non obſunt integritati textus Græci, niſi prius probetur in hodiernis codicibus occurrere voces non deſcriptas ab ipſis auctoribus librorum. In Veteri Teſtamento Hebraico, non obſtante Maſorâ, plures quàm octingentæ variæ lectiones ſunt obſervatæ, marginique adſcriptæ; inde tamen nemo legitimè probabit textum Hebræum eſſe corruptum. Similiter infinitæ ferè variæ lectiones ſunt collectæ ex diverſis editionibus verſionis vulgatæ, uti Roberti Stephani & Chriſtophori Plantini editiones oſtendunt: imo poſt verſionem juſſu Sixti V. & Clementis VIII. recognitam, Franciſcus Lucas Brugenſis non dubitavit libellum variantium ejus lectionum conſcribere. Pleræque variantes lectiones ex oſcitantiâ ſcribarum, & non datâ operâ, in textum Græcum irrepſerunt, quæ ſtudio Complutenſium, Eraſmi, Roberti Stephani, Bezæ, aliorumque doctorum virorum ſunt reſtitutæ; adeo ut in hodiernis editionibus quieſcere poſſimus.

XV. *Quintò quæritur*. An non cuilibet concedenda eſt facultas eligendi lectionem quamcunque velit, ſive marginalem ſive textualem?

Reſpondeo. Nullo modo: nam tum ſenſus eliceretur talis, qualem aliquis judicat eſſe eligendum; cum ſolius Spiritus Sancti ſit determinare quid ad S. Scripturam pertineat, vel quid ad eam non pertineat.

XVI. Forte *objiciet* nonnemo, & dicet illas variantes lectiones fidei & pietati non obeſſe; ergo parum referre utra lectio eligatur.

Re-

Respondeo. Prius posset sano sensu concedi. Variantes lectiones sæpe fidei & pietati non obsunt, sed aliquando per variantem lectionem locus aliquis nobis eriperetur, quo fidem nostram statuminare solemus: ex. gr. Si perinde sit utram lectionem eligamus 1 *Joh.* 5. 7. ergo si antiquos quosdam codices sequamur, eriperetur nobis insigne illud testimonium pro Trinitate & Unitate Essentiæ: nam integer ille versus secundùm variantem lectionem erit abjiciendus.

Instabit forte aliquis ulterius, & regeret illud dogma de Trinitate & Essentiæ Divinæ Unitate aliis Scripturæ locis toties inculcari, ut, etiamsi ille locus nobis deesset, tamen propterea non periclitaretur veritas illius dogmatis.

Resp. 1. Sunt quidem alia loca, in quibus illud dogma inculcatur; sed non occurrit alius locus, in quo hoc mysterium tam clarè proponitur, quàm quidem in loco citato.

2. Posito quod ob variantes lectiones nullum dogma periclitaretur, inde tamen non sequitur perinde esse utram lectionem quis eligat: nam si quis aliam lectionem eligit, quæ non est ab ipsis Scriptoribus, ille falsam eligit. An non cuivis cordi est Testamenti sui de bonis terrenis verum sensum percipere? Quanto magis flagrare debemus desiderio veri sensus Testamenti illius Divini de rebus cœlestibus, concernentibus salutem nostram æternam? Quàm curiosi sunt multi Critici, & quantam iidem adhibent diligentiam in expiscando, & ex variis editionibus in Plauto, Cicerone, Salustio, Curtio, aliisque profanis auctoribus colligendo veram & genuinam lectionem ab ipsis auctoribus relictam. An non majori curâ versari debemus circa verum sensum sacrorum Scriptorum? *Judæi dicunt* non esse apicem in Veteri T. à quo non varia mysteria dependent. An nos Novum T. tam parvi æstimabimus, ut putemus parum situm esse in eo, utram lectionem eligamus? Ex. gr. Exigua res esse videntur articuli, & particulæ ἢ, καὶ, γὰρ, & similes, additæ aut omissæ, vel inter se permutatæ. Sed inde sæpè pendet utilis sensus; vel illa minima aliquando peculiarem continent sermonis elegantiam aut emphasin, quam soli linguæ Græcæ periti vident. Vide plura de variantibus lectionibus apud Glassium loco suprà citato.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA
DE
Celebrioribus versionibus Novi T.

PARS PRIMA,
Quæ agit in specie
DE
Versione Syriaca & Hebraica Novi T.

§. 1. *Quinque versiones Novum T. illustrant.*
2. *Versio Syriaca, utpote antiquissima, præ cæteris laudatur.*
3. *Eaque est translata ex textu Græco ab ignoto auctore.*
4. *Auctores diversarum editionum Syriacarum recensentur.*
5. *Loca aliquot Novi T. illustrata per versionem Syriacam enumerantur. Solvitur dubium.*
6. *Ratio datur quare versio Syriaca N.T. sit utilior aliis versionibus.*
7. *Lingua Syriaca aliis nominibus appellatur, estque tantum vernacula in paucis vicis circa Libanum.*
8. *Duplex datur versio Latina textus Syriaci, & utriusque auctor assignatur.*
9. *Auctor versionis Hebraicæ, tempus, duplex ejus editio, & differentia utriusque recensentur.*
10. *Iudicium fertur tum de tertia editione in 8. tum de omnibus tribus.*
11. *Ratio datur quare Hutterus de novo Matthæum & epistolam ad Hebræos transtulerit.*
12. *Idem locos ex V. T. in N. T. citatos, ita fere allegavit, prout in V. T. occurrunt.*
13. *Præstat vertere eos locos secundùm textum Græcum, quàm simpliciter allegare ex V. T. Et difficultas solvitur.*
14. *Versio Hebraica Novi T. multis est utilis.*
15. *Etiam Iudæis, licèt paucissimi convertantur.*
16. *Versio Hebraica Novi T. magno numero est edenda.*
17. *Paululum de versione Germanica Lutheri disseritur.*

SECTIO I.


Quoniam textus originalis Græcus Novi T. cum versionibus collatus, in multis locis non adeo claris, vel aliquando dubiis, ex iisdem versionibus illustratur; ideo de quibusdam versionibus, ut celebrioribus, ex quibus textus Novi T.

 Græ-

Græcus clarior reddi poteſt, pauca quædam dicemus. Verſiones illæ celebriores ſunt hæ ſequentes: ſcil. 1. Syriaca. 2. Verſio Hebraica Hutteri. 3. Verſio Latina. 4. Verſio Arabica. Et 5. Verſio nova Belgica.

I. De Versione Syriaca Novi T.

II. Inter celebriores, antiquiores & præſtantiores Novi T. verſiones meritò primum locum obtinet verſio Syriaca; de qua ita loquitur D. Frantz. Tract. de Interp. Script. part. 1. p. 47. *Ex omnibus verſionibus Novi T. primum locum habet, & certiſſima, feliciſſima, & divina omnino eſt Syriaca verſio, ab Apoſtolicis Viris abſque dubio fideliſſimè comportata, qui verba Chriſti & Apoſtolorum recentia adhuc mentemque optimè noverant. Hac enim lingua Chriſtus ipſe fuit uſus. Unde illam ferme Sapientes æquiparare fonti Græco Novi T. volunt; & ſpondeo immenſas utilitates illis, quotquot Novum T. Syrum cum Græco conjungere non fuerint gravati.* Multa hîc poſſent proferri, ſed ero brevior, relegans Lectorem ad *Philologum Mixtum*, in quo de hac & de verſione Veteris T. Syriaca ex profeſſo egi: nonnulla tamen occaſione verſionum Novi T. hic attingam, & pauca alia addam, quæ ibi omiſſa ſunt.

III. *Primò quæritur.* A quibus, & quando Novum T. Syriacum eſt compoſitum.

Reſpondeo. 1. Jacobus Martinus in præfatione Novi T. Syriaci, à Troſtio editi, ſcribit eam verſionem eſſe antiquiſſimam, & conſcriptam ab aliquo ex Euangeliſtis, vel ab illis qui Antiochiæ ipſos Apoſtolos habuerunt præſentes, quos de locis difficilioribus conſulere potuerunt.

2. Guido Fabritius Boderianus in præfat. Novi T. Syriaci ait ſe per literas ex Guljelmo Poſtello accepiſſe, quod Syri ex avitâ traditione credant Marcum Euangeliſtam, D. Petri diſcipulum & ſectatorem, *non modò ſuum Euangelium, ſed & cæteros omnes Novi T. libros linguâ patriâ, h. e. Galilæâ Syrâve tranſtuliſſe.* Sed inde non ſequitur, quod hodiernam verſionem Syriacam, quæ eruditorum manibus teritur, intelligat: nam auctorem vulgaris textus Syriaci ipſi Syri non poſſunt determinare; quod confirmatur ex *Vergerio*, qui lib. 3. contra Card. Hoſium ait, *quod rogaverit Moſen Meridinæum* (Syrum, ex Meſopotamiâ ſacerdotem, qui miſſus erat Romam, ut Teſtamenti Syri volumen typis excuſum in Syriam tranſportaret) quemnam *putaret ſcripſiſſe linguâ Syrâ Novum illud Teſtamentum? Ipſum verò reſpondiſſe, auctorem ſe ignorare.* Deinde im-

impossibile est quod Marcus transtulerit omnes libros Novi T. in linguam Syriacam: nam non potuit transtulisse Johannis Euangelium: Johannes enim jam senex, occasione enatarum *Cerinthi* & *Ebionis* hæresium, post reditum ab exilio, triginta ferè annis post Marci obitum, illud scripsit; uti testantur auctores gravissimi, Athanasius, Hieronymus, Epiphanius, aliique.

3. Sunt nonnulli, qui ex vulgatâ versione textum Syriacum translatum esse volunt. Sed illa sententia videtur esse absurda, etiam nullis rationibus nititur.

4. Nos cum Tremellio credimus textum Syriacum Novi T. ex textu Græco esse translatum: ita testatur in præfatione super Novum T. Syriacum; *quod majori ex parte ex archetypo Græco, eoque antiquißimo, fidelißime expressa sit*; sed quando translatus sit, nemo facile determinabit. Johannes Rainoldus putat eum tertio vel quarto seculo post Christum extitisse. Fortassè versio Syriaca potest esse multo antiquior.

IV. *Secundò quæritur*. Quinam Novum T. Syriacum ediderunt?

Respondeo. Diversi auctores & typographi illud in publicum emiserunt; sed non omnes eodem modo & iisdem characteribus. Plantinus & Hutterus Novum T. Syriacè ediderunt, sed Hebraicis literis; ille sine punctis, hic punctis vocalium ornatum. Ante omnes Widmanstadius, Jurisconsultus, & Ferdinandi in Austriâ orientali Cancellarius, primus editionem Novi T. Syriaci in Germaniâ anno 1562. procuravit, typis quidem minutis, sed elegantissimis in quarto. Deinde secundum ejus exemplar Plantinus in Bibliis Regiis anno 1571. postea Trostius, Parisienses, & Angli in Bibliis Polyglottis litteris Syriacis Novum T. etiam publici juris fecerunt. Verum in plerisque editionibus desunt hæc sequentia; scil. historia adulteræ, secunda Epistola Petri, secunda & tertia Johannis, Epistola Judæ, & Apocalypsis; quæ tamen omnia inveniuntur in Novo T. Hutteri, in Bibliis Polyglottis, & in novissimo Novo T. Syriaco in octavo, cujus editionem suis sumptibus & literis elegantissimis nuper anno 1664. procuravit amicus meus Ægidius Gutbirius, piæ memoriæ, dum viveret SS. Theol. Doctor & Professor P. in illustri Schola Hamburgensi; quam accuratam editionem unà cum ejus Lexico ob elegantissimas literas, ob formam portatilem, & ob alias virtutes omnibus Philo-Syris tanquam de meliori nota commendo.

V. *Tertiò quæritur*. An Novum T. Syriacum est magni faciendum? Et an habet aliquam utilitatem?

mutavit & emendavit: ex. gr. *Matth.* 2. 4. vocem *γραμματεῖς* (*Scribæ*) in priori editione verterat per שׁוֹטְרִים *gubernatores* seu *moderatores populi*, cum proprie debeat verti per סוֹפְרִים *Scribas*, prout etiam transtulit in posteriori editione.

X. Hanc Novi T. versionem Hebraicam separatim edidit Londini anno 1661 Guljelmus Roberstonus, Scoto-Britannus, in Octavo, volumine portatili, unà cum nonnullis textibus parallelis Hebraice allegatis. De hoc Novo T. Hebraico ita loquitur Roberstonus in titulo libri: *Nunc autem, in volumen portatu facile redactum; atque centenis quibusdam in locis, post diligentem ipsius recognitionem, emendatum, atque castigatum; absque cæteris istis in editione* HUTTERIANA *linguis*, (*onerosum scilicet illud, & multo minus usitatum tantummodo reddentibus*) *per sese, separatim, & puro puto idiomate solummodo* HEBRAICO, *publicatum.* Hinc ille Roberstonus fini editionis suæ adjecit decem circiter folia, in quibus annotat nonnullas mendas, quas judicat esse, in priori præcipue editione, emendandas. Licèt ipse Hutterus in secunda editione multa correxerit, ea tamen annotat ex priori editione Roberstonus, & vult illa secundùm posteriorem editionem esse emendanda. Nonnulla etiam occurrunt in utraque editione, quibus medicam manum adhibet idem Roberstonus. Etiam post has secundas curas relicta sunt nonnulla, quæ in reiteranda editione possent & deberent corrigi: ex. gr. Sæpissimè Nomina Affixa & Constructa habent articulum ה præfixum, cum genius linguæ Hebraicæ in talibus vocibus articulum illum fere semper respuat; hinc in titulo habetur האֲדוֹנֵינוּ pro אֲדוֹנֵינוּ & passim alibi, & Matth. 1. 12. הגלות בבל pro גלות. & cap. 2. v. 2. בַּמִּזְרָח הַשֶּׁמֶשׁ quasi cum extruso ה emphatico pro בְּמִזְרָח. Nonnulla adduntur, quæ sunt omittenda, & vice versa: ex. gr. Matth. 1. 22. additur בִּישַׁעְיָה *per Jesaiam*; cum nomen Prophetæ in textu Græco non addatur, &c. De his & similibus miror, quod Roberstonus ea non animadverterit, nec inter emendanda annotârit. Laudandus tamen summopere est tum Hutterus, quod in opere tam difficili primus glaciem fregerit, & viam aperuerit Judæorum conversioni optime inservientem; tum etiam Roberstonus, quod tam commodam editionem procurârit, multaque in eâ emendârit.

XI. Verum quidem est, quod Euangelium Matthæi & Epistolæ ad Hebræos Hebraicè antea exstiterint, eaque à Munstero Basileæ edita fuerint: sed quia antiqua illa editio Euangelii illius & Epistolæ ad Hebræos magis Rabbinicam quàm Biblicam phrasin redolebat, ideo idem Hutterus

rus voluit libentius eadem de novo transferre secundùm phrasin usitatam in Veteri T. Hebraico, quàm antiquam versionem retinere.

XII. Ne textus, in Novo T. ex Veteri T. allegati, parumper in Novo T. differentes, offendiculo essent Judæis; qui forte inde occasionem sumerent calumniandi, & dicendi textum Novi T. propter illas differentias esse corruptum: ideo D. Hutterus ubique fere in Hebraica Novi T. versione, locos omnes, è Veteri T. citatos, verbotenus, ex ipso textu Hebræo allegavit; qui proinde loci, aliquantum à Græca veritate, verbo saltem tenus, interdum differunt: de quo multi, an ita sit consultum facere, non sine causis gravibus dubitant: ex. gr. *Matth.* 2. 6. textus Græcus ait: *καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα: ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ*, *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam minima es inter principes Juda: ex te enim mihi proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meum Israël.* Hunc versum ita vertit Hutterus ואתה בית לחם אפרתה לא צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל: *Et tu Bethleem Ephrata, non minima ut sis in ducibus Jehuda, ex te mihi prodibit futurus dominator in Israële*; prout occurrit *Mich.* 5. 2. nisi quod interponatur vocula negandi לא *non* respondens voci Græcæ *οὐδαμῶς nequaquam.*

XIII. Hinc *quæritur.* Utrum consultius sit loca, ex Veteri T. allegata, ita in Novo T. vertere, prout in textu Græco eadem occurrunt; an vero præstet eadem simpliciter ex Veteri T. allegare, licèt à textu Græco discrepent?

Respondeo. Mihi prior modus præ posteriori arridet: nam simpliciter allegare textus ex V. T. non est transferre textum Græcum. Deinde omnes vel saltem plerique Interpretes verterunt textus, prout in textu Græco occurrunt: nam aliter textus ita allegati non conveniunt cum fonte Novi T. & cum verbis Christi ac Apostolorum, prout illi eosdem textus allegarunt & citarunt.

Dices: Judæi, videntes textus Veteris T. aliter in Novo T. citari, offendentur.

Resp. 1. Jure merito offendi non possunt: nam licitum est textus S. Scripturæ applicare ad hoc vel illud subjectum, licèt eædem voces ubique non citentur, & retineantur; prout sæpè in Novo T. factum est.

2. Ipsi Judæi, textus ex Veteri T. in Talmude & in aliis scriptis allegantes, sæpissimè eos non citant verbotenus, sed sæpe omittunt aut addunt

dunt aliqua, imo nonnunquam detorquent nonnulla, ut verba allegata cum sensu proposito magis conveniant.

3. E contra Christiani offenderentur, quando viderent versionem non concordare cum ipsis verbis in textu originali expressis.

XIV. *Quaeritur.* An versio Novi T. Hebraica aliquam habeat utilitatem?

Respondeo. Talis versio magnam praestat utilitatem; & propterea summopere miramur, quod nemo ante Eliam Hutterum Novum T. in linguam Hebraeam transtulerit. Hinc idem Hutterus in praefatione N. T. ita fatur: *Miror autem, cum Ecclesia Christiana jam ultra mille quingentos annos Euangelicam doctrinam à Domino nostro Iesu Christo, qui secundùm carnem de tribu* DAVID *&* JUDA *fuit, atque à Sanctis Apostolis, qui omnes Hebraei & Iudaei fuere, ad fidas manus traditam acceperit; quod post illa tempora, nemo fuerit, qui in gloriam Filii Dei, Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, nec non communem gloriam & utilitatem totius Ecclesiae & Posteritatis, imo ad conversionem Iudaeorum, Turcarum, aliarumque gentium, Novum T. in Hebraeam sanctam linguam transferre tentarit, vel si tentavit, ad exoptatum finem perducere valuerit; cum nec de gloria, nec de utilitate, nec de necessitate quisquam dubitare potuerit. Miror, inquam, quod nemo doctorum in Ecclesia fuit, qui rem tantam pro dignitate aggredi, atque Iudaeis, qui propter contemptum Domini nostri Iesu Christi, & neglectum verbi Dei & linguarum tam atroces poenas luunt, veram salutis viam, majori zelo monstrare conatus sit.* Utilis igitur est talis versio Hebraica Novi T.

1. Propter Judaeos, qui miro desiderio & zelo capiuntur legendi & intelligendi, quaecunque à Christianis Hebraicè conscripta sunt: putant enim ea contra se aut fidem suam esse conscripta; unde poterunt discere quomodo Christiani pro fide sua argumententur & disputent. Quod libentius legant Scripta Hebraicè, fit tum propter rationem jam allegatam, tum etiam quia ea lingua ipsis summopere placet: nam ea est lingua prima & antiquissima, quam Deus Adamo instillavit; ea est lingua sancta, quâ Deus oracula Veteris T. conscribi curavit; denique ea est omnium linguarum perfectissima.

2. Si sint alii Judaei, qui cognitione veri Dei & Salvatoris sui capiuntur, illi poterunt in lingua, sibi ita familiari & grata, Novum T. in quo omnia de Salvatore & salute hominum tam clarè & dilucidè describuntur, legere & evolvere.

3. Chri-

3. Christiani vel Judæi jam conversi, volentes disputare vel scribere contra Judæos, poterunt ex tali versione textus Hebraicè allegare, eosque contra eosdem citare; si forte Deus eos tali modo & medio ad se traheret. Hinc Judæus aliquis, ad Christianam religionem conversus, delitescens Leydæ, & volens scribere contra Judæos, cum audivisset me tale Novum T. Hebraicum possidere, per literas obnixe petiit, ut illud sibi mutuo darem; quod cum statim non fieret, ipse ilico huc venit, idemque efflagitavit & obtinuit.

XV. *Dices.* Paucissimi Iudæi convertuntur, & propter illos paucissimos vix pretium operæ fuit componere versionem Hebraicam Novi Testamenti.

Respondeo. 1. Si vel unus spatio decem vel centum annorum, occasione versionis Hebraicæ, converteretur, labor non esset frustraneus.

2. Imo si vel nullus unquam converteretur tali medio, tum Christiani eatenus liberarunt conscientiam suam, quod præter alia media etiam porrexerint Iudæis occasionem Novum T. in linguâ, multis fere vel quasi vernaculâ, legendi, inibique salutem suam quærendi. Hinc pontificii ante paucissimos annos inchoarunt Romæ imprimere Novum T. Hebraice; sed nescio quibus machinis illud opus, dimidiâ, ni fallor, ex parte jam absolutum, fuerit impeditum.

XVI. Adhuc *regeres.* Versio illa Hebraica Novi T. magnam quidem præstat utilitatem, si modo comparari possit: sed exemplaria ejus sunt admodum cara & rara; adeo ut ne millesimus Iudæus talem versionem unquam viderit, multo minus sibi comparare potuerit.

Respondeo. Exemplaria sunt nimis rara, cara, & vix ullo pretio vendibilia. Et deplorandum est Christianos non majorem adhibere diligentiam circa talem editionem, ut magna copia similium exemplarium imprimatur. Anno 1667. communibus suffragiis in tribus classibus provinciæ Ultrajectinæ decretum erat, ut in synodo, illo anno Ultrajecti habenda, nomine trium classium peteretur versio Hebraica Novi T. utpote quæ judicabatur optimum medium conversioni Iudæorum inserviens: sed & illud salutare decretum, in synodo propositum, nescio ob quas causas, hactenus non fuit executioni mandatum. Editio illa Novi T. Hebraica Londinensis esset quidem commoda Iudæis, sed exemplaria illa vix carissimo pretio comparari possunt: nam pleraque in nupero incendio Londinensi sunt Vulcano tradita, & penitus fere consumpta.

XVII. Hutterus in utraque editione Novi T. Hebraici addidit etiam

versionem Germanicam, quam Lutherus olim composuit: sed quia idem nimis multis negotiis fuit districtus, ideo non potuit satis intentus esse illi versioni: hinc idem Lutherus in reiteratis editionibus subinde nonnulla loca correxit. Postea Johannes Piscator versionem illam Germanicam emendavit, & aliquot centenis locis medicam manum admovit.

DISSERTATIO OCTAVA,

DE

celebrioribus versionibus Novi T.

PARS SECUNDA,

quæ agit in specie

De versionibus Latinis.

§. 1. Sex versiones Latinæ Novi T. enumerantur.
2. Versionis vulgatæ descriptio.
3. Judicium fertur de versione vulgata Novi T.
4. Versio Ariæ Montani describitur.
5. Ea partim improbatur, partim laudatur.
6. 7. De versione Erasmi differitur.
8. 9. Versionis Tigurinæ auctores & editores recensentur.
10. Versio Bezæ describitur.
11. Eaque laudatur. Boisii judicium de ea, & de aliis versionibus N. T.
12. Auctor versionis, quæ vulgò Pagnini vocatur, describitur.
13. Versio illa ex ipsis fontibus de novo facta est, sed Apocryphos recognovit. Judicium Pagnini de sua versione.
14. Tempus editæ versionis accuratè describitur.
15. Pagninus utrique Test. adjecit versiculos. sed in N. T. non eos, qui hodie sunt usitati.
16. Versio Pagnini in multis editionibus textui Hebræo imponitur: sed mutata in multis ab Aria Montano. judicium de mutatione Ariæ. Propositum nostrum de emendanda versione Pagnini.
17. Ratio datur quare tam pauca dicantur de versione N. T. & tam multa de versione V. T.

SECTIO I.

ersiones Novi T. Latinæ sunt diversæ, quarum præcipuæ & notissimæ sunt sex sequentes, scil. 1. versio vulgata. 2. versio Benedicti

dicti Ariæ Montani. 3. versio Desiderii Erasmi. 4. Tigurina. 5. versio Theodori Bezæ. & 6. versio Pagnini.

1. De versione vulgata.

II. Versio vulgata est versio Latina pontificiorum, quæ sic vocatur, quia olim ex particularibus versionibus una communis & vulgata facta est. Versionis vulgatæ auctor non est Hieronymus, vel aliquis notus doctor, sed ea est mixta ex aliis versionibus. Versio illa, licèt magni à nonnullis fiat, non tamen est authentica, nec potest esse regula fidei & morum infallibilis, ad quam in locis controversis tutò recurritur. Hæc versio in concilio Tridentino est canonizata, tum propter barbariem & ignorantiam linguarum originalium, tum etiam quia multa dogmata Pontificiorum ex versione vulgata confirmantur, quæ ex ipsis fontibus refutantur. Vide varia exempla in *Philologo Mixto* dissert. 1. ubi ex professo de hac vulgata versione, præcipuè quoad Vetus T. dissero. Ibi etiam enumerantur diversæ causæ discrepantiarum inter hanc versionem & inter textus originarios.

III. Jam præcipuè agimus de versione vulgata Novi T. quæ (licèt olim fuerit translata ex textu Græco) tamen illi textui in omnibus non satis conformis est. Plurima exempla talium differentiarum adferri possent, nisi eæ in Novo T. interlineari Ariæ Montani, cuivis, illud aperienti, statim in manus inciderent. Non possum tamen non paucula exempla in medium proferre, ex quibus unusquisque videbit auctores justas habuisse causas cogitandi de alia versione facienda, quæ magis cum textu Græco conveniret, quàm hæc ipsa vulgata versio: ex. gr. Apoc. 1. 3. Vox *οἱ ἀκούοντες audientes*, vertitur per *audit* in Singulari. Etiam *cap.* 2. *v.* 9. *καὶ τὴν βλασφημίαν τῶν λεγόντων & blasphemiam dicentium* transfert vulgatus interpres per, *blasphemaris ab his qui se dicunt*. Similiter *cap.* 11. *v.* 13. *καὶ οἱ λοιποὶ ἔμφοβοι ἐγένοντο & reliqui territi facti sunt*, pro quo habetur *& reliqui in timorem missi sunt*. Beza in præfatione Novi T. de hâc versione ait; *illam à Græcis discedere; sæpè obscure multa interpretari, quædam prætermittere, quædam adjicere: ut minimè mirum sit, eruditis hominibus nunquam satisfecisse, imperitis autem multis magnos errores objecisse*. Hos & similes errores emendavit inter cæteros Arias Montanus, de cujus versione jam disseremus.

2. De versione Ariæ Montani.

IV. Benedictus Arias Montanus, Hispalensis, Theologiæ doctor, (à Philippo II. Hispaniarum rege missus, ut editioni Biblicorum Regiorum, à Christophoro Plantino imprimendorum, præesset) versionem vulgatam emendavit, ejectis ex eadem multis vocibus ad marginem, & substitutis ac intrusis vocibus aliis in ipsum textum, quas judicabat magis cum textu Græco convenire. Hæc Ariæ versio non est plane nova, sed antiqua vulgata versio est interpolata, & emendata in multis, quæ judicabat non satis convenire cum ipso fonte Græco: sic enim scribit in titulo: *Novum Testamentum Græcè, cum vulgata interpretatione Latina, Græci contextus lineis inserta; quæ quidem interpretatio, cum à Græcarum dictionum proprietate discedit, sensum, videlicet, magis quam verba exprimens, in margine libri est collocata: atque alia* Benedicti Ariæ Montani Hispalensis *operâ è verbo reddita, ac diverso characterum genere distincta, in ejus est substituta locum.* Arias igitur versionem vulgatam textui Græco superposuit, exceptis tamen quibusdam vocibus non satis cum textu Græco convenientibus, quas ad marginem relegavit; in quarum locum substituit alias voces Latinas, sed characteribus Italicis; ita ut & versio vulgata in Novis illis Testamentis interlinearibus integra conspiciatur (expressa characteribus Romanis, partim in ipso textu, partim in margine) & simul Ariæ emendatio verbotenus facta, ac textui Græco accommodata. Hæc versio Ariæ est à Facultate Theologica approbata; uti videre est in fine Novi T. interlinearis, ubi eadem Facultas ita loquitur: *Hanc Novi T. Latinam interpretationem, quam ad Græci idiomatis rationem & proprietatem expendit, atque inter Græci contextus lineas describendam curavit D. Ben. Arias Montanus Hispalensis, Philippi II. catholici regis legatus, nos infra scripti Theologi, quibus ex ejusdem regis mandato à Lovaniensi Academia id muneris commissum fuerat, examinavimus; & ad Græci contextus phrases facilius percipiendas, Latinamque editionem vulgatam multis in locis illustrandam, utilem judicavimus. Actum Lovanii* VIII. *Calendas Apriles, Anno* 1571. Augustinus Hunnæus S. Theologiæ doctor et professor regius. Cornelius Reyneri Gaudanus, S. Theol. ordinarius professor. Johannes Wilhelm. Harlemius, S. Theologiæ Licentiatus.

V. Hæc

V. Hæc versio, ut & ejusdem versio Veteris T. de verbo reddita, sæpe non est satis Latina; hinc ita sola citata Latinis auribus est ingrata: Propterea petit idem Arias in præfatione Novi T. ne aliquis versionem ita interpolatam separatim sine contextu Græco in lucem edat. Sic enim fatur in fine: *Ea vero mente non sumus, ut nostra hac Latina interpretatio separata à Græco contextu, in cujus gratiam à nobis elaborata est, ab aliquo unquam excudatur.* Labor tamen ipsius, circa Vetus & N. T. adhibitus, est summopere laudandus, & studiosis aliisque valde utilis & necessarius. Jam enim singuli, sive textus originarios intelligant, sive eos non intelligant, poterunt videre & intelligere efficaciam vocum originalium ex suprà scriptis vocibus Latinis, quæ passim vocibus originalibus superponuntur.

3. De versione Desiderii Erasmi.

VI. Quia vulgata versio sensum textus Græci non semper satis dilucidè & convenienter expressit, ideo emendationem ejus etiam aggressus est inter cæteros Desiderius Erasmus, qui versionem vulgatam in multis interpolavit & emendavit. De hac Erasmi versione ita loquitur Beza in præfatione Novi T. 1. Erasmus veterem interpretem meritò in eo reprehendit, quod unum idemque vocabulum sæpe diversis modis explicet. 2. Quod è contra idem immeritò multis locis veterem interpretem reprehendat, tanquam à Græcis dissentientem; cum tantum dissentiret ab iis exemplaribus, quæ ille nactus erat. 3. Quod idem quædam præterierit quæ mutanda putat, & vice versa quædam mutaverit, quæ relinquenda existimat. Nihilominus idem Beza Erasmi versionem aliis versionibus longe præfert.

VII. Erasmus versionem suam Latinam fecit temporibus papæ Leonis Decimi, cui etiam eandem dedicavit. Leo X. eam versionem tanquam de meliori nota commendavit. Hinc Antuerpienses eam versionem vocarunt *Auctoris damnati versionem permissam.* Ita sonant verba Leonis pontificis, quæ expressit in Brev. ad Erasmum alloquio, præfixo edit. ejusdem Novi T. *Valde nos delectarunt lucubrationes tuæ in Novum T. jam pridem editæ, non tam quod nostro nomini dicatæ fuerant, quàm quod non vulgari, sed novâ & insigni quâdam eruditione præstabant, omniumque doctorum calculo plurimum laudabantur.* Quia hæc versio papæ Leoni, (qui erat virorum doctorum amator) & aliis quamplurimis eru-

dictis summopere arridebat; ideo eadem sæpissime, per columnas distincta, unà cum textu Græco in publicum emissa est.

5. De versione Tigurina.

VIII. Hanc Erasmi versionem parumper interpolarunt, eamque contulerunt cum ipsa veritate Græca doctissimi viri D. *Petrus Cholinus*, (qui etiam Apocryphos transtulit) & D. *Rodolphus Gualtherus*, pastor ecclesiæ Tigurinæ. Hæc emendata Novi T. versio unà cum nova Veteris T. versione Latina impressa est Tiguri, vocaturque vulgò versio *Tigurina*.

IX. Eodem circiter tempore Leo Judæ, per XIX annos ecclesiæ Tigurinæ pastor, magnâ ex parte Vetus Test. secundùm veritatem Hebraicam transtulit: sed ante opus absolutum concessit ad superos: ideo D. Theodorus Bibliander, sacrarum literarum in ecclesia Tigurina fidelissimus interpres, precibus moribundi motus, vertit octo postrema capita Ezechielis, Danielem totum, librum Jobi integrum, Psalmos quadraginta octo ultimos, Ecclesiasten & Canticum Canticorum. Vide de Tigurina versione præfationem primæ editioni præmissam. Hanc versionem (quam Tigurini prima vice in folio egregiis literis, sine distinctione versuum, per typographum Christophorum Froschoverum anno 1543. Tiguri ediderant) Robertus Stephanus anno 1545. junctim cum versione vulgata per columnas impressit in octavo, appositis passim ad locos quosque difficiliores scholiis locupletissimis ac doctissimis, vulgò Vatablo adscriptis.

5. De versione Theodori Bezæ.

X. Theodorus Beza, post Erasmum, etiam Novi T. versionem Latinam adornavit unà cum doctissimis annotationibus, in quibus tum versionis suæ, tum etiam dissensus sui in quibusdam à versione vulgata & ab ipso Erasmo rationem reddit. Vide Isagogen Riveti cap. 12. Ipse Beza in præfatione Novi Testamenti anno 1560 Basileæ in folio editi, ita de nova sua versione præfatur: 1. Studui autem in primis, ut non modo à Græcis, sed etiam à recepta jam olim editione quàm minimum deflecterem. 2. Verborum proprietatem adeo studiosè sum sectatus, ut etiam à Synonymis, quoad ejus fieri potuit, libens abstinuerim. 3. Singula Græca vocabula eodem ubique modo exprimere sum conatus, nisi quum diversa

diversa fuit significatio: aut peculiaris aliqua ratio incidit: quam & ipsam breviter annotavi. 4. In ipsis Hebraismis Latinè exprimendis aliquoties malui non summam habere Latinitatis rationem, quàm temerè quicquam audere: nam si Græcè loquens Spiritus Sanctus ab istiusmodi Hebraismis non abstinuit, & doctissimi quoque Græcorum interpretes, illos adeo non rejecerunt, ut illis etiam tanquam gemmis quibusdam scripta sua exornarint: non est cur hoc meum studium quispiam reprehendat. 5. Denique quum in illis explicandis non semper conveniat inter doctissimos etiam scriptores, satius esse existimavi, integra omnia interdum relinquere, quàm committere ut allata una interpretatione, alias omnes viderer rejecisse. Hactenus Beza.

XI. Hæc versio Bezæ communiter in scholis Reformatis est recepta, & sæpissimè variis formis unà cum versione Veteris T. à Junio & Tremellio adornatâ, in lucem est emissa, & quotidie emittitur. Hæ iteratæ versionis editiones ostendunt eam doctis gratam & acceptam esse; licèt nonnulli eam in quibusdam locis reprehendant, atque contendant Bezam aliosque Novi Test. interpretes Latinos non semper justa de causa à vulgata versione discessisse. Johannes Boisius, ecclesiæ Eliensis canonicus, edidit Londini anno 1655. librum in octavo, (sub hoc titulo: *Veteris interpretis cum Beza aliisque recentioribus collatio in quatuor Evangeliis & Apostolorum Actis: in qua annon sæpiùs absque justa satis causa hi ab illo discesserint, disquiritur*) in quo conatur probare recentiores interpretes non semper ob causas satis graves versionem vulgatam correxisse; sed è contra asserit eam, in multis locis, versionibus aliis Latinis esse præferendam.

6. De versione Pagnini.

XII. Reverendus S. Theologiæ doctor Sanctes Pagninus Lucensis, concionator apostolicus, prædicatorii ordinis, edidit primâ vice anno 1528. novam Veteris & Novi Testamenti versionem Latinam. Impressa quidem erat utriusque Testamenti versio anno 1527. uti suprà pag. 22. ex loco allegato probavimus. Sed, ob adjectam in fine nominum propriorum interpretationem, illa versio demum edita est anno 1528. qui annus etiam in frontispicio primæ illius editionis annotatur.

XIII. Pagninus utrumque Testamentum de novo ex ipsis fontibus in linguam Latinam transtulit; uti ipse in præfatione plerorumque libro-

rum

rum ait;sed de libris Apocryphis inquit: *recognitus per Sanctem Pagninum.* Nonnulla loca, jam impressa, mutavit, antequam hæc prima editio ederetur; prout videre est in præfatione: ex. gr. Gen. 49. 19. impressum erat, *Ghad exercitum succidet, & ipse succidet calcaneum*, quod ita ipse corrigendum mandat in præfatione: *Ghad exercitus superabit eum, & ipse superabit demum.* De quo miror quomodo prius in versione Pagnini adhuc conspiciatur, & tanquam alienum ab Aria Montano ex textu ad marginem extrudatur; quum tamen ipse Pagninus illud emendandum esse docuerit. Quoad versionem Novi T. video Pagninum in multis sequutum esse versionem Erasmi. De tota sua versione sic loquitur in præfatione: *Verbum verbo reddidimus (ubi reddi potuit) ut arcanis (quantum fas est) literis deferremus, simul ac iis qui Hebræas perdiscere cupiunt literas, faceremus satis. Periphrasi tamen nonnunquam uti opus fuit, quum sensus alias commode exprimi non potuerit. Quod omnes fecerunt interpretes, præcipue divus Hieronymus. ---- Divum Hieronymum pro nostra virili defendemus, quem ut sanctum, ut peritissimum, & colimus, & adoramus, cujus editionem in V. instrumento, neque convellimus, neque damnamus, neque mutamus, neque calumniamur ullo pacto, quanquam ab illo plerisque dissentimus in locis, quod & aliis usu venit doctoribus, qui in summa Christiana fidei consentientes aliud legunt, ut Cyprianus, ut Hilarius &c. ---- Potuissemus pleraque & Latinius & elegantius efferre, ni superstitiosis quibusdam offendiculo fore formidassemus, qui nefas esse ducunt usquam à literis ac syllabis discedere. Proinde communi editioni, quæ divi putatur Hieronymi, quoad fieri potuit, Hebraica manente sententia ac veritate, nos ipsos accommodavimus.*

XIV. Sunt qui putant eam versionem paulo citius, scil. anno 1523. esse impressam, sed falluntur. Joh. Franciscus Pius in epistola, translationi Pagnini præfixa, docet eam versionem anno 1528. primò esse impressam, postquam Auctor viginti quinque annos ei elaborandæ impendisset. Verum est, quod Pagninus diu ante annum 1528. modò sub Leone X. omnem operam adhibuerit, ut versionem suam in lucem ederet; imo quod etiam circa finem regiminis Leonis X. cujus mors incidit in annum 1522. nonnulla curaverit imprimi: sed ob mortem illius pontificis omnia sunt intermissa. Ita habetur in epistolâ, Bibliis præfixâ, quam Pagninus Clementi VII. Lugduno scripsit anno 1525. Kal. Januarii: ubi legitur, quod Leo X. Romæ ad se vocaverit Pagninum, petieritque videre utriusque Testamenti translationem; cujus cum vidisset aliquot quinterniones: volo,

Volo, inquit, ut meis impensis totus transcribatur liber, & typis exacte revisus excudatur. Propterea non modo pro scribis, sed etiam pro parandis iis, quæ ad opus edendum necessaria erant, impensas suppeditavit: hinc sequenti deinde anno nonnulla impressa fuerunt. Sed Leone X mortuo omnia sunt intermissa. Pagninus propterea ex Italia demigrandum censuit, venitque Avenionem: sed cum peracto ferme triennio ibi voti sui compos fieri non posset, tum ob calcographorum penuriam, tum ob impensarum inopiam Lugdunum petere decrevit. Quo quum appulisset, multosque invenisset amicos Florentinos, qui ipsum sæpius declamantem Florentiæ audiverant, ac multa polliciti essent, admodum gavisus est. Deinde ipsius cognatus Franciscus Turcus, quem ibi invenit, ipsi promisit omnia, quæ erant necessaria tam pro vita degenda, quam pro excudendis literis. Florentini quidam cives, degentes Lugduni, statuerant certam pecuniæ summam quotannis pro alimentis & aliis necessariis exhibere: quapropter omnem curam adhibebat ut scripta sua ederet. Primum ibi edidit Institutiones Hebraicas, deinde translationem veteris & N. T. cum libro de interpretatione nominum Hebraicorum & Græcorum. Quod versio Pagnini anno 1523 non sit impressa, apparet etiam ex privilegio Clementis VII quod Pagnino anno 1526, datum est; quodque in prima editione conspicitur; cujus summa hæc est. Clemens papa VII dat pagnino per quinquennium privilegium imprimendi suis sumptibus translationem Bibliorum, eorumque annotationes, librum de Hebraicorum nominum interpretatione, Hebraicas institutiones, & psalterium cum annotationibus. Infra erat scriptum: *Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* VI *Junii M. D.* XXVI, *Pontificatus nostri anno tertio*. Ex his apparet hanc versionem demum post annum 1526 esse impressam.

XV. Pagninus addidit Veteri T. singulos versus in medio columnæ & in latere; & quidem secundum distinctionem Hebraicam. Etiam idem Novo T. adjecit versus, sed multo prolixiores iis, qui jam in Novo T. sunt usitati: nam eo tempore hodierna distinctio versuum nondum erat inventa, nec Novis T. Græcis addita. Ejus differentiæ dedi nonnulla exempla retrò pagina 22.

XVI. Hæc Pagnini versio, quoad vetus T. Bibliis Regiis, Anglicanis, aliisque, tanquam interlinearis, sed ad linguam Hebraicam verbotenus ab Aria Montano accommodata, est textui Hebraico, (licet in multis versioni & sententiæ pontificiorum contrarietur,) imposita. Hic Arias

Montanus nonnullas voces Pagnini ad marginem relegavit, & suas literis Italicis in locum earum substituit. Quod institutum omnibus æque non probatur. Waltonus in præfatione Bibliorum Polyglottorum pag. 35 ita fatur: *Quod ejus studium omnibus non probatur, dum Pagnini versionem temere loco movit, & verba barbara & inusitata, quæ Latinæ aures non ferunt, pro Pagnini bonis substituit. Hoc tamen pro Aria dici potest, quod hoc modo tyronibus in lingua Hebræa consulit, nec Pagnini verba prorsus sustulit, sed tantum in marginem transtulit.* Etiam Bootius in Animadversionibus sacris eandem fere profert querelam. In præfatione ait: *Sæpe Arias Pagnini versionem temere loco movet, & pro bonis Pagnini prava ineptaque substituit.* Similia habet in ipso libro pag. 200. Ex. gr. Pagninus *Num.* 15: 3. vocem בנדבה transtu'erat *voluntarie*, sive sacrificium voluntarium, cum Arias habeat *in devotione*, quod non significat hæc vox Hebraica. Hinc Bootius ita conqueritur: *Solenne est Ariæ passim ita impingere, ac persæpe iis, quæ rite Pagninus transtulit, submotis, prava ac nihili interpretamenta in eorum locum inducere: de quo & Drusius plus semel conqueritur.* Cogitaveram tempore primæ editionis hujus Philologi versionem Veteris T. à Pagnino translatam, in duodecimo, minuticribus literis, in publicum emittere; sed interpolatam, & in gratiam studiosorum accuratissimè secundùm textum Hebræum emendatam; ut iidem haberent versionem Latinam optimè cum textu originali convenientem; quum jam studiosi (utentes versione Junii & Tremellii, quæ magis ad elegantiam Latinitatis, quam ad accuratam convenientiam textus originalis accommodata est) conquerantur se difficulter textum Hebræum secundùm eam versionem resolvere posse. Hæ omnes emendationes tum temporis à doctissimo viro, D. Johanne Levingstono, collatæ cum præstantissimis aliis versionibus, erant in chartam conjectæ; quas omnes, ut eas singulatim secundùm textum originalem examinarem, domi meæ tanquam insigne κειμήλιον tum perspexi & servavi.

XVII. Plura dicerem de versione Novi T. à Pagnino facta; sed quia ex hac prima editione tota præfatio Novi T. (forte à quibusdam censoribus) est rejecta, ideo cogor hîc abrumpere. Plura hic dixi, occasione versionis Novi T. de versione Veteris T. à Pagnino composita; tum quia pauci illam primam editionem possident; tum etiam quia est versio præstantissima, & recepta à plerisque Christianis cujuscunque fere sint religionis. Vide plura de versione Pagnini in Philologo Hebræo dissert. 35. 36. & 37.

DIS-

DISSERTATIO NONA,

DE

Celebrioribus verſionibus Novi T.

PARS TERTIA ET ULTIMA,

quæ agit in ſpecie

De verſione Arabica & Belgica, ut & de citationibus locorum ex Veteri T. in Novo.

§. 1. *Utilitas verſionis Arabicæ N. T. oſtenditur.*
2. *Objectio ſolvitur.*
3. *N. T. Arabicum eſt editum ab Erpenio & Anglis.*
4. *Unus idemque auctor non tranſtulit totum N T.*
5. *Verſio Arabica putatur eſſe antiqua.*
6. *Verſio Belgica, olim Reformatis uſitata, deſcribitur.*
7. *Cauſa motiva novæ verſionis.*
8. *Locus & tempus novæ verſionis adornatæ, examinatæ, & editæ indicantur.*
9. *Verſio nova Belgica laudatur. Eccleſiæ officium. Iudicia aliorum de nova hac verſione.*
10. *Nomina interpretum & reviſorum recenſentur.*
11. *Verſiones ſunt corrigendæ ex fontibus.*
12. *Pontificiorum ſententia de prærogativa verſionis vulgatæ refutatur.*
13. *Verſio Græca fuit inter Helleniſtas uſitata.*
14. *Chriſtus & Apoſtoli non ſemper in N. T. citant textus ex verſione Græca.*
15. *Iidem ſæpe ſequuntur textum Hebræum, quod auctoritate & diverſis exemplis confirmatur;*
16. *Etiam ſæpiſſimè ſequuntur verſionem Græcam ob duas rationes;*
17. *Quod exemplis probatur: & ſimul docetur quando hoc præcipuè fiat.*
18. *Loca allegata aliquando nec cum textu Hebræo, nec cum verſione Græca conveniunt; quod exemplis evincitur.*

SECTIO I.

IV. DE VERSIONE ARABICA NOVI T.

Sequitur nunc verſio Arabica Novi T. quæ, quia conſtat lingua orientali, etiam ſuas inſignes habet utilitates: nam nonnulla Novi T. loca difficiliora clariùs explicat: ex. gr. Matth. 6. 11. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem*, vertit Arabs per *Panem noſtrum craſtinum*, h. e. pa-

nem

nem cujusque diei, sive, ut Syrus vertit, *Panem indigentiæ nostræ.* Vide plura loca in ipso Novo T. Arabico.

II. *Dices.* Verum est, versio Arabica Novi T. egregiam quidem præstat utilitatem in locis quibusdam difficilioribus explicandis; sed eam utilitatem tantum percipiunt illius linguæ gnari, & qui quosdam progressus in ea fecerunt.

Respondeo. Majorem utilitatem percipient ex illa versione illi, qui se in lingua Arabica aliquandiu exercuerunt; sed etiam ignaris linguæ Arabicæ illa versio utilis esse potest: nam in Bibliis Polyglottis ipsa versio Arabica, juxta cum aliis versionibus, Latinè explicatur; adeo ut unico intuitu diversæ versiones, Latinitate donatæ, conspici possint.

III. Novum T. Arabicum edidit Erpenius Leidæ anno *1616*, *typis* quidem elegantibus, sed sine vocalibus. Verum Angli in Bibliis Polyglottis Novum & Vetus T. Arabicum ediderunt ornatum vocalibus.

IV. *Quæritur.* Quis composuit illam versionem Arabicam Novi Testamenti?

Respondeo. Erpenius in præfatione Novi T. Arabici putat Euangelia esse translata à Nesjulaman filio Azalkefati; uti apparet ex clausulâ, ubi habetur; *Descriptus est ex emendatissimo exemplari, cujus descriptor ait se id descripsisse ex alio exemplari emendato, exarato manu Johannis Episcopi Cophtitæ; qui Johannes dicit se suum descripsisse ex exemplari, quod ediderat D. Nesjulaman F. Azalkefati.* Erpenius putat eundem illum Nesjulaman cæteros libros Novi T. non transtulisse. Quare? Ob nimiam discrepantiam phrasium, occurrentium in Euangeliis & in aliis Novi T. libris.

V. *Porrò quæritur.* Quando hæc versio Arabica Novi Testamenti est translata?

Respondeo. Hæc versio est antiquissima, estque edita secundùm exemplar MS. bibliothecæ Leidensi donatum à Josepho Scaligero. Antiquitas ejus apparet quodammodo ex ordine librorum, qui in illo MS. observatur: nam Acta Apostolorum Epistolis postposita sunt; uti in antiquissimis quibusdam exemplaribus olim fieri solebat. Deinde clausula ejus antiquitatem prodit: *Absoluta est hujus libri descriptio die* 16, *mensis Banna anno* 988. *Martyrii Justorum* (h. e. anno Christi 1171.) Denique doxologia Matth. 6: 13. deest, quæ à quibusdam antiquis exemplaribus Græcis sæpè abesse solebat.

V. De

V. DE VERSIONE NOVA BELGICA.

VI. Ante annum Christi 1637 omnes ecclesiæ Belgicæ, saltem quoad Vetus T. usæ fuerunt antiqua versione, quæ erat translata non ex ipsis fontibus, sed ex versione Germanica Lutheri; ex quâ, utpote tumultuario tempore conscriptâ, & per consequens non satis accuratâ, non potuit satis emendata versio adornari. Propterea Johannes Uitenhove, adjutus ab aliis pastoribus, incepit anno 1556 Francofurti novam versionem Novi T. adornare, quæ primum Embdæ, & postea alibi sæpius impressa est. Et quia illa versio Novi T. erat correctior antiquâ versione, ideo eadem unà cum antiqua versione Veteris T. fuit diu recepta ab ecclesiis Reformatis. Verum ante annum 1556 ecclesiæ Reformatæ utplurimum utebantur versione adornatâ ex versione Germanica Lutheri, quæ solebat fere imprimi apud Jacobum à Liesvelt; unde Biblia illa communiter Liesveltiana dicta fuerunt.

VII. Sed & illa Novi T. versio Belgica, à Johanne Uitenhove adornata, licèt fuerit in multis emendata, indigebat tamen adhuc ulteriore emendatione; ideo synodus Dordracena anno 1618, die 20 Novembris communibus suffragiis decrevit per deputatos novam versionem Belgicam quoad Vetus & N. T. adornare, & adornatam per quosdam revisores examinare, an deputati interpretes versionem utriusque Testamenti satis convenienter secundùm ipsos fontes transtulissent.

VIII. Ut interpretes Novi T. qui tres fuerunt, se operi accingerent, profecti sunt anno 1629 Lugdunum Batavorum, cùm anno præcedente 1628 similiter tres interpretes Veteris T. eandem urbem ingressi essent; qui omnes versioni Veteris & N.T. colophonem imposuerunt anno 1632. Absolutâ versione vocati sunt octo revisores pro Veteri, & octo alii pro Novo T. qui ad examinandam versionem Veteris T. Leidam convenerunt anno 1633, & anno sequenti ad examinandam translationem Novi T. qui tandem opus revisionis utriusque Testamenti absolverunt anno 1635. Hæc tota versio Veteris & N. T. tandem per Dei gratiam prima vice impressa est Leidæ anno 1637.

IX. Hæc Nova versio, quoad utrumque Testamentum, translata secundùm Vetus T. ex textu Hebræo, & quoad Novum ex textu Græco, est correctissima, optime conveniens cum ipsis fontibus: & propterea laudandi sunt summopere interpretes & revisores, atque memoria ipsa-

ipsorum apud Reformatos semper debet esse in benedictione. Ecclesiæ etiam tenentur, sicuti pro aliis beneficiis, ita etiam pro hoc speciali beneficio, Deo gratias agere, quod gratiâ suâ interpretibus & revisoribus adesse dignatus sit, ut ad bonum ecclesiarum Belgicarum talem versionem adornare sine impedimento potuerint. Hinc, quia interpretes tam accurati fuerunt in versione hac nova adornanda, multi viri docti, præter Reformatos, eam magni faciunt, sæpissime citant, & ad sententiam suam probandam ac confirmandam allegant.

X. Interpretes Veteris T. fuerunt JOHANNES BOGERMANNUS, WILHELMUS BAUDARTIUS & GERSON BUCERUS.

Interpretes Novi T. & librorum Apocryphorum fuerunt JACOBUS ROLANDUS, ANTONIUS WALÆUS & FESTUS HOMMIUS.

Octo revisores Veteris T. fuerunt ANTONIUS THYSIUS, JOHANNES POLYANDER, ABDIAS WIDMARIUS, JODOCUS LARENUS, BERNHARDUS FULLENIUS, JACOBUS REVIUS, FRANCISCUS GOMARUS, & ARNOLDUS TEEKMANNUS.

Octo revisores Novi T. fuerunt SEBASTIANUS DAMMANUS, JOHANNES ARNOLDI LINDANUS, GUILHELMUS NIEUHUSIUS, CAROLUS DEMATIUS, BERNHARDUS FULLENIUS, CASPARUS SIBELIUS, HENRICUS ALTINGIUS, & LUDOVICUS GERHARDUS à RENESSE. Vide hos suprà recensitos auctores pleniùs, quoad functiones, descriptos in *Philologo Mixto*; ubi præterea tota historia novæ versionis Belgicæ fusè describitur, quò lectorem remitto.

XI. Quia versiones Veteris & Novi T. quibusdam in locis non consentiunt cum ipsis fontibus, ideo nonnulli judicant ipsos fontes esse corruptos. Hinc *quæritur*: Utrum per versiones aliquando corrigi possint textus originarii; an verò vice versa per textus originarios corrigi debeant versiones?

Respondeo. Textus originarii, utpote authentici, non possunt nec debent corrigi per versiones; sed è contra versiones, utpote non authenticæ, possunt & debent emendari juxta textus originarios, h. e. juxta textum Hebræum in Veteri, & juxta Græcum in Novo T. Res est manifesta: nam textus originarii sunt conscripti ab auctoribus infallibilibus; versiones verò à fallibilibus. Deinde major & diligentior cura semper fuit adhibita circa textus originarios, & circa eorundem conservationem, quàm quidem circa versiones. Denique providentia illa, cujus Christus Matth. 5. 18. mentionem facit, respicit magis textum originalem Veteris Testa-

Testamenti quàm ejusdem versionem aliquam.

XII. Nonnulli pontificii, ad laudandam versionem vulgatam, præferunt quidem eam ipsis fontibus Hebraicis & Græcis, voluntque eos juxta vulgatam versionem in multis locis esse corrigendos. Præterea quidam asserere audent vulgatam versionem esse factam peculiari Spiritus sancti assistentiâ, adeo ut interpretes errare non potuerint: sed hæc à cordatioribus pontificiis tanquam falsa & inepta rejiciuntur. Nam cum omnes versiones, tanquam rivuli, ex codicibus originariis, tanquam ex fontibus, fluxerint, necesse est, ut, quicquid veritatis in versionibus inveniatur, illud à fontibus habuerint. Præterea contradictionem implicat simpliciter affirmare textum originalem ex versione esse corrigendum. Æque enim absurdum est, ac si quis Solis motum ex horologio errante corrigere vellet; vel cum automaton aberrat, dicere Solem irregulariter circumferri, potius quàm vitium aliquod in automato concedere. Omnis igitur versio vera dicitur, quatenus convenit cum textu originali, & falsa, quatenus ab eo differt.

De citationibus locorum ex Veteri T. in Novo.

XIII. Christus, Euangelistæ & Apostoli sæpissimè in Novo T. allegarunt textus quosdam ex Veteri Testamento, nonnunquam exactè convenientes cum textu Hebræo, aliquando verò parumper differentes; ut vel cum versione Græca, quæ vulgò LXX interpretum vocatur, conveniant, vel cum eadem non conveniant. Versio hæc Græca fuit usitatissima temporibus Christi inter Hellenistas, h. e. Judæos nativitate & religione, sed qui Græcâ linguâ utebantur, & Græcam Bibliorum versionem publicè in synagogis prælegebant. Propter hos, quia sæpe versati fuerunt cum Christo & Apostolis, credunt nonnulli Christum & Apostolos in allegandis textibus ex Veteri T. in Novo, tantum usos fuisse famosâ illa versione Græcâ.

XIV. Hinc *quæritur*: An Christus, Euangelistæ & Apostoli, in allegandis textibus Veteris T. semper usi fuerunt famosâ illâ versione Græcâ, quæ vulgò LXX interpretum nomine insignitur?

Respondeo. 1. Multi ex pontificiis affirmativam defendunt sententiam, scil. quod Christus & Euangelistæ semper textus allegarint ex versione Græca: ita testatur Sixtus Senensis in Bibliotheca libro 8. cum ait: *Apostolos editionem LXX Interpretum non modò non contempsisse,*

sed

sed ubique eam prædicasse, & ex eâ prima fidei Christianæ fundamenta jecisse. Idem etiam defendit Morinus in præfatione Bibliorum LXX, auctoritate Sixti V editorum: *Hâc Apostoli, Apostolicique viri, nullâque aliâ usi sunt; hâc fidei dogmata, doctrinamque suam comprobaverunt; hanc in sermonibus & homiliis ad populum enarravèrunt.*

2. Nos è contra asserimus Christum & Apostolos nonnunquam sequutos esse vel textum Hebræum, vel versionem Græcam, vel aliquando, præteritis illis, liberè textus in Novo Testamento allegasse; adeo ut nec cum textu Hebræo, nec cum versione Græca textus allegati conveniant.

XV. Ante omnia probabimus auctoritate Hieronymi & textibus quibusdam Christum & Apostolos in allegandis locis ex Veteri T. sequutos fuisse ipsum textum Hebræum. Hieronymus de *Script. Eccles.* ubi de Matthæo disserit, ait: *Animadvertendum est, quod ubicunque Euangelista, sive personâ suâ sive Domini Salvatoris, Veteris Scripturæ testimoniis utitur, non sequatur* LXX *translatorum auctoritatem, sed Hebraicam.*

Textus sunt multi, qui probant Christum & Apostolos etiam sequutos fuisse ipsum textum Hebræum: ex. gr. Matth. cap. 2 v. 15 citantur hæc verba: ἐξ Αἰγύπτου ἐκάλεσα τὸν υἱόν μου, *Ex Ægypto vocavi filium meum,* ex Hosea cap. 11 v. 1. ubi eodem modo in textu Hebræo habetur, ממצרים קראתי לבני *Ex Ægypto vocavi filium meum:* sed versio Græca habet, ἐξ Αἰγύπτου μετεκάλεσα τὰ τέκνα αὐτοῦ, *Ex Ægypto revocavi filios ejus.*

Similiter apud eundem Euangelistam cap. 8 v. 17 exprimitur textus Hebræus, & non versio Græca, cum dicitur Αὐτὸς τὰς ἀσθενείας ἡμῶν ἔλαβε, καὶ τὰς νόσους ἐβάστασε, *Ipse infirmitates nostras tulit, & morbos nostros portavit*; cum quo textus Hebræus convenit Jes. 53, 4. חלינו הוא נשא ומכאבינו סבלם *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros bajulavit eos.* Sed versio Græca multùm differt, cum ait, Οὗτος τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν φέρει, καὶ περὶ ἡμῶν ὀδυνᾶται, *Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet.*

Idem confirmatur ab Euangelista Johanne cap. 19 v. 37. ubi habetur ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν *Aspicient in eum quem compunxerunt*; ubi idem Euangelista sequitur textum Hebræum, qui occurrit Zachariæ cap. 12 v. 10. ubi Propheta ait, הביטו אלי את אשר דקרו *Aspicient ad me quem transfixerunt.* Sed textus Græcus habet, ἐπιβλέψονται πρός με,

μέ, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο Aspicient in me pro eo, quod insultaverunt, sive saltarunt.

Simili ratione Paulus in epistola ad Romanos cap. 9, v. 17, cum ait, *εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε In hoc ipsum suscitavi te*, Hebraicam sequitur lectionem & non Græcam: nam Exodi cap. 9. v. 16. habetur *ἕνεκεν τούτου διετηρήθης Propter hoc conservatus es.* Confer etiam in eadem epistola capitis 10 versum 15, cum Jesaiæ capite 52, v. 7. & capitis 11, v. 4, cum 1 Reg. 19. 18. ut & capitis 12, v. 19, cum Deuternomii capite 32, v. 35. Qui plura similia loca desiderat, adeat Thesaurum Philologicum Hottingeri, & Syntagma Usserii de LXX, Interpretum versione, ut & librum tertium Criticæ sacræ Capelli cap. 1.

XVI. Christus & apostoli sæpè, in citandis textibus ex veteri T. sequuntur versionem Græcam.

Hinc *quæritur*: Quare aliquando, omisso tuxtu originali, sequuntur eam versionem?

Resp. 1. Ut se accommodarent auditoribus, quibus illa versio eo tempore erat notissima, & apud quos erat maximæ auctoritatis: immo multis notior erat ipso textu Hebræo.

2. Ne offendiculo essent Hellenistis inter Judæos, quibus ille allegati textus ita noti erant prout in versione Græcâ habebantur. Si verò apostoli illos textus secundum textum Hebræum aliter citassent, fortè malâ fide eos citatos esse putassent; & sic fortè magis attendissent ad illam disconvenientiam, quàm ad ipsa verba apostolorum. Lege hac de re Spanhemium dub. 19, par. 3, in loc. Matth. 3, 3. *Notandum, Euangelistas secutos versionem LXX, in plerisque, quæ & maximæ auctoritatis erat apud Hellenistas, & multis præ manibus, quando id fieri poterat salvâ dictorum propheticorum substantiâ, tum ut libertatem suam ostenderent, tum ne in re levi, & adiaphorâ malis cavillorum, infirmis scandali occasionem ullam præberent.* Sed si versio Græca contraria analogiæ fidei contineret, tum apostoli nunquam eam versionem sequuti sunt.

XVII. Jam exemplis quibusdam probandum est, quod Christus & apostoli sæpissimè sequantur, in citationibus locorum, versionem Græcam: ex. gr. Actorum cap. 7, v. 14, Stephanus ait Jacobum cum tota familia, quæ constabat ex 75 animabus, descendisse in Ægyptum, prout versio Græca habet Genesios cap. 46, v. 28. cum in Hebræo textu tantum 70 numerentur animæ.

Similiter in epistola ad Romanos cap. 9, v. 33, textus Græcus ha-

 bet

bet *οὐ καταισχυνθήσεται non pudefiet*, prout etiam habet versio Græca; sed in textu Hebræo est לא יחיש *non festinabit*. Vide multa similia loca apud Capellum in Critica Sacra lib. 2, cap. 3.

Hinc porro *queritur?* Quando præcipue apostoli sequuti sunt versionem Græcam?

Respondeo. Hottingerus ait id fieri tum præcipue. 1. Quando illa versio sensum exprimit. 2. Vel quando Spiritus S. mysticum quid ex textu illo vult elicere. 3. Vel quando per *συγκατάβασιν* quandam se vult accommodare aut Hellenistis inter Judæos, aut Gentilibus recens conversis, apud quos versio ista in maximâ erat æstimatione. 4. Vel cum discessionem à receptâ inter Hellenistas editione periculosam, & sine fructu ecclesiæ animadvertit.

XVIII. Christus & apostoli nonnunquam neutrum textum sequuti sunt, h. e. nec textum Hebræum, nec versionem Græcam; sed aliquando liberè, præterito utroque textu, loca Veteris T. allegarunt; quod, si opus esset, multis exemplis probari posset: sed ex paucis sequentibus exemplis veritas hujus assertionis poterit fieri manifestâ. Ex. gr. Matthæus cap. 2, v. 6, ait: *καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam nimima es inter principes Juda: ex te enim mihi prodituru est dux, qui gubernaturus est populum meum Israël.* Hic textus nec cum Hebraico, nec cum Græco convenit. Nam Propheta Micha cap. 5, v. 1, sic loquitur. ואתה בית-לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל. *Et tu Bethleem Ephrathah, parvulus, ad existendum in millibus Jehudah. Ex te mihi egredietur, ad existendum dominatorem in Israël.* Et versio Græca habet, *καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθὰ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραὴλ Et tu Bethleem domus Ephrata, minime es, ut sis in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, ut sit in principem Israël.*

Similiter Marcus cap. 2, v. 26, ait: *πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως Quomodo ingressus sit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum.* Ille 1. *Sam.* 21, 1. vocatur *Achimelech*, & in versione Græca *Abimelech*.

Simile exemplum discrepantiæ ab utroque textu occurrit 1 *Cor.* 10, 8. ubi apostolus ait: *καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες Et conciderunt uno die viginti tria millia*: at Numer. 25, 9. ubi strages illa describitur,

tur, tam in textu Hebræo, quàm in versione Græca enumerantur *viginti quatuor millia.* Vide plura similia exempla apud Capellum in Critica sacra lib. 2, cap. 2.

DISSERTATIO DECIMA,

CONTINENS

Quæstiones quasdam generales circa Novum Test. ferè Hebræo-Græcas.

§. 1. *Ratio datur, quare in N. T. non occurrat numerus dualis. Dubium solvitur.*
2. *Itidem, quare tantum semel usurpetur Tempus paulo post Futurum; & quidem apud Lucam. Objectio enodatur.*
3. *Quare quædam Tempora vocentur* Aoristi, *& quidem genere masc. cum* Futura *appellentur genere neutro, disquiritur.*
4. *Ratio datur quare in lingua Græca sint duplices Aoristi & duplicia Futura.*
5. *Itidem, quare lingua Græca sit fœcunda, & Hebræa parca.*
6. *Antiqua pronunciatio linguæ Hebraicæ & Græcæ periit. In N. T. dantur aliæ terminationes & geminationes Consonarum, quam in profanis auctoribus.*
7. *Non opus est eundem semper accentum exprimere in vocibus Latinis, quem vox Græca aut Hebraica habuit.*
8. *Hodiernus alphabeti Græci ordo videtur etiam fuisse usitatus temporibus apostolorum.*
9. *Ratio datur quare à nonnullis Ἰωάννης* Joannes *sine h, & Ihesus cum h scribatur.*
10. *Latini scribunt Moses & Moyses.*
11. *Plures variantes lectiones irrepserunt in Novum T. quàm in Vetus.*
12. *Docetur, quare Auctores Novi T. citantes textus ex V. T. nunquam allegarint capita aut versus.*
13. *In N. T. Verba Passiva aliquando habent activam significationem.*
14. *Etiam inibi inveniuntur exempla Futuri Subjunctivi modi.*

SECTIO I.



Ntequam ad diversas Novi T. dialectos descendamus, prius quasdam quæstiones, ferè Hebræo-Græcas, concernentes magnâ ex parte Novum T. Græcum, proponemus & explicabimus.

Hinc *primò quæritur:* Quare in toto Novo Testamento Græco ne unicum nomen numeri dualis occurrit, cum tamen ille numerus apud Græcos, præcipuè poëtas, sit usitatissimus?

Respondeo. Sacri scriptores Novi T. fuerunt Syri, quibus numerus dualis est ignotus: & propterea etiam iidem illum numerum in N.T. non expresserunt. Novum T. Græcum constat quidem literis Græcis, sed phrases ejus fere sunt Syriacæ. Si sacrorum scriptorum lingua vernacula fuisset propriè Hebraica vel Chaldaica, tum procul dubio etiam numerus dualis in eo fuisset usitatus: nam in utraque lingua, sed præcipue in Hebraica, numerus dualis sæpissimè usurpatur.

Dices: Apostoli sæpè dicuntur in Novo T. loquuti Hebraicè, & Hebraicâ dialecto; ut Paulus *Actor. 22, 2. Cum audivissent quod* Ἑβραΐδι διαλέκτῳ Hebræâ dialecto *alloqueretur illos.*

Resp. Vox *Hebraica* in Novo T. est ambigua, & usurpatur nonnunquam voce generaliori pro lingua Syriaca, quæ linguæ Hebraicæ fere dialectus solummodo est.

II. *Secundò quæritur*: Quare in toto Novo Testam. non usurpatur Tempus paulò post Futurum, nisi semel, & quidem apud Lucam in Euangelio *cap. 19, v. 40.* ubi habetur: *οἱ λίθοι κεκράξονται Lapides mox clamabunt.*

Respondeo. Est eaden ratio: nam Syri & Hebræi non agnoscunt Tempus paulo post Futurum: sed quando Hebræi Tempus tale exprimere volunt, utuntur circumscriptione aliqua, ut מְהֵרָה vel בִּמְהֵרָה *citò, celeriter.* Quod Lucas præ cæteris usurpet hoc Tempus Hebræis & Syris ignotum, ratio ejus rei ferè assignatur ab Hieronymo in explicatione capitis 6 Jesaiæ, ubi de Lucæ sermone ita differit: Veteres tradunt Lucam magis Græcas literas scivisse quàm Hebræas: unde & sermo ejus, tam in Euangelio quàm in Actis comptior est, & secularem redolet elegantiam. Sane si quis attentius Lucæ stylum consideret, videbit ejus scriptis aliquam suavitatem & elegantiam inesse, quæ apud alios Euangelistas ita non invenitur.

Dices: Hebræi & Syri non agnoscunt Præsens Indicativi, nec Aoristos; nec Futurum secundum, & tamen ea Tempora passim usurpantur in Novo Testamento.

Resp. Hebræi & Syri non quidem habent Præsens Indicativi, nec Aoristos aut Futurum secundum, attamen sæpè usurpant voces & verba, quæ in lingua Latina, & in aliis linguis necessariò per illa tempora debent explicari. Nam Participium Benoni communiter usurpatur pro Tempore præsenti Indicativi modi; Aoristi sæpè quidem per Præteritum, sed aliquando etiam per Futurum aut per Tempus Præsens exponuntur,

quæ

quæ Tempora sunt nota Hebræis & Syris. Etiam Tempora Futura sunt familiaria Hebræis, licèt non agnoscant talia gemina Futura, qualia sunt usitata apud vulgares Græcos. Sed Hebræi & Syri non habent Tempus aliquod, quod Temporis *paulo post Futuri* significationem accuratè & sine circumscriptione exprimit.

III. *Tertiò quæritur:* Quare tempora Aoristorum, jam nominata, ut ἔτυψα, ἔτυπον, τύψον &c. apud Græcos vocantur χρόνος ἀόριστος *Tempus indefinitum?*

Respondeo. Non ideo, quia significatio est incerta, paullone antè res præterierit, an multò; sed quia habent significationem interdum quidem præteritam, aliquando futuram, nonnunquam præsentem.

Adhuc *quæritur:* Quare illa Tempora nominantur Aoristus primus aut secundus, genere masculino, cum Tempora, rem futuram denotantia, vocentur Futurum primum aut secundum, genere neutro?

Resp. Illa Tempora æquè possent vocari Aoristum primum aut secundum, quàm hæc vocantur Futurum primum aut secundum. Utrumque valet: nam quando dicitur Aoristus, tum subintelligitur vox Græca masculini generis ὁ χρόνος; cùm verò dicitur Aoristum, sive Futurum, tum subintelligitur vox neutrius generis *tempus.*

IV. *Quartò quæritur:* Quare Græci duplices Aoristos & duplicia Futura agnoscunt, cum Hebræi & Syri destituantur omnibus Aoristis & Futuris secundis?

Respondeo. Hoc fit ob copiam & excellentiam linguæ Græcæ, qua idem pluribus modis effertur. Ob eandem causam Græci Tempus Præteritum Imperativo modo tribuerunt, non tantum in Activa, sed etiam in Passiva Conjugatione; cum Latini, Hebræi, Syri aliique Tempus Præteritum ab Imperativo excluserint: nam nemo præteritum agendum vel cavendum imperat. Lingua Hebræa est parca, paucissimisque vocibus constat: & propterea, cum res sint multæ & diversæ, eâden voce res plures sunt insigniendæ & denominandæ. Sed lingua Græca est copiosissima & abundantissima, infinitis fere vocibus constans: ideo una eademque res pluribus vocibus potest exprimi. Pschenius in Diatriba de linguæ Græcæ Novi T. puritate *sect.* 17, sic de fœcunditate linguæ Græ-
„ cæ loquitur: *Nulla lingua est uberior, nulla fœcundior;* quam copiam
„ multo longoque ejus usui acceptam ferre licet; prout poëta de Fama
„ canit:

Viresque acquirit eundo.

„ Tam late fusus est Græci sermonis usus, tantaque vocum composita-
„ rum & ortarum varietate luxuriatur; ut non putem ullam aliam linguam
„ in toto terrarum orbe fuisse aut esse posse hâc ipsâ ampliorem. Tot de-
„ rivata ab uno themate, puta φέρω, vel ἵστημι, vel τίθημι, vel ἔχω, &c.
„ descendunt; ut vel unum thema Lexicon singulare constituere videri
„ possit. Græcus Henrici Stephani Thesaurus amplus hujus rei esse pote-
„ rit magister. Quadraginta Adjectivis nominibus & ultra licet expríme-
„ re *superbum*. Unius vocis dantur novem Nominativi casus, Octo Ge-
„ nitivi, & quinque Dativi, ut ὁ ἐγώ. Septem Accusativi & quinque
„ Vocativi, veluti ὁ ἡρακλῆς, &c. Ex his concludimus, plura Tempora convenire linguæ Græcæ, quàm aliis linguis, ob abundantiam scilicet & fœcunditaten hujus linguæ præ aliis.

V. *Quintò quæritur*: Quare lingua Græca ita est fœcunda & copiosa, cum lingua Hebræa sit parca, paucissimisque vocibus constet?

Respondeo. Hebræi olim, quasi inclusi terræ sanctæ, non visitarunt vel occuparunt multa alia regna & terras, ubi alias voces Hebraicas, vel ab aliis nationibus mutuatas, didicerunt. Verum Græci, per victorias Alexandri Magni, multa regna, provincias & terras occuparunt & invaserunt, ubi per Græcos milites etiam linguam Græcam propagarunt. Et cum nationes illæ diversæ linguam Græcam addiscerent, atque aliquid fortè de sua vernacula admiscerent, hinc & ubertas linguæ Græcæ & varietas dialectorum natæ sunt. Nam ab una natione Jupiter vocatus est Δεὺς, & ab alia ζεὺς, &c. Similiter Jones dixerunt ὁ ὄφιος, Attici vero ὁ ὄφεως, & sic deinceps.

VI. *Sextò quæritur*: An genuina & antiqua pronunciatio linguæ Græcæ sit nota? Et an eodem modo pronuncietur lingua Græca Novi T. quomodo pronunciatur in profanis auctoribus?

Respondeo I. Sicuti genuina & antiqua pronunciatio linguæ Hebrææ magna ex parte periit, sic etiam nativa & antiqua pronunciatio linguæ Græcæ intercidit. Olim Hebræi potuerunt, respectu pronunciationis, distinguere inter Vau & Beth raphatum; inter ח & Caph raphatum כ. ubique inter Scheva & Sægol; etiam sonum literarum gutturalium Aleph & ע noverunt optimè formare, & distinguere. Sed Christiani & Germani Judæi, utpote non agnoscentes tales literas gutturales, nec concursum literarum bh, dh &c, non noverunt eas recto & genuino sono efferre.

Similiter hodierni Christiani, Græcè legentes, non ita proferunt lite-

ras & vocales Græcas (præcipuè β, η, υ, de quibus potissimum certatur,) prout eas antiqui Græci protulerunt. Propterea inutile est & supervacaneum, nimis curiosè veterem linguæ Græcæ pronunciationem sequi, cùm non planè constet, qualis ejus pronunciatio fuerit. Hinc Cleonardus, disserens in principio Grammaticæ suæ de genuina linguæ Græcæ pronunciatione, ait: Qui curiosè nimis ad antiquam pronunciandi rationem omnia volunt revocare, illis non est habenda fides, nisi prius priscorum Græcorum aliquem ab inferis excitarint. Efferantur ergo literæ Græcæ eo sono & modo, qui eruditis plerisque probatur; præcipue cum etiam hujus ætatis Græci ab hodierna pronunciatione, inter Christianos receptâ, nihil vel perparum discrepent.

2. Lingua Græca, in Novo T. occurrens, eodem modo pronunciatur, uti lingua Græca in aliis profanis auctoribus: sed sunt aliæ terminationes Consonarum in Veteri & N. T. Græco, quæ ita non inveniuntur in aliis auctoribus: ex. gr. Dictiones Græcæ exeunt communiter in Consonas ν, ρ, ς, ξ, ψ, & in κ in dictionibus ἐκ & οὐκ: sed in Veteri & N.T. Græco occurrunt nomina desinentia in φ, ut Ἰωσήφ; in δ, ut Δαβίδ; in λ, ut Μιχαήλ; in θ, ut Σήθ; & similia. Verumenimvero hæ posteriores voces sunt origine Hebraicæ; sed voces origine Græcæ solummodo in suprà dictas consonas exeunt.

Dices fortè: Vox οὔχ, Græcæ originis, terminatur consonâ χ, quæ suprà inter Consonas terminantes non numeratur.

Resp. Verum est, οὔχ terminatur in χ, sed cognoscito οὔχ esse mutilatum per Apocopen, & plenè ac propriè esse scribendum οὔχι.

3. Omnes Consonæ possunt geminari præterquam tres duplices ζ, ξ, ψ, & tres aspiratæ φ, χ, θ: sed novum T. non observat hanc regulam: nam *Marc. 7, 34.* in voce ἐφφαθὰ *aperitor*, litera φ ingeminatur. Verum scito illam vocem non esse origine Græcam sed Syriacam. Etiam quælibet lingua habet suas elegantias, quas aliæ linguæ respuunt: ex gr. Apud Græcos ingeminatio literæ ῥῥ est elegans, sed eam Hebræi propter ingratum sonum penitus aversantur.

VII. *Septimò quæritur:* An necesse est in vocibus Latinis, Belgicis, aliisque exprimere eundem accentum, quem vox Græca (sive etiam Hebræa) in Veteri aut N. T. Græco habuit?

Respondeo. 1. Sunt nonnulli, qui eundem accentum in Latino-Græcis vocibus efferunt, quem vox Græca habuit. Hinc Prudentius pronunciavit ídola, Ausonius trígonus, Sidonius Eurípides, Plautus Phílippus.

Vide

Vide Taubm. Plaut. Curc. Act. 1, Sc. 1.

2. Sed non est necesse eundem accentum observare in vocibus Græco- vel-Hebræo-Latinis, qui in originalibus linguis fuit observatus. Ex. gr. Græcè dicitur θεολόγος, latinè *Theólogus*; Græcè ναύκληρος, latinè *nauclérus*; Græcè ἐκκλησία, latinè *ecclésia*; Græcè παράκλητος, latinè *paraclétus*; Græcè καππαδοκία, latinè *Cappadócia*. Etiam apostoli, allegantes voces Hebraicas ex Veteri T. non semper eundem accentum expresserunt, qui in originali voce observatur: verbi gratia, *Gen.* 14, 18 habetur מַלְכִּי־צֶדֶק cum accentu in penultima: sed ad *Hebr.* cap. 5, v. 6 habetur Μελχισεδέκ. Similiter pro בֵּית־לֶחֶם *Mich.* 5, 2 scribitur *Matt.* 2, 6. Βηθλεέμ. Etiam Christus in cruce pendens & exclamans σαβαχθανὶ mutavit accentum: nam in Paraphrasi Chaldaica habetur שְׁבַקְתַּנִי *Schebaktáni*.

VIII. *Octavò quæritur:* An ordo alphabeticus literarum Græcarum, hodie receptus; etiam fuerit usitatus temporibus apostolorum? Et an idem possit quodammodo ex Novo T. probari?

Respondeo. Verosimile videtur hunc ordinem fuisse tum temporis usitatum; saltem ἄλφα fuit prima litera, & ωμέγα litera ultima; quod confirmatur ex *Apoc.* 1, 8. *ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, Ego sum α & ω principium & finis.*

Fortè *objicies*, quod hic ordo non videatur in alphabeto semper observatus: nam literæ Græcæ, exprimentes numerum sive Arithmeticam, non observant hunc ordinem. Litera enim Jota respectu numeri est decima litera, cum respectu alphabeti sit tantum litera nona.

Resp. Nota ϛ *sti*, denotans *sex*, literis Græcis videtur inserta confusionis vitandæ ergo, ut ordo literarum cum Arithmetica Hebraica conveniret. Sicuti enim Jod apud Hebræos denotat, *decem*, ita quoque Græci, insistentes vestigiis Hebræorum, voluerunt Jota similiter denotare *decem*.

IX. *Nonò quæritur*: Quare Ἰωάννης *Johannes* in Novo T. scribitur sine h?

Respondeo. 1. Nomen Johannis, Hebraicè יוֹחָנָן (utpote scriptum Hebraicè cum litera ח, conveniente magis cum duplici h, quàm cum simplici) debet scribi Latinè cum h. Sed quia Græci destituuntur literâ h, ideo iidem etiam sine h illud nomen proprium solent efferre. Hinc nata est prava scriptio hujus nominis sine h. Etiam Apostoli nunquam allegarunt nomen Jehova in Novo T. quia Græci, græcè loquentes, non possunt Jeho-

Jehova pronuntiare: nam in יְהוָה sunt tres diversæ consonæ, quarum ne unam agnoscunt Græci. Non enim habent in alphabeto literam h, non literam Jod, aut literam v, nisi vocales. Hinc Græci vocarunt nomen Jehova *ἀνεκφώνητον ineffabile*.

2. E contra pontificii, Latinè scribentes *Jesus*, interponunt H, tali modo IHS.

Quare? Verosimile est originem ita scribendi natam esse antiquitus ex ignorantia literarum Græcarum majuscularum. Nam si Jesus scribatur majusculis literis, tali modo solet pingi ΙΗΣΟΥΣ. Sed indocti, putantes Η (*ἦτα*) majusculum esse H Latinum, videntur illud nomen Latinè scribentes per h expressisse.

X. *Decimò quæritur*: Quare duobus modis scribitur Moses, scil. *Moses* & *Moyses*, cum in Hebræo tantùm habeatur מֹשֶׁה *Mosche*?

Respondeo. Origo exarandi hoc nomen duobus modis nata est ex duplici scriptione, usitatâ in Veteri & N. T. Græco: nam communiter quidem scribitur *Μωσῆς*, quod Latinè est *Moses*, ut Act. 7, 20. sed aliquando etiam occurrit sub aliâ formâ cum interposita vocali Ypsilon, & tum scribitur *Μωϋσῆς*, quod Latinè est *Moyses*. Vide Act. 6, 14.

XI. *Undecimò quæritur*: Quare plures variæ lectiones irrepserunt in Novum T. quàm in Vetus?

Respondeo. 1. Novum T. non fuit circumseptum Masorâ, sicuti Vetus T. Nam Judæi numerarunt omnes literas, versus, voces, puncta & omnes fere irregularitates in textu Hebræo occurrentes. Si vitium ex oscitantia scribæ in textum irrepsisset, statim recurrebant ad Masoram, & secundùm eam examinabant, & corrigebant vocem scriptam.

2. Vetus T. non potuit tam facile corrumpi: quia intra privatos quasi parietes servabatur ab unica natione Judaica. Sed Novum T. fuit conscriptum in gratiam omnium nationum, varietate linguarum & locorum multùm differentium.

3. Vetus T. fuit exscriptum rariùs, & ferè tantum à Judæis, quibus ea lingua olim fuit vernacula, & jam fere ita familiaris ac si fere vernacula esset. Sed Novum T. fuit exscriptum sæpius in gratiam multarum nationum recipientium illud; & quidem à scribis, quibus lingua Græca vel non tam familiaris fuit, vel fere ignota.

XII. *Duodecimò quæritur*: Quare auctores Novi T. allegantes textus ex Veteri T. nunquam allegent capita aut versus?

bet *οὐ καταισχυνθήσεται non pudefiet*, prout etiam habet versio Græca; sed in textu Hebræo est לא יחיש *non festinabit.* Vide multa similia loca apud Capellum in Critica Sacra lib. 2, cap. 3.

Hinc porro *quæritur?* Quando præcipue apostoli sequuti sunt versionem Græcam?

Respondeo. Hottingerus ait id fieri tum præcipue. 1. Quando illa versio sensum exprimit. 2. Vel quando Spiritus S. mysticum quid ex textu illo vult elicere. 3. Vel quando per *συγκατάβασιν* quandam se vult accommodare aut Hellenistis inter Judæos, aut Gentilibus recens conversis, apud quos versio ista in maxima erat æstimatione. 4. Vel cum discessionem à recepta inter Hellenistas editione periculosam, & sine fructu ecclesiæ animadvertit.

XVIII. Christus & apostoli nonnunquam neutrum textum sequuti sunt, h. e. nec textum Hebræum, nec versionem Græcam; sed aliquando liberè, præterito utroque textu, loca Veteris T. allegarunt; quod, si opus esset, multis exemplis probari posset: sed ex paucis sequentibus exemplis veritas hujus assertionis poterit fieri manifesta. Ex. gr. Matthæus cap. 2, v. 6, ait: *καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα, ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Et tu Bethleem terra Juda, nequaquam ninima es inter principes Juda: ex te enim mihi proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meum Israël.* Hic textus nec cum Hebraico, nec cum Græco convenit. Nam Propheta Micha cap. 5, v. 1, sic loquitur. ואתה בית-לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל. *Et tu Bethleem Ephrathah, parvulus, ad existendum in millibus Jehudah. Ex te mihi egredietur, ad existendum dominatorem in Israël.* Et versio Græca habet, *καὶ σὺ Βηθλεὲμ οἶκος Ἐφραθὰ, ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται τοῦ εἶναι εἰς ἄρχοντα τοῦ Ἰσραήλ Et tu Bethleem domus Ephrata, minime es, ut sis in millibus Juda. Ex te mihi egredietur, ut sit in principem Israël.*

Similiter Marcus cap. 2, v. 26, ait: *πῶς εἰσῆλθεν εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως Quomodo ingressus sit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum.* Ille 1. *Sam.* 21, 1, vocatur *Achimelech*, & in versione Græca *Abimelech.*

Simile exemplum discrepantiæ ab utroque textu occurrit 1 *Cor.* 10, 8. ubi apostolus ait: *καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες Et conciderunt uno die viginti tria millia:* at Numer. 25, 9. ubi strages illa describi-

tur,

tur, tam in textu Hebræo, quàm in versione Græca enumerantur *viginti quatuor millia.* Vide plura similia exempla apud Capellum in Critica sacrâ lib. 2, cap. 2.

DISSERTATIO DECIMA,

CONTINENS

Quæstiones quasdam generales circa Novum Test. ferè Hebræo-Græcas.

§. 1. Ratio datur, quare in N. T. non occurrat numerus dualis. Dubium solvitur.

2. Itidem, quare tantum semel usurpetur Tempus paulo post Futurum; & quidem apud Lucam. Objectio enodatur.

3. Quare quædam Tempora vocentur Aoristi, *& quidem genere masc. cum* Futura *appellentur genere neutro, disquiritur.*

4. Ratio datur quare in lingua Græca sint duplices Aoristi & duplicia Futura.

5. Itidem, quare lingua Græca sit fœcunda, & Hebræa parca.

6. Antiqua pronunciatio linguæ Hebraicæ & Græcæ periit. In N. T. dantur aliæ terminationes & geminationes Consonarum, quam in profanis auctoribus.

7. Non opus est eundem semper accentum exprimere in vocibus Latinis, quem vox Græca aut Hebraica habuit.

8. Hodiernus alphabeti Græci ordo videtur etiam fuisse usitatus temporibus apostolorum.

9. Ratio datur quare à nonnullis Ἰωάννης Joannes *sine h, & Ihesus cum h scribatur.*

10. Latini scribunt Moses & Moyses.

11. Plures variantes lectiones irrepserunt in Novum T. quàm in Vetus.

12. Docetur, quare Auctores Novi T. citantes textus ex V. T. nunquam allegarint capita aut versus.

13. In N. T. Verba Passiva aliquando habent activam significationem.

14. Etiam inibi inveniuntur exempla Futuri Subjunctivi modi.

SECTIO I.



Ntequam ad diversas Novi T. dialectos descendamus, prius quasdam quæstiones, ferè Hebræo-Græcas, concernentes magnâ ex parte Novum T. Græcum, proponemus & explicabimus.

Hinc *primò quæritur:* Quare in toto Novo Testamento Græco ne unicum nomen numeri dualis occurrit, cum tamen ille numerus apud Græcos, præcipuè poëtas, sit usitatissimus?

Respondeo. Sacri scriptores Novi T. fuerunt Syri, quibus numerus dualis est ignotus: & propterea etiam iidem illum numerum in N. T. non expresserunt. Novum T. Græcum constat quidem literis Græcis, sed phrases ejus fere sunt Syriacæ. Si sacrorum scriptorum lingua vernacula fuisset propriè Hebraica vel Chaldaica, tum procul dubio etiam numerus dualis in eo fuisset usitatus: nam in utraque lingua, sed præcipue in Hebraica, numerus dualis sæpissimè usurpatur.

Dices: Apostoli sæpè dicuntur in Novo T. loquuti Hebraicè, & Hebraicâ dialecto; ut Paulus *Actor. 22, 2. Cum audivissent quod* Ἑβραΐδι διαλέκτῳ Hebræâ dialecto *alloqueretur illos.*

Resp. Vox *Hebraica* in Novo T. est ambigua, & usurpatur nonnunquam voce generaliori pro lingua Syriaca, quæ linguæ Hebraicæ fere dialectus solummodo est.

II. *Secundò quæritur*: Quare in toto Novo Testam. non usurpatur Tempus paulò post Futurum, nisi semel, & quidem apud Lucam in Euangelio *cap. 19, v. 40.* ubi habetur: οἱ λίθοι κεκράξονται *Lapides mox clamabunt.*

Respondeo. Est eaden ratio: nam Syri & Hebræi non agnoscunt Tempus paulo post Futurum: sed quando Hebræi Tempus tale exprimere volunt, utuntur circumscriptione aliqua, ut מְהֵרָה vel בִּמְהֵרָה *citò, celeriter.* Quod Lucas præ cæteris usurpet hoc Tempus Hebræis & Syris ignotum, ratio ejus rei ferè assignatur ab Hieronymo in explicatione capitis 6 Jesaiæ, ubi de Lucæ sermone ita disserit: Veteres tradunt Lucam magis Græcas literas scivisse quàm Hebræas: unde & sermo ejus, tam in Euangelio quàm in Actis comptior est, & secularem redolet elegantiam. Sane si quis attentius Lucæ stylum consideret, videbit ejus scriptis aliquam suavitatem & elegantiam inesse, quæ apud alios Euangelistas ita non invenitur.

Dices: Hebræi & Syri non agnoscunt Præsens Indicativi, nec Aoristos; nec Futurum secundum, & tamen ea Tempora passim usurpantur in Novo Testamento.

Resp. Hebræi & Syri non quidem habent Præsens Indicativi, nec Aoristos aut Futurum secundum, attamen sæpè usurpant voces & verba, quæ in lingua Latina, & in aliis linguis necessariò per illa tempora debent explicari. Nam Participium Benoni communiter usurpatur pro Tempore præsenti Indicativi modi; Aoristi sæpè quidem per Præteritum, sed aliquando etiam per Futurum aut per Tempus Præsens exponuntur, quæ

quæ Tempora sunt nota Hebræis & Syris. Etiam Tempora Futura sunt familiaria Hebræis, licèt non agnoscant talia gemina Futura, qualia sunt usitata apud vulgares Græcos. Sed Hebræi & Syri non habent Tempus aliquod, quod Temporis *paulo post Futuri* significationem accuratè & sine circumscriptione exprimit.

III. *Tertiò quæritur:* Quare tempora Aoristorum, jam nominata, ut ἔτυψα, ἔτυπον, τύψον &c. apud Græcos vocantur χρόνος ἀόριστος *Tempus indefinitum?*

Respondeo. Non ideo, quia significatio est incerta, paullone antè res præterierit, an multò; sed quia habent significationem interdum quidem præteritam, aliquando futuram, nonnunquam præsentem.

Adhuc *quæritur:* Quare illa Tempora nominantur Aoristus primus aut secundus, genere masculino, cum Tempora, rem futuram denotantia, vocentur Futurum primum aut secundum, genere neutro?

Resp. Illa Tempora æquè possent vocari Aoristum primum aut secundum, quàm hæc vocantur Futurum primum aut secundum. Utrumque valet: nam quando dicitur Aoristus, tum subintelligitur vox Græca masculini generis ὁ χρόνος; cùm verò dicitur Aoristum, sive Futurum, tum subintelligitur vox neutrius generis *tempus.*

IV. *Quartò quæritur:* Quare Græci duplices Aoristos & duplicia Futura agnoscunt, cum Hebræi & Syri destituantur omnibus Aoristis & Futuris secundis?

Respondeo. Hoc fit ob copiam & excellentiam linguæ Græcæ, qua idem pluribus modis effertur. Ob eandem causam Græci Tempus Præteritum Imperativo modo tribuerunt, non tantum in Activa, sed etiam in Passiva Conjugatione; cum Latini, Hebræi, Syri aliique Tempus Præteritum ab Imperativo excluserint: nam nemo præteritum agendum vel cavendum imperat. Lingua Hebræa est parca, paucissimisque vocibus constat: & propterea, cum res sint multæ & diversæ, eâden voce res plures sunt insigniendæ & denominandæ. Sed lingua Græca est copiosissima & abundantissima, infinitis fere vocibus constans: ideo una eademque res pluribus vocibus potest exprimi. Pfochenius in Diatriba de linguæ Græcæ Novi T. puritate *sect.* 17, sic de fœcunditate linguæ Græ„ cæ loquitur: *Nulla lingua est uberior, nulla fæcundior;* quam copiam „ multo longoque ejus usui acceptam ferre licet; prout poëta de Fama „ canit:

Viresque acquirit eundo.

„ Tam late fusus est Græci sermonis usus, tantaque vocum composita-„ rum & ortarum varietate luxuriatur; ut non putem ullam aliam linguam „ in toto terrarum orbe fuisse aut esse posse hâc ipsâ ampliorem. Tot de-„ rivata ab uno themate, puta φέρω, vel ἵστημι, vel τίθημι, vel ἔχω, &c. „ descendunt; ut vel unum thema Lexicon singulare constituere videri „ possit. Græcus Henrici Stephani Thesaurus amplus hujus rei esse pote-„ rit magister. Quadraginta Adjectivis nominibus & ultra licet exprime-„ re *superbum*. Unius vocis dantur novem Nominativi casus, Octo Ge-„ nitivi, & quinque Dativi, ut ὁ ἐγώ. Septem Accusativi & quinque „ Vocativi, veluti ὁ ἡρακλῆς, &c. Ex his concludimus, plura Tempora convenire linguæ Græcæ, quàm aliis linguis, ob abundantiam scilicet & fœcunditaten hujus linguæ præ aliis.

V. *Quintò quæritur*: Quare lingua Græca ita est fœcunda & copiosa, cum lingua Hebræa sit parca, paucissimisque vocibus constet?

Respondeo. Hebræi olim, quasi inclusi terræ sanctæ, non visitarunt vel occuparunt multa alia regna & terras, ubi alias voces Hebraicas, vel ab aliis nationibus mutuatas, didicerunt. Verum Græci, per victorias Alexandri Magni, multa regna, provincias & terras occuparunt & invaserunt, ubi per Græcos milites etiam linguam Græcam propagarunt. Et cum nationes illæ diversæ linguam Græcam addiscerent, atque aliquid fortè de sua vernacula admiscerent, hinc & ubertas linguæ Græcæ & varietas dialectorum natæ sunt. Nam ab una natione Jupiter vocatus est Δεὺς, & ab alia Ζεὺς, &c. Similiter Jones dixerunt ὁ ὄφιος, Attici vero ὁ ὄφεως, & sic deinceps.

VI. *Sextò quæritur*: An genuina & antiqua pronunciatio linguæ Græcæ sit nota? Et an eodem modo pronuncietur lingua Græca Novi T. quomodo pronunciatur in profanis auctoribus?

Respondeo 1. Sicuti genuina & antiqua pronunciatio linguæ Hebrææ magna ex parte periit, sic etiam nativa & antiqua pronunciatio linguæ Græcæ intercidit. Olim Hebræi potuerunt, respectu pronunciationis, distinguere inter Vau & Beth raphatum; inter ח & Caph raphatum 3. ubique inter Scheva & Sægol; etiam sonum literarum gutturalium Aleph & ע noverunt optimè formare, & distinguere. Sed Christiani & Germani Judæi, utpote non agnoscentes tales literas gutturales, nec concursum literarum bh, dh &c, non noverunt eas recto & genuino sono efferre.

Similiter hodierni Christiani, Græcè legentes, non ita proferunt lite-

ras

ras & vocales Græcas (præcipuè β, η, υ, de quibus potissimum certatur,) prout eas antiqui Græci protulerunt. Propterea inutile est & supervacaneum, nimis curiosè veterem linguæ Græcæ pronunciationem sequi, cùm non planè constet, qualis ejus pronunciatio fuerit. Hinc Cleonardus, disserens in principio Grammaticæ suæ de genuina linguæ Græcæ pronunciatione, ait: Qui curiosè nimis ad antiquam pronunciandi rationem omnia volunt revocare, illis non est habenda fides, nisi prius priscorum Græcorum aliquem ab inferis excitarint. Efferantur ergo literæ Græcæ eo sono & modo, qui eruditis plerisque probatur; præcipue cum etiam hujus ætatis Græci ab hodierna pronunciatione, inter Christianos receptâ, nihil vel perparum discrepent.

2. Lingua Græca, in Novo T. occurrens, eodem modo pronunciatur, uti lingua Græca in aliis profanis auctoribus: sed sunt aliæ terminationes Consonarum in Veteri & N. T. Græco, quæ ita non inveniuntur in aliis auctoribus: ex. gr. Dictiones Græcæ exeunt communiter in Consonas ν, ρ, ς, ξ, ψ, & in κ in dictionibus ἐκ & οὐκ: sed in Veteri & N.T. Græco occurrunt nomina desinentia in φ, ut Ἰωσήφ; in δ, ut Δαβίδ; in λ, ut Μιχαήλ; in θ, ut Σήθ; & similia. Verumenimvero hæ posteriores voces sunt origine Hebraicæ; sed voces origine Græcæ solummodo in suprà dictas consonas exeunt.

Dices fortè: Vox οὐχ, Græcæ originis, terminatur consonâ χ, quæ suprà inter Consonas terminantes non numeratur.

Resp. Verum est, οὐχ terminatur in χ, sed cognoscito οὐχ esse mutilatum per Apocopen, & plenè ac propriè esse scribendum οὐχί.

3. Omnes Consonæ possunt geminari præterquam tres duplices ζ, ξ, ψ, & tres aspiratæ φ, χ, θ: sed novum T. non observat hanc regulam: nam *Marc*. 7, 34. in voce ἐφφαθὰ *aperitor*, litera φ ingeminatur. Verum scito illam vocem non esse origine Græcam sed Syriacam. Etiam quælibet lingua habet suas elegantias, quas aliæ linguæ respuunt: ex gr. Apud Græcos ingeminatio literæ ῥῥ est elegans, sed eam Hebræi propter ingratum sonum penitus aversantur.

VII. *Septimò quæritur*: An necesse est in vocibus Latinis, Belgicis, aliisque exprimere eundem accentum, quem vox Græca (sive etiam Hebræa) in Veteri aut N. T. Græco habuit?

Respondeo. 1. Sunt nonnulli, qui eundem accentum in Latino-Græcis vocibus efferunt, quem vox Græca habuit. Hinc Prudentius pronunciavit ídola, Ausonius trígonus, Sidonius Eurípides, Plautus Phílippus.

Vide

Vide Taubm. Plaut. Curc. Act. 1, Sc. 1.

2. Sed non est necesse eundem accentum observare in vocibus Græco- vel-Hebræo-Latinis, qui in originalibus linguis fuit observatus. Ex. gr. Græcè dicitur θεολόγος, latinè *Theólogus*; Græcè ναύκληρος, latinè *nauclérus*; Græcè ἐκκλησία, latinè *ecclésia*; Græcè παράκλητος, latinè *paraclétus*; Græcè καππαδοκία, latinè *Cappadócia*. Etiam apostoli, allegantes voces Hebraicas ex Veteri T. non semper eundem accentum expresserunt, qui in originali voce observatur: verbi gratia, *Gen.* 14, 18 habetur מַלְכִּי־צֶדֶק cum accentu in penultima: sed ad *Hebr.* cap. 5, v. 6 habetur Μελχισεδέκ. Similiter pro בֵּית־לֶחֶם *Mich.* 5, 2 scribitur *Matt.* 2, 6. Βηθλεέμ. Etiam Christus in cruce pendens & exclamans σαβαχθανὶ mutavit accentum: nam in Paraphrasi Chaldaica habetur שְׁבַקְתַּנִי *Schebaktáni*.

VIII. *Octavò quæritur:* An ordo alphabeticus literarum Græcarum, hodie receptus; etiam fuerit usitatus temporibus apostolorum? Et an idem possit quodammodo ex Novo T. probari?

Respondeo. Verosimile videtur hunc ordinem fuisse tum temporis usitatum; saltem ἄλφα fuit prima litera, & ὠμέγα litera ultima; quod confirmatur ex *Apoc.* 1, 8. ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος, *Ego sum α & ω principium & finis.*

Fortè *objicies*, quod hic ordo non videatur in alphabeto semper observatus: nam literæ Græcæ, exprimentes numerum sive Arithmeticam, non observant hunc ordinem. Litera enim Jota respectu numeri est decima litera, cum respectu alphabeti sit tantum litera nona.

Resp. Nota ϛ *sti*, denotans *sex*, literis Græcis videtur inserta confusionis vitandæ ergo, ut ordo literarum cum Arithmetica Hebraica conveniret. Sicuti enim Jod apud Hebræos denotat, *decem*, ita quoque Græci, insistentes vestigiis Hebræorum, voluerunt Jota similiter denotare *decem*.

IX. *Nonò quæritur*: Quare Ἰωάννης *Johannes* in Novo T. scribitur sine h?

Respondeo. 1. Nomen Johannis, Hebraicè יוֹחָנָן (utpote scriptum Hebraicè cum litera ח, conveniente magis cum duplici h, quàm cum simplici) debet scribi Latinè cum h. Sed quia Græci destituuntur literâ h, ideo iidem etiam sine h illud nomen proprium solent efferre. Hinc nata est prava scriptio hujus nominis sine h. Etiam Apostoli nunquam allegarunt nomen Jehova in Novo T. quia Græci, græcè loquentes, non possunt Jeho-

Jehova pronuntiare: nam in יהוה sunt tres diversæ consonæ, quarum ne unam agnoscunt Græci. Non enim habent in alphabeto literam h, non literam Jod, aut literam v, nisi vocales. Hinc Græci vocarunt nomen Jehova *ἀνεκφώνητον ineffabile.*

2. E contra pontificii, Latinè scribentes *Jesus*, interponunt H, tali modo IHS.

Quare? Verosimile est originem ita scribendi natam esse antiquitus ex ignorantia literarum Græcarum majuscularum. Nam si Jesus scribatur majusculis literis, tali modo solet pingi ΙΗΣΟΥΣ. Sed indocti, putantes Η (*ἦτα*) majusculum esse H Latinum, videntur illud nomen Latinè scribentes per h expressisse.

X. *Decimò quæritur:* Quare duobus modis scribitur Moses, scil. *Moses* & *Moyses*, cum in Hebræo tantùm habeatur משה *Mosche?*

Respondeo. Origo exarandi hoc nomen duobus modis nata est ex duplici scriptione, usitatâ in Veteri & N. T. Græco: nam communiter quidem scribitur *Μωσῆς*, quod Latinè est *Moses*, ut Act. 7, 20. sed aliquando etiam occurrit sub aliâ formâ cum interposita vocali Ypsilon, & tum scribitur *Μωϋσῆς*, quod Latinè est *Moyses*. Vide Act. 6, 14.

XI. *Undecimò quæritur:* Quare plures variæ lectiones irrepserunt in Novum T. quàm in Vetus?

Respondeo. 1. Novum T. non fuit circumseptum Masorâ, sicuti Vetus T. Nam Judæi numerarunt omnes literas, versus, voces, puncta & omnes fere irregularitates in textu Hebræo occurrentes. Si vitium ex oscitantia scribæ in textum irrepsisset, statim recurrebant ad Masoram, & secundùm eam examinabant, & corrigebant vocem scriptam.

2. Vetus T. non potuit tam facile corrumpi: quia intra privatos quasi parietes servabatur ab unica natione Judaica. Sed Novum T. fuit conscriptum in gratiam omnium nationum, varietate linguarum & locorum multùm differentium.

3. Vetus T. fuit exscriptum rariùs, & ferè tantum à Judæis, quibus ea lingua olim fuit vernacula, & jam fere ita familiaris ac si fere vernacula esset. Sed Novum T. fuit exscriptum sæpius in gratiam multarum nationum recipientium illud; & quidem à scribis, quibus lingua Græca vel non tam familiaris fuit, vel fere ignota.

XII. *Duodecimò quæritur:* Quare auctores Novi T. allegantes textus ex Veteri T. nunquam allegent capita aut versus?

Respondeo. 1. Vetus T. temporibus Christi & apostolorum nondum erat in capita distinctum.

2. Idem fuit quidem distinctum in versus, sed versus in libris MSS. qui vocalibus destituebantur, non fuerunt distincti per Silluk. In libris punctatis versiculi fuerunt quidem distincti per Silluk & per duo illa crassiora puncta; sed non fuerunt in margine numerati, vel per literas, vel per notas arithmeticas. Ipse Bombergus, qui ob Bibliorum aliorumque librorum Hebraicorum editionem celeberrimus fuit, Biblia sua Hebraica a. 1525, sine ulla distinctione versuum, in margine annotatorum, edidit. Plantinus postea quintum quemlibet versum literis Hebraicis in margine annotavit. Sed novissimè in duabus editionibus Bibliorum Hebraicorum singuli versus à nobis sunt adjecti; adeo ut jam quilibet sine ulla molestia allegati capitis versiculos investigare possit.

XIII. *Decimo tertiò quæritur:* An verba passiva in Novo T. Græco unquam habeant activam significationem?

Respondeo. Uti verba passiva apud Hebræos aliquando activam habent significationem, (ex. gr. נִשְׁבַּע *juravit*) sic etiam verba Græca in Novo T. Ex. gr. Actor. cap. 8 v. 14, occurrit verbum passivum habens significationem activam; ut *δέδεκται ἡ Σαμάρεια τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ Samaria recepit sermonem Dei.* Hîc *δέδεκται* est 3 Sing. Præt. Pass. à *δέχομαι.* Vide plura exempla in Grammatica Græca Georgii Pasoris pag. 148.

XIV. *Decimo quartò quæritur:* An non in Novo Testamento Græco occurrunt quædam tempora, quorum vulgaria paradigmata in Grammaticis Græcis non solent annotari?

Respondeo. In Novo Testamento Græco diversa occurrunt exempla Futuri primi Subjunctivi modi, cùm vulgares Grammaticæ tantum Aoristos illi Modo adscribant: ex. gr. 1 Pet. 3, 1, occurrit *ἵνα κερδηθήσωνται ut lucrifiant,* quod est 3 Plur. Fut. 1 Passivi Subjunctivi Modi. Sic *Joh.* 17, 2. *ἵνα δώσῃ αὐτοῖς ut det eis,* quod est. 3 Singul. Futur. 1 Act. Subjunctivi Modi. Vide plura exempla in dicta Grammatica pag. 123, quam Georgius Pasor in gratiam studiosorum super Novo Testamento composuit, & Groningæ anno 1655 edidit.

DIS-

DISSERTATIO UNDECIMA, DE

Dialectis Novi T. in genere & in specie.

§. 1. *Explicatur quid sit dialectus.*
2. *Varietas dialectorum consistit in quatuor.*
3. *Septem dialecti Novi T. breviter enarrantur.*
4. *Non datur proprie octava dialectus, qua vulgò communis vocatur.*
5. *Scriptores N. T. usi fuerunt tali lingua Græca, qualis eo tempore passim usitata fuit.*
6. *Ratio ejus rei datur.*
7. *Exempla dialecti Atticæ.*
8. *Exempla dialecti Ionicæ.*
9. *Exempla dialecti Doricæ.*
10. *Exempla dialecti Æolicæ.*
11. *Exempla dialecti Bœoticæ.*
12. *Exempla dialecti poëticæ.*

SECTIO I.

Dialectus Græcè dicitur διάλεκτος à διαλέγω *discerno*; hinc est διαλέγομαι *distinctè loquor, dissero, colloquor*: nam *dialectus est sermo cuique populo peculiaris, idque in eadem lingua.* Si enim sit diversitas linguæ, tum non erunt diversæ dialecti, sed diversæ linguæ. Eadem igitur requiritur lingua, sed diversus modus loquendi aut scribendi voces vel literas parit diversas dialectos. Ex. gr. Lingua Hebraica & Græca, quia differunt inter se ut linguæ, ideo non differunt ut dialecti: nam differentia dialectorum est in unâ eâdemque linguâ. E contra quia Attici, Æoles, Jones, Dores aliique usi fuerunt unâ eâdemque linguâ Græcâ, ideo diversitas illa, quæ fuit inter Atticos, Æoles aliosque fuit tantum diversitas dialectorum. Etiam idem exemplo, à lingua Belgica desumpto, demonstrari potest: ex. gr. Omnes Belgæ utuntur eâdem linguâ Belgicâ: sed quia multæ voces aliter pronunciantur, & aliquando etiam scribuntur ab Ultrajectinis, aliter ab Amstelodamensibus, aliter ab Amisfurtensibus, &c. hinc nata est dialectus Ultrajectina, Amstelodamensis, Amisfurtensis, &c.

II. Hæc varietas Græcarum dialectorum consistit præcipuè in hisce quatuor.

1. In *literis ejusdem vocabuli*; quod fit diversis modis, scil. vel per mutationem, vel per additionem, vel per detractionem, &c. quod infrà variis exemplis docebitur: ex. gr. pro θάλασσα dicunt Attici θάλαττα *mare*; pro λόγοις dicunt Jones λόγοισι; pro ἐπεποιήκεσαν *fecerant* in plusq.

 perf.

perf. dicit Marcus cap. 15, versu 7, poëticè πεποιήκεισαν &c.

2. *In pronuntiatione* seu *accentu* vocis, aut in *spiritu* : ex. gr. In ἀνθρώπῳ est accentus in penultima propter ω vocalem longam in fine; secundùm hanc regulam: *In polysyllabis, ultimâ existente longâ, acuitur penultima.* Sed Attici, negligentes hanc regulam, acuunt etiam, ultimâ existente longâ, syllabam antepenultimam, ut in ὄφεως, λέξεως &c. Similiter in *spiritu* diversitas dialecti conspicitur: ex. gr. Matthæus capite 21, v. 45, secundùm dialectum Doricam, quæ solet tollere aspirationem, ait ἔγνωσαν ὅτι περὶ αὐτῶν λέγει *cognoverunt quod de sese diceret*, pro αὑτῶν.

3. In *vocibus integris* : ex. gr. Doriensibus ἡ πέλλιαs est *extrema corporis pars quæ per excursionem aquæ nigrescit* : sed hæc vox Græca Atticis aliisque est prorsus ignota. Quælibet fere natio finxit sibi quasdam peculiares & proprias voces, quas aliæ nationes ignorarunt: hinc nata est fœcunditas linguæ Græcæ. Quot enim voces olim finxit sibi Homerus, (qui Jones fuit) de quibus Attici, Dorici, aliique ne per somnium quidem cogitarunt. Si quis dubitet, inspiciat Clavem Homeri, & videbit hæc veritati esse consentanea.

4. In *Syntaxi*. Græci, pro Ablativis absolutis, utuntur communiter Genitivis; ut λέγοντος αὐτοῦ *dicente ipso*. Sed Attici utuntur vel Nominativis vel Accusativis, ut Marc. 1, 10. καὶ εὐθέως ἀναβαίνων (Atticè pro αὐτοῦ ἀναβαίνοντος, nempe Ἰησοῦ) εἶδε (scil. ὁ Ἰωάννης) τοὺς οὐρανοὺς σχιζομένους *& statim cum ascenderet, vidit diffindi cœlos.*

III. Dialecti linguæ Græcæ sunt diversæ, quarum singulæ multis exemplis ex profanis auctoribus possent probari: sed quia præcipuè versamur circa linguam Græcam Novi T. ideo ejusdem dialectos tantum enumerabimus, variisque exemplis, ex Novo T. desumptis, eas illustrabimus. De hac dialectorum varietate ita loquitur Casparus Wyssius in Dialectologia Sacra, edita Tiguri anno 1650, *Sacer Novi Fœderis contextus, à sanctissimis mentis Christi interpretibus, à Cœlestis Spiritus amanuensibus, tanta dialectorum varietate ita passim exornatus est, ut nullum non dicam* CAPUT, *sed ne* VERSUS *quidem existat, in quo non aliqua dialectorum vestigia attento circumspectoque lectori se offerant.* Vide pag. 4.

Dialecti N. T. sunt septem, videlicet quinque propriæ, ut *Attica, Jonica, Dorica, Æolica, Bœotica*; & duæ impropriæ, ut *poëtica* & *Hebraizans.*

1. Dialectus *Attica* appellata est ab Atthide Cranai filia, à qua provinciæ nomen inditum est. Hâc dialecto usi sunt Aristophanes, Demosthenes, Patres Ecclesiastici, Rhetores & Historici. Nam quemadmodum in

in Latio eloquentia Ciceroniana habebatur præcipua, ſic etiam Demoſthenea illa & Attica in Græcia. Sicuti Attica dialectus eſt elegantiſſima, ita etiam in Novo T. eſt uſitatiſſima & frequentiſſima; adeò ut in toto Novo T. vix videatur eſſe caput, ubi non aliquot ejus exſtent veſtigia; prout infra ex exemplis hujus dialecti, ex N. T. allatis, clariſſimè apparet. Hanc fœcunditatem idem Wyſsius pag. 4, his verbis ſignificat: *Primam dialectorum ſedem Atticæ tribuimus, quæ, ut reliquas elegantia & varietate, ita uſu & frequentia infinitis paſſibus antecellit, per ſingula Novi Fœderis capita & verſus egregiè & luculenter diffuſa.*

2. Dialectus *Jonica* vocata eſt ab Jone filio Apollinis, & Creüſſæ Erechthei filiæ. Hæc dialectus Hippocrati, Herodoto, & in primis Homero, poëtarum principi, arriſit, quem Theocritus alicubi vocat Ἰάονα ἄνδρα *Jonem virum*. Quamvis Homerus ſit *Jon*, & præcipuè Jonicâ dialecto delectetur, tamen aliis quoque dialectis, metro ita exigente, uſus fuit, quamvis rarius. Plutarchus de dialectis Homericis diſſerens, ait: Homerus varia dictione uſus eſt, & cujuslibet linguæ Græcorum inſignia immiſcuit; ex quibus manifeſtum eſt eum peragraſſe univerſam Græciam, & omnem nationem.

3. Dialectus *Dorica* à Doro Hellenis nominata eſt, eâque ſcripſerunt in primis Theocritus, Pindarus, & univerſa Pythagoreorum philoſophorum ſchola.

4. Dialectus *Æolica* ab Æolo Hellenis nomen accepit, eâque delectatus eſt Alcæus.

5. Dialectus *Bœotica* ita eſt vocata à Bœoto, Itoni & Menalippæ nymphæ filio. Hinc Bœotia eſt regio in finibus Græciæ, in longum ad Atticam ſe protendens. Interpretes Græci, in vertendo Veteri T. in Linguam Græcam, frequenter hac dialecto uſi ſunt. Similiter hac Bœotica & Æolica dialecto uſi ſunt poëtæ, qui exigentibus id carminis legibus, & urgente pedum formandorum ratione per has dialectos carmina ſua exornare ſoliti fuerunt.

6. Dialectus *poëtica* appellata eſt à poëtis, qui eâ præcipuè delectati ſunt: nam ad carmen aliquod componendum nonnunquam litera aliqua fuit vel addenda, vel abjicienda, vel etiam mutanda, &c.

Quæritur. Quare in Novo T. occurrit hæc dialectus poëtica, cum Novum T. non conſtet carminibus, ſed proſâ?

Reſpondeo. 1. Hoc fit quia dicta quædam poëtarum in Novo T. allegantur, quæ quæri poterunt ſuprà pagina 11.

2. In aliis locis Novi T. ubi carmina non recensentur, etiam usitata est hæc dialectus: sed hoc non repugnat genio Græci sermonis. Nam alii auctores aliquando poëtas etiam imitati sunt; uti manifestum est ex Xenophonte, qui sæpè phrases poëticas intermiscuit. Scriptores Novi T. aliquando imitati sunt poëtas, & morem poëticè scribendi etiam observarunt, quem fortè ex lectione poëtarum Græcorum didicerant.

7. Dialectus *Hebraisans* nomen habet à lingua Hebræa, quam in multis imitatur. Hæc propriè dialectus Græca non est: nam cum aliis Græcarum dialectorum speciebus affinitatem habet nullam. Sed quia sacri scriptores in Novo T. & interpretes Græci, vulgò LXX vocati, eâdem sæpissimè utuntur, ideo solet eadem inter dialectos Græcas Novi Testamenti recenseri.

Quæritur: Quare interpretes Veteris & scriptores Novi T. sæpissimè usi fuerunt hâc dialecto?

Respondeo. 1. Quia interpretes veteris & sacri scriptores Novi T. fuerunt Hebræi.

2. Quia fuerunt occupati circa textum Hebræum, scil. eum legendo, vertendo, vel allegando.

3. Quia quotidie versati fuerunt cum Hebræis, quos & sæpe alloquuti fuerunt, & ad Christum adducere studuerunt.

IV. Nonnulli his septem dialectis adhuc annumerant octavam, quam vocant dialectum *communem*: quia ea non fuit alicui genti peculiaris, uti cæteræ: sed ea fuit talis, quâ omnes Græci communiter ac promiscuè ubivis terrarum usi fuerunt.

Hinc *primò quæritur:* An hæc octava species propriè est vocanda dialectus?

Respondeo. Dialectus *communis* propriè non est vocanda dialectus: nam ea non fuit peculiaris huic vel illi nationi aut scriptori, uti cæteræ omnes dialecti, sed fuit communis omnibus nationibus & scriptoribus. Ego propterea mallem hanc dialectum communem vocare ipsissimam linguam Græcam: nam voces, quæ ab hac communi dialecto, h. e. ipsissimâ linguâ Græcâ discedunt, eæ referendæ sunt ad unam ex suprà allegatis dialectis.

V. *Secundò quæritur:* Utrum dialectus, vulgò vocata *communis*, an verò una ex septem prædictis in Novo T. prævaleat?

Respondeo. Prævalet in Novo T. dialectus *communis*: nam Novum T. constat tali linguâ Græcâ, qualis usitata fuit apud omnes nationes,

Hinc

Hinc Chamierus 2 Tom. Panstrat. 11, cap. 16, §. 7, ait: *Evangelistæ non usi sunt dialecto Attica sed communi.*

VI. *Tertiò quæritur:* Quare scriptores Novi T. præcipuè scripserunt dialecto communi?

Respondeo. Quia scripserunt Novum T. in gratiam omnium Græcorum per totum mundum dispersorum: nam scribendo hac communi dialecto tacitè quasi innuere voluerunt se omnibus Græcis annunciasse hæc quæ scripserunt. Subinde tamen etiam cæteras dialectos immiscuerunt, quasi tacitè indicaverint se in gratiam reliquarum nationum, dialectorum varietate differentium, etiam has sacras literas exarasse, scil. in gratiam Atticorum, Jonum, Doriensium, Æolum, Bœotensium, poëtarum & Hebræorum. Sacri scriptores peragrando multas Græcorum terras, vel legendo diversos scriptores Græcos, facilè potuerunt illas varias Græcorum dialectos addiscere.

VII. Ut varietas dialectorum, in Novo T. occurrentium, cuivis innotesceret, placet breviter & ordine singularum dialectorum paucissima exempla proponere, relegans curiosum lectorem, plura exempla desiderantem, ad doctissimam Dialectologiam sacram Caspari Wyssii, ubi fere omnia exempla dialectorum Novi T. clarissimè & methodicè secundùm ordinem librorum Novi T. enumerantur. Vel, si quis brevitati studeat, legat specialem Grammaticam Georgii Pasoris, Novo T. illustrando destinatam, quam D. Matthias Pasor, filius, S. Theologiæ Professor, Groningæ anno 1655, in publicum emisit.

I. *Dialectus Attica.*

1. Attici gaudent *Participiis*; ut Matth. 1, 18. εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα *Inventa est in utero habens*, pro ἔχειν *habere*. Act. 3, 8. Εἰσῆλθε περιπατῶν καὶ ἁλλόμενος καὶ αἰνῶν τὸν Θεὸν, *Intravit ambulans & saliens ac laudans Deum.*

2. *Crasi*, h. e. contractione; ut ποιῶ *facio*, Joh. 14, 12, pro ποιέω. Sic κἀγὼ *& ego* Matth. 2, 8, pro καὶ ἐγώ. Similiter κἀμοὶ, κἀμὲ, κἂν, κἀκεῖ, κἀκεῖθεν, κἀκεῖνος, τοὔνομα & τοὐναντίον contrahuntur Attice.

3. Attici sæpissimè *Apostropho* utuntur; ut ἀπ' ἀρχῆς *ab initio*, Matth. 19, 8, pro ἀπὸ ἀρχῆς. Innumera Apostrophi exempla passim in Novo T. occurrunt.

4. Etiam *Syncopâ*, idque vel mutato accentu; ut μετοικιῶ *captivos abdu-*

abducam, Act. 7, 43, pro μετοικιῶ; vel retento accentu; ut εἰδὼς pro εἰδηκὼς, Matth. 12, 25. εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν *Jesus autem quum sciret cogitationes illorum.*

5. *Reduplicatione* delectantur; ut ἀκηκόαμεν *audivimus*, Joh. 4, 42, pro ἠκόαμεν. Hæc anadiplosis locum habet in verbis ἄγω cum compositis, in ἀκούω, ἀπόλλυμι, ἐγείρω, in ἐλεύθω cum compositis, & in προσφέρω. Vide omnia hujus reduplicationis exempla allegata à Wysio pag. 35, & sequentibus.

6. Etiam Attici gaudent τροπῇ *mutatione*; ut ὄψει *videbis*, Joh. 11, 40, pro ὄψη. Sic εἴληφα *accepi* Apoc. 2, 28, pro λέληφα. Aliquando Præsens usurpatur pro Futuro; ut Apoc. 1, 8. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui est, & qui erat, & qui venturus est*; ubi ἐρχόμενος est pro ἐλευσόμενος.

7. *Nominativo* utuntur pro Vocativo; ut χαῖρε ὁ βασιλεὺς *gaude rex*, Joh. 19, 3, pro βασιλεῦ.

8. Verbum activum conjungitur cum Accusativo nominis, à quo derivatur, ut ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην *gavisi sunt gaudium magnum*, Matth. 2, 10.

9. Utuntur *Accusativo* pro Nominativo, τὸν ἄρτον ὃν κλῶμεν, οὐχὶ ἐστι? *panem, quem frangimus, nonne est?* 1 Cor. 10, 16, pro ἄρτος *panis*.

10. E contra *Nominativo* pro Accusativo; ut φάσκοντες εἶναι σοφοὶ *jactitantes se esse sapientes*, Rom. 1, 2, pro σοφούς.

11. Pro σ (*Sigma*) utuntur ττ, ut πράττουσι *faciunt*, Act. 17, 7, pro πράσσουσι. Sic γλῶττα pro γλῶσσα, Apoc. 10, 11.

12. *Declinatio quarta simplicium* est Attica, ut ἵλεώς σοι κύριε *Propitius tibi Domine* esto, Matth. 16, 22, pro ἵλαος. Similiter ἐγὼ δὲ Ἀπολλὼ *Ego autem Apollo*, 1 Cor. 1, 12, pro Ἀπολλῶ: nam Ἀπολλὼ est Genit. Sing. Atticus.

13. *Declinatio secunda contractorum* format Genitivum in εως; ut φύσεως *natura*, 2 Pet. 1, 4. Hæc sola in Novo T. est usitata. In Dativo est φύσει *naturâ*, Eph. 2, 3.

14. *Declinatio tertia contractorum* format Genitivum per έως, ut εἰς τὴν αὐλὴν τοῦ ἀρχιερέως *in aulam pontificis*, Joh. 18, 15, pro ἀρχιερέος.

15. Cum substantivo masculino aut fœminino construitur adjectivum neutrum; ut ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς, *sufficiens diei malitia sua*, Matth 6, 34, pro ἀρκετή.

16. Utuntur *adjectivo neutro* pro *substantivo*; ut τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ

quod

quod stultum Dei, 1 Cor. 1, 25, pro ἡ μωρία *stultitia*.

17. Attici usurpant *Nominativos* aut *Accusativos* pro *Genitivis absolutis*; ut Marc. 1, 10. ἀναβαίνων *ascendens*, pro αὐτοῦ ἀναβαίνοντος, *Ipso ascendente*.

18. Multa adjectiva in ος, imprimis orta, sunt communis generis; ut ὁ ἡ φρόνιμος: ex. gr. αἱ φρόνιμοι *hæ prudentes*, Matth. 25, 9. στρατιᾶς οὐρανίου *exercitûs cœlestis*, Luc. 2, 13.

19. Pro ευ, diphthongo immutabili, ponunt ηυ, mutato ε in η; ut προσηύξατο *oravit*, Matth. 26, 44, pro προσεύξατο.

20. *Augmentum syllabicum* ε mutatur in η, ut ἠδύνατο *poterat*, Matth. 26, 9, pro ἐδύνατο, à δύναμαι. Sic ἠβουλήθην 2 Joh. vers. 12, pro ἐβουλήθην, à βούλομαι. ἤμελλε Luc. 7, 2, pro ἔμελλε, à μέλλω.

21. Aliquando *gemino* gaudent *augmento*; *ut* ἠνείχεσθε *toleraveritis*, 2 Cor. 11, 4, pro ἀνείχεσθε, uti est versu 1. Prius augmentum est in præpositione, posterius est in additione τοῦ ἰῶτα: nam est ab ἀνέχομαι *tolero*.

22. *Dativus* ponitur pro *Genitivo*, præcedente παρὰ vel ὑπὸ, ut ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις *dictum est antiquis*, Matth. 5, 21, pro ὑπὸ τῶν ἀρχαίων *ab antiquis*. Sic ὤφθη τῷ Παύλῳ *& visa est Paulo*, Act. 16, 9, pro ὑπὸ Παύλου *à Paulo*.

II. *Dialectus Ionica.*

VIII. Hæc dialectus, Homero aliisque familiaris, est etiam usitata in Novo T.

1. *Quando casus ad præpositionem refertur, quæ cum verbo adjuncto composita est*; ut μηδὲν ἀπελπίζοντες *nihil sperantes*, Luc. 6, 36, pro μηδὲν ἐλπίζοντες ἀπ' αὐτῶν *nihil sperantes ab illis*: nam ἀπελπίζω in lexicis vertitur per *despero*, sed in Novo T. per dialectum Jonicam habet aliam significationem.

2. Jones sæpè fugiunt *apostrophum*; ut Gal. 2, 2. κατὰ ἀποκάλυψιν *secundùm revelationem*, pro κατ' ἀποκάλυψιν. Hujus Jonicæ dialecti in Novo T. exempla adeo frequentia sunt, ut meritò quis dubitare posset, utrum *Attica* apostrophi expressio, an verò *Jonicus* apostrophi neglectus in sacro contextu sit frequentior.

3. Etiam fugiunt κρᾶσιν *contractionem*; ut ὀστέα *ossa*, Matth. 23, 27. pro ὀστᾶ.

4. ο mutant in ου, ut *Διόσκουροι Jovis filii*, Act. 28, 11, pro *Διόσκοροι*.

5. Usurpant *nomina* pro *adverbiis*; ut *γενόμεναι ὀρθρῖαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον Factæ antelucanæ ad monumentum*, Luc. 24, 22, pro *ὄρθρου summo mane* venerunt.

6. Iones per epenthesin interponunt ἐ; ut Matth. 9, 2. *ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι Remissa sunt tibi peccata*; pro *ἀφεῖνται*.

7. Pro ἐστὶ dicunt ἔνι, ut Jac. 1, 17. *παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, Apud quem non est mutatio*. ἔνι est pro ἐστί.

8. Iones in secunda persona Imperativi per apocopen terminale θι rescindunt; ut Marc. 15, 29. *κατάβα ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, Descende à cruce*, pro *κατάβηθι*.

III. *Dialectus Dorica.*

IX. Quædam vestigia hujus dialecti etiam occurrunt in Novo T.

1. Dores formant Genitivum in prima simplicium per α, ut *ἀπὸ βοῤῥᾶ ab aquilone*, Luc. 13, 29, pro *βοῤῥοῦ*, à Nominativo *βοῤῥᾶς*. Huc pertinent etiam *τοῦ σατανᾶ*, *τοῦ Καϊάφα*, & plurima nomina propria; ut *Ἀρέτας*, *Βαρνάβας*, *Ἐπαφρᾶς* &c. quæ secundum hanc dialectum formant genitivum per alpha; ut Act. 11, 30. *διὰ χειρὸς Βαρνάβα, Per manum Barnabæ*; pro *Βαρνάβου*.

2. Pro η ponunt α, ut *σίναπι sinapi*, Marc. 4, 31, pro *σίνηπι*, uti habetur in grammatica. Similiter *ἀνάβα ascende*, Apoc. 4, 1, pro *ἀνάβαθι*, quod Doricè est pro *ἀνάβηθι*; & *κατάβα descende*, Marc. 15, 30, pro *κατάβηθι*, &c.

IV. *Dialectus Æolica.*

X. 1. Æoles fini solent addere θα, ut *ἦσθα eras*, Matth. 26, 69, & Marc. 14, 67, pro ἦς ab *εἰμί*.

2. Tollunt aliquando *aspirationem*; ut *καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ Et fecit duodecim, ut essent cum illo*, Marc. 3, 14, pro *μεθ' αὑτοῦ secum*. Sic Matth. 21, 45. *ἔγνωσαν ὅτι περὶ αὐτῶν λέγει, Cognoverunt quod de se diceret*.

3. Aoristum primum activum, Optativi modi flectunt *τύψεια* pro *τύψαιμι*: hinc dicunt *ποιήσειαν facerent*, Luc. 6, 11, pro *ποιήσαιεν*. Sic Act. 17, 27, *ψηλαφήσειαν* pro *ψηλαφήσαιεν*. Hæc duo tantum exempla hujus dialecti

lecti Æolicæ in Novo T. occurrunt; quæ etiam ad dialectum Jonicam pertinent.

V. *Dialectus Bœotica.*

XI. Hæc dialectus est quidem rarissima in Novo Test. sed in versione Græca Veteris T. est frequentior.

1. Secundùm hanc dialectum terminale ν tertiæ pluralis Præteriti Imperfecti, & utriusque Aoristi convertitur in σαν; ut Rom. 3, 13. ἐδολιοῦσαν *dolosè agebant*, pro ἐδολίουν; nam est 3 pl. Imperf. act. Indicativi modi à δολιόω ῶ *dolo utor*. Hujus dialecti tantum illud unicum exstat exemplum.

2. Litera η in Perfecto regulari verbi τίθημι mutatur in ει diphthongum; ut Act. 13, 47. τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν, *Posui te in lucem gentium*; pro τέθηκα.

VI. *Dialectus Poëtica.*

XII. Poëtæ usurpant aphæreses, vel *literæ*, vel *syllabæ*, vel *augmenti*.

1. Ἀφαίρεσις literæ est, quando primam vocis literam abjiciunt; ut Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί, *Cretenses semper* sunt *mendaces, malæ bestiæ, ventres edaces*, Tit. 1, 12, ubi ἀργαὶ est pro μαργαί, uti in lexicis habetur. Hîc etiam omittitur εἰσὶ *sunt*, quod itidem poësin redolet.

2. Ἀφαίρεσις syllabæ est, quando syllaba abjicitur; ut Act. 17, 28, in Arati versu Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν *Ipsius enim & genus sumus*; τοῦ est pro τούτου.

3. Ἀφαίρεσις augmenti est, quando in Novo T. augmentum ε à Plusquam-perfecto tollitur; ut τεθεμελίωτο *fundata erat*, Matth. 7, 25, pro ἐτεθεμελίωτο: nam est tertia sing. Plusquam-perfecti passivi. Sic Act. 14, 23. πεπιστεύκεισαν pro ἐπεπιστεύκεισαν.

4. Aliquando metri causa *apostrophus* adhibetur; ut φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί, *Corrumpunt mores bonos colloquia prava*, 1 Cor. 15, 33, pro χρηστά.

5. Jota aliquando interponitur more poëtico; ut εἵνεκεν *respectu*, 2 Cor. 7, 12, pro ἕνεκεν. E contra jota nonnunquam tollitur; ut πλέον *amplius*, Luc. 3, 13, pro πλεῖον Luc. 11, 31.

De dialecto Hebraica, quæ latissimè per Novum T. est diffusa, agemus in sequentibus aliquot dissertationibus.

DISSERTATIO DUODECIMA.

DE

Hebraismis Novi Testamenti.

PARS PRIMA.

§. 1. Dialectus septima est Hebraizans eaque in N. T. est usitatissima. Lucas sæpè eâ utitur.

2. Magnificentia Novi T. non imminuitur etiamsi Hebraismis scateat.

3. Pasor & Wyssius scripserunt de Hebraismis, quorum posterior eos redegit ad 13 classes, quæ enumerantur.

4. Hæc Hebraismorum in tredecim classes distributio non arridet Vorstio ob quatuor rationes.

5. Vorstius in dispositione Hebraismorum N. T. promittit se quatuor esse considraturum.

6. Vorstius laudatur, qui Hebraismos ad 31 classes reduxit.

7. Prima Hebraismorum classis proponitur; eaque in duas species dividitur, ad quarum posteriorem pertinent tres partes orationis, quæ occasione linguæ Hebraicæ novam significationem recipiunt.

8. Exempla varia nominum Græcorum Novi T. plures recipientium significationes, enumerantur. Ratio datur quare voces Hebraicæ tam multa significent.

SECTIO I.

Restat jam septima Novi T. dialectus describenda, quæ vulgò Hebraizans appellari solet. Sacri scriptores Novi T. fuerunt Hebræi, qui sæpè allegarunt textus ex Veteri T. Hebræo, & sermonem instituerunt ad Hebræos, quique linguam Hebræam reddiderunt sibi maxime familiarem: propterea iidem in scribendo Novo Testamento genium illius linguæ infinitis fere in locis expresserunt. Hinc nata est septima dialectorum species, aliis Græcis, propter defectum conversationis cum Hebræis, ignota plane, sed sacris scriptoribus Novi T. notissima; adeo ut vix caput in Novo T. occurrat, in quo non diversi Hebraismi inveniantur. Euangelista Lucas (cujus stylus tam in Euangelio quàm in Actis à veteribus judicatur esse comptus & elegans, ac secularem putatur redolere elegantiam, quæ apud alios Euangelistas ita non invenitur) multos immiscuit Hebraismos; immo nonnulli contendunt Lucam plures Hebraismos usurpasse, quàm ullum cæterorum Novi T. scriptorum, atque in uno capite primo Euangelii quinquaginta quidem Hebraismos occurrere.

II. Forte

II. Forte rogabis, an non faciat ad contemptum styli Novi Testamenti, & ad deprimendam ejus magnificentiam, si dicamus eum tot Hebraismis scatere?

Respondeo. Nullo modo minuitur magnificentia Novi Testamenti, etiamsi dicamus in eo plurimos Hebraismos occurrere: sed è contra potius augetur ejus magnificentia per illos Hebraismos: nam lingua Græca Novi Testamenti, respectu illorum Hebraismorum, sapit linguam antiquissimam, præstantissimam, & omnium perfectissimam, creatam à Deo, & Adamo ab initio creationis instillatam, quæ titulo sanctitatis ab Hebræis & à Christianis insignitur. Hanc, inquam, linguam sanctam, quâ Deus Vetus T. scribi curavit, repræsentant Hebraismi, à sacris scriptoribus expressi. Etiam talis lingua Græca, scatens Hebraismis, fuit sacris scriptoribus usitata: & propterea etiam tali lingua Græca usi fuerunt in describendo Novo T. Si verò sacri scriptores in colloquiis usi fuissent linguâ Græcâ, destitutâ Hebraismis, qualem antiqui Græci oratores usurparunt, iique nihilominus in scribendo Novo Testamento expressissent stylum inconsuetum, Græcis eo tempore ignotum & barbarum, tum verosimilius dici posset tales Hebraismos diminuere magnificentiam Novi Testamenti: nam tum Novum Test. non constaret linguâ Græcâ, Græcis ullibi in toto terrarum orbe usitatâ. Sed cum Novum Test. constet tali lingua Græca, qualis eo tempore fuit usitata, ideo tales Hebraismi, in lingua Græca Novi T. passim usurpari soliti, non imminuunt excellentiam ejusdem Testamenti. Frustra ergo laborat Pfochenius, qui *in Diatribe de lingua Græca Novi Testamenti puritate* studet & Hebraismis Novi T. larvam detrahere, & simul probare Hebraismos illos esse meros linguæ Græcæ Hellenismos.

III. Quia stylus Novi Test. Græci linguam Hebræam in quamplurimis locis repræsentat, ideo diversi scriptores, linguæ Hebraicæ & Græcæ periti, illos Hebraismos, utpote non convenientes cum antiqua lingua Græca, descripserunt, enumerarunt, & ad certas classes redegerunt. Inter eos est *Georgius Pasor*, qui in Grammatica sua Græca, agens de aliis linguæ Græcæ Novi T. dialectis, etiam enumerat diversa exempla Hebraismorum, quæ ex Novo T. collegit: sed ea exempla ad certas classes non reduxit.

Præterea *Casparus Wyssius*, in *Dialectologia sacra*, de Hebraismis Novi T. paulo fusius agens, distribuit & redegit eos omnes ad *tredecim classes*, quæ tum in dicta Dialectologia, tum etiam ex eâ in *Philologia sacra* à

Johanne Vorstio omnes post invicem enumerantur, scil. capite primo ejusdem libri. Eas tredecim species exinde breviter & ordine recensebimus.

Prima Hebraismorum classis est, quando *Nominativus* absolutè ponitur, & subintelligitur *quod attinet*: ex. gr. Apoc. 3, 12, 21, habetur: ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν, *Qui vicerit*, quod attinet, *faciam illum*. Hunc morem etiam imitantur Hebræi; ut Psal. 18, 31. האל תמים דרכו *Deus* (quod attinet,) *perfecta est via ejus*.

Secunda est, quando nomina *substantiva* ponuntur pro *adjectivis*; quod fit vel mediatè per præpositionem, ut 1 *Tim*. 2, 7. διδάσκαλος ἐθνῶν ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ *Doctor gentium cum fide & veritate*, pro πιστὸς καὶ ἀληθὴς *fidelis & verus*: vel immediatè sine præpositione; ut *Luc*. 18, 6. ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας *judex iniquitatis*, pro ἄδικος *injustus*. Sic dicitur Hebraicè Psal. 2, 9. שבט ברזל *Virga ferri*, pro ferrea.

Tertia classis est, quando vocula ἐν denotat vel instrumentum; ut Matth. 3, 11. βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι *baptizo vos aquâ*; vel quando denotat Accusativum objecti; ut Luc. 12, 8. ὁμολογήσει ἐν αὐτῷ, *Confitebitur illum*.

Quarta est, quando Dativus θεῷ adjectivis additur ad denotandum gradum superlativum; ut Act. 7, 20. Moses dicitur ἀστεῖος τῷ θεῷ *venustus Deo*, h. e. venustissimus. Sic Hebraicè, Jon. 3, 3. Ninive dicitur גדלה לאלהים *magna Deo*, h. e. maxima.

Quinta est, quando οὕτως *sic* pro τοιοῦτος *talis* ponitur; ut Luc. 22, 26. ὑμεῖς δὲ οὐχ οὕτως *Vos autem non sic*, h. e. tales. Sic Hebraicè Psal. 1, 4. לא כן הרשעים *Non sic* (tales) *improbi*.

Sexta est, quando verbum προσκυνεῖν Dativo jungitur, quum aliàs Accusativo jungatur; ut Matth. 2, 11. προσεκύνησαν αὐτῷ *adorarunt illum*. Sic Hebraicè 1 *Reg*. 22, 54. וישתחוה לו *& incurvabat se ei*. Ad hanc classem refert Wyssius tum verbum ἐνωτίζεσθαι *auribus percipere*, Act. 2, 14. formatum ad formam האזין *auribus percipere*, *ab* אזן *auris*; tum etiam πιστευόντων εἰς ἐμὲ *credentium in me*, Matth. 18, 6. secundùm phrasin Hebræam האמין ביהוה *credidit in Jehovam*.

Septima classis est, quando vox Græca, præter ordinariam significationem, etiam recipit alias significationes, quia vox Hebræa tales significationes habet: ex. gr. χεῖλος significat *labium*, 1 Pet. 3, 10. sed 1 Cor. 14, 21. Metonymicè denotat *linguas*, & Hebr. 11, 12. Metaphoricè *litus maris*. Quare? Quia שפה præter *labium* etiam *linguam*, Gen. 11, 1.

& *lit*-

[illegible] Gen. 24, 27, significat. [illegible]

Octava est, quando in N. T. genus fœmininum usurpatur pro neutro, quo Hebræi carent; ex. gr. Matth. 21, 42 habetur: παρὰ κυρίου ἐγένετο αὕτη, pro τοῦτο, *A domino factum est hoc*; eundem morem observant etiam Hebræi; ut Psal. 27, 4. אחת שאלתי [illegible] illam (pro illud) *sum secuturus*; ubi אחת est fœminini generis.

Nona est, quando Dativus adhibetur ad exprimendum præfixum ל; ut Apoc. 7, 10. ἡ σωτηρία τῷ καθημένῳ, *salus sedenti*. Ad hanc classem etiam refert, quod exstat Matth. 19, 5. προσκολληθήσεται τῇ γυναικὶ *agglutinabitur uxori*; ut & quando idem ל exprimitur per Accusativum cum præpositione εἰς, qui Accusativus exponendus est vel per Nominativum; ut Matth. 19, 5. οἱ δύο ἔσονται εἰς σάρκα μίαν, pro σὰρξ μία; vel per Dativum; ut Matth. 5, 22. ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν, pro τῇ γεέννῃ; vel per Accusativum solum; ut 1 Pet. 1, 11. ἐρευνῶντες εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου *Scrutantes ad quem aut cujusmodi temporis articulum significaret*.

Decima est, quando verbum nominis à se deducti vel Nominativum admittit; ut Act. 7, 34. ἰδὼν εἶδον τὴν κάκωσιν, *Videns vidi afflictionem*; vel Dativum; ut Matth. 13, 14. ἀκοῇ ἀκούσετε *Auditu audietis*.

Undecima est, quando vocula ἐν significat vel *per*; ut Gal. 1, 16. *Ut revelaret filium suum ἐν ἐμοὶ per me*; vel *propter*; ut Hebr. 11, 2. ἐν ταύτῃ ἐμαρτυρήθησαν. *Propter hanc testimonium consecuti sunt*, h. e. διὰ ταύτην.

Duodecima classis assignatur phrasi ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου *A minimo usque ad magnum*, quæ exstat Hebr. 8, 11. Vide Genes. 19, 11.

Decima tertia denique classis tribuitur vocibus junctis; ut βίβλος γενέσεως *liber generationis*. Græcè enim diceretur ἡ γενεαλογία, sed Hebraicè dicitur ספר תולדת *liber generationum*; Gen. 5, 1. Et hinc in Novo T. genealogia vocatur *liber generationis*.

IV. Hæc Hebraismorum in tredecim classes divisio non arridet doctissimo *Johanni Vorstio in Philologia sacra*, cap. 1, propter quatuor præcipuè rationes.

1. Quia quædam ad diversas classes sunt relata, quæ commodius ad unam eandemque referri possunt. Patet enim ex classe tertia, septima, undecimâ, & ex decima tertia unam classem esse faciendam: quia hæc omnia, quæ ad illas quatuor classes referuntur, ad exemplum Hebræarum vocum aut præfixorum, novam aliquam vim & significationem recipiunt.

2. Quia quædam ad eandem classem referuntur, quæ ad diversas referri debent: nam quædam, ad eandem classem relata, nullâ ratione inter

se

se conveniunt. Hoc probat ex classe sextâ, in quâ verbum προσκυνέω constructum cum Dativo, creditur esse Hebraicæ dialecti; sed verbum ἀνθομολογέομαι non ob aliquam constructionem creditur esse Hebraicæ dialecti, quàm quia sit ab ἄνθ' ἑαυτῆς; quasi dicas, invicem, factum ad imitationem verbi Hebræi ענה ab עון vicem. Præterquam quod hæc sint diversa, etiam probat idem Vorstius verbum illud non esse inventum à Græcis interpretibus aut à scriptoribus Novi T. sed jam antè fuisse usitatum in vulgari sermone Græco, quod variis exemplis demonstratur.

3. Quia innumera ferè occurrunt in Novo T. quæ ad nullam ex illis tredecim classibus referri possint. Ex. gr. Quo Wyssius referet hos sequentes Hebraïsmos, vulgò notissimos, ut καλεῖσθαι ὄνομα πρόσωπον τῆς γῆς, πρόσωπον λαμβάνειν, υἱὸς ἀπωλείας, υἱὸς εἰρήνης, &c.

4. Quia nonnulla in ipsis illis tredecim classibus occurrunt, quæ non satis vera sunt, vel quæ non satis perfectè sunt dicta; ut in classe decimâ dicitur, *verbum admittit Nominativum nominis à se deducti*, cum debuisset dixisse *Nominativum Participii*, &c. Sed non mirum est Wyssium, qui inter primos in eruendis Hebraismis glaciem fregit, nonnunquam hîc & alibi cæspitasse: sua tamen ipsi debetur laus, quod magno conatu, in studiosorum gratiam, tot varias classes collegerit, easque variis exemplis illustraverit.

V. Vorstius igitur aliter classes Hebraismorum disposuit, & in earum dispositione hæc quatuor se consideraturum esse promittit. 1. Non referet ad diversas classes, quæ pertinent ad unam eandemque. 2. Non referet ad unam eandemque, quæ multùm sunt diversa, nec ullo modo cognata. 3. Non numerabit in Hebraismis, quæ in illis numeranda non sunt. 4. Non constituet pauciores classes quàm quæ recipere possint omnia illa, quæ in Novo T. Hebræam linguam sapiunt.

Per Hebræam linguam non tantum intelligit Vorstius eam linguam, quæ in Veteri Testamento est usitata, sed etiam eam, quæ ab antiquâ illâ linguâ paululùm deflexit, quæque circa tempora Christi & apostolorum in Judæorum scriptis fuit usitata. Non tamen ad has species vult referre voces Syriacas aut Hebraicas, Græcis tantùm literis scriptas, ut ταλιθὰ κοῦμι, ἐφφαθά, λαμὰ σαβαχθανί, ἀκελδαμά, ῥαββουνί nec eas quæ Græcâ civitate quasi donatæ sunt, ut μαμμωνᾶς, κορβανᾶς, γέεννα, σίκλος, σάτον, &c.

VI. Omnium optimè classes Hebraismorum distribuit doctissimus Johannes Vorstius in duabus partibus Philologiæ sacræ, quarum pars prior est

est edita Lugduni Batavorum anno 1658, apud Joh. Zachariam Baron, & posterior Amstelodami apud Johannem à Waesberge anno 1665. Casparus Wyssius tantum tredecim classes constituerat, sed hic Johannes Vorstius illum numerum auxit ad classes triginta & unam. Et cum nemo melius, solidius, ac clarius de illis Hebraismis egerit, ideo non possumus non supradictam Philologiam aliis commendare, & D. auctori summas pro labore, in his Hebraismis eruendis & colligendis adhibito, gratias agere. Sed cum illa *Philologia sacra* sit opus magnum, & duobus libris in quarto contineatur, (quales de una materia legere non omnium studiosorum in cursu academico fert conditio) ideo in gratiam talium & aliorum statui omnes illas classes Hebraismorum breviter & succinctè ex illa dicta Philologia sacra ordine enarrare; relegans curiosos lectores, harum classium uberiorem explicationem desiderantes, ad dictam Philologiam.

VII. Classes Hebraismorum triginta & una in duabus partibus Philologiæ sacræ fusè explicantur; scil. decem in parte priori, & reliquæ in parte posteriori.

Prima Hebraismorum classis est, quâ vocabulis origine Græcis data est, occasione vocis Hebraicæ, alia significatio, quæ in vulgari linguâ Græcâ non observatur. Ad hanc classem non referuntur nisi ea, quæ occasione linguæ Hebraicæ novam significationem receperunt. Sunt quidem alia vocabula, quibus alias ob causas nova significatio indita est: ex. gr. Vox ἐκκλησία ob defectum vocabuli denotat cœtum cultui divino destinatum: nam non sunt tot vocabula, quot res.

Occasio alias significationes recipiendi est duplex: 1. Vel quod alluderunt ad originem alicujus Hebrææ vocis, quam vocabulo Græco reddere vellent. 2. Vel quod certæ Hebrææ voces duplicem aut multiplicem significationem haberent.

Ad priorem occasionem referuntur nonnulla exempla: ex. gr. Vox ξηρὰ *arida* in Novo T. etiam significat *terram*; quia vox יַבָּשָׁה, descendens à verbo יָבֵשׁ *exaruit*, etiam terram denotat; ut Matth. 23, 15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν, *circumitis mare & terram*. Et Jon. 1, 9. אֲשֶׁר עָשָׂה אֶת הַיָּם וְאֶת הַיַּבָּשָׁה, *qui fecit mare & terram*.

Ad posteriorem occasionem (scil. quod voces Græcæ Novi T. ideo plures recipiunt significationes, quia voces Hebraicæ tales significationes habent) pertinent innumera fere exempla; primò *nominum* secundò,

Verborum, & tertiò *vocularum quarundam*, quæ nec nomina nec verba sunt. Singulorum proferemus ex Vorstio quædam exempla.

VIII. Nomina Græca Novi T. plures recipiunt significationes, quàm apud vulgares Græcos: ex.gr. Vox Βίβλος vulgò *librum* denotans, etiam in Novo T. significat catalogum; ut Matth. 1, 1. Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ *Liber generationis Jesu*, h. e. catalogus: nam totus liber non agit de prosapia Christi. Quare Βίβλος geminam habet significationem? Quia vox Hebræa סֵפֶר præter *librum* etiam *catalogum* denotat; ut Gen. 5, 1. זה ספר תולדות אדם *Hic est catalogus generationum Adami*.

Quæritur. Quare voces Hebraicæ sæpè tam multas habent significationes?

Respondeo. Hoc fit ob inopiam vocabulorum Hebraicorum: nam lingua Hebraica est parca, & paucissimis vocibus constat, sed res sunt plurimæ ac innumeræ, & propterea una eademque vox Hebraica plures recepit significationes. Scriptores Novi T. scribentes Græcè, potuissent aliis vocabulis Græcis significatioribus, usitatam significationem habentibus, mentem suam expressisse: nam lingua Græca habet magnam copiam vocabulorum, quibus res fere omnes satis significanter possunt exprimi: sed sacris scriptoribus, utpote Hebræis sive Syris, placuit multis vocibus Græcis, præter ordinariam & usitatam significationem, etiam aliam, occasione vocis Hebraicæ, indere.

Similiter τὸ ξύλον significans communiter *lignum*, in Novo T. etiam *arborem* denotat; ut Apoc. 2, 7. *Vincenti dabo edere* ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς DE ARBORE VITÆ: nam vox עֵץ in Vet. T. utrumque significat.

Ῥῆμα *verbum* in N. T. etiam *rem* denotat; ut Luc. 1, 37. Act. 10, 37. quia דָּבָר eadem passim denotat.

Αἰὼν *æternitas* in Novo T. etiam significat *mundum*; ut 2 Cor. 4, 4. ubi diabolus vocatur Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου *Deus hujus mundi*: & Hebr. 1, 2. δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν *per quem etiam mundum condidit*: nam עוֹלָם præter *æternitatem* etiam *mundum* significat, ut Eccl. 3, 11.

Ἔθνος vulgò est *gens qualibet*, sed in N. T. etiam significat talem gentem, quæ Deum verum non agnoscit; ut Matth. 10, 5. εἰς τὴν ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, *In viam gentium ne abieritis*; quia vox Hebraica גוי in V. T. aliquando talem significationem habet; ut Nehem. 5, 8. *Judæi venditi sunt* לגוים *gentibus*. Hinc Christianus quilibet à Judæis, qui illum inter infideles numerant, vocatur גוי *gentilis*.

Μία *una*, apud Græcos vulgares est numerus *cardinalis*, sed in Novo

vo T. etiam est *ordinalis*, & denotat *primam*: ex. gr. Marc. 16, 2. καὶ λίαν πρωὶ τῆς μιᾶς σαββάτων *Et summo diluculo diei primi sabbathorum*; quod idem Euangelista versu 9, magis Græcè dicit πρώτῃ σαββάτου *primo die sabbati*. Similiter Luc. 24, 1. 1 Cor. 16, 2. Act. 20, 7. vox μία etiam *primum* denotat; ut τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων *primo die sabbatorum*, h. e. *septimanæ*. Hoc fit more Hebræorum, ut Gen. 1, 5. *Et fuit mane & fuit vespera* יום אחד DIES UNUS, h. e. primus. Quod & Josephus annotat in lib. 1. Ἀρχαιολ. cap. 2. καὶ αὕτη μὲν ἡ πρώτη ἡμέρα. Μωυσῆς δ' αὐτὴν μίαν εἶπε, *Et hæc quidem fuit prima dies. Moses verò* μίαν UNAM *eam appellavit*. Sic Gen. 8, 5. באחד לחדש PRIMO DIE ILLIUS MENSIS *conspecti sunt vertices montium*.

Εὐθὺς *rectus*, in Nov. Test. significat etiam *sincerum*; ut Act. 8, 21. ἡ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα *Cor tuum non est sincerum*: nam vox ישר utrumque denotat; ut Job 1, 1, Job. vocatur vir ישר *sincerus*.

Δίκαιος *justus*, in N. T. etiam est *pius*, *bonus*, *honestus*; ut Act. 10, 22. Cornelius vocatur ἀνὴρ δίκαιος *vir bonus*, *honestus*: nam צדיק idem Hebraicè denotat.

Ἀδελφὸς *frater*, in N. T. denotat *quemvis alium*; ut Matth. 5, 22. *Quicunque irascitur* τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ FRATRI SUO TEMERE, h. e. *alteri*. Similiter cap. 7. vers. 3. *Cur vides festucam*, *quæ est in oculo* τοῦ ἀδελφοῦ σου FRATRIS TUI, h. e. *alterius?* Nam vox Hebraica אח præter *fratrem*, etiam *alium* significat; ut Gen. 26, 3. Isaacus & Abimelechus *juraverunt* איש לאחיו ALTER ALTERI. Sic Exod. 25, 20.

Οὐρανὸς *cœlum*, in N. T. etiam significat *Deum*; ut Luc. 15, 21. ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν *peccavi in Deum*: nam שמים Hebraicè utrumque denotat, non quidem in textu Græco V. T. sed in Chaldæo; ut Dan. 3. 23. *Ex quo cognosces* די שליטין שמיא QUOD DOMINETUR DEUS. Etiam passim apud Rabbinos שמים denotat *Deum*.

Σπέρμα *semen*, *granum*, in N. T etiam denotat *filium*, *filiam & nepotes*; ut Joh. 8, 33. σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν *semen* (h. e. filii sive posteri) *Abrahami sumus*: nam זרע Hebraicè eadem significat.

Ψυχὴ *anima*, in N. T. significat *hominem*, vel *cadaver*; ut Act. 3, 23. *Futurum est ut* πᾶσα ψυχὴ OMNIS HOMO, *qui non audierit Prophetam illum*. Act. 2, 31. *Quod non derelicta sit* ἡ ψυχὴ αὐτοῦ εἰς ᾅδου ANIMA (h. e. cadaver) EJUS IN INFERNO, h. e. sepulchro. Hæ novæ significationes oriuntur ex voce Hebræa נפש, quæ præter *animam* etiam hominem & cadaver denotat, ut Gen. 46, 18, 26. & Levit. 21, 1. לנפש לא יטמא

pro mortuo (h. e. cadavere) *ne polluito se.* Vide plura similia nomina, diversam in N. T. significationem occasione vocum Hebraicarum recipientia, in Philologia sacra capp. 23, & 41.

DISSERTATIO DECIMA TERTIA.

DE

Hebraismis Novi Testamenti.

PARS SECUNDA.

SECTIO I.



Ad primam Hebraismorum classem præter nomina (*quæ diversam significationem, occasione linguæ Hebraicæ, recipiunt*) etiam pertinent verba, quæ jam *secundò* sequuntur explicanda. Verba nonnulla in Novo Testamento novam sortiuntur significationem occasione linguæ Hebraicæ: ex. gr. verbum μισεῖν *odisse*, in Novo T. etiam significat *minus diligere, minus curare, postponere*, &c. ut Lucæ capite 14, commate 26, *si quis venit ad me*, καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα ἑαυτοῦ NEC ODIT PATREM SUUM *ac matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores*, &c. Odit patrem suum, hoc est, minus diligit; prout apparet ex Matthæi capite 10, v. 37, ubi illa phrasis propriè explicatur; *Qui amaverit patrem aut matrem supra me, non est me*

me dignus, &c. Vide etiam in Euangelio Johannis capite 12, verſ. 25. Matth. cap. 6, verſ. 24, & Luc. cap. 16, verſ. 13. Hæc nova ſignificatio verbi *μισεῖν* originem habet ex verbo Hebraico שנא, quod, præter *odiſſe*, etiam *minus amare* denotat: ex.gr. Gen. 29, 31. *Vidit Deus* כי שנואה לאה QUOD ODIO HABERETUR LEA (h. e. minus amaretur) *quam Rachel*; quod probatur ex verſu 30. *Dilexit Rachelem* מלאה PRÆ LEA. Sic etiam *φιλεῖν diligere* in N. T. ſignificat *plus amare*; ut Joh. 12, 25, nam אהב utrumque denotat.

Καλεῖσθαι *vocari*, in N. T. etiam denotat *εἶναι eſſe*; ut Matth. 5, 9. *υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται Filii Dei vocabuntur*, h. e. erunt. Vide etiam verſ. 19, & in cap. 21, verſ. 13, nam verbum קרא vel נקרא idem denotat; ut Jeſ. 9, 6. ויקרא שמו פלא *& vocabit nomen ejus Mirabilis*, h. e. *erit*.

Ἐνδύεσθαι *indui* ſcil. veſtimento, in N. T. ſignificat *aliis quibuſdam rebus*, ut ſapientia, &c. *affici* ſive *inſtrui*; ut 1 Cor. 15, 53. *Oportet corruptibile hoc ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν* INDUERE INCORRUPTIBILITATEM, *& mortale hoc ἐνδύσασθαι ἀθανασίαν* INDUERE IMMORTALITATEM: nam verbum לבש idem denotat; ut Pſal. 35, 26, ילבשו בשת וכלמה *induantur pudore & ignominia*. Vide etiam Pſal. 132, 9.

Ποιεῖν *facere*, in N. T. ſignificat *φέρειν ferre*; ut *ποιεῖν καρπὸν fructum ferre*, Matth. 3, 10. *Omnis arbor μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν* NON FACIENS (h. e. ferens) FRUCTUM BONUM *excidetur*: nam עשה Hebraicè etiam *ferre* denotat; ut Gen. 1, 12. עץ עשה פרי *arbor faciens* (ferens) *fructum*. Præterea *ποιεῖν* in N. T. eſt idem quod *φάγειν comedere*; ut Matth. 26, 18. *πρὸς σὲ ποιῶ τὸ Πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου*, *Apud te facio* (h. e. comedo) *Paſcha cum diſcipulis meis* Eam ſententiam explicat Lucas cap. 22, 11, per *φάγειν comedere*. *Πάσχα ποιεῖν* non poteſt denotare *Πάσχα ἑτοιμάζειν Paſcha parare*: nam illud paraverant Petrus & Johannes Luc. 22, 8. Sed hic vult *Πάσχα ποιεῖν* cum omnibus diſcipulis. Verbum *ποιεῖν* hanc novam ſignificationem habet, quia verbum עשה idem denotat; ut Exod. 12, 48, ubi עשות פסח *facere Paſcha* eſt comedere Paſcha.

Πίπτειν *cadere*, in N. T. etiam denotat *non fieri*, *non præſtari*; ut Luc. 16, 17. *Facilius eſt cœlum & terram perire*, *ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν* QUAM LEGIS UNUM APICEM CADERE, h. e. non fieri: nam נפל *cadere*, etiam idem denotat; ut Joſ. 23, 14. לא נפל NON CECIDIT *ullum verbum de omnibus verbis bonis*, &c. Similiter *πίπτειν* in N. T. dicuntur, qui clade divinitus immiſſâ moriuntur; ut 1 Cor. 10, 8. *καὶ ἔπεσον ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ* ET CONCIDERUNT UNO DIE XXIII *millia*: nam נפל apud He-

 bræos

bræos etiam idem denotat; ut Ezech. 6. 11. *Qui per gladium; per famem, & per pestem* יפולו C. DENT.

Etiam multa alia verba in N. T. occurrunt, quæ occasione linguæ Hebraicæ novam accipiunt significationem:

Ex. gr. ἀνίσαμαι præter *surgo* etiam Actor. 7, 18, denotat *exoritur*, *existit*.

Δίδοναι *dare* etiam denotat vel *munus alicui demandare* Eph. 4, 11, vel *facere* aut *patrare*, Matth. 24, 24.

Κάθημαι *sedere*, Matth. 4, 16, est *habitare*.

Ἐξομολογοῦμαι *confiteri*, Matth. 11, 25, denotat *laudare*, *celebrare*.

Πλήτῆεδζ *percuti*, Apoc. 8, 12, denotat *defectum luminarium*. Vide hæc omnia fusè explicata capite 5 Philologiæ sacræ.

Capite sexto exponuntur verba alia, ut πληροῦσθαι & πλήθεσθαι, ut & πληροῦν τὸν νόμον *implere legem*, h. e. facere id quod lex jubet.

Περιπατεῖν *ambulare*, etiam Marc. 5, 7, denotat *vivere*.

Πορεύεσθαι *proficisci* Judæ vers. 6, etiam significat *vivere*.

Κοιμᾶσθαι *dormire*. Act. 7, 60. 1 Cor. 11, 30, significat *mori*, vel *mortuum esse*, &c.

II. Præter nomina & verba, etiam *vocula* quædam, quæ nec nomina nec verba sunt, novam *tertiò* sortiuntur significationem occasione linguæ Hebrææ: ex.gr. τίς *quis*, in N.T. sæpe sumitur pro εἴτις *si quis*; ut Jac. 3, 13. τίς σοφὸς καὶ ἐπιστήμων ἐν ὑμῖν; δειξάτω ἐκ τῆς καλῆς ἀναστροφῆς τὰ ἔργα αὐτοῦ *Quis sapiens & scientia præditus inter vos? ostendat ex bona conversatione opera sua*: pro εἴτις *si quis*. Hoc fit, quia vocula מי *quis*, sæpè apud Hebræos significat *si quis*: ex. gr. Psal. 107, 43. מִי חָכָם וְיִשְׁמָר אֵלֶּה *Quis sapiens? & observabit hæc*; h. e. *si quis sapiens est, is observabit hæc*.

Ἐν *in* sæpè in N. T. denotat eum *qui virtutem agendi suppeditat*, vel ipsam *causam efficientem*; adeo ut sæpè idem valeat quod ὑπὸ *a*, aut διὰ *per*: ex. gr. Luc. 4, 1. *Jesus actus fuit* ἐν τῷ πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον PER SPIRITUM IN DESERTUM; ubi ἐν est pro διὰ vel pro ὑπὸ, uti Matth. cap. IV, vers. 1, explicatur: *Tunc Jesus subductus fuit in desertum* ὑπὸ τοῦ πνεύματος A SPIRITU. Ἐν talem habet significationem, quia litera ב Hebraicè idem denotat; ut Psal. 18, 30. *Nam* בְּךָ IN TE (h. e. per te) *aggrediar exercitum*, וּבֵאלֹהַי ET PER DEUM MEUM *insiliam murum*.

Deinde ἐν sæpè denotat ministerium; ut Hebr. 1, 1, 2. *Deus loquutus Patribus* ἐν Προφήταις PER PROPHETAS, *extremis diebus hisce loquutus est nobis* ἐν υἱῷ PER FILIUM: nam ב Hebraicè sæpè idem denotat; ut Num. 12, 2. *An*

An tantum במשה PER MOSEM *loquitur Deus?*

Sunt adhuc aliæ voculæ, quæ occasione linguæ Hebraicæ alias sortiuntur significationes, ut εἰς, ἐ, καὶ, δωρεὰν & πέραν; sed curiosus lector poterit eas videre explicatas capite 7, Philologiæ sacræ.

III. Jam *secunda* Hebraismorum N. T. classis est describenda, assignata talibus vocibus, quæ novè sunt usurpatæ pro *cognatis* atque *ejusdem originis vocabulis*, & non pro multùm diversis; quod tribus modis fieri potest:

Primò: Quando *substantiva* ponuntur pro *cognatis adjectivis*, aut *Participiis* adjectivè usurpatis, h. e. abstracta pro concretis; ut Eph. 5, 8. *Eratis quondam* σκότος TENEBRÆ, *nunc autem* φῶς LUX *in Domino*, pro ἐσκοτισμένοι *tenebrati*, & πεφωτισμένοι *illuminati*. Similiter Rom. 4, 12, Abraham vocatur Pater τῆς περιτομῆς *circumcisionis*, h. e. περιτετμημένων *circumcisorum*. Tales modi loquendi Hebraismum sapiunt: nam eodem modo loquuntur Hebræi; ut 1 Sam. 21, 6. *Corpora juvenum fuerunt* קֹדֶשׁ SANCTITAS, h. e. sancta; & Psal. 35, 6. *Sit via ipsorum* חשֶׁךְ וַחֲלַקְלַקּוֹת TENEBRÆ ET LUBRICITATES, h. e. tenebricosa & lubrica.

IV. *Secundò*: Quando *bina substantiva* junguntur, quorum *posterius* in secundo casu positum, per *adjectivum* explicari debet; ut Luc. 18, 6. κριτὴς τῆς ἀδικίας *judex injustitiæ*, h. e. ἄδικος *injustus*. Col. 1, 13. υἱὸς τῆς ἀγάπης *filius dilectionis*, h. e. ἀγαπητὸς *dilectus*, prout vulgares Græci dicerent, & prout etiam Matth. 3, 17, habetur, οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός. *Hic est filius meus dilectus*. Scriptores Novi T. ita loquuntur more Hebræorum: nam hi sæpissimè adjectiva tali modo per substantiva exprimere solent; ut Prov. 26, 19. אִישׁ רְמִיָּה *vir doli*, h. e. dolosus. Hag. 2, 12. בְּשַׂר קֹדֶשׁ *caro sanctitatis*, h. e. sancta. Sic passim in V. T. dicitur *Terra sanctitatis*, *Urbs sanctitatis*, *Mons sanctitatis*, &c.

Hinc *quæritur*: Quare Hebræi usurpant utplurimum substantiva, quando Græci & Latini utuntur adjectivis.

Respondeo. Hebræi utuntur substantivis propter defectum adjectivorum. Nam Hebræi habent paucissima adjectiva: ex. gr. pro *mensa lignea* dicunt Hebræi *mensa ligni*; quia ex עץ *ligno* non possunt formare adjectivum, quo *lignea* exprimitur. Aliquando tamen usi sunt substantivo, quando adjectivo uti potuerunt: ut Jerem. 33, 15. צֶמַח צְדָקָה *germen justitiæ*, pro צמח צדיק *germen justum*.

V. *Tertiò*: Quando *bina substantiva* junguntur, quorum *prius* per *adjectivum* exponi debet; ut 1 Cor. 1, 21. *Placuit Deo* διὰ τῆς μωρίας

ρίας τ͂ κηρύγματος PER STULTITIAM PRÆDICATIONIS *salvos facere credentes*; ubi μωρία κηρύγματος idem denotat quod κήρυγμα μωρὸν *prædicatio stulta*. Similiter 1 Tim. 6, 17, monet apostolus ne divites *sperarent* ἐπὶ πλούτε ἀδηλότητι IN DIVITIARUM INCERTITUDINE, quod Erasmus vertit *in divitiis incertis*: nam ἀδηλότης πλούτε *incertitudo divitiarum* idem est quod πλοῦτος ἄδηλος *divitiæ incertæ*. Apostolus ergo monet ne confiderent divitiis incertis. In his sacri scriptores imitantur Hebræos, qui eodem modo loquuntur: ex. gr. 2 Reg. 19, 23, dicit Deus, *Ego succidam* קוֹמַת אֲרָזָיו מִבְחוֹר בְּרֹשָׁיו PROCERITATEM CEDRORUM EJUS, ELECTIONEM ABIETUM EJUS, h. e. proceras cedros & lectissimas abietes; prout etiam vertit Junius. Aliud exemplum occurrit Eccl. 1, 18, ubi Salomo ait בְּרֹב חָכְמָה רָב־כָּעַס *In multitudine sapientiæ* est *multitudo mœroris*, h. e. ubi est multa sapientia, ibi est multus mœror. Vide de secunda Hebraismorum classe caput 8, 9, & 10.

VI. *Tertia* Hebraismorum *classis* est, quando nomina Græca vel certo *genere*, vel certo *casu* sunt posita.

Primò: Quando *femininum* genus usurpatur pro *neutro*; ut Matth. 21, 42. παρὰ Κυρίε ἐγένετο αὕτη, καί ἐστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, *à Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris*. Hic fœminina αὕτη & θαυμαστὴ ponuntur pro neutris, scil. pro τοῦτο & θαυμαστόν. Euangelista imitatur Psalmistam, qui ob defectum neutrius generis in lingua Hebraica, eadem per fœminina expresserat Psal. 118, vers. 23, quando dixit, מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת הִיא נִפְלָאת בְּעֵינֵינוּ *A Jehova factum est hoc, illud mirabile est in oculis nostris*; *ubi* זאת & נפלאת sunt fœminina.

VII. *Secundò*: Quando *Nominativus* initio sententiæ ponitur, cum tamen verbum sequens poscat *alium casum*, vel Dativum vel Accusativum; ut Apoc. 3, 21. ὁ νικῶν δώσω αὐτῷ καθίσαι μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ θρόνῳ μου *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo*, pro τῷ νικῶντι. Et vers. 12. ὁ νικῶν, ποιήσω αὐτὸν στῦλον ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ μου *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei*, pro τὸν νικῶντα. Hæc sapiunt Hebræam linguam: nam sic sæpè loquuntur Hebræi; ut Psalm. 18, 31. הָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ, *Deus, recta est via ejus*. Et Psalm. 9, 7. הָאוֹיֵב תַּמּוּ חֳרָבוֹת לָנֶצַח *Inimicus, consummatæ sunt desolationes in æternum*. In his subintelligi potest *quod attinet*, ut Deum quod attinet, inimicum quod attinet.

Aliquando Dativus pro Genitivo ponitur; ut Rom. 12, 19. ἐμοὶ ἐκδίκησις

κησις vel *ἐμή ἐστιν ἐκδίκησις*: sed Apostoli constructio sapit linguam Hebræam, quæ Deut. 32, 35, his verbis exprimitur, לי נקם *mea est ultio*, h. e. mihi competit jus ultionis. Vide caput II Philologiæ sacræ.

VIII. *Quarta* Hebraismorum classis est, quando vocabulorum iteratio ita fit, ut ea novam quandam vim habeat. Quod fit *primò*. Quando geminatio vocabulorum significat *distributionem in multas partes*: ex. gr. Marcus ait cap. 6, vers. 39, 40. Christus præcepit discipulis suis *ἀνακλῖναι πάντας, συμπόσια συμπόσια ἐπὶ τῷ χλωρῷ χόρτῳ* *ut accumbere facerent omnes, distributis conviventium cœtibus in viridi gramine*. *Καὶ ἀνέπεσον πρασιαὶ πρασιαὶ ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα* *& discubuerunt divisi in viridaria centeni & quinquageni*. Hæc vocabulorum geminatio denotat distributionem magnæ istius quinque millium multitudinis in multos cœtus minores. Ita etiam loquuntur Hebræi: ex. gr. Exod. 8, 10. *Et collegerunt ranas* חמרים חמרים ACERVOS ACERVOS, h. e. collegerunt & distribuerunt eas in multos acervos.

IX. *Secundò*. Aliquando geminatio vocabulorum *universalem* facit *propositionem*; ut 2 Cor. 4, 16. *Internus homo ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ renovatur die & die*, h. e. singulis sive omnibus diebus. Erasmus vertit *in dies singulos*. Vulgares Græci dicerent *καθ' ἑκάστην ἡμέραν* aut *κατὰ πᾶσαν ἡμέραν*: sed Paulus imitatus est Hebræos, qui ita solent loqui; ut Psal. 68, 20. ברוך אדני יום יום *Benedictus Dominus die & die*, h. e. quotidie, omni die.

X. *Tertiò*. Aliquando geminantur vocabula ad denotandam *distributionem in æquales partes*; ut Marc. 6, 7. *Christus cœpit discipulos emittere δύο δύο* DUOS DUOS, h. e. binos. Christus duodecim discipulos distribuit in sex æquales partes, & misit binos in civitates Judææ. Vulgares Græci dicerent *ἀνὰ δύο binos*; quem vulgarem Græcismum etiam Lucas cap. 10, v. 1, expressit, cum de emissione LXX discipulorum loquitur, *ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ δύο misit illos binos*. Sed placuit Marco Hebræos imitari, qui ita solent loqui: ex. gr. Gen. 7, 2. *Ex omnibus pecudibus mundis accipito tibi* שבעה שבעה SEPTEM SEPTEM, h. e. septenas. Vide plura de hac classe in Philologia sacra capite XII.

DISSERTATIO DECIMA QUARTA.

DE

Hebraismis Novi Testamenti.

PARS TERTIA.

§. 1. *Quinta Hebraismorum classis continet* nomina redundantia, *qualia sunt* υἱὸς, ἄνθρωπος, πρόσωπον, στόμα & ὄνομα.

2. *Aliquando etiam nominibus redundantibus præpositio præponitur; ut* ἀπὸ, πρὸ, ἐν & διά.

3. *Sexta classis continet* bina nomina abundantia.

4. *Septima classis docet vocem* Θεοῦ, *additam adjectivis, denotare gradum superlativum. Ratio ejus rei additur. Hebræi etiam nomina Dei addunt substantivis ad eundem gradum exprimendum.*

5. *Octava classis continet modos loquendi* ἐνώπιον Θεοῦ coram Deo &c.

6. *Nona classis comprehendit Participia passiva aut adjectiva constructa cum Genitivis sive particula* ὑπό.

7. *Decima classis docet præpositionem aliquando in construendis substantivis cum adjectivis abundare.*

8. *Undecima classis docet gradum superlativum sæpè exprimi per gradum positivum vel per comparativum.*

9. *Duodecima classis continet ea exempla, in quibus additur locus, in quo substantia vivunt aut degunt.*

10. *Decima tertia classis continet adjectiva, affectiones animi denotantia, quæ vocem tertii casus* καρδία *sibi junctam habent.*

11. *Decima quarta classis continet diversa exempla vocum conjunctarum, quæ occasione linguæ Hebraicæ novam significationem receperunt.*

SECTIO I.



Iam ordine *quinta* Hebraismorum *classis* sequitur describenda, continens *nomina redundantia*, quæ aliis nominibus vel præpositionibus adduntur:

1. Vox υἱὸς addita nomini ἀνθρώπου nihilo plus denotat quàm sola vox ἄνθρωπος: ex. gr. Marc. 3, 28. *Omnia peccata remittentur* τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων FILIIS HOMINUM, h. e. τοῖς ἀνθρώποις *hominibus.* Ita etiam loquuntur Hebræi: ex. gr. Gen. 11, 5. *Et descendit Jehova videre urbem & turrim, quam ædificarant* בני אדם FILII HOMINIS; h. e. homines.

2. Aliquando voci ἀνθρώπου additur vox ψυχὴ, itidem abundans; ut Apoc.

Apoc. 18, 11, 13. Nemo emit ψυχὰς ἀνθρώπων *animas hominum*, h. e. homines: ſic etiam loquitur Ezechiel cap. 27, 13. ubi נפש אדם *anima* (ſive animæ) *hominis* denotat hominem ſive homines.

3. Vox πρόσωπον *facies* ſæpè abundat in N. T. ex. gr. Luc. 21, 35. *Tanquam laqueus ſuperveniet in omnes qui ſedent* ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς SUPER FACIEM TOTIUS TERRÆ, pro ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν *ſuper omnem terram*. Ita etiam loquuntur Hebræi; ut 1 Sam. 14, 25. ויהי דבש על פני השדה *Et erat mel ſuper facie agri*, h. e. in agro.

4. Vox στόμα, addita voci μάχαιρα abundat; ut Luc. 21, 24. καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας *& cadent ore* (acie) *gladii*: h. e. cadent, peribunt gladio. Vox στόμα abundat more Hebræorum; ut Deut. 13, 15. *Percutiendo percuties habitatores urbis hujus* לפי חרב ORE GLADII, h. e. gladio.

5. Vox ὄνομα addita aliis nominibus vel pronominibus abundat; ut 1 Joh. 5, 13. *Hæc ſcripſi vobis* τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, QUI CREDITIS IN NOMEN FILII DEI, h. e. εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ *in Filium Dei*. Sic Matth. 1, 25. καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν *& appellavit nomen ejus Jeſum*, h. e. αὐτὸν *ipſum*. Eodem modo loquuntur Hebræi; ut Gen. 41, 51. *Et vocavit Joſeph* את שם הבכור מנשה NOMEN PRIMOGENITI MENASSE,, h. e. primogenitum Menaſſe.

II. 1. Aliquando nomina abundant, quibus *præpoſitio* præponitur, quæ ſola ſufficeret; ut Act. 5, 41. *Et illi quidem ibant gaudentes* ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου A CONSPECTU CONCILII, h. e. ἀπὸ τοῦ συνεδρίου *à concilio*. Abundat ergo προσώπου, cui præpoſitio ἀπὸ erat præpoſita. Sed in eo ſcriptores Novi T. imitantur ſcriptores Hebræos: ex. gr. 1 Chron. 11, 13. והעם נסו מפני פלשתים *Et populus fugit à facie Philiſtæorum*.

2. Nonnunquam præpoſitio πρὸ præponitur; ut Luc. 7, 27. *Ecce ego mitto angelum meum* πρὸ προσώπου σου ANTE FACIEM TUAM, ubi προσώπου *abundat*: ſed hoc etiam fit more Hebræorum; ut Malach. 3, 3. *Ecce ego mitto nuncium meum, qui præparabit viam* לפני ANTE FACIEM MEAM, h. e. ante me.

3. Etiam vox χεὶρ, addita præpoſitionibus ἐν & διὰ, denotantibus cauſam efficientem, abundat, cum hæ ſolæ ſufficerent; ut Act. 7, 35. *Hunc Deus principem & redemptorem miſerat* ἐν χειρὶ ἀγγέλου PER MANUM ANGELI. Item verſ. 25. ὅτι ὁ Θεὸς διὰ χειρὸς αὐτοῦ δίδωσιν αὐτοῖς σωτηρίαν *Quod Deus per manum ipſius daret illis ſalutem*, h. e. δι' αὐτοῦ *per ipſum*.

ipsum. Eodem modo loquuntur Hebræi; ut Exod. 9, 35. *Sicuti prædixerat Jehova* ביד משה PER MANUM MOSIS. Etiam 2 Chron. 29, 25. simile exemplum occurrit. Vide de his uberius caput 13 & 14.

III. *Sexta* Hebraismorum classis jam sequitur, quæ fit, quando *bina nomina abundantia* alii nomini adduntur; ut Matth. 21, 5. *Dicite filiæ Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus,* καὶ ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον, καὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου ET SEDENS SUPER ASINAM ET PULLUM FILIUM ASINÆ SUBJUGALIS. Per τὸν πῶλον *pullum* intelligitur *filius asinæ*; adeo ut non opus fuisset addere υἱὸν ὑποζυγίου *filium asinæ*: sed hæ duæ voces abundant more Hebræorum, qui eodem modo solent loqui. Matthæus hunc textum allegavit ex Zachariæ cap. 9, v. 9. *Exsulta valde filia Tzijonis, clange filia Jeruschalaimorum, ecce rex tuus adveniet tibi, justus & salute præditus est; pauper* ורכב על חמור ועל עיר בן אתנות ET EQUITANS SUPER ASINO, ET SUPER PULLO FILIO ASINARUM. Nomen עיר significat talem *pullum*; quod sufficeret ad probandum fuisse pullum asinæ: sed præterea ad pleonasmum exprimendum adduntur duæ voces בן אתנות *filius asinarum*, h. e. asinæ, per enallagen numeri pluralis pro singulari. Vide caput 15.

IV. *Septima* Hebraismorum *classis* est, quando adjectivum aliquod habet adjunctum Θεῷ ad denotandum gradum superlativum; ut Act. 7, 20. *Et Moses erat* ἀστεῖος τῷ Θεῷ VENUSTUS DEO, h. e. venustissimus. Hoc fit more Hebræorum, qui, quando superlativum indicare volunt, sæpè addere solent לאלהים vel לאדני: ex. gr. Jonæ 3, 3. ונינוה היתה עיר גדולה לאלהים *Nineve fuit urbs magna Deo*, h. e. maxima. Et Jes. 28, 2. הנה חזק ואמץ לאדני *Ecce robusta & valida Domino*, h. e. valde robusta & valida. Quare per additionem nominis Dei magna & eximia denotantur? *Resp.* Quia, quæ Deus in se habet, non nisi magna & eximia sunt; magna videlicet potentia, magna sapientia, magna misericordia, magna justitia, &c.

Hebræi præterea substantivis addere solent nomina Dei ad eundem gradum exprimendum: ex. gr Psal. 80, 11. ארזי אל *cedri Dei*, h. e. cedri altissimæ. Psal. 36, 7. צדקתך כהררי אל *Justitia tua ut montes Dei*, h. e. montes altissimi. Vide caput 16 Philologiæ sacræ.

V. *Octava* Hebraismorum *classis* est, quando adjectivis nonnullis adduntur vel ἐνώπιον Θεοῦ, vel ἐναντίον Θεοῦ, vel ἐνώπιον Κυρίου *coram Deo, coram Domino*, hæc esse quempiam revera talem, qualis esse dicitur: ex. gr. Luc.

Luc. 1, 6. Zacharias & Elisabeth erant *δίκαιοι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ justi*, (sive sinceri) *coram Deo*, h. e. revera erant tales. Act. 8, 21. De Simone mago dicit Petrus *ἡ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ cor tuum non est rectum coram Deo*, h. e. revera non est rectum sive integrum, sed est simulatum. Sacri scriptores in his imitati sunt Hebræos: nam illi sic loquuti sunt in Veteri T. ex. gr. Gen. 7, 1, Deus dicit Noacho, כי אתך ראיתי צדיק לפני *nam te vidi justum coram me*, h. e. vidi te verè & manifestè justum sive sincerum. Similiter 1 Sam. 2, 17. Et fuit peccatum filiorum Eli גדולה מאד את פני יהוה *valde magnum coram Jehova*, h. e. revera & manifestè fuit tale. Vide caput 17.

VI. *Nona* Hebraismorum *classis* est, quando *participiis passivis*, aut *adjectivis*, quæ Participiis affinia sunt, adduntur *Genitivi*, non interveniente particula ὑπὸ, quæ apud vulgares Græcos addi solet; ut Matth. 25, 34. *Δεῦτε οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου*, *Venite benedicti Patris mei*, pro *εὐλογημένοι ὑπὸ τοῦ πατρός μου benedicti à Patre meo*, prout alii Græci dicunt: & propterea in Novo T. more vulgarium Græcorum dicitur Marc. 1, 13, *πειραζόμενος ὑπὸ τοῦ σατανᾶ tentatus à satana*. Exemplum adjectivi, recipientis Genitivum sine interveniente præpositione, occurrit Matth. 11, 11. *Non exortus est ἐν γεννητοῖς γυναικῶν* INTER NATOS MULIERIBUS, h. e. *ὑπὸ γυναικῶν è mulieribus*; uti habet Erasmus. Ita etiam loquuntur Hebræi: ex. gr. Psal. 22, 7. *At ego vermis sum & non vir; opprobrium hominum* ובזוי עם ET CONTEMPTUS POPULI, h. e. à populo. Simile huic exemplo occurrit Jes. 53, 4. *Nos reputavimus illum ut plagis affectum*, מכה אלהים PERCUSSUM DEI, h. e. percussum à Deo. Vide caput 18.

VII. *Decima* Hebraismorum *classis*, superiori contraria, est, quando *præpositio* in construendis substantivis cum adjectivis *abundat*; ut Matth. 27, 24. Pilatus dixit *Ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου τούτου insons ego sum à sanguine hujus justi*. Hic abundat præpositio ἀπὸ: nam vulgaris Græcus diceret *Ἀθῶος τοῦ αἵματος insons sanguinis*. Aliud exemplum exstat Act. 20, 26. *Καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων, mundus ego sum à sanguine omnium*. Etiam hunc morem imitantur interpretes Græci; ut Gen. 24, 8. & 2 Sam. 3, 30. &c. Sed non mirum: nam & illi sæpe in versione sua Hebraismos expresserunt. In hoc scriptores Novi T. morem Hebræorum observant: ex. gr. 2 Sam. 3, 28. David inquit, נקיא אנכי מדמי אבנר. *Insons ego* sum *à sanguinibus Abneri*. Vide caput 19.

VIII. Subsequitur jam *undecima* Hebraismorum classis, quæ Hebræos imitatur, quando *positivus* gradus adhibetur ad denotandum gradum *superlativum*. Hebræi eâdem voce exprimunt tres gradus comparationis; Græci verò diversitate terminationum utuntur; ut σοφὸς *sapiens*, σοφώτερος *sapientior*, σοφώτατος *sapientissimus*. Verum scriptores N. T. sæpè non Græcos sed Hebræos sunt imitati: ex. gr. Gradus positivus adhibetur pro superlativo, Matth. 22, 36. ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ; *Quodnam præceptum magnum* (h. e. maximum) *est in lege?* Potuisset scriptor sacer dixisse ποία ἐντολὴ μεγίστη; similiter Hebr. 10, 21. *Cum habeamus* ἱερέα μέγαν *sacerdotem magnum*, h. e. summum & maximum. Imo cap. IV, verſ. 14, voci ἀρχιερεὺς additur μέγας ad pontificem summum denotandum, cum vox ἀρχιερεὺς sola sufficeret. Vide & Hebr. 13, 20. Similiter Matth. 5, 19. *Qui ita fecerit & docuerit* οὗτος μέγας κληθήσεται *hic magnus* (h. e. maximus) *vocabitur in regno cœlorum.* Quod μέγας hic sumatur pro μέγιστος, apparet ex eodem versu; *Qui solverit unum horum præceptorum minimorum & sic docuerit homines* ἐλάχιστος MINIMUS *vocabitur*, cui aptè respondet μέγιστος: sed placuit scriptori sacro addere gradum positivum. Denique Matth. 2, 26, idem Hebraismus exprimitur: *Qui vult inter vos* μέγας MAGNUS (h. e. maximus) *esse*, *sit vester minister*. Matthæus gradum positivum pro superlativo aliquando etiam exprimit gradu comparativo; ut cap. 23, verſ. 11. Ὁ μείζων ὑμῶν, ἔσται ὑμῶν διάκονος, *Qui est major* (h. e. maximus) *vestrum*, *erit vester minister*. Similiter Matth. 13, 32. *Granum sinapi* μικρότερον MINUS (pro μικρότατον minimum) *est inter cuncta semina. Cum autem creverit*, μεῖζον MAjus (pro μέγιστον maximum) *est inter olera*.

Quod hic modus loquendi sapiat Hebraismum, *fit inde* satis manifestum, quia Hebræi communiter utuntur gradu positivo pro superlativo: ex. gr. 2 Par. 21, 17. קְטֹון בָּנָיו *parvus filiorum ejus*, h. e. minimus. Prov. 30, 24. *Quatuor sunt* קְטַנֵּי אֶרֶץ *parva terræ*, h. e. minima. Aliquando Hebræi addunt præpositionem quando gradum superlativum per positivum exprimere volunt: ex. gr. Jer. 49, 15. קָטֹון בַּגֹּויִם *parvus in gentibus*, h. e. minimus inter gentes. Prov. 30, 30. גִּבּוֹר בַּבְּהֵמָה *robustus in bestiis*, h. e. bestiarum robustissimus. Eundem morem imitantur aliquando scriptores Novi T. ut Luc. 1, 42. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, *felix tu in mulieribus*, h.e. felicissima mulierum. Vide in Philologia sacra caput 20.

IX. *Duodecima* classis Hebraismorum continet ea exempla, in quibus additur *locus* sive spatium, in quo substantiæ vivunt aut existunt, scil.

cœ-

cœlum, terra, ager, mare, &c. Ex.gr. Nomen *cœli* additur Matth. 6, 26. Ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ *Vertite oculos ad volatilia cœli.* Et Marc. 4, 4. καὶ ἦλθε τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ *& venerunt volucres cœli.* Similiter Luc. 8, 5. *&* 9, 58. &c. Matth. 24, 30. *Videbunt filium hominis venientem* ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ IN NUBIBUS COELI. Vulgares Græci non solent in talibus loquutionibus addere locum in quo animalia degunt. Sed scriptores N. T. in his imitantur Hebræos; ut Psal. 8, 9. צִפּוֹר הַשָּׁמַיִם *aves cœli.* Jes. 13, 10. כּוֹכְבֵי הַשָּׁמַיִם *exercitus cœli,* h. e. stellæ, & 1 Reg. 22, 19. וכל צבא השמים עומד עליו *Et totus exercitus cœli adstabat ei,* h. e. angeli.

Etiam vox τῆς γῆς TERRÆ, & τοῦ ἀγροῦ AGRI additur more Hebraico; ut Actor. 10, 12. & 11, 6. πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς *omnia quadrupedia terræ.* Matth. 17, 25. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς REGES TERRÆ *à quibus accipiunt tributa?* Similiter Apoc. 18, 3. Matth. 6, 28. *Considerate* τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ LILIA AGRI. Ita etiam faciunt Hebræi; ut *Deut.* 28, 26. *Cadaver tuum erit esca* לְבֶהֱמַת הָאָרֶץ BESTIIS TERRÆ. Gen. 1, 25. רֶמֶשׂ הָאֲדָמָה *reptilia terræ.* Psal. 2, 2. *Sistunt se* מַלְכֵי אֶרֶץ REGES TERRÆ. Psal. 8, 8. בַּהֲמוֹת שָׂדָי *bestiæ agri.* Item Psal. 103, 14. ציץ השדה *flos agri.*

Græci interpretes Veteris T. more Hebræorum etiam sæpè addere solent vocem τῆς θαλάσσης *maris:* nam & illa versio plurimos Hebraismos continet: ex. gr. Voces Hebraicæ Gen. 1, 26. *Et dominabuntur* בִּדְגַת הַיָּם IN PISCES MARIS, transferuntur à Græcis interpretibus per καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης. Vulgares Græci scriptores simpliciter dicunt ἰχθύες *pisces,* τὰ πετεινὰ *volucres,* &c. omissis vocibus *cœli, terræ, maris,* &c. Vide caput 21.

X. *Decima tertia* classis Hebraismorum continet *nomina adjectiva,* affectiones animi denotantia, quæ vocem tertii casus καρδίᾳ sibi junctam habent: ex.gr. Matth. 11, 29. ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ *humilis corde.* Luc. 24, 25. βραδεῖς τῇ καρδίᾳ *tardi corde.* Matth. 5, 8. καθαροὶ καρδίᾳ *puri corde.* Hæc sapiunt Hebraismum. Nam vulgares Græci utuntur vocibus ex καρδίᾳ compositis, quando simili affectione animi præditos denotare volunt: sed scriptores Novi T. vocibus simplicibus promiscuè hîc utuntur: ex. gr. pro ὀξὺς τῇ καρδίᾳ dicunt vulgares Græci ὀξυκάρδιος, & pro ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ dicunt ταπεινοκάρδιος. Scriptores Novi T. in his expresserunt Hebraismum: nam Hebræi etiam vocibus simplicibus tum utuntur: ex. gr. Psal. 24, 4. בַּר־לֵבָב *purus corde,* &c. quod interpretes Græci etiam verte-

verterunt per καθαρὸς τῇ καρδίᾳ. Græci vulgares dicerent καθαροκάρδιος. Vide alia exempla Psal. 11, 2. יִשְׁרֵי־לֵב *recti corde*; 2 Par. 29, 31. נְדִיב לֵב *spontaneus corde*; Ezech. 3, 7. קְשֵׁה לֵב *durus corde*, h. e. refractarius, &c. Vide caput 22.

XI. *Decima quarta* classis Hebraismorum est, quando *plures voces Græca conjunctæ diversam*, præter vulgarem, habent *significationem*, quia voces Hebraicæ eam habent. In classe prima multæ voces Græcæ separatæ sunt enumeratæ, quæ occasione vocum Hebraicarum diversam receperunt significationem: ex. gr. ῥῆμα *verbum* significat etiam *rem*, quia vox Hebraica דָּבָר utrumque denotat. Jam deinceps diversa exempla talium vocum conjunctarum examinabimus, eaque ad hanc classem referemus. 1. Ex. gr. Act. 7, 42, habetur, καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ *Et tradidit eos ut colerent militiam cœli*. στρατιὰ propriè significat *militiam*, *exercitum*; hinc στρατηγὸς vocatur στρατιᾶς ἄρχων *dux exercitus*. Sed in N. T. στρατιὰ τοῦ οὐρανοῦ refertur tum ad multitudinem stellarum; ut Act. 7, 42. tum etiam ad multitudinem angelorum; ut Luc. 11, 13. *Statim erat apud angelum* πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου MULTITUDO EXERCITUS COELESTIS. *Rogabit* fortè aliquis: Quare per voces στρατιὰ τοῦ οὐρανοῦ hæc denotantur? *Resp*. Quia voces Hebraicæ tales habent significationes: ex. gr. 2 Paral. 33, 5, dicitur, וַיִּבֶן מִזְבְּחוֹת לְכָל צְבָא הַשָּׁמַיִם Et *exstruxit altaria toti exercitui cælorum*, h. e astris: item Jer. 33, 22. *Uti non potest numerari* צְבָא הַשָּׁמַיִם EXERCITUS COELORUM, h. e. stellarum. Sed 1 Reg. 22, 19, hæc phrasis *exercitus cælorum* sumitur pro angelis, cum dicitur; *Et totus* צְבָא הַשָּׁמַיִם EXERCITUS COELORUM adstabat ei, h. e. angeli adstabant ei.

2. Scriptores Novi T. terras longinquas & *procul remotas*, etiamsi non terminentur aquis, vocant πέρατα τῆς γῆς, vel πέρατα τῆς οἰκουμένης: ex. gr. Matth. 12, 42. *Regina austri venit* ἐκ περάτων τῆς γῆς A FINIBUS TERRÆ. Rom. 10, 18. καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν Et *in fines orbis verba illorum* exierunt. Græci vulgares vocant quidem fines terræ πέρατα τῆς γῆς, quando alluuntur & terminantur aquis; sed non simpliciter terras longinquas ita appellant. Verum scriptores Novi T. in his imitantur Hebræos: ex. gr. Psal. 48, 11, habetur, *Sicut est nomen tuum*, *ita celebritas tua* עַל קַצְוֵי אֶרֶץ APUD FINES TERRÆ. Jer. 16, 19. גּוֹיִם יָבֹאוּ מֵאַפְסֵי אֶרֶץ *Gentes venient ab extremitatibus terræ*, h. e. à longinquis terris. Psal. 19, 5. וּבִקְצֵה תֵבֵל מִלֵּיהֶם *Et in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum*.

3. Scri-

3. Scriptores Novi T. totum orbem terrarum vocant *ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν ab extremis cœli usque ad extremos illos*, Matth. 24, 31. Item *ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ ab extremitate usque ad extremitatem cœli*, Marc. 13, 27. Sic etiam Hebræi totum orbem appellant; ut Deut. 4, 32. ולמקצה השמים ועד קצה השמים *Et ab extremitate cœli usque ad extremitatem cœli*, h. e. per universum terrarum orbem. Deut. 28, 64. *Nam disperget te Jehova in omnes populos* מקצה הארץ ועד קצה הארץ AB EXTREMITATE TERRÆ USQUE AD EXTREMITATEM TERRÆ, h. e. per totum mundum. Posterior tamen locutio aliquando tantùm provinciam vel regionem aliquam significat, ut Jerem. 12, 12. *Nam gladius Jehovæ devorat* מקצה ארץ ועד קצה ארץ *ab extremitate terræ usque ad extremitatem terræ*, h. e. devorat certam terræ partem.

4. Ad hanc classem etiam refertur, quod Lucas cap. 11, vers. 32, dixit, Ἄνδρες Νινευΐ VIRI NINIVE *surgent in judicio*, hoc est, Νινευῖται *Ninevitæ*; prout vulgares Græci dicunt: sed scriptores Novi T. imitantur morem Hebræorum; ut Gen. 19, 4. אנשי סדום *Viri Sodomæ*, h. e. Sodomitæ. Jos. 10, 6. אנשי גבעון *Viri Gibeon*, h. e. Gibeonitæ. Hunc Hebraismum etiam exprimunt Interpretes Græci V. T. Jon. 3, 5. *Crediderunt οἱ ἄνδρες Νινευῒ τῷ Θεῷ* VIRI NINIVE DEO.

5. Similiter quod Matthæus cap. 14, vers. 35, ait, *Et quum agnovissent illum οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου ἐκείνου* VIRI LOCI ILLIUS. Sic enim legitur Gen. 38, 22. אנשי המקום VIRI LOCI ILLIUS *dixerunt, non fuit hîc meretrix*.

6. Filii vocantur Luc. 1, 42. *Καρπὸς τῆς κοιλίας fructus ventris*, & Act. 2, 30. *Καρπὸς τῆς ὀσφύος fructus lumbi*. Sic loquitur Psalmista Psal. 132, vers. 11. מפרי בטנך *Ex fructu ventris tui*.

7. *Sermo* vocatur Hebr. 13, 15. *καρπὸς χειλέων fructus labiorum* more Hebræorum; ut Prov. 18, 20. מפרי פי-איש תשבע בטנו תבואת שפתיו ישבע *fructu oris cujusque satiatur venter ejus, proventu labiorum suorum quisque satiatur*.

8. *Vinum* appellatur *γέννημα τῆς ἀμπέλου fructus vitis*; ut Matth. 26, 29. *Non bibam posthac ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου* EX HOC FRUCTU VITIS. Hîc *γέννημα* idem denotat quod *καρπός*. Hebræi passim *vinum* vocant *fructum vitis*; uti apparet ex familiari illa benedictione, quam solent recitare antequam vinum bibunt. ברוך אתה יהוה אלהינו

Q מלך

מלך העולם בורא פרי הגפן *benedictus tu Jehova Deus noster, rex mundi, creans fructum vitis.* Vide caput 23.

DISSERTATIO DECIMA QUINTA

DE

Hebraismis Novi Testamenti.

PARS QUARTA.

§. 1. *Classis Hebraismorum decima quinta continet peculiares significationes vocum* υἱῶ filii *&* θυγατέρ© filiæ, *quas vulgares Græci ignorant.*

2. *Decima sexta classis docet quomodo enunciationes affirmantes & negantes in Novo T. more Hebræorum exprimantur.*

3. *Decima septima classis continet Enallagen Pronominum.*

4. *Decima octava classis versatur circa Pronomina per Pleonasmum more Hebræorum redundantia.*

5. *Decima nona classis, superiori contraria continet ellypsin Pronominum.*

6. *Vigesima classis continet Pronomina transposita.*

7. *Vigesima prima classis docet in N. T. verba activa personæ tertiæ numeri pluralis usurpari pro passivis.*

8. *Vigesima secunda classis continet verba finita cum copula* ϗ *posita pro infinitis.*

9. *Ad vigesimam tertiam classem referuntur verba infinita (habentia penes se præpositionem* ἐν, *& accusativum nominis) posita pro verbis finitis, aut pro participiis.*

10. *Vigesima quarta classis docet pleonasmos verborum in N. T. esse usitatos.*

11. *Vigesima quinta classis continet Verba, quæ participia aut nomina ejusdem originis addita habent.*

12. *Vigesima sexta classis continet Verba, quibus Nomina ejusdem originis casu accusativo addita sunt, quæ adjectiva sibi juncta habent.*

SECTIO I.



Iam *Decima quinta* Hebraismorum classis sequitur explicanda, continens eas phrases, in quibus vox υἱὸς *filius* additur; quod fit diversimodè.

1. Sæpè vox υἱὸς, aliud nomen sibi junctum habens, denotat subjectum certâ quâdam affectione præditum, & vicem præstat nominis cujusdam adjectivi: ex. gr. Ephes: 2, 2. Voces υἱοὶ ἀπειθείας *filii incredulitatis* vel *contumaciæ* denotant incredulos aut contumaces. Vide etiam

etiam cap. 5, verſ. 6. Alibi enim vocantur tales unicâ voce *ἀπειθοῦντες* Rom. 15, 31, vel *ἀπειθεῖς* Tit. 1, 16. Similis Hebraiſmus occurrit Marc. 3, 14. *υἱοὶ βροντῆς filii tonitru*, pro *οἱ βροντῶντες tonantes*: ſimiliter Luc. 20, 36. *Sunt filii Dei τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες* CUM SINT FILII RESURRECTIONIS, pro *οἱ ἀναστάντες qui reſurrexerunt*. Luc. 16, 8. 1 Theſſ. 5, 5. *υἱοὶ τοῦ φωτὸς filii lucis*, pro *οἱ πεφωτισμένοι illuminati*.

Scriptores Novi T. quando ſic loquuntur, imitantur Hebræos: illi enim, quum affectione quadam præditum denotare volunt, voculam בן *filii* addere ſolent: ex. gr. Hoſ. 10, 9. בני עלוה *filii iniquitatis* vel *pravitatis* denotant iniquos vel pravos. Et Deut. 13, 13. בני בליעל *filii nequitiæ* ſignificant nequam, improbos. Etiam 1 Reg. 1, 51, per בן חיל *filium virtutis* denotatur bonus. Quando de fœmina eſt ſermo, tum additur בת *filia*, ut 1 Sam. 1, 16. בת בליעל *filia improbitatis*, h. e. improba.

2. Deinde nomen *υἱὸς* aliis additum aliquando idem denotat quod *ἄξιος dignus*: ex. gr. Luc. 10, 6. Si fuerit ibi *υἱὸς εἰρήνης filius pacis* vel *ſalutis*, h. e. pace vel ſalute dignus. Matthæus illa verba tali ſenſu explicat cap. 10, verſ. 13. *καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἡ οἰκία ἀξία*, *Et ſi quidem fuerit domus digna*, ſcil. pace vel ſalute. E contra Idem cap. 23, verſ. 15, imitatur Lucam, cum ait Proſelytus *cum factus fuerit, facitis illum υἱὸν γεέννης filium gehennæ*, h. e. gehennâ dignum.

Quod *υἱὸς filius* in Novo T. idem denotet quod *ἄξιος dignus*, hoc fit imitatione Hebræorum: nam hi ſæpè tali ſenſu utuntur voce בן *filii*: ex. gr. 2 Sam. 12, 5. *Et iratus eſt David in virum valde, dixitque Nathani, vivit Jehova* כי בן מות האיש העשה זאת QUIA FILIUS MORTIS VIR ILLE FACIENS HOC: h. e. morte dignus eſt, vel obnoxius morti eſt; uti Pagninus transfert. Similiter Deut. 25, 2. בן הכות *filius percuſſionis* vocatur ille, qui eſt dignus percuſſione & plagis.

3. Incolæ alicujus loci vocantur ejus filii. Sic incolæ hujus mundi nominantur Luc. 20, 34. *υἱοὶ αἰῶνος τούτου filii hujus mundi*. Similiter Matth. 23, 37, incolæ vocantur filii: *Jeruſalem, quoties volui congregare τὰ τέκνα σου* FILIOS TUOS, h. e. incolas tuos.

Hoc etiam fit more Hebræorum: nam hi incolas vocant filios: ex. gr. Eſras cap. 2, verſ. 1, vocat incolas provinciæ בני המדינה *filios provinciæ*. Sic etiam David Pſalmo 149, verſ. 2, vocat incolas Tſijonis בני ציון *filios Tſijonis*.

4. Urbis incola, virum & fœminam comprehendens, vocatur θυγάτηρ *filia*: ex. gr. Matth. 21, 5. *εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών, dicite filia Sion*. Sic Joh. 12, 15. *Μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών, noli timere filia Sion.*

Hoc itidem fit imitatione Hebræorum: nam illi solent talem incolam vocare בת filiam: ex. gr. Jes. 62, 11. אמרו לבת ציון *dicite filia Sion*: & Zach. 9, 9. גילי מאד בת ציון הריעי בת ירושלים *Exulta valde filia Tzijonis, clange filia Jeruschalaimorum.* Tzijon & Jerusalem sunt nomina locorum. Per filiam in his locis non tantùm intelliguntur fœminæ habitatrices, sed etiam viri habitatores.

In singulari θυγάτηρ & בת *filia* denotant quidem incolam utriusque sexus, sed in plurali per θυγατέρες & בנות *filias* tantum fœminæ intelliguntur; ut Luc. 23, 28. *Θυγατέρες Ἱερουσαλήμ, filia Jerusalem.* Et in Cant. Cantic. cap. 1, vers. 5. בנות ירושלים *filia hierosolyma* denotant fœminas.

5. Posteri alicujus vocantur filii: ex. gr. posteri Jacobi vocantur υἱοὶ Ἰσραήλ, Act. 5, 21, & 7, 23. Posteri Levi vocantur *υἱοὶ Λευὶ filii Levi*, Heb. 7, 5. A Græcis tales posteri simpliciter nominantur Ἰσραηλῖται & Λευῖται.

Dices. Vulgares Græci possunt vocare Josephum & Benjamin υἱοὺς Ἰακώβ *filios Jacobi.*

Resp. Ipsi filii, ut Josephus & Benjamin, possunt vocari υἱοὶ filii; sed omnes posteri, qui longo intervallo à Jacobo absunt, à vulgaribus Græcis non solent appellari *filii*.

Scriptores Novi T. quandò posteros vocant *filios*, imitantur Hebræos: ex. gr. Deut. 1, 3, dixit Moses אל כל בני ישראל *ad omnes filios Israëlis*, h. e. ad omnes posteros, qui eo tempore vivebant.

6. Fœminæ respectu majorum vocantur θυγατέρες *filia*: ex. gr. Luc. 1, 5. *Conjux Zacharia erat ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών ex filiabus Aaron*: sed illa nata fuit multis seculis post Aaronem. Vide & locum Luc. cap 13, vers. 16, ubi talis fœmina etiam θυγάτηρ *filia Abrahami* appellatur. In eo scriptores Novi T. imitantur Hebræos, qui tales fœminas, multis seculis post natas, vocant בנות *filias*. Vide de his caput 24 Philologiæ Sacræ Vorstii.

II. *Decima sexta* Hebraismorum classis continet enunciationes universales, affirmantes vel negantes, quibus aliæ voces, universalitatem denotantes, adduntur, quæ commodè abesse possent. 1. Enunciationes tales *affirmantes* inveniuntur variis in locis: ex. gr. Act. 8, 10. *πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου Omnes à minimo usque ad maximum auscultabant.* Similiter

ad

ad Hebr. cap. 8, vers. 11, habetur; ὅτι πάντες εἰδήσουσί με ἀπὸ μικροῦ αὐτῶν ἕως μεγάλου αὐτῶν: *Quod omnes cognoscent me, à parvo illorum usque ad magnum illorum.* In his vox πάντες sufficeret, omissis vocibus *à parvo usque ad magnum.* Sed hoc fit more Hebræorum, qui similes voces addere solent. Posterior locus est desumptus ex Jer. 31, 34. כי כולם ידעו אותי למקטנם ועד גדולם *Nam omnes illi cognoscent me à parvo ipsorum usque ad magnum ipsorum.* Hîc additur pronomen affixum. Sed tale Pronomen nonnunquam negligitur, uti in priori exemplo; quod itidem fit Hebræorum more: ex. gr. Esth. 1, 20. וכל הנשים ET OMNES FOEMINÆ *honorabunt maritos suos* למגדול ועד קטן A MAGNO AD PARVUM.

2. Universalitas etiam exprimitur geminatione alicujus vocis: ex. gr. 2 Cor. 4, 16. *Internus homo renovatur* ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ *die & die,* h. e. singulis diebus, quotidie. Vulgares Græci dicerent πᾶσαν ἡμέραν vel καθ' ἑκάστην ἡμέραν *unoquoque die.* Sed Apostolus voluit imitari Hebræos, qui tali modo sæpè loquuntur: ex. gr. Esth. cap. 3, vers. 4, habetur: *Et factum est cum dixissent ipsi* יום ויום DIE ET DIE, h. e. quotidie.

3. Scriptores Novi T. enunciationes universales *negantes*, quas vulgares Græci formant per οὐδεὶς, μηδεὶς, exprimunt alio modo: ex. gr. pro οὐδεὶς dicunt εἷς οὐ *unus non*; ut pro ἰῶτα οὐδὲν habetur Matth. 5, 18. ἰῶτα ἓν οὐ μὴ παρέλθῃ *Iota unum non præteribit.* Eodem modo loquuntur Hebræi: ex. gr. Jes. 34, 16. אחת מהנה לא נעדרה *Unum ex illis non desideratum est,* h. e. nullum eorum.

4. Scriptores Novi T. etiam universaliter negant, quando dicunt; *Non est usque ad unum:* ex. gr. Rom. 3, 12. *Non est faciens bonum,* οὐκ ἔστιν ἕως ἑνὸς, NON EST USQUE AD UNUM. Hoc fit imitatione Hebræorum, qui eodem modo universaliter negant: ex. gr. Exod 24, 28. לא נשאר בהם עד אחד *Non remansit ex illis ad unum,* h. e. nullus remansit. Vulgares Græci, dicentes εἰς ἕνα *ad unum,* non negant universaliter, sed è contra affirmant, uti etiam Latini, quando ajunt, *Omnes ad unum*; ut & nonnunquam Hebræi: ux. gt. 2 Sam. 19, 13. *Inflexit animum* כל איש יהודה כאיש אחד OMNIUM VIRORUM JUDÆ, ut VIRI UNIUS, h. e. ad unum omnium.

5. Matthæus talem enunciationem negantem adhuc aliâ formâ proponit, scil. cap. 15, vers. 23. Ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον, *Ipse verò non respondit ei verbum,* subintellige ἓν *unum*; pro quo Græci vulgò dicerent Ὁ δὲ οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ οὐδὲν *Ipse vero respondit ei* NIHIL. Sed hoc iterum fit He-

Hebræorum more; ex. gr. 1 Reg. 18, 21, dicitur, ולא ענו העם אתו דבר *Et non responderunt ei populus verbum*, scil. אחד *unum*, h. e. nihil responderunt ei.

6. Occurrit adhuc alia forma, usitatissima in Novo T. exprimens enunciationes universales negativas per additionem vocis πᾶς, πᾶσα, πᾶν, *omnis*, *omne*: ex.gr. Luc. 1, 37, habetur, οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα, *non erit impossibilis apud Deum omnis res*; pro quo Græci dicerent οὐκ ἀδυνατήσει οὐδέν. Vide etiam Matth. 24, 22. *Nisi decurtarentur dies isti*, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ, NON SERVARETUR OMNIS CARO, sive *omnis homo*; pro οὐδεὶς *nemo* servaretur. Ita loquuntur etiam Hebræi: ex. gr. Psal. 143, vers. 2. כי לא יצדק לפניך כל חי *Nam non erit justus coram te omnis vivens*, h. e. nullus vivens. Et Jos. 11, 12. לא נותר כל נשמה *Non remansit omnis anima*, h. e. nulla anima remansit.

7. Etiam tales enunciationes universales, casu obliquo negantes, secundùm linguam Hebræam formatæ, inveniuntur in Novo T. Ex. gr. Apoc. cap. 9, vers. 4. *Ne læderent gramen terræ*, οὐδὲ πᾶν χλωρὸν, οὐδὲ πᾶν δένδρον, NEQUE OMNE VIRIDE, NEQUE OMNEM ARBOREM, h. e. οὐδὲν χλωρὸν *nullum viride*, οὐδὲν δένδρον *nullam arborem*. Hoc fit imitatione Hebræorum: ex. gr. Dan. 11, 37. על כל אלוה לא יבין *Ad omnem Deum non attendet*, h. e. ad nullum. Vide caput 25.

III. *Decima septima* Hebraismorum classis continet Pronominum Enallagen. 1. Quando sermo fit ad personam secundam, tum aliquando in Novo T. more Hebraico subjicitur pronomen personæ tertiæ: Ex. gr. Matth. 23, 37. *Jerusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui* πρὸς αὐτὴν AD IPSAM (pro πρὸς σε *ad te*) *missi sunt*. Scriptores Novi T. imitantur Hebræos, qui tali modo sæpè etiam loquuntur: ex.gr. Jes. 47, 8. *Audi hoc voluptuaria, desidens securè* האומרה בלבבה DICENS IN CORDE SUO, pro בלבבך *in corde tuo*.

2. Pro Pronomine Relativo occurrit nonnunquam in Novo Test. Pronomen Demonstrativum, præcedente καὶ, voce copulativa: ex. gr. Luc. 6, 6. *Erat ibi homo*, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἡ δεξιὰ ξηρά ET MANUS EJUS DEXTRA ERAT ARIDA, pro οὗ ἡ χεὶρ *Cujus manus*, &c. Ita loquuntur etiam Hebræi: ex. gr. Esth. cap. 2. vers. 5. איש יהודי היה ושמו מרדכי *Erat vir quidam Judæus & nomen ejus Mordechai*; pro *cujus nomen erat Mordechai*. Vide de his uberius in capite 26. Philologiæ sacræ.

IV. *Decima octava* Hebraismorum classis versatur circa Pronomina,

quæ

quæ more Hebræorum per pleonaſmum redundant. 1. Pronomen aliquando abundat poſt aliud Pronomen Relativum: ex. gr. Act. 15, 17. *Omnes gentes*, ἐφ' ὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μυ ἐπ' αὐτὺς SUPER QUAS VOCATUM EST NOMEN MEUM SUPER ILLAS. Illud ἐπ' αὐτὺς *ſuper illas* redundat, & poſſet illæſo ſenſu abeſſe. Sed hoc fit imitatione Hebræorum: ex. gr. Joſ. cap. 1, verſ. 3, talis pleonaſmus etiam occurrit: *Omnis locus* אשר הדרך כף רגלכם בו QUEM CALCABIT PLANTA PEDIS VESTRI ILLUM. Hîc abundat בו.

2. Pronomina in Novo T. etiam redundant poſt Nomina, ſive potius poſt Verba: ex. gr. Matth. 21, 41. Κακὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτύς. *Malos malè perdet eos*. Illud αὐτὺς hîc abundat. Scriptores Novi T. imitati ſunt Hebræos, qui ſæpiſſimè talibus loquendi modis utuntur: ex. gr. Dan. 1, 17. והילדים האלה ארבעתם נתן להם האלהים מדע *Et pueris illis quatuor dedit* ILLIS *Deus notitiam*. Illud להם *illis* pleonaſticè additur.

3. In Novo T. ſæpè more Hebræorum redundat ἐκεῖ *ibi*, quod habet vim pronominis demonſtrativi, & idem ſignificat quod ἐν τόπῳ ἐκείνῳ *in illo loco*: ex. gr. Apoc. 12. 14. *Ut volaret in deſertum in locum ſuum*, ὅπυ τρέφεται ἐκεῖ καιρὸν UBI ALITUR ILLIC PER TEMPUS: ἐκεῖ *illic* abundat. Sed hoc fit more Hebræorum: ex. gr. 1 Sam. 9, 10, legitur וילכו אל העיר אשר שם איש האלהים *& venerunt ad urbem, in qua ibi* (vel ubi) *vir Dei*.

4. Quando partes corporis humani nominantur, tum ſæpè illis adduntur per pleonaſmum pronomina μυ, συ, αὐτῦ, quæ in ſcriptis aliorum Græcorum non inveniuntur: ex. gr. Luc. cap. 24. v, 50. habetur καὶ ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτῦ *& elevans manus ſuas*. Sic Luc. cap. 6, verſ. 20, dicitur, *tollens oculos* αὐτῦ SUOS. Græci vulgares omitterent illud αὐτῦ. Vide Ælianum lib. 12, cap. 22, ſcribentem, Εἰς τὸ ὐρανὸν τὰς χεῖρας τείνων. In Novo T. talia pronomina adduntur more Hebræorum: ex. gr. Gen. 18. 2. *Et ſuſtulit Abraham* עיניו OCULOS SUOS. Sic etiam Gen. 29, 1. *Et ſuſtulit Jacob* את רגליו PEDES SUOS: pro, ſuſtulit oculos & pedes.

5. Etiam pronomina illa adduntur aliis rebus, quæ ad hominem pertinent, aut quæ ab homine proficiſcuntur: ex. gr. Act. 2, 14. *Petrus* ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτῦ SUSTULIT VOCEM SUAM. Et Luc. 10, 27. *Diliges Dominum Deum tuum* ἐξ ὅλης τῆς καρδίας συ, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς συ EX TOTO CORDE TUO, ET EX TOTA ANIMA TUA. Vulgares Græci dicunt *extollere vocem, diligere ex corde, ex anima*, omiſſo pronomine. Sed

Scri-

Scriptores Novi T. addentes hæc pronomina, imitantur Hebræos: ex. gr. Judic. 21, 2. וישאו קולם & *sustulerunt vocem suam.* Et Deut. 6, 5. *Diliges Dominum Deum tuum* בכל לבבך ובכל נפשך TOTO CORDE TUO ET TOTA ANIMA TUA. Vide in Philologia Sacra caput 27.

V. *Decima Nona* Hebraismorum Novi T. classis, superiori contraria, continet ellypsin alicujus pronominis: exempla occurrunt passim, ut Matth. 23, 34. *Ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas*, καὶ ἐξ αὐτῶν ἀποκτενεῖτε, καὶ ἐξ αὐτῶν μαστιγώσετε, ET EX ILLIS (subintellige τινὰς aliquos) OCCIDETIS, ET EX ILLIS (aliquos) *flagellabitis.* Simile exemplum occurrit Luc. 21, 16. καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν *& interficient ex vobis*, pro θανατώσουσί τινας ἐξ ὑμῶν.

Talis ellypsis pronominis fit more Hebræorum: ex. gr. 2 Reg. 10, 23. *Videte, ne hic sit vobiscum* מעבדי יהוה DE SERVIS JEHOVÆ, subintellige אחד *unus, aliquis.* Sic etiam Dan. 8, 10. ותפל ארצה מן הצבא ומן הכוכבים *Et dejecit in terram de exercitu & de stellis*, scil. quosdam; quæ vox etiam in nova Versione Belgica, uncinulis inclusa & addita, conspicitur. Vide caput 28.

VI. *Vigesima* Hebraismorum classis continet Pronomina transposita. In N. T. nonnunquam Pronomina adduntur posteriori substantivo, cum deberent addi priori: ex. gr. Legitur Act. 13, 26. ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεστάλη *Vobis sermo salutis hujus missus est*, pro ὑμῖν ὁ λόγος οὗτος τῆς σωτηρίας ἀπεστάλη *Vobis sermo hic salutis missus est.* Simile exemplum occurrit Rom. 7, 24. *Miser ego homo, quis me liberabit* ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου A CORPORE MORTIS HUJUS, *pro* ἐκ τούτου τοῦ σώματος τοῦ θανάτου *ab hoc corpore mortis.*

Talis trajectio Pronominum facta est more Hebræorum: ex. gr. Esr. 9, 15. *An retrogrederemur, ut irrita faciamus præcepta tua* ולהתחתן בעמי התועבות האלה ET AFFINITATEM JUNGAMUS CUM POPULIS ABOMINATIONUM ISTIS. Pronomen אלה *isti* adjungitur quidem posteriori substantivo, sed convenit cum priori. Sic Dan. 9, 24. *Septuaginta septimanæ decisæ sunt* על עיר קדשך SUPER URBEM SANCTITATIS TUAM, h. e. super urbem tuam sanctam. Vide caput 29.

VII. *Vigesima prima* Hebraismorum classis est assignata verbis activis personæ tertiæ numeri pluralis, quæ usurpantur pro passivis: ex. gr. Luc. 12, 48. καὶ ᾧ παρέθεντο πολὺ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν. *Penes quem multum deposuerunt, ab eo plus reposcent*: h. e. penes quem multum deposi-

tum

tum est, ab eo *plures reposcetur.* Similiter Luc. 6, 38. Μέτρον καλὸν δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν. *Mensuram bonam dabunt in sinum vestrum*, pro δοθήσεται *dabitur.* Græci vulgares aliquando citra Hebraismum talibus verbis utuntur, sed subintellecto nominativo. Euripides Medea:

Κλύω δ' ἀπειλεῖν, ὡς ἀπαγγέλλουσί μοι,
Audio minari, ut nunciant mihi.

Hîc subintelliguntur ἄνθρωποι *homines*: sed sacri scriptores subintelligunt in præcedentibus exemplis Deum.

Hebræi etiam utuntur verbis activis personæ tertiæ, tam in numero plurali quàm in singulari, loco verborum passivorum: ex. gr. Jes. 64, 3. מעלם לא שמעו לא האזינו *Ab æterno non audiverunt, neque auribus perceperunt*, h. e. ab æterno non est auditum, vel auribus perceptum. Sic etiam Gen. 15, 6. *Credidit Abraham Deo*, ויחשבה לו לצדקה ET REPUTAVIT HOC ILLI IN JUSTITIAM. Hoc verbum singulare sumitur pro passivo, & explicatur per, *& reputatum hoc est illi in justitiam.* Vide caput 30.

VIII. Ad *vigesimam secundam* Hebraismorum classem pertinent verba finita cum conjunctione copulativa καὶ posita pro infinitis: ex. gr. Rom. 10, 20. Ἡσαΐας δὲ ἀποτολμᾷ καὶ λέγει *Jesaias verò audet & dicit*, pro ἀποτολμᾷ λέγειν *audet dicere.*

Hoc fit imitatione Hebræorum: ex. gr. Gen. 9, 20 habetur, ויחל ויטע *& cœpit & plantavit*, pro, *& cœpit plantare.* Hîc verbo secundo additur copula, uti Paulus fecit: sed Hebræi nonnunquam omittunt illam copulam: ex. gr. Eccles. 8, 3. תבהל מפניו הלך *festinas, discedes ab ipso*, h. e. festina discedere. Vide caput 31.

IX. Ad *vigesimam tertiam* Hebraismorum classem referuntur verba infinita (habentia penes se præpositionem ἐν, & accusativum nominis) posita pro verbis finitis, aut pro participiis: ex. gr. Luc. 1, 8. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν, *factum est autem in sacerdotio fungi ipsum*, pro ὅτε ἱεράτευεν αὐτὸς *cum ille sacerdotio fungeretur*, vel ἱερατεύοντος αὐτοῦ *sacerdotio fungente ipso.* Similiter Luc. 3, 21. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, *factum est autem in baptizari omnem populum*, h. e. quum baptizaretur omnis populus.

Scriptores Novi T. in his imitati sunt Hebræos: ex. gr. Ps. 51, v. 2, legitur: בבוא אליו נתן הנביא *In venire ad ipsum Nathanem prophetam*, h. e. veniente Nathane, vel cum Nathan veniret. Etiam Ps. 102, v. 23. בהקבץ עמים *In congregari populos*, h. e. cum congregarentur populi. Vide caput 32.

X. *Vigesima quarta* Hebraismorum classis continet pleonasmos quorundam verborum, quæ in Novo T. secundùm consuetudinem Hebræorum abundant: ex. gr. 1. Sæpius repetitur verbum ἐγέννησε *genuit*; ut Matth. 1: 2, 3, 4. &c. Abraham ἐγέννησε *Isaac*. Isaac verò ἐγέννησε τὸν Ιακὼβ &c. Hæc potuissent Græcè sic dici, Αβραὰμ ἐγέννησε τὸν Ἰσαὰκ, Ισαὰκ δὲ τὸν Ιακὼβ, Ιακὼβ δὲ τὸν Ιούδαν. Sed Matthæus imitatus est morem Hebræorum: ex. gr. 1 Paral. 2, 10 habetur: *Et Ram* הוליד *genuit Amminadab, & Amminadab genuit Naschon, & Naschon genuit Salma*, &c.

2. Scriptores sacri Novi T. præmittunt, quando aliquid narrare volunt verbum ἐγένετο *factum est*, præcedente vocula καὶ, vel sequente δὲ. ex. gr. Luc. 1, 23. καὶ ἐγένετο ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, *Et factum est, ut impleti sunt dies functionis ipsius*. Sic Luc. 2, 1. ἐγένετο δὲ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις *factum est autem in diebus illis*. Simili verbo ויהי *& fuit, & factum est*, utuntur etiam Hebræi, & quidem in initiis historiarum: ut Ruth 1, 1. ויהי בימי שפט השופטים ויהי רעב בארץ *Et factum est in diebus, quibus judicabant judices, & fuit fames in terra*. Sic Jud. 1, 1. ויהי אחרי מות יהושע וישאלו *Et factum est post mortem Iehoschua, & rogarunt* filii Israelis Jehovam.

3. Etiam scriptores Novi T. præmittunt pleonasticè καὶ ἔσται, vel ἔσται δὲ *erit autem*: ut Act. 2, 17. καὶ ἔσται, πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα κυρίου, σωθήσεται *Et erit, ut omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, servetur*. Illud καὶ ἔσται posset abesse, uti Rom. 10, 13, fit, ubi eadem sententia repetitur. Sic Act. 3, 23. ἔσται δὲ, πᾶσα ψυχὴ *Erit autem omnis anima, quæ non audicrit prophetam illum, exterminabitur è populo*. Etiam hoc fit imitatione Hebræorum: ex. gr. Joël cap. 2, v. 32, legitur: והיה ET ERIT, *omnis qui invocaverit nomen Domini, eripiat se*, & versu 28. והיה אחרי כן אשפוך את רוחי *Et erit postea, effundam spiritum meum*.

4. Sacri scriptores, quando volunt narrare, quid quisquam responderit, tum non tantum utuntur verbo ἀποκρίνεσθαι, vel εἰπεῖν, aut λέγειν, quæ singula sufficerent, sed duo talia verba conjungunt: ex. gr. legitur Joh. 1, 48. Απεκρίθη ὁ Ιησοῦς καὶ εἶπεν αὐτῷ *Respondit Iesus & dixit ei*. Sic Marc. 3, 33. καὶ ἀπεκρίθη αὐτοῖς λέγων *Et respondit eis, dicens*. Hunc morem scribendi mutuati sunt scriptores Novi T. ab Hebræis: ex. gr. Genes. cap. 18, vers. 27, simile exemplum occurrit: ויען אברהם ויאמר *Et respondit Abraham & dixit*. Sic 2 Reg. cap. 1, vers. 12. ויען אליה וידבר אליהם *Et respondit Elias & dixit eis*. Vide caput 33.

XI. *Vigesima quinta* Hebraismorum classis versatur circa verba, quæ par-

participia aut nomina ejusdem originis addita habent: ex. gr. 1. Verbis adduntur talia participia ejusdem originis: ex. gr. in epistola ad Hebræos cap. 6, vers. 14, legitur: εὐλογῶν εὐλογήσω σε, καὶ πληθύνων πληθυνῶ σε *Benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te.*

2. Verbis adduntur etiam nomina ejusdem originis sive significationis, & quidem dativo casu: ut Matth. 13, 14. *Ἀκοῇ ἀκούσετε καὶ μὴ συνῆτε Auditu audietis, & non intelligetis.* Sic Matth. 15, 4. *Qui maledixerit patri aut matri, θανάτῳ τελευτάτω morte moriatur.* Hebræi etiam talia duo verba conjungunt, sed alterum solet esse in infinitivo: ut Gen. 22, 17. כי ברך אברכך והרבה ארבה את זרעך *Nam benedicendo benedicam tibi, & multiplicando multiplicabo semen tuum.* Sic Jes. 6, 9. שמעו שמוע *Audite audiendo.* Et Gen. 2, 17. מות תמות *moriendo morieris.* Vide caput 34.

XII. *Vigesima sexta* Hebraismorum classis continet verba, quibus nomina ejusdem originis casu accusativo addita sunt, quæ adjectiva sibi juncta habent: ex. gr. Marc. 4, 41. *καὶ ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν Et timuerunt timorem magnum.* Sic Matth. 2, 10. *Ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα Gavisi sunt gaudium magnum valde.* Hæc Hebræorum more formata sunt: Ex. gr. Jon. 1, 10. וייראו יראה גדולה *Et timuerunt timorem magnum.* Sic Gen. 27, 33. ויחרד יצחק חרדה גדולה עד מאד *Et tremuit Isaac tremorem magnum admodum.*

Quæritur. An non vulgares Græci similibus utuntur phrasibus, quando scribunt φεύγειν φυγήν, δουλείαν δουλεύειν, χαρὰν χαίρειν, &c.?

Resp. In his & similibus occurrunt quidem verba cum nominibus ejusdem originis, sed illa nomina non habent sibi adjuncta talia adjectiva, qualia in Novo T. inveniuntur. Ubi quæso apud vulgares Græcos χαίρειν χαρὰν μεγάλην, & φοβεῖσθαι φόβον μέγαν denotant *valde gaudere, & valde timere?* Vide plura capite 35.

DISSERTATIO DECIMA SEXTA
DE
Hebraismis Novi Testamenti.
PARS QUINTA ET ULTIMA.

§. 1. *Vigesima septima classis Hebraismorum continet novas verborum cum nominibus constructiones.*
2. *Vigesima octava classis continet phra-*

ses, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ in Novo T. plane aliam habent significationem, quàm vulgo apud antiquos Græcos habere solent.

3. *Vigesima nona classis continet phrases, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ ita pleonasticè ab his non fuerunt usurpatæ, sicuti usurpata sunt à S. scriptoribus, quæque propter pleonasmum inter Hebraismos numerantur.*

4. *Trigesima classis continet tales nominum & verborum constructiones, quæ, cum apud vulgares Græcos planè non reperiantur in N. T. tamen passim occurrant.*

5. *Trigesima prima classis docet nonnullas Novi T. phrases pro Græcorum adverbiis usurpari.*

6. *Ex allatis exemplis Hebraismorum concludimus Novum T. Hebraismis scatere.*

SECTIO I.

Sequitur nunc *vigesima septima* classis Hebraismorum, in Novo T. usitata, continens novas verborum cum nominibus constructiones; scil. ut vel nomina alio quodam casu ponantur, quàm vulgò poni solent; vel ut inter verba & nomina intercedat particula quædam, quæ apud vulgares Græcos non invenitur: ex. gr. 1. Verbum [illegible] in Novo T. construitur cum dativo: ut Joh. 4, 23. *Veri adoratores* [illegible] ADORABUNT PATREM *Spiritu ac veritate*, pro [illegible]. Græci vulgo solent huic verbo addere casum quartum. Sed quia Hebræi casum tertium addunt, ideo scriptores Novi Test. voluerunt Hebræos imitari: ex. gr. Psal. 29, 2, habetur: השתחוו ליהוה *incurvate vos Jehovæ*, h. e. *adorate Jehovam*.

Aliquando idem verbum [illegible] in Novo Test. conjungitur cum [illegible]: ut Luc. 4, 7. [illegible] *si adoraveris coram me*. Hoc itidem fit imitatione Hebræorum: ex. gr. Gen. 23, 12. וישתחו אברהם לפני עם הארץ *Tum incurvavit se Abraham coram populo* [illegible].

2. Verbo [illegible] [illegible] Luc. 15, 18. [illegible], [illegible]. *Peccavi* [illegible] *Deum* [illegible]: pro [illegible]. Græci vulgo [illegible]: sed [illegible] Novi Test. [illegible], more Hebræorum: ut Gen. [illegible] [illegible] [illegible], h. c. [illegible].

3. Verbum [illegible] Hebræo more construitur cum [illegible]. [illegible] [illegible], [illegible], [illegible]

ſtimatur, reputatur: ut Matth. 21, 42. *A Domino factum eſt hoc, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν*, ET EST ADMIRABILE IN OCULIS NOSTRIS: h. e. *ἔστι θαυμαστὴ ἡμῖν eſt admirabile nobis*, h. e. admirabile *δοκεῖ ἡμῖν*. Ergo hîc apparet Hebraiſmus, tum quod *ἐν ὀφθαλμοῖς* in tali ſignificatione (pro *nobis*) additur, tum etiam, quod illa phraſis *εἶναι ἐν ὀφθαλμοῖς* denotet *videtur, exiſtimatur*, &c. Quod ſcriptores Novi T. imitati ſint Hebræos, apparet ex Pſal. 118, verſ. 23. היא נפלאת בעינינו *illud mirabile eſt in oculis noſtris*, h. e. היא נפלאת לנו *illud mirabile eſt nobis*, h. e. mirabile nobis videtur. Et ex 2 Sam. 1, 25. נפלאתה אהבתך לי ADMIRABILIS MIHI FUIT AMOR TUUS *præ amore mulierum:* hoc idem eſt ac ſi haberetur בעיני *in oculis meis*. Hic includitur היה, quod exprimitur 2 Sam. 6, 22. והייתי שפל בעיני *Et ero humilis in oculis meis*.

4. Græci vulgo dicunt *ἀκολουθεῖν τινι ſequi aliquem*, ſed ſcriptores Novi T. interponunt *ὀπίσω* vel *μετὰ* inter verbum & nomen: ex. gr. Matth. 10, 38. *Et qui non accipit crucem ſuam καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου* AC SEQUITUR POST ME. Sic Apoc. 14, 13. *τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν, Sed opera illorum ſequuntur illos.* Etiam Hebræi particulâ אחרי utuntur: ut Gen. 35, 5. ולא רדפו אחרי בני יעקב *Et non perſequuti ſunt poſt filios Jacobi.* Sic 2 Sam. 20, 10. *& Joab cum Abiſai fratre ſuo* רדף אחרי שבע PERSEQUUTUS EST SCHEBAHUM.

5. Græci vulgo ſcribunt *ποιεῖν τί τινι*, vel *τί τινα facere aliquid alicui*, caſu tertio vel quarto: ſed ſcriptores ſacri Novi Teſt. dicunt *μετά τινος cum aliquo*, h. e. alicui; ut Luc. 1, 72. *ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, Facere miſericordiam cum patribus noſtris*, pro *τοῖς πατράσιν patribus*, vel *τοὺς πατέρας ἡμῶν*. Hoc faciunt ſacri ſcriptores imitatione Hebræorum; ut Gen. 24, 14. ובה ארע כי עשית חסד עם אדני *Et in hac experiar quod facturus ſis miſericordiam cum domino meo*, h. e. domino meo.

6. Pro *Διδάσκειν τινὰ, docere aliquem*, dicunt ſcriptores Novi Teſt. *διδάσκειν ἔν τινι*: ut Apoc. 2, 14. *Βαλαὰμ ἐδίδασκεν ἐν τῷ Βαλάκ: Balaam docebat in Balako*, pro *τὸν Βαλὰκ Balakum*. Hoc fit more Hebræorum: ut 2 Paral. 17, 9. וילמדו בעם *Et docuerunt in populo*, pro *populum*.

7. Pro *ἐξελέξατο ἡμᾶς* dicit Lucas Actor. cap. 15, verſ. 7. *ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο Deus nos elegit*, interpoſita præpoſitione *ἐν*. Sic Hebræi interponunt literam ב, ut Nehem. 9, 7. אשר בחרת באברם *qui elegiſti Abrahamum.* Huc refer etiam *ὁμολογεῖν ἐν ἐμοὶ* & *ἐν αὐτῷ* pro quo Græci vulgo dicerent *ἐμὲ* & *αὐτόν*.

8. Pro [illegible] dicunt scriptores sacri [illegible], vel [illegible] ut Matth. 5, [illegible] [illegible] patris [illegible], neque per [illegible], neque per [illegible]. Ita loquuntur etiam Hebraei; ut 1 Reg. 2, 42. [illegible] [illegible].

9. Pro [illegible] ut Rom. 12, 21. [illegible] Sic Matth. 13, 57. [illegible] Hoc [illegible] more Hebraeorum; ut Job. 46, [illegible] כבד [illegible] [illegible].

10. Pro [illegible], dicunt Scriptores Novi Test. vel [illegible] ut Marc. 1, 15. [illegible] vel [illegible] ut Joh. 2, [illegible] [illegible]: vel ἐπ' [illegible], ut Luc. 24, 25. [illegible], Credere [illegible] vel denique ἐπ' [illegible], ut Act. 9, 42. [illegible]. Hic scriptores Novi T. iterum imitantur Hebraeos; ut Psal. 78, 22. כי לא האמינו באלהים Nam non crediderant in Deum, Et Exod. 4, 8. והאמינו לקל Et crediderunt voci.

11. Pro [illegible] dicunt scriptores Novi Test. [illegible], ut 2 Cor. 1, 10. vel ἐν [illegible], ut Matth. 12, 21. vel ἐπ' [illegible], ut Rom. 15, 12. Similiter pro [illegible] scribunt iidem scriptores εἰς [illegible], Gal. 5, 10. vel ἐν [illegible] Phil. 3, 3. 4. Haec itidem facta sunt more Hebraeorum; ut Psal. 21, 7. בוטח ביהוה Confidens Jehova. Et Zeph. 3, 12. וחסו בשם יהוה & se recipient ad nomen Jehova.

12. Pro [illegible] esse aliquid, dicunt scriptores Novi T. [illegible] εἰς [illegible], ut Matth. 19, 5. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν Et erunt illi duo in carnem unam, pro quo vulgares Graeci dicerent καὶ ἔσονται οἱ δύο σὰρξ μία & erunt illi duo caro una. Ita loquuntur etiam Hebraei; ut Gen. 2, 24. והיו לבשר אחד Et erunt in carnem unam, h. e. caro una. Huc referri potest γίνεσθαι εἰς [illegible] quando significat fieri, quod etiam Hebraismis annumerari potest; ut 1 Pet. 2, 7. οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας Ille factus est in caput anguli, h. e. factus est caput anguli. Hoc etiam fit Hebraeorum more; ut Psal. 118, 22. *Lapis quem reprobarunt aedificantes* היתה לראש פנה FACTUS EST IN CAPUT ANGULI. Vide de his plura in Philologia sacra Vorstii cap. 36.

II. *Vigesima octava* Hebraismorum classis continet phrases, usitatas quidem Graecis vulgaribus, sed quae in Novo Test. plane aliam habent significationem, quàm vulgo apud antiquos Graecos habere solent: ex. [illegible]

gr. Phrasis αἷμα ἐκχέειν *sanguinem effundere*, usurpatur quidem à Græcis pro *effundere sanguinem ex vase aliquo*; sed in Novo T. sumitur pro *occidere*: ut Apoc. 16, 16. Αἷμα ἁγίων καὶ προφητῶν ἐξέχεαν *Sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt*, h. e. sanctos & prophetas occiderunt. Tali sensu illa phrasis etiam sumitur apud Hebræos; ut Gen. 9, 6. שופך דם האדם באדם דמו ישפך *Effundens sanguinem hominis sanguis ejus ab homine effundetur*: h. e. qui occidit hominem, is vicissim occidetur.

2. Phrases ἀκούειν φωνὴν τινὸς apud Græcos denotat *audire vocem alicujus*; sed in Novo T. significat etiam *obtemperare*, *obedire*; ut Joh. 18, 37. *Omnis qui ex veritate est*, ἀκούει μου τῆς φωνῆς AUDIT VOCEM MEAM, h. e. obtemperat mihi. Hoc fit more Hebræorum; ut Gen. 3, 17. שמעת לקול אשתך *audivisti vocem uxoris tuæ*, h. e. obtemperasti uxori tuæ. *Dices*, ἀκούειν ipsis Græcis quoque idem est quod obtemperare. *Resp*. Verum est, sed non ἀκούειν φωνὴν τινὸς.

3. Phrasis τὸν ἄρτον κλάσαι vulgaribus Græcis significat *panem frangere*, *panem in particulas comminuere*; sed in Novo T. præter talem fractionem, etiam denotat ipsam panis comestionem, & quidem sacram, atque præter hanc etiam panis distributionem inter edentes: ut Act. 2, 42. Ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου *Erant perseverantes in fractione panis*, h. e. in panis comestione sacra. Et Marc. 8, 19. Ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους *Quum quinque panes in quinque millia fregissem*, h. e. panes distribuissem inter quinque millia. Iterum hoc fit more Hebræorum; ut Jes. 58, 7. הלוא פרס לרעב לחמך *Annon frangere esurienti panem tuum*, scil. eligam? *Frangere panem esurienti* est panem dare esurienti.

4. Voces ἄρτον ἐσθίειν, φαγεῖν aut τρώγειν apud vulgares Græcos significat *panem comedere*, sed in N. T. denotant etiam totum prandium aut cœnam; ut Matth. 15, 2. *Non enim lavant manus*, ὅταν ἄρτον ἐσθίωσι CUM PANEM COMEDUNT, h. e. cum prandent aut cœnant. Sic etiam Marc. 3, 20. ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν, *ut ne quidem panem edere possent*. Et Joh. 13, 18. Ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον *Qui edit mecum panem*. Scriptores sacri imitati sunt Hebræos: illi enim per אכל לחם *edere panem* integrum convivium intelligunt: ut Gen. 43, 24. *Audiverunt*, כי שם יאכלו לחם QUOD IBI COMESTURI ESSENT PANEM. Et 1 Sam. 20, 23. *Sedit Rex* על הלחם לאכל AD PANEM EDENDUM, h. e. ad prandendum aut cœnandum.

5. Phrasis

5. Phrasis Ἀνοίγειν τοὺς ὀφθαλμοὺς τινος Græcis denotat idem quod *oculos alicujus aperire*, *cilia cujusdam diducere*, ut videre possit; sed in Novo T. denotat duo. 1. *Facultatem videndi alicui dare*; ut Joh. 9, 14. *Jesus fecit lutum*, καὶ ἀνέῳξε αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ET OCULOS EJUS APERUIT, h. e. ex cœco fecit videntem: sic Jes. 35, 8. אז תפקחנה עיני עורים *tunc aperientur oculi cæcorum*. 2. Denotat *Alicujus animum illustrare*, ut credat, vel velit, quæ antea non crediderit, vel voluerit; ut Actor. 26, 18. Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν *Ut aperias oculos eorum*, h. e. ut convertas eos. Hæc expositio etiam immediatè sequitur: *ut convertantur à tenebris ad lucem*. Sic Genes. 3, 5. *Scit Deus*, *quod quo die comesturi estis de ea*, ונפקחו עיניכם FUTURUM SIT UT APERIANTUR OCULI VESTRI. Hæc referuntur ad animum & intellectum.

6. Similiter διανοίγειν τὰς ἀκοάς τινος in Novo T. significat *facultatem audiendi alicui reddere*, ut Marc. 7, 35. καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαὶ, *& statim aperta sunt ejus aures*. Hoc fit imitatione Hebræorum; ut Jes. 35, 5. ואזני חרשים תפתחנה *& aures surdorum aperientur*, h. e. surdi aurium usum recipient.

7. Denique phrasis Ἀνοίγειν στόμα τινὸς vel αὐτοῦ alium habet sensum in Novo T. quàm apud profanos auctores. In Novo T. significat *facultatem loquendi alicui reddere*: ex. gr. De Zacharia, qui fuerat mutus, ait Lucas cap. 1, vers. 64. Ἀνεῴχθη στόμα αὐτοῦ παραχρῆμα *apertum est os ejus statim*. Hoc fit more Hebræorum; ut Num. 22, 28. ויפתח יהוה את פי האתון *Et aperuit Jehova os asinæ*. Sed ἀνοίγειν στόμα αὐτοῦ *aperire os suum* denotat *loqui*; ut Matth. 13, 35. Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου *aperiam per parabolas os meum*. Hoc itidem fit more Hebræorum; ut Psal. 78, 2. אפתחה במשל פי *aperiam per parabolas os meum*, h. e. loquar per parabolas. Vide cap. 37.

III. *Vigesima nona* Hebraismorum classis continet phrases, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ ita pleonasticè ab his non fuerunt usurpatæ, sicuti usurpatæ sunt à sacris scriptoribus, quæque propter pleonasmum inter Hebraismos numerantur. Scriptores Novi T. volentes narrare quod aliquis aliquid viderit, adjiciunt, illum *oculos sustulisse*, quod vulgares Græci non faciunt: ex. gr. Joh. 6, 5. Ἐπάρας ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος, *Sustulit Jesus oculos & vidit* Hoc fit imitatione Hebræorum; ut Gen. 22, 4. וישא אברהם את עיניו וירא *Et sustulit Abraham oculos suos & vidit*.

2. Scri-

2. Scriptores Novi T. volentes narrare quempiam quippiam dixisse, præmittunt verbis εἰπεῖν, λέγειν, ἀποφθέγγεσθαι hanc phrasin ἐπαίρειν τὴν φωνὴν *tollere vocem*: ut Act. 4, 25. Ἦραν φωνὴν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ εἶπον, *Sustulerunt vocem ad Deum & dixerunt.* Sic faciunt etiam Hebræi; ut Judic. 9, 7. Jotham וישא קולו ויקרא ויאמר *sustulit vocem suam, & clamavit, & dixit.*

3. Similiter sacri scriptores, volentes dicere quod aliquis loquutus fuerit, vel aliquem docuerit, præmittunt, talem *aperuisse os suum*; ut Act. 10, 34. Ἀνοίξας Πέτρος τὸ στόμα εἶπε *Aperiens Petrus os dixit.* Sic Matth. 5, 2. Ἀνοίξας τὸ στόμα ἐδίδασκεν αὐτούς. *Aperiens os docuit illos.* Hoc etiam fit imitatione Hebræorum; ut Dan. 10, 16. ואפתח פי ואדברה *Et aperui os meum & locutus sum.*

4. Iidem scriptores, narraturi quod aliquis quippiam peregerit manu sua, præmittunt talem *extendisse manum suam*; ut Matth. 8, 3. Ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἥψατο αὐτοῦ *Extendens manum tetigit eum.* Scriptores N. T. imitantur Hebræos, qui eandem phrasin præmittere solent; ut Gen. 8, 9. וישלח ידו ויקחה *Et misit manum suam & accepit eam* (columbam.) Vide caput 38.

IV. *Trigesima* Hebraismorum classis continet tales nominum & verborum constructiones, quæ, cum apud vulgares Græcos planè non reperiantur, in Novo Test. tamen passim occurrunt: ex. gr. Ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον *venire in mundum* significat in Novo T. γεννᾶσθαι *generari, nasci*: ex. gr. Joh. 11, 27. *Ego credo, quod tu sis Christus Filius Dei*, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος QUI IN MUNDUM VENTURUS, h. e. qui nasciturus, EST. In Veteri T. non quidem dicuntur illi, qui nascuntur *venire in mundum*, sed crebra ejus phrasis fit mentio apud Rabbinos, qui omnes homines vocant כל באי עולם *Omnes venientes in mundum*, h. e. omnes nascentes. *Vide plura loca apud Drusium in Præteritis lib. 4, ab initio.*

2. Apud vulgares Græcos non invenitur phrasis illa Ἐξέρχεσθαι ἐξ ὀσφύος τινὸς *exire ex lumbis alicujus*, quæ denotat in Novo T. idem quod γεννᾶσθαι ἀπό τινος *generari ab aliquo*; ut Hebr. 7, 5. Καίπερ ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος Ἀβραάμ *egressi licèt ex lumbis Abrahami*, h. e. nati Abrahamo. Hebræi quatuor modis τὸ *generari* explicant: a. Gen. 35, 11. Reges מחלציך יצאו *ex lumbis tuis exibunt*, h. e. à te generabuntur. b. Gen. 46, 26. יוצאי ירכו *egredientes ex femore ejus.* c. Gen. 15, 4. אשר יצא ממעיך *qui exibit ex visceribus tuis.* d. Gen. 17, 6. מלכים ממך יצאו *reges ex te exibunt.* Apud vulgares Græcos *exire* ἐκ τῆς

κοιλίας vel ἐκ τ̃ γαστρὸς denotat quidem originem alicujus à matre, sed non significat originem à patre, uti phrasis Græca Novi T.

3. Græcis phrases sequentes sunt inusitatæ: a. ὄψεσθαι ζωὴν *videre vitam*, pro ζῆν *vivere*; ut Joh. 3, 36. ὁ ἢ ἀπειθῶν υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωὴν *Qui autem non credit filio, non videbit vitam.*

b. θάνατον θεωρεῖν vel ἰδεῖν *mortem videre*, pro mori; ut Joh. 8, 51. θάνατον ὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τ̃ αἰῶνα *mortem non videbit in æternum*, h. e. nunquam morietur. Sic Hebr. 11, 5. *Per fidem Enoch fuit translatus* τ̃ μὴ ἰδεῖν θάνατον UT MORTEM NON VIDERET.

c. θανάτυ γεύεσθαι *mortem gustare* etiam *mori* significat; ut Matth. 16, 28. οἵτινες ὐ μὴ γεύσονται θανάτυ *qui non gustabunt mortem.*

In his scriptores sacri imitati sunt Hebræos; ut Psal. 89, 48. *Quis est homo qui vivat* ולא יראה מות ET NON VISURUS SIT MORTEM. Phrasis *gustare mortem* non legitur in Veteri T. sed in Rabbinis occurrit. Buxtorfius in Lex. Talm. Rad. טעם profert exemplum; *Dignus fuerat homo primus*, שלא יטעם טעם מיתה UT NON GUSTARET MORTEM.

4. Phrasis ζητεῖν ψυχήν τινος *quærere animam alicujus*, ignota est Græcis, sed in Novo T. significat *insidiose moliri aliquem occidere*; ut Matth. 2, 20. *Mortui sunt* οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τῦ παιδίυ QUÆRENTES ANIMAM (h. e. vitam) PUERI. Sic Rom. 11, 3. *Ego solus relictus sum*, καὶ ζητοῦσι ψυχήν μυ ET QUÆRUNT ANIMAM MEAM. Scriptores Novi T. imitati sunt Hebræos, qui per *quærere animam* idem denotant; ut 1 Sam. 23, 17. *Saul exiit* לבקש את נפשו AD QUÆRENDAM ANIMAM EJUS, h. e. ad occidendum Davidem: nam subintelligitur לקחתה *ad capiendum eam*, quæ vox additur 1 Reg. 19, 10, vel לספותה *ad perdendum eam*, Psalm. 40, 15. In Veteri T. qui aliquem occidit, dicitur *percutere ipsius animam*; ut Genes. 37, 22, vel *occidere ipsius animam*; ut Deuter. 22, 26.

5. Phrasis, στηρίζειν πρόσωπον αὐτῦ *obfirmare faciem suam*, Græcis est ignota, sed sacri scriptores eâ utuntur; ut Luc. 9, 51. καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον αὐτῦ ἐστήριξε τ̃ πορεύεσθαι εἰς Ἱερυσαλήμ. *Et ipse faciem suam obfirmavit ad proficiscendum Hierosolymam*, h. e. decrevit. Hoc fit imitatione Hebræorum; ut 2 Reg. 12, 18. וישם חזאל פניו לעלות על ירושלם *Et posuit Hazaël faciem suam ad ascendendum contra Hierosolymam.* Vide caput 39.

V. Tri-

V. *Trigesima prima* & ultima Hebraismorum classis continet quasdam phrases, quæ pro Græcorum adverbiis usurpantur: ex. gr. *οὐκ εἰς τὸν αἰῶνα non in æternum* usurpatur in Novo T. pro *οὐδέποτε nunquam*; ut Joh. 13, 8. *οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα Non lavabis pedes meos in æternum*, h. e. *οὐδέποτε νίψῃς nunquam lavabis*. Sacri scriptores in hoc imitantur Hebræos; ut Prov. 10, 30. *Justus* לעולם IN ÆTERNUM *non movetur*, h. e. nunquam movetur. Græci vulgo quidem utuntur phrasi *δι' αἰῶνος*, vel *εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον*, aut *εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον*, sed non pro adverbio *οὐδέποτε nunquam*.

2. Pro eâdem voce *οὐδέποτε* vel *οὐδεπώποτε* usurpatâ de tempore præterito, scribitur in Novo T. *Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐ Ab æterno non*; ut Joh. 9. 32. *Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη* AB ÆTERNO NON AUDITUM EST; *quod aliquis aperuisset oculos alicujus qui cæcus natus esset*. Eodem modo loquuntur Hebræi; ut Jes. 64, 4. מעולם לא שמעו *Ab æterno non audiverunt*, h. e. nunquam audiverunt.

3. Pro eâdem voce utuntur aliâ phrasi, scil. *neque in hoc mundo, neque in futuro*; ut Matth. 12, 32. *Qui locutus fuerit contra Spiritum Sanctum, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, non remittetur ei neque in hoc mundo, neque in futuro*, h. e. nunquam remittetur. Similis phrasis usitata passim est apud Rabbinos. In libro חסידים *num.* 234 Ægrotus aliquis אמר לבנו תן לי מים ואותו מאכל פלוני ואם לאו לא אמחול לך לא בעולם הזה ולא בעולם הבא *dixit filio suo, da mihi aquam, & cibum illum certum* (interdictum) *Sin minus, non condonabo tibi neque in hoc neque in futuro seculo*, h. e. nunquam. Vide Hackspan in *Nizachon*, pag. 432.

4. Scriptores Novi Test. pro *ᾗ, qua, quatenus, quia*, utuntur vocibus *εἰς ὄνομα in nomen*; ut Matth. 10, 41. *Ὁ δεχόμενος προφήτην εἰς ὄνομα προφήτου μισθὸν προφήτου λήψεται Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*, h. e. *ᾗ προφήτην quà prophetam*. Hoc fit imitatione Hebræorum. In Pirke Abhoth cap. 6, sect. 1, ait Ribbi Meir: כל העוסק בתורה לשמה זוכה לדברים הרבה *Quicunque occupatur in lege nomine ejus* (h. e. quia lex est) *dignus est multis rebus*.

5. Pro *λίαν, σφόδρα valde*, dicunt scriptores Novi T. *ἕως θανάτου usque ad mortem*; ut Matth. 26, 38. *περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου tristis est anima mea usque ad mortem*, h. e. valde tristis est. Ita etiam lo-

loquuntur Hebræi; ut Jon. 4, 9. היטב חרה לי עד מות *Merito tristis sum usque ad mortem.*

6. Etiam phrases πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, & στόμα πρὸς στόμα pro adverbio *coram* sumuntur; ut 1 Cor. 13, 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate:* τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον *tunc autem facie ad faciem* visuri sumus. Sic 2 Joh. vers. 14. *Spero autem protinus me visurum te* καὶ στόμα πρὸς στόμα λαλήσομεν *& ore ad os loquemur*, h.e. & præsentes coram loquemur. Hoc itidem fit more Hebræorum; ut Exod. 33, 2. *Et loquutus est Jehova ad Mosen* פנים אל פנים FACIE AD FACIEM. Sic Num. 12, 8. *Non sic servus meus Moses, qui in tota domo mea fidelis est;* פה אל פה *ore ad os alloquor ipsum.* Vide caput 40.

VI. Ex his suprà allatis classibus Hebraismorum luce meridianâ clarius apparet, & Novum Test. multis Hebraismis scatere, & Sebastianum Pfochenium in Diatribe sua *de lingua Græca Novi T. puritate* frustra tentasse larvam Hebraismis illis detrahere.

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA,

DE

Quatuor Euangeliis & Euangelicis in genere, & de Matthæo in specie.

§. 1. *Specialior explicatio librorum sequitur.*

2. *Euangelium non est vox Hebraica sed Græcæ originis. Denotat vel lætum nuncium, vel præmium læti nuncii. Judæi indignis nominibus appellant Christianos.*

3. *Pictores juxta Matthæum pingunt virum, juxta Marcum leonem, &c.*

4. *Matthæus assimilatur homini, Marcus leoni, Lucas bovi, & Johannes aquilæ.*

5. *Patres, hanc comparationem instituentes, respexerunt præcipuè ad initia Euangeliorum. Pictores non habent sufficientes causas ita pingendi 4 Euangelistas, aut Mosen cornutum.*

6. *De Matthæo sex examinanda sunt.*

7. *Matthæi nomen & nativitas.*

8. *Ejusdem vita ante & post conversionem.*

9. *Ubi prædicaverit, quid fecerit, & quomodo mortuus fuerit narratur.*

10. *Scripsit Euangelium quod vocatur τὸ Ματθαῖον. Ratio additur quare sic appelletur.*

11. *Matthæum Euangelium suum Hebraice scripsisse non potest probari auctoritatibus Patrum, nec ex subscriptionibus Euangelio Syriaco & Arabico Matthæi subscriptis, nec ex antiquis & recentioribus Euangeliis Hebraicis.*

12. *Non videtur verosimile Matthæum*

simul Hebraicè & Graecè primitus scripsisse, uti Calvinus Institutiones suas Latinè & Gallicè conscripsit.

13. *Probatur Matthaeum tantum Graecè Euangelium suum exarasse.*

SECTIO I.

Hactenus generalia quaedam, quae totum Novum T. omnesque ejus libros in genere concernunt, consideravimus: jam porro nos ordo monet, ut quaedam specialiora circa idem Testamentum consideremus. Propterea statuimus singulos libros jam post invicem recensere, atque Philologicas quasdam observationes de specialibus libris annotare & explicare.

I. *De quatuor Euangeliis & Euangelistis in genere.*

II. In enumeratione librorum Novi T. primo loco occurrunt quatuor Euangelia, à quibus etiam initium sumemus. De his Euangeliis *quaeritur:* Cujus originis est vox Euangelii? Et, quid proprie denotat?

Respondeo. 1. Euangelium non est vox origine Hebraica, idem denotans quod און גליון *vanitatis revelatio*, vel עון גליון *iniquitatis revelatio*, uti Judaei in Talm. Babyl. Tract. Sabbath. p. 116. a, statuunt; ubi sic ajunt: ספרי המינים רבי מאיר קרי לידה און גיליון רבי יוחנן קרי לידה עון גיליון *Libros haereticorum* (quod attinet,) *Rabbi Meir eos vocat vanitatis revelationem, Rabbi Jochanan eos vocat iniquitatis revelationem.* Quare, quaeso, Judaei Euangelium vocant *vanitatis* vel *iniquitatis revelationem? Resp.* דרך גנאי ר״ל עונות המשיחיים נגלו באותו ספר h. e. *per modum contemptus; volunt dicere, iniquitates* (vel vanitates) *Christianorum sunt revelatae in illo libro.* Si Judaei absque contumelia simpliciter dicerent; *iniquitates Christianorum revelantur in illis libris*; & si eas voces sano sensu sumerent & explicarent, prout quidem explicari possunt, tum possent admitti, & nobis non daretur occasio aegrè ferendi. Nam in Novo T. deteguntur iniquitates & vanitates, ut eas vitemus, non verò ut eas imitemur. Sed novimus Judaeorum animum erga Christianos, quos multis indignis nominibus nominare solent: vocant enim eos 1. אפיקורסין *Epicuraeos.* 2. כופרים *Negantes, atheos.* 3. כותיים *Cuthaeos.* 4. אחרים *alios,* h. e. res abominandas. 5. בשר ודם *carnem & sanguinem.* 6. ערלאין *praepu-*

ses, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ in Novo T. plane aliam habent significationem, quàm vulgo apud antiquos Græcos habere solent.

3. *Vigesima nona classis continet phrases, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ ita pleonasticè ab his non fuerunt usurpatæ, sicuti usurpata sunt à S. scriptoribus, quæque propter pleonasmum inter Hebraismos numerantur.*

4. *Trigesima classis continet tales nominum & verborum constructiones, quæ, cum apud vulgares Græcos planè non reperiantur in N. T. tamen passim occurrunt.*

5. *Trigesima prima classis docet nonnullas Novi T. phrases pro Græcorum adverbiis usurpari.*

6. *Ex allatis exemplis Hebraismorum concludimus Novum T. Hebraismis scatere.*

SECTIO I.

Sequitur nunc *vigesima septima* classis Hebraismorum, in Novo T. usitata, continens novas verborum cum nominibus constructiones; scil. ut vel nomina alio quodam casu ponantur, quàm vulgò poni solent; vel ut inter verba & nomina intercedat particula quædam, quæ apud vulgares Græcos non invenitur: ex. gr. 1. Verbum προσκυνεῖν in Novo T. construitur cum dativo: ut Joh. 4, 23. *Veri adoratores* προσκυνήσουσι τῷ πατρὶ ADORABUNT PATREM *Spiritu ac veritate*, pro τὸν πατέρα. Græci vulgo solent huic verbo addere casum quartum. Sed quia Hebræi casum tertium addunt, ideo scriptores Novi Test. voluerunt Hebræos imitari: ex. gr. Psal. 29, 2, habetur: השתחוו ליהוה *incurvate vos Iehova*, h. e. adorate Jehovam.

Aliquando idem verbum προσκυνεῖν in Novo Test. conjungitur cum ἐνώπιον: ut Luc. 4, 7. ἐὰν προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου *Si adoraveris coram me.* Hoc itidem fit imitatione Hebræorum: ex. gr. Gen. 23, 12. וישתחו אברהם לפני עם הארץ *Tunc incurvavit se Abraham coram populo regionis illius.*

2. Verbo Ἁμαρτάνειν etiam additur ἐνώπιον: ut Luc. 15, 18. Ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐνώπιόν σου, *Peccavi in cœlum* (Deum) *& coram te*: pro εἰς σε. Græci vulgo dicunt Ἁμαρτάνειν εἴς τινα, sive εἰς τὸν οὐρανόν: sed scriptores Novi Test: scribunt ἐνώπιόν σου, more Hebræorum; ut Gen. 23, 12, & 45, 5. אל יחר בעיניכם *Ne exardescat in oculis vestris*, h. e. coram te.

3. Verbum ἐστι etiam Hebræo more construitur cum ὀφθαλμοῖς, & tum significat idem quod δοκεῖ, νομίζεται, ὑπολαμβάνεται, *videtur, existima-*

ſtimatur, reputatur: ut Matth. 21, 42. *A Domino factum eſt hoc*, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ET EST ADMIRABILE IN OCULIS NOSTRIS: h. e. ἔστι θαυμαστὴ ἡμῖν *eſt admirabile nobis*, h. e. admirabile δοκεῖ ἡμῖν. Ergo hîc apparet Hebraiſmus, tum quod ἐν ὀφθαλμοῖς in tali ſignificatione (pro *nobis*) additur, tum etiam, quod illa phraſis εἶναι ἐν ὀφθαλμοῖς denotet *videtur*, *exiſtimatur*, &c. Quod ſcriptores Novi T. imitati ſint Hebræos, apparet ex Pſal. 118, verſ. 23. היא נפלאת בעינינו *illud mirabile eſt in oculis noſtris*, h. e. היא נפלאת לנו *illud mirabile eſt nobis*, h. e. mirabile nobis videtur. Et ex 2 Sam. 1, 25. נפלאתה אהבתך לי ADMIRABILIS MIHI FUIT AMOR TUUS *præ amore mulierum*: hoc idem eſt ac ſi haberetur בעיני *in oculis meis*. Hic includitur היה, quod exprimitur 2 Sam. 6, 22. והייתי שפל בעיני *Et ero humilis in oculis meis*.

4. Græci vulgo dicunt ἀκολουθεῖν τινὶ *ſequi aliquem*, ſed ſcriptores Novi T. interponunt ὀπίσω vel μετὰ inter verbum & nomen: ex. gr. Matth. 10, 38. *Et qui non accipit crucem ſuam* καὶ ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου AC SEQUITUR POST ME. Sic Apoc. 14, 13. τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν ἀκολουθεῖ μετ' αὐτῶν, *Sed opera illorum ſequuntur illos*. Etiam Hebræi particulâ אחרי utuntur: ut Gen. 35, 5. ולא רדפו אחרי בני יעקב *Et non perſequuti ſunt poſt filios Jacobi*. Sic 2 Sam. 20, 10. *& Joab cum Abiſai fratre ſuo* רדף אחרי שבע PERSEQUUTUS EST SCHEBAHUM.

5. Græci vulgo ſcribunt ποιεῖν τί τινι, vel τί τινα *facere aliquid alicui*, caſu tertio vel quarto: ſed ſcriptores ſacri Novi Teſt. dicunt μετά τινος *cum aliquo*, h. e. alicui; ut Luc. 1, 72. ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, *Facere miſericordiam cum patribus noſtris*, pro τοῖς πατράσιν *patribus*, vel τοὺς πατέρας ἡμῶν. Hoc faciunt ſacri ſcriptores imitatione Hebræorum: ut Gen. 24, 14. ובה אדע כי עשית חסד עם אדני *Et in hac experiar quod facturus ſis miſericordiam cum domino meo*, h. e. domino meo.

6. Pro Διδάσκειν τινὰ, *docere aliquem*, dicunt ſcriptores Novi Teſt. διδάσκειν ἔν τινι: ut Apoc. 2, 14. Βαλαὰμ ἐδίδασκεν ἐν τῷ Βαλάκ: *Balaam docebat in Balako*, pro τὸν Βαλάκ *Balakum*. Hoc fit more Hebræorum: ut 2 Paral. 17, 9. וילמדו בעם *Et docuerunt in populo*, pro *populum*.

7. Pro ἐξελέξατο ἡμᾶς dicit Lucas Actor. cap. 15, verſ. 7. ὁ Θεὸς ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο *Deus nos elegit*, interpoſita præpoſitione ἐν. Sic Hebræi interponunt literam ב, ut Nehem. 9, 7. אשר בחרת באברם *qui elegiſti Abrahamum*. Huc refer etiam ὁμολογεῖν ἐν ἐμοὶ & ἐν αὐτῷ pro quo Græci vulgo dicerent ἐμὲ & αὐτόν.

8. Pro ὀμνύειν τινὰ *jurare per aliquem* dicunt scriptores sacri ὀμνύειν ἔν τινι, vel εἰς τινα: ut Matth. 5, 34, 35. μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ *Ne juretis omnino, neque per cælum*, μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα *neque per Hierosolymam*. Ita loquuntur etiam Hebræi: ut 1 Reg. 2, 42. הלא השבעתיך ביהוה *Annon adjuravi te per Jehovam?*

9. Pro προσκόπτειν τινὶ aut πρός τι, vel pro σκανδαλίζεσθαί τινι utuntur sacri scriptores voculâ ἐν; ut Rom. 14, 21. ἐν ᾧ ὁ ἀδελφός σου προσκόπτει *In quo frater tuus impingit*. Sic Matth. 13, 57. καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ *Et offendebantur in eo*. Hoc fit more Hebræorum; ut Jerem. 46, 12. גבור בגבור כשלו *potentes in potentes impingunt*.

10. Pro πιστεύειν αὐτῷ *credere ipsi*, dicunt Scriptores Novi Test. vel πιστεύειν ἐν αὐτῷ; ut Marc. 1, 15. πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ: vel εἰς αὐτόν: ut Joh. 2, 2. ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν: vel ἐπ' αὐτῷ, ut Luc. 24, 25. πιστεύειν ἐπὶ πᾶσιν, *Credere omnibus*: vel denique ἐπ' αὐτόν, ut Act. 9, 42. πολλοὶ ἐπίστευσαν ἐπὶ τὸν κύριον. Hîc scriptores Novi T. iterum imitantur Hebræos; ut Psal. 78, 22. כי לא האמינו באלהים *Nam non crediderant in Deum*, Et Exod. 4, 8. והאמינו לקול *Et crediderunt voti*.

11. Pro ἐλπίζειν αὐτῷ dicunt scriptores Novi Test. ἐλπίζειν εἰς αὐτόν, ut 2 Cor. 1, 10. vel ἐν αὐτῷ, ut Matth. 12, 21. vel ἐπ' αὐτῷ, ut Rom. 15, 12. Similiter pro πεποιθέναι αὐτῷ scribunt iidem scriptores εἰς αὐτόν, Gal. 5, 10. vel ἐν αὐτῷ Phil. 3, 3. 4. Hæc itidem facta sunt more Hebræorum; ut Psal. 21, 7. בוטח ביהוה *Confidens Jehovæ*. Et Zeph. 3, 12. וחסו בשם יהוה *& se recipient ad nomen Jehovæ*.

12. Pro εἶναί τι *esse aliquid*, dicunt scriptores Novi T. εἶναι εἰς τι, ut Matth. 19, 5. καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν *Et erunt illi duo in carnem unam*, pro quo vulgares Græci dicerent καὶ ἔσονται οἱ δύο σὰρξ μία *& erunt illi duo caro una*. Ita loquuntur etiam Hebræi; ut Gen. 2, 24. והיו לבשר אחד *Et erunt in carnem unam*, h. e. caro una. Huc referri potest γίνεσθαι εἰς τι quando significat *fieri*, quod etiam Hebraismis annumerari potest; ut 1 Pet. 2, 7. οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας *Ille factus est in caput anguli*, h. e. factus est caput anguli. Hoc etiam fit Hebræorum more; ut Psal. 118, 22. *Lapis quem reprobarunt ædificantes* היתה לראש פנה FACTUS EST IN CAPUT ANGULI. Vide de his plura in Philologia sacra Vorstii cap. 36.

II. *Vigesima octava* Hebraismorum classis continet phrases, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ in Novo Test. plane aliam habent significationem, quàm vulgo apud antiquos Græcos habere solent: ex.

gr.

gr. Phrasis *αἷμα ἐκχέειν sanguinem effundere*, usurpatur quidem à Græcis pro *effundere sanguinem ex vase aliquo*; sed in Novo T. sumitur pro *occidere*: ut Apoc. 16, 16. *Αἷμα ἁγίων καὶ προφητῶν ἐξέχεαν Sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt*, h. e. sanctos & prophetas occiderunt. Tali sensu illa phrasis etiam sumitur apud Hebræos; ut Gen. 9, 6. שופך דם האדם דמו ישפך *Effundens sanguinem hominis sanguis ejus ab homine effundetur*: h. e. qui occidit hominem, is vicissim occidetur.

2. Phrases *ἀκούειν φωνὴν τινός* apud Græcos denotat *audire vocem alicujus*; sed in Novo T. significat etiam *obtemperare*, *obedire*; ut Joh. 18, 37. *Omnis qui ex veritate est*, *ἀκούει μου τῆς φωνῆς* AUDIT VOCEM MEAM, h. e. obtemperat mihi. Hoc fit more Hebræorum; ut Gen. 3, 17. שמעת לקול אשתך *audivisti vocem uxoris tuæ*, h. e. obtemperasti uxori tuæ. *Dices*, *ἀκούειν* ipsis Græcis quoque idem est quod obtemperare. *Resp.* Verum est, sed non *ἀκούειν φωνὴν τινός*.

3. Phrasis *τὸν ἄρτον κλάσαι* vulgaribus Græcis significat *panem frangere*, *panem in particulas comminuere*; sed in Novo T. præter talem fractionem, etiam denotat ipsam panis comestionem, & quidem sacram, atque præter hanc etiam panis distributionem inter edentes: ut Act. 2, 42. *Ἦσαν προσκαρτεροῦντες τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου Erant perseverantes in fractione panis*, h. e. in panis comestione sacra. Et Marc. 8, 19. *Ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους Quum quinque panes in quinque millia fregissem*, h. e. panes distribuissem inter quinque millia. Iterum hoc fit more Hebræorum; ut Jes. 58, 7. הלוא פרס לרעב לחמך *Annon frangere esurienti panem tuum*, scil. eligam? *Frangere panem esurienti* est panem dare esurienti.

4. Voces *ἄρτον ἐσθίειν*, *φαγεῖν* aut *τρώγειν* apud vulgares Græcos significat *panem comedere*, sed in N. T. denotant etiam totum prandium aut cœnam; ut Matth. 15, 2. *Non enim lavant manus*, *ὅταν ἄρτον ἐσθίωσι* CUM PANEM COMEDUNT, h. e. cùm prandent aut cœnant. Sic etiam Marc. 3, 20. *ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς μήτε ἄρτον φαγεῖν*, *ut ne quidem panem edere possent*. Et Joh. 13, 18. *Ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον Qui edit mecum panem*. Scriptores sacri imitati sunt Hebræos: illi enim per אכול לחם *edere panem* integrum convivium intelligunt: ut Gen. 43, 24. *Audiverunt*, כי שם יאכלו לחם QUOD IBI COMESTURI ESSENT PANEM. Et 1 Sam. 20, 23. *Sedit Rex* על הלחם לאכל AD PANEM EDENDUM, h. e. ad prandendum aut cœnandum.

5. Phrasis

5. Phrasis Ἀνοίγειν τοὺς ὀφθαλμοὺς τινος Græcis denotat idem quod *oculos alicujus aperire, cilia cujusdam diducere*, ut videre possit; sed in Novo T. denotat duo. 1. *Facultatem videndi alicui dare*; ut Joh. 9, 14. *Jesus fecit lutum*, καὶ ἀνέῳξεν αὐτοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ET OCULOS EJUS APERUIT, h. e. ex cœco fecit videntem: sic Jes. 35, 8. אז תפקחנה עיני עורים *tunc aperientur oculi cæcorum*. 2. Denotat *Alicujus animum illustrare*, ut credat, vel velit, quæ antea non crediderit, vel voluerit; ut Actor. 26, 18. Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν *Ut aperias oculos eorum*, h. e. ut convertas eos. Hæc expositio etiam immediatè sequitur: *ut convertantur à tenebris ad lucem.* Sic Genes. 3, 5. *Scit Deus, quod qua die comesturi estis de ea*, ונפקחו עיניכם FUTURUM SIT UT APERIANTUR OCULI VESTRI. Hæc referuntur ad animum & intellectum.

6. Similiter Διανοίγειν τὰς ἀκοάς τινος in Novo T. significat *facultatem audiendi alicui reddere*, ut Marc. 7, 35. καὶ εὐθέως διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαὶ, *& statim aperta sunt ejus aures.* Hoc fit imitatione Hebræorum; ut Jes. 35, 5. ואזני חרשים תפתחנה *& aures surdorum aperientur*, h. e. surdi aurium usum recipient.

7. Denique phrasis Ἀνοίγειν στόμα τινὸς vel αὐτοῦ alium habet sensum in Novo T. quàm apud profanos auctores. In Novo T. significat *facultatem loquendi alicui reddere*: ex. gr. De Zacharia, qui fuerat mutus, ait Lucas cap. 1, vers. 64. Ἀνεῴχθη στόμα αὐτοῦ παραχρῆμα *apertum est os ejus statim.* Hoc fit more Hebræorum; ut Num. 22, 28. ויפתח יהוה את פי האתון *Et aperuit Jehova os asinæ.* Sed ἀνοίγειν στόμα αὐτοῦ *aperire os suum* denotat *loqui*; ut Matth. 13, 35. Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου *aperiam per parabolas os meum.* Hoc itidem fit more Hebræorum; *ut Psal.* 78, 2. אפתחה במשל פי *aperiam per parabolas os meum*, h. e. loquar per parabolas. Vide cap. 37.

III. *Vigesima nona* Hebraismorum classis continet phrases, usitatas quidem Græcis vulgaribus, sed quæ ita pleonasticè ab his non fuerunt usurpatæ, sicuti usurpatæ sunt à sacris scriptoribus, quæque propter pleonasmum inter Hebraismos numerantur. Scriptores Novi T. volentes narrare quod aliquis aliquid viderit, adjiciunt, illum *oculos sustulisse*, quod vulgares Græci non faciunt: ex. gr Joh. 6, 5. Ἐπάρας ὁ Ἰησοῦς τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ θεασάμενος, *Sustulit Jesus oculos & vidit* Hoc fit imitatione Hebræorum; ut Gen. 22, 4. וישא אברהם את עיניו וירא *Et sustulit Abraham oculos suos & vidit.*

2. Scri-

2. Scriptores Novi T. volentes narrare quempiam quippiam dixisse, præmittunt verbis εἰπεῖν, λέγειν, ἀποφθέγγεσθαι hanc phrasin ἐπαίρειν τὴν φωνὴν *tollere vocem*: ut Act. 4, 25. Ἦραν φωνὴν πρὸς τὸν Θεὸν καὶ εἶπον, *Sustulerunt vocem ad Deum & dixerunt*. Sic faciunt etiam Hebræi; ut Judic. 9, 7. Jotham וישא קולו ויקרא ויאמר *sustulit vocem suam, & clamavit, & dixit*.

3. Similiter sacri scriptores, volentes dicere quod aliquis loquutus fuerit, vel aliquem docuerit, præmittunt, talem *aperuisse os suum*; ut Act. 10, 34. Ἀνοίξας Πέτρος τὸ στόμα εἶπε *Aperiens Petrus os dixit*. Sic Matth. 5, 2. Ἀνοίξας τὸ στόμα ἐδίδασκεν αὐτούς. *Aperiens os docuit illos*. Hoc etiam fit imitatione Hebræorum; ut Dan. 10, 16. ואפתח פי ואדברה *Et aperui os meum & locutus sum*.

4. Iidem scriptores, narraturi quod aliquis quippiam peregerit manu sua, præmittunt talem *extendisse manum suam*; ut Matth. 8, 3. Ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἥψατο αὐτοῦ *Extendens manum tetigit eum*. Scriptores N. T. imitantur Hebræos, qui eandem phrasin præmittere solent; ut Gen. 8, 9. וישלח ידו ויקחה *Et misit manum suam & accepit eam* (columbam.) Vide caput 38.

IV. *Trigesima* Hebraismorum classis continet tales nominum & verborum constructiones, quæ, cum apud vulgares Græcos planè non reperiantur, in Novo Test. tamen passim occurrunt: ex. gr. Ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον *venire in mundum* significat in Novo T. γεννᾶσθαι *generari, nasci*: ex. gr. Joh. 11, 27. *Ego credo, quod tu sis Christus Filius Dei*, ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος QUI IN MUNDUM VENTURUS, h. e. qui nasciturus, EST. In Veteri T. non quidem dicuntur illi, qui nascuntur *venire in mundum*, sed crebra ejus phrasis fit mentio apud Rabbinos, qui omnes homines vocant כל באי עולם *Omnes venientes in mundum*, h. e. omnes nascentes. *Vide plura loca apud Drusium in Præteritis lib. 4, ab initio.*

2. Apud vulgares Græcos non invenitur phrasis illa Ἐξέρχεσθαι ἐξ ὀσφύος τινός *exire ex lumbis alicujus*, quæ denotat in Novo T. idem quod γεννᾶσθαι ὑπό τινος *generari ab aliquo*; ut Hebr. 7, 5. Καίπερ ἐξεληλυθότας ἐκ τῆς ὀσφύος Ἀβραάμ *egressi licèt ex lumbis Abrahami*, h. e. nati Abrahamo. Hebræi quatuor modis τὸ *generari* explicant: a. Gen. 35, 11. Reges מחלציך יצאו *ex lumbis tuis exibunt*, h. e. à te generabuntur. b. Gen. 46, 26. יוצאי ירכו *egredientes ex femore ejus*. c. Gen. 15, 4. אשר יצא ממעיך *qui exibit ex visceribus tuis*. d. Gen. 17, 6. מלכים ממך יצאו *reges ex te exibunt*. Apud vulgares Græcos *exire* ἐκ τῆς

κοιλίας vel *ἐκ τῆς γαστρὸς* denotat quidem originem alicujus à matre, sed non significat originem à patre, uti phrasis Græca Novi T.

3. Græcis phrases sequentes sunt inusitatæ: a. *ὄψεσθαι ζωὴν videre vitam*, pro *ζῆν vivere*; ut Joh. 3, 36. *ὁ δὲ ἀπειθῶν υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωήν Qui autem non credit filio, non videbit vitam.*

b. *Θάνατον θεωρεῖν* vel *ἰδεῖν mortem videre*, pro mori; ut Joh. 8, 51. *θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα mortem non videbit in æternum*, h. e. nunquam morietur. Sic Hebr. 11, 5. *Per fidem Enoch fuit translatus τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον* UT MORTEM NON VIDERET.

c. *Θανάτου γεύεσθαι mortem gustare* etiam *mori* significat; ut Matth. 16, 28. *οἵτινες οὐ μὴ γεύσονται θανάτου qui non gustabunt mortem.*

In his scriptores sacri imitati sunt Hebræos; ut Psal. 89, 48. *Quis est homo qui vivat* ולא יראה מות ET NON VISURUS SIT MORTEM. Phrasis *gustare mortem* non legitur in Veteri T. sed in Rabbinis occurrit. Buxtorfius in Lex. Talm. Rad. טעם profert exemplum; *Dignus fuerat homo primus*, שלא יטעם טעם מיתא UT NON GUSTARET MORTEM.

4. Phrasis *Ζητεῖν ψυχήν τινος quærere animam alicujus*, ignota est Græcis, sed in Novo T. significat *insidiose moliri aliquem occidere*; ut Matth. 2, 20. *Mortui sunt οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου* QUÆRENTES ANIMAM (h. e. vitam) PUERI. Sic Rom. 11, 3. *Ego solus relictus sum, καὶ ζητοῦσι τὴν ψυχήν μου* ET QUÆRUNT ANIMAM MEAM. Scriptores Novi T. imitati sunt Hebræos, qui per *quærere animam* idem denotant; ut 1 Sam. 23, 17. *Saul exiit* לבקש את נפשו AD QUÆRENDAM ANIMAM EJUS, h. e. ad occidendum Davidem: nam subintelligitur לקחתה *ad capiendum eam*, quæ vox additur 1 Reg. 19, 10, vel לספותה *ad perdendum eam*, Psalm. 40, 15. In Veteri T. qui aliquem occidit, dicitur *percutere ipsius animam*; ut Genes. 37, 22, vel *occidere ipsius animam*; ut Deuter. 22, 26.

5. Phrasis, *στηρίζειν πρόσωπον αὐτοῦ obfirmare faciem suam*, Græcis est ignota, sed sacri scriptores eâ utuntur; ut Luc. 9, 51. *καὶ αὐτὸς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε τοῦ πορεύεσθαι εἰς Ἱερουσαλήμ. Et ipse faciem suam obfirmavit ad proficiscendum Hierosolymam*, h. e. decrevit. Hoc fit imitatione Hebræorum; ut 2 Reg. 12, 18. וישם חזאל פניו לעלות על ירושלם *Et posuit Hazaël faciem suam ad ascendendum contra Hierosolymam.* Vide caput 39.

V. *Tri-*

V. *Trigesima prima* & ultima Hebraismorum classis continet quasdam phrases, quæ pro Græcorum adverbiis usurpantur: ex. gr. *οὐκ εἰς τὸν αἰῶνα non in æternum* usurpatur in Novo T. pro *οὐδέποτε nunquam*; ut Joh. 13, 8. *οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα Non lavabis pedes meos in æternum*, h. e. *οὐδέποτε νίψῃς nunquam lavabis*. Sacri scriptores in hoc imitantur Hebræos; ut Prov. 10, 30. *Justus* לעולם IN ÆTERNUM *non movetur*, h. e. nunquam movetur. Græci vulgo quidem utuntur phrasi *δι' αἰῶνος*, vel *εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον*, aut *εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον*, sed non pro adverbio *οὐδέποτε nunquam*.

2. Pro eâdem voce *οὐδέποτε* vel *οὐδεπώποτε* usurpatâ de tempore præterito, scribitur in Novo T. *Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐ Ab æterno non*; ut Joh. 9. 32. *Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη* AB ÆTERNO NON AUDITUM EST; *quod aliquis aperuisset oculos alicujus qui cæcus natus esset*. Eodem modo loquuntur Hebræi; ut Jes. 64, 4. מעולם לא שמעו *Ab æterno non audiverunt*, h. e. nunquam audiverunt.

3. Pro eâdem voce utuntur aliâ phrasi, scil. *neque in hoc mundo, neque in futuro*; ut Matth. 12, 32. *Qui locutus fuerit contra Spiritum Sanctum, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ οὔτε ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι, non remittetur ei neque in hoc mundo, neque in futuro*, h. e. nunquam remittetur. Similis phrasis usitata passim est apud Rabbinos. In libro חסידים *num.* 234 Ægrotus aliquis אמר לבנו תן לי מים ואותו מאכל פלוני ואם לאו לא אמחול לך לא בעולם הזה ולא בעולם הבא *dixit filio suo, da mihi aquam, & cibum illum certum* (interdictum) *Sin minus, non condonabo tibi neque in hoc neque in futuro seculo*, h. e. nunquam. Vide Hackspan in *Nizachon*, pag. 432.

4. Scriptores Novi Test. pro *ᾗ, qua, quatenus, quia*, utuntur vocibus *εἰς ὄνομα in nomen*; ut Matth. 10, 41. *Ὁ δεχόμενος προφήτην εἰς ὄνομα προφήτου μισθὸν προφήτου λήψεται Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet*, h. e. *ᾗ προφήτην quà prophetam*. Hoc fit imitatione Hebræorum. In Pirke Abhoth cap. 6, sect. 1, ait Ribbi Meir: כל העוסק בתורה לשמה זוכה לדברים הרבה *Quicunque occupatur in lege nomine ejus* (h. e. quia lex est) *dignus est multis rebus*.

5. Pro *λίαν, σφόδρα valde*, dicunt scriptores Novi T. *ἕως θανάτου usque ad mortem*; ut Matth. 26, 38. *περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου tristis est anima mea usque ad mortem*, h. e. valde tristis est. Ita etiam lo-

loquuntur Hebræi; ut Jon. 4, 9. היטב חרה לי עד מות *Merito tristis sum usque ad mortem.*

6. Etiam phrases πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, & στόμα πρὸς στόμα pro adverbio *coram* sumuntur; ut 1 Cor. 13, 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον tunc autem facie ad faciem* visuri sumus. Sic 2 Joh. vers. 14. *Spero autem protinus me visurum te* καὶ στόμα πρὸς στόμα λαλήσομεν *& ore ad os loquemur*, h.e. & præsentes coram loquemur. Hoc itidem fit more Hebræorum; ut Exod. 33, 2. *Et loquutus est Jehova ad Mosen* פנים אל פנים FACIE AD FACIEM. Sic Num. 12, 8. *Non sic servus meus Moses, qui in tota domo mea fidelis est;* פה אל פה *ore ad os alloquor ipsum.* Vide caput 40.

VI. Ex his suprà allatis classibus Hebraismorum luce meridianâ clarius apparet, & Novum Test. multis Hebraismis scatere, & Sebastianum Pfochenium in Diatribe sua *de lingua Græca Novi T. puritate* frustra tentasse larvam Hebraismis illis detrahere.

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA,

DE

Quatuor Euangeliis & Euangelicis in genere, & de Matthæo in specie.

§. 1. *Specialior explicatio librorum sequitur.*

2. *Euangelium non est vox Hebraica sed Græcæ originis. Denotat vel lætum nuncium, vel præmium læti nuncii. Judæi indignis nominibus appellant Christianos.*

3. *Pictores juxta Matthæum pingunt virum, juxta Marcum leonem, &c.*

4. *Matthæus assimilatur homini, Marcus leoni, Lucas bovi, & Johannes aquilæ.*

5. *Patres, hanc comparationem instituentes, respexerunt præcipuè ad initia Euangeliorum. Pictores non habent sufficientes causas ita pingendi 4 Euangelistas, aut Mosen cornutum.*

6. *De Matthæo sex examinanda sunt.*

7. *Matthæi nomen & nativitas.*

8. *Ejusdem vita ante & post conversionem.*

9. *Ubi prædicaverit, quid fecerit, & quomodo mortuus fuerit narratur.*

10. *Scripsit Euangelium quod vocatur τὸ Ματθαῖον. Ratio additur quare sic appelletur.*

11. *Matthæum Euangelium suum Hebraice scripsisse non potest probari autoritatibus Patrum, nec ex subscriptionibus Euangelio Syriaco & Arabico Matthæi subscriptis, nec ex antiquis & recentioribus Euangeliis Hebraicis.*


12. *Non videtur verosimile Matthæum*

simul

simul Hebraicè & Græcè primitus scripsisse, uti Calvinus Institutiones suas Latinè & Gallicè conscripsit.

13. Probatur Matthæum tantum Græcè Euangelium suum exarasse.

SECTIO I.



Hactenus generalia quædam, quæ totum Novum T. omnesque ejus libros in genere concernunt, consideravimus: jam porro nos ordo monet, ut quædam specialiora circa idem Testamentum consideremus. Propterea statuimus singulos libros jam post invicem recensere, atque Philologicas quasdam observationes de specialibus libris annotare & explicare.

I. *De quatuor Euangeliis & Euangelistis in genere.*

II. In enumeratione librorum Novi T. primo loco occurrunt quatuor Euangelia, à quibus etiam initium sumemus. De his Euangeliis *quæritur:* Cujus originis est vox Euangelii? Et, quid proprie denotat?

Respondeo. 1. Euangelium non est vox origine Hebraica, idem denotans quod און גליון *vanitatis revelatio*, vel עון גליון *iniquitatis revelatio*, uti Judæi in Talm. Babyl. Tract. Sabbath. p. 116. a, statuunt; ubi sic ajunt: ספרי המינים רבי מאיר קרי לידה און גליון רבי יוחנן קרי לידה עון גליון *Libros hæreticorum* (quod attinet,) *Rabbi Meir eos vocat vanitatis revelationem, Rabbi Jochanan eos vocat iniquitatis revelationem.* Quare, quæso, Judæi Euangelium vocant *vanitatis* vel *iniquitatis revelationem? Resp.* דרך גנאי ר״ל עונות המשיחיים נגלו באותו ספר h. e. *per modum contemptus; volunt dicere, iniquitates* (vel vanitates) *Christianorum sunt revelata in illo libro.* Si Judæi absque contumelia simpliciter dicerent; *iniquitates Christianorum revelantur in illis libris*; & si eas voces sano sensu sumerent & explicarent, prout quidem explicari possunt, tum possent admitti, & nobis non daretur occasio ægrè ferendi. Nam in Novo T. deteguntur iniquitates & vanitates, ut eas vitemus, non verò ut eas imitemur. Sed novimus Judæorum animum erga Christianos, quos multis indignis nominibus nominare solent: vocant enim eos 1. אפיקורוס׳ן *Epicuræos.* 2. כופרים *Negantes, atheos.* 3. כותיים *Cuthæos.* 4. אחרים *alios,* h. e. res abominandas. 5. בשר ודם *carnem & sanguinem.* 6. ערלאין *præpu-*

præputiatos. 7. כלבים *Canes.* 8. עמונים *Ammonitas.* 9. מואבים *Moabitas.* 10. עובדי אלילים וכוכבים, עבודה זרה *Cultores idolorum & stellarum, cultum alienum.* 11. עורים *cæcos.* 12. טמאים *impuros*, &c. Vide de his nominibus uberius disserentem Hottingerum in Thes. Philol. pag. 49, & seqq. Ex his convitiis & calumniosis nominibus, quibus Christianos insigniunt, apparet, quanto odio Judæi in Christianos flagrent. Etiam maledicam suam linguam stringunt in ipsum Christum, ejusque matrem; illum nominando תלוי *suspensum*, ejusque cultores עובדי התלוי *cultores suspensi*; hanc verò תלויה *suspensam*, טמאה ונדה *immundam & menstruatam*, vel etiam זונה *meretricem*; quia credunt Christum ex scortatione esse natum. *Hinc* apparet Judæos per contemptum potius Euangelium vocare *iniquitatis* revelationem, quàm sano sensu.

2. Sed Εὐαγγέλιον *Euangelium* est vox origine Græca, descendens ab εὖ *bene* (vel bonus) & ἀγγελία *nuntius*, h. e. bonus nuntius: hinc εὐαγγελίζω est *euangelizare*, *læta & fœlicia annuntiare.* Hebraicè dicitur בשורה טובה *bonum nuncium*; & qui talia bona annunciat, vocatur Hebræis מבשר *bonus nuncius*, & Græcis Εὐαγγελιστὴς *euangelii præco*, *Euangelista.* Vox Euangelii pro tali bono nuntio sumitur non tantum in Novo T. sed etiam apud Ciceronem lib. 2, epist. 3 ad Att. *Primum, ut opinor,* εὐαγγέλια (h. e. jucunda & fœlicia referam nuncia.) *Valerius absolutus est Hortensio defendente.* Tali sensu tota doctrina à Christo & ab apostolis proposita euangelium est, & ita commodè potest definiri; quod sit doctrina cœlitus revelata, in qua propter Christum gratis offeruntur nobis remissio peccatorum, *imputatio* justitiæ, donatio Spiritus Sancti & vita æterna.

3. Euangelium nonnunquam significat *præmium fausti nuncii*; uti apud Homerum Odyss. ξ. quum Eumæo vellet spem facere de reditu Ulyssis, ubi sic ait:

Εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω &c. *munus autem mihi sit: statim postquam ille redux suas domos pervenerit. Ante autem vel valde indigens nihil accipiam.* Cui mox Eumæus respondet:

> Ὦ γέρον, οὔτ᾽ ἄρ᾽ ἐγὼν εὐαγγέλιον τόδε τίσω,
>
> *O senex, neque profectò ego lætitiæ munus rependam.*

Eustatius, exponens hunc locum, ait, Εὐαγγέλιον δῶρον ὑπὲρ ἀγαθῆς εὐαγγελίας *Euangelium est donum pro bono nuncio.* Tali sensu sumitur etiam apud Ciceron, loco cit. epist. 12. *O suaves epistolas tuas uno tempore*

pere

pore mihi datas duas, quibus εὐαγγέλια quæ reddam nescio, deberi quidem plane fateor.

4. Euangelium specialiter in Novo T. denotat historicam narrationem de vita & doctrina Christi; & in tali significatione Euangelium secundùm Matthæum denotat historicam narrationem de vita & doctrina Christi per Matthæum conscriptam.

III. Qui Euangelia conscripserunt, vocantur Euangelistæ: sed in Novo T. illud nomen aliquando in latiore sumitur significatione, pro eo scilicet qui est emissus ad prædicandum Euangelium: ut Act. 21, 8. *Ingressi domum Philippi Euangelistæ.* Et 2 Tim. 4, 5. *Tolerans esto afflictionum, opus perage Euangelistæ, ministerii tui plenam fidem facito.*

De Euangelistis in genere *primò quæritur:* Quare hodierni pictores, pingentes quatuor Euangelistas, juxta Matthæum pingant virum, juxta Marcum leonem, juxta Lucam bovem, & denique juxta Johannem aquilam.

Respondeo. Quia nonnulli ex antiquis Patribus ea, quæ Ezechiel, & Johannes in Apocalypsi, ajunt de quatuor animalibus, ante thronum stantibus, habentibus figuram hominis, leonis, bovis & aquilæ, explicarunt de quatuor Euangelistis; cum tamen hoc ex textibus illis clare probari nequeat. Ezechiel cap. 1, vers. 5, 10 sic ait: *E medio illius similitudo quatuor animalium. Ac similitudo quidem faciei ipsorum, faciei humana fuit, sed facies leonis ad dextram ipsis quatuor, & facies bovis à sinistra ipsis quatuor: itemque facies aquilæ ipsis quatuor erant.* Johannes in Apocalypsi cap. 4, vers. 7 sic quatuor illa animalia describit: *Animal primum erat simile leoni, & secundum animal simile vitulo, & tertium animal habens faciem velut homo, & quartum animal simile aquilæ volanti.*

IV. *Secundò quæritur:* Quare Matthæus assimilatur homini, Marcus leoni, Lucas bovi, & Johannes aquilæ? Et, quare hæc similitudo non fit vice versa, ut Marcus assimiletur homini, Matthæus leoni, &c.?

Respondeo. 1. Propterea Matthæus assimilatur homini; quia ille in initio Euangelii sui describit humanam Christi naturam. 2. Marcus leoni; quia ille in initio Euangelii sui enarrat, quomodo Johannes Baptista, tanquam fortissimus leo, in deserto concionatus fuerit; *Parate viam domino.* 3. Lucas bovi; quia ille incipit Euangelium suum à sacerdote Zacharia, cujus munus erat boves & vitulos sacrificare. 4. Johannes

verò

verò assimilatur aquilæ; quia inchoat Euangelium suum à divinitate Christi. Sicuti aquila in altum ad cœlum volat, sic Johannes statim ab initio Euangelii proponit divinos & sublimes conceptus de divina Christi natura, dicens: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat ille Sermo.* Veneti elegerunt Marcum in patronum, quem solent depingere unà cum leone extendente pedem in apertum librum, in quo scriptum est: *Ave Marce Euangelista.*

V. Ex his videmus Patres, qui Euangelistas per animalium figuras distinxerunt, magis considerasse Euangelii cujusque principium, quàm continuum sequentis historiæ textum. Nam qui seriatim cunctas Euangeliorum sententias indagaverunt, Matthæo non hominis sed figuram leonis adscribendam decreverunt; quia tanquam leo regiam *Christi personam* descripsit: nam ab hac narratione exordium sumpsit, & in eadem totam styli sui seriem usque ad finem perduxit. Ut ut sit, hinc concludimus: cum incertum vel falsum sit, per quatuor illa animalia apud Ezechielem & Iohannem intelligi quatuor Euangelistas, pictores non habere justas & sufficientes causas pingendi quatuor illa animalia juxta Euangelistas. Similis prava expositio, sive potius translatio verborum Exod. 34, 29, 30 præbuit pictoribus occasionem pingendi Mosen cornutum. Habetur in textu verbum קרן significans *splendere*, *radiare*, h. e. radios splendoris instar cornuum emittere: כי קרן עור פניו *quod splenderet cutis faciei ipsius.* Sed quia illud verbum descendit à Rad. קרן *cornu*, ideo interpres vulgatus malè transtulit: *Quia videbant faciem egredientis Mosis esse cornutam.* Non tantum Christiani quidam, sed etiam ipsi Iudæi in mappis topographicis aliisque picturis Mosen cornutum depingere solent.

II. *De Euangelista Matthæo.*

VI. Primus inter Euangelistas est Matthæus, de quo hæc sequentia considerabimus. 1. Quis fuerit. 2. Qualis ante conversionem, & qualis post eam. 3. Quibus prædicaverit. 4. Quid fecerit. 5. Ubi & quomodo ex hac vita migraverit. Et 6. Quid scripserit.

VII. Ματθαῖος *Matthæus* est nomen origine Hebraicum, quod Syriacè scribitur מתי, à Rad. נתן *dedit.* Hinc Matthæus idem est quod *donatus*, *à Deo datus.* Fuit binominis: Marc. 2, 14, & Luc. 5, 27 vocatur Levi, h. e. quasi copulatus & associatus Domino. Fuit Alphæi filius,

quod

quod nomen itidem est Hebraicum, descendens ab אלוף *duce*. Ex his nominibus Hebraicis videtur posse evinci, quod Matthæus fuerit Hebræus ex Hebræis, h. e. quod ex utroque parente Hebræo fuerit natus; qualem se esse etiam Paulus gloriatur *Phil*. 3, 5.

VIII. 2. Ante conversionem fuit publicanus, Matt. 9, 9. *Præteriens Jesus vidit hominem* καθήμενον ἐπὶ τὸ τελώνιον SEDENTEM AD TELONIUM, *Matthæum nomine*. Hoc genus vitæ illo tempore non tantum erat turpe inter Judæos, sed etiam infame apud Romanos. Turpissimum erat inter Judæos, si Judæus à Romanis jus tributorum colligendorum emeret, ut tributum illud à fratribus suis invitis exigeret. Tolerabile quodammodo, si peregrinus tributum exigeret, sed exigi ab ipsis fratribus, hoc ipsis scelus videbatur. Talis fuit Matthæus: & propterea illius exactio fuit ignominiosior & intolerabilior. Nam Matthæus, utpote Judæus, sciebat fratres suos jure divino non debere cuiquam gentium esse tributarios: hoc enim pugnabat contra libertatem illis divinitus datam, & contra mores patrios. Hinc publicani vocabantur publici peccatores, erantque cœtibus piorum extorres. Post vocationem fit apostolus & minister Christi. Ad eam functionem vocatus, promptissime eam est adeptus, & constanter retinuit.

IX. 3. 4. 5. Matthæus prædicavit primum Judæis in Judæa habitantibus. Relictâ Iudæâ in Macedoniam profectus illic docuit. Post hæc in Æthiopiam usque doctrinam Christi transtulit; qua occasione veritas Euangelica ad Indos pervenit. *Aretius in notis ad* Novum T. ait: Referunt „ quidam Matthæum in Æthiopia commoratum in Nadaber civitate, a„ pud eunuchum illum Candaces reginæ, quem Philippus Act. 8 scri„ bitur convertisse, & miraculis quoque doctrinam suam confirmasse. „ Nam filium regis defuncti à mortuis excitasse, ac orbo regno postea, „ cùm Hirtacha ad regnum aspiraret, ac conatibus ejus resisteret Matthæ„ us, capite pœnas dedisse. Sic proprio sanguine doctrinam obsignavit.

X. 6. Hic primus scripsit Euangelium suum anno circitèr nono post Christi in cœlum ascensum, testantibus hoc multis ex veteribus scriptoribus: vel ut alii volunt, quod fere eodem redit, anno 41 post Christi nativitatem sub Cajo Caligula imperatore. Et quia Matthæus hoc primum Euangelium conscripsit, ideo eidem præfigitur talis titulus τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον *Euangelium secundum Matthæum*, h. e. uti scriptum & traditum est à Matthæo. Castalio vertit, *Auctore Matthæo*: quod Bezæ in Commentariis duriusculum videtur. Nam magis propriè loquitur, qui Deum

hujus & aliorum Euangeliorum *auctorem* vocat, & Matthæum aliosque Euangelistas *scriptores*: & propterea non temere scriptum videtur τὸ Ματθαῖον potius quàm Ματθαίου, κατὰ Ματθαῖον. Hinc in codicibus Latinis scriptum reperitur; *Sanctum Domini nostri Jesu Christi Euangelium secundùm Matthæum.* Qui duodecim articulos fidei apostolis adscribunt, illi iidem ajunt Matthæum octavum composuisse.

XI. De Euangelio Matthæi *quæritur*: Quâ lingua hoc Euangelium primitùs ab ipso Matthæo est conscriptum?

Respondeo. Non est eadem omnium sententia. Nonnulli putant ipsum Matthæum Euangelium suum Hebraicè primitus exarasse; quod conantur probare tum auctoritatibus, tum etiam nonnullis rationibus.

Primò probant auctoritate Patrum: nam plerique Patres, *etiam vetustissimi*, ut Papias proximus apostolorum, Irenæus, Origenes, *Eusebius*, Epiphanius, Athanasius, Chrysostomus, Hieronymus in vita Matthæi, aliique quamplurimi unanimi consensu statuunt Matthæum scripsisse Euangelium suum linguâ Hebraicâ.

Resp. Verum auctoritas Patrum illud non probantium, aut argumentis ullis firmiter confirmantium, sed nudè tantum aut probabiliter asserentium apud nos tanta esse non debet, ut propterea crederemus illud Hebraicè esse conscriptum. Plerique Patres, cum fuerint linguæ Hebrææ imperiti, exceptis Hieronymo & Origene, fuerunt deducti à Papia, scriptore quidem antiquissimo, sed (testante Eusebio Hist. Eccles. l. 3, c. ult.) exigui judicii viro, qui multa fabulosa, leviter credita posteris tradidit, multisque post se Ecclesiasticis viris occasionem errandi antiquitate sua præbuit.

Secundò probant ex subscriptionibus, Euangelio Syriaco & *Arabico* Matthæi subscriptis, quæ sententiam Patrum etiam videntur *confirmare.* In illo habetur, quod Matthæus prædicaverit Hebraicè in regione *Palestinæ*; in hoc verò, quod sit scriptum in terra Philistæorum Hebraicè.

Respondeo. 1. Subscriptiones illæ, ne quidem in textu originali Græco, multo minus in aliis versionibus, sunt authenticæ & divinæ auctoritatis.

2. Subscriptio Syriaca ait, quod Matthæus prædicaverit Hebraicè, & non quod ita scripserit. Potuisset Hebraicè prædicasse, & tamen Græcè scripsisse.

3. In Bibliis Polyglottis talis subscriptio Matthæo Arabico non additur, sed hæc: *Absolutum est opitulante Deo excelso Euangelium S. Matthæi prædicatoris vitæ æternæ. Benedictiones ejus circumdent nos. Amen.*

Tertiò

Tertiò conantur probare ex antiquis exemplaribus Hebraicis: nam tempore Hieronymi illud Euangelium, ab ipso Matthæo conscriptum, extabat in bibliotheca Cæsariensi. Ipse etiam Hieronymus illud exemplar exscripsit, & in Græcum Latinumque sermonem transtulit. Præterea Nazoræi & Ebionæi similia Hebraica habuerunt exemplaria.

Respondeo. 1. Non sequitur, Hieronymus vidit tale exemplar, & Nazoræi, aliique habuerunt Hebraica Euangelia Matthæi: ergo ab ipso Matthæo Hebraicè fuerunt conscripta. Eodem modo posset quis argumentari pro Euangelio Syriaco: nam illud videtur fuisse ante tempora Hieronymi, qui quarto seculo vixit. Verum non est quæstio an tempore Hieronymi fuerit Euangelium Matthæi Hebraicum; sed an illud ab ipso Matthæo fuerit conscriptum, quod est probandum. Possideo in bibliotheca mea totum Novum T. Hebraicum: inde tamen nemo posset firmiter probare, ergo ab ipsis S. scriptoribus tali linguâ est exaratum.

2. A posteriori potius probamus Matthæum non scripsisse Euangelium suum Hebraicè: nam tale Euangelium, quod à Matthæo scriptum esset, non extat. Procul dubio per providentiam divinam, si non autographum, saltem apographum aliquod illius Euangelii Hebraici fuisset conservatum.

Quartò objiciunt: Euangelia Hebraica Matthæi adhuc hodie extant, quæ edita sunt à Munstero, Mercero, aliisque.

Respondeo. Sunt quidem Euangelia Matthæi Hebraica edita, sed illa nullo modo videntur esse à Matthæo, auctore infallibili. Nam stylus obstat. Sunt etiam solœcismi & barbarismi quamplurimi in hodiernis exemplaribus: ex. gr. *Matth.* 1, 1 habetur: ספר התולדות ישוע *liber generationum Jesu*, pro תולדות. Qui hanc linguam saltem à limine salutavit, novit nomini constructo non posse præponi ה emphaticum. Similis solœcismus occurrit cap. 16, vers. 19. ולך אתן את מפתחי המלכות השמים *Et tibi dabo claves regni cælorum*, pro מלכות. Similes, aliique solœcismi cuivis erunt obvii, qui ipsum Euangelium perambulaverit.

XII. Nonnulli, quia vident tot veterum Patrum auctoritates, putant Matthæum Hebraicè & Græcè Euangelium suum conscripsisse; Hebraicè quidem in gratiam Judæorum, quibus primò prædicavit; & Græcè in usum gentilium, quibus postea Christum annuntiavit. Et sic, ex illorum sententia, illud Euangelium, utrâque linguâ conscriptum, esset divinæ auctoritatis: Græcum incorruptum esset conservatum, sed Hebraicum periisset.

riisset. Eodem ferè modo, uti Calvinus Institutiones suas & Latinè & Gallicè conscripsit.

Respondeo. Ut ut sit: quando Patres dicunt Matthæum Hebraice scripsisse, judico eos intellexisse propriè linguam Syriacam, quæ nomine generaliori communiter in Novo T. vocari solet lingua Hebraica. Nam nulla est ratio quare Matthæus propriè Hebraicè scripsisset, quum lingua Hebraica eo tempore non amplius fuerit Judæis vernacula, sed Syriaca. Ergo si in gratiam Judæorum scripsisset, debuisset Syriacè scripsisse.

XIII. His sententiis rejectis, puto Matthæum exarasse Euangelium suum Græcè. 1. Nam eadem ratio, quæ cæteros S. scriptores movit ad scribendum Græcè, eadem & Matthæum movit: ecclesia enim Novi *T.* erat dilatanda & extendenda ad omnes nationes: ergo Scriptura *Novi T.* debuit conscribi linguâ vulgarissimâ, & omnibus notissimâ. Etiam non fuit tum temporis lingua aliqua notior & familiarior linguâ Græcâ; uti suprà dissertatione 2, §. 2, ex Cicerone in oratione pro Archia poëta probavimus. Sed lingua Hebraica sive Syriaca erat præcipuè nota posteris Abrahami; & pluribus gentibus erat Euangelium promulgandum quàm genti Judaicæ.

2. Voces Hebraicæ, quæ in Euangelio Matthæi Græcè translatæ sunt, videntur probare illud Græcè esse conscriptum: ex. gr. Matth. 1, 23. Et *vocabunt nomen ejus* Ἐμμανουήλ, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. EMMANUEL QUOD SI QUIS INTERPRETETUR, SONAT, NOBISCUM DEUS. Imo non tantum simplices tales voces, sed etiam integræ sententiæ in Novo Testamento Græcè transferuntur; ut Matth. 27, 46. Ἠλί, Ἠλί, λαμὰ σαβαχθανί, τοῦτ' ἔστι, Θεέ μου, Θεέ μου ἱνατί με ἐγκατέλιπες; *Eli, Eli, lama Sabachtani? hoc est, Deus mi, Deus mi, quare deseruisti me?* Cum extra controversiam Novum T. Græcum sit authenticum, dicendum est illas voces & interpretationes etiam esse tales. Sed illæ voces & interpretationes non habentur in Euangelio Hebraico; etiam ibi non erant necessariæ: nam qui totum Euangelium Hebraicè intelligere potuit, etiam has paucas voces intellexisset. Ergo, his rationibus motus, concludo, & Matthæum Euangelium suum primitùs Græcè scripsisse, & hoc Euangelium Hebraicum, quod vulgò circumfertur, non esse authenticum nam non habentur eadem quæ in authentico Græco habentur.

DIS-

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA,

DE

Euangelistis Marco & Luca.

§. 1. *Quinque considerantur de Marco.*
2. *Nominis Origo. Fuit binominis.*
3. *Præter nomen Hebraicum accepit aliud nomen.*
4. *Et quidem Romanum.*
5. *Ejus mater, progenies & functio.*
6. *Quibus & ubi prædicaverit narratur.*
7. *Scripsit Euangelium suum.*
8. *Non Latinè, sed Græcè.*
9. *Gesta ipsius, sed incerta, proponuntur.*
10. *De morte ejus multa fabulosa narrat Syrius.*
11. *De Luca septem examinantur.*
12. *Lucas est nomen Latinum derivatum à luce.*
13. *Patria ejus fuit Antiochia.*
14. *Lucas fuit medicus & secundùm sententiam quorundam etiam pictor.*
15. *Cælibem vitam egit. Fuit sectator Pauli.*
16. *Præceptores ejus videntur fuisse Paulus & alii apostoli.*
17. *Lucas scripsit Euangelium & Acta. Circa scriptionem auctoritas, tempus, persona, causa motiva, stylus, & materia describuntur.*
21. *Mors Lucæ enarratur.*

I. De Marco.

SECTIO I.

Iam ordine secundus Euangelista Marcus sequitur describendus, de quo considerabimus hæc sequentia. 1. Qualis fuerit. 2. Quibus & ubi prædicaverit. 3. Quid scripserit, & quomodo. 4. Quid egerit. 5. Quomodo, & ubi mortuus sit.

II. 1. *Μάρκος Marcus* non est, ut nonnullis placet, vox origine Hebraica, descendens à מרק *polivit*, *tersit*; adeo ut idem significaret quod *limatus*, aut *expolitus*, h. e. à rubigine abstersus. Sed Marcus est potius nomen Latinum, derivatum (secundùm nonnullos) à mense Martio; quasi Marcus sic dicatur, quod mense Martio sit natus.

Fuit binominis: nam Act. 12, 12 vocatur Johannes: *Venit ad domum Mariæ matris Johannis, qui cognominatus est Marcus.* Et cap. 15, v, 37. *Barnabas consulebat ut assumerent Johannem, cognomento Marcum.* Nomen Iohannis est Hebraicum & *gratiosum* ac *amabilem* sonat.

III. Hinc *primò quæritur:* Quare Marcus, præter nomen Hebraicum Iohannis, quod tempore circumcisionis videtur accepisse, aliud nomen Romanum accepit?

Respondeo. Judæi nonnunquam solent nomina sua mutare, vel post liberationem ex gravi & periculoso aliquo morbo; vel quando vitam aut religionem suam impiam & profanam mutant in vitam aut religionem piam, & magis devotam. Hæc posterior ratio videtur esse causa, quare Gentium apostolus Saul mutaverit nomen suum in Paulum, h. e. pusillum: quasi dicere voluisset, ego sum pusillus in oculis meis; Saul quidem persequutus est ecclesiam sed non Paulus; jam sum alius homo, mutavi jam vitam meam impiam in meliorem; jam, loco persecutionis, ædifico ecclesiam Christi. Hinc fortasse Iohannes etiam mutavit nomen suum in Marcum: quia post conversionem religionem Christianam profitebatur, & Christi discipulus fiebat. Vide de mutatione nominum *præfationem Concordantiarum Buxtorfii.*

IV. *Secundò quæritur:* Quare Saul & Iohannes mutaverunt nomina sua Hebraica in Paulum & Marcum, nomina Romana?

Respondeo. Iudæi eo tempore Romanorum dominio erant subjecti, & procul dubio Romanorum multi Iudæis fuerunt immixti, à quibus mores eorum & nomina Romana dedicerunt assumere. Hinc etiam Flavius Iosephus præter nomen Hebraicum Iosephi mutuatus est nomen Romanum Flavii.

V. Mater Marci vocata fuit Maria, Act. 12, 12. *Et considerans venit ad domum Mariæ, matris Johannis, qui cognominatus est Marcus.* Sed de nomine patris tacet S. Scriptura. Fuit consobrinus Barnabæ, Col. 4, 10. *Salutat vos Marcus consobrinus Barnabæ.*

Etiam Marcus videtur fuisse (uti Matthæus) Hebræus *ex Hebræis*: nam, præterquam quod nomen ejus primum sit Hebraicum, etiam ipsius parentes & consobrinus fuerunt Iudæi.

Hieronymus præterea affirmat Marcum fuisse sacerdotem & Levitam, &, ut sacerdotio inutilis haberetur, sibi amputasse dextrum pollicem. Nonnulli putant eum unum de numero septuaginta discipulorum fuisse.

Ut ut sit, non fuit apostolus, sed sectator apostolorum, & præcipuè Petri, qui eum filium suum vocat, 1 Petr. 5, 13. *Salutat vos Marcus filius meus.* Hic est ille, ob quem inter Paulum & Barnabam lites quædam fuerunt motæ, Act. 15, 37, 39. Syrius, in vita Marci, eum ita describit:

Fuit

Fuit forma hujusmodi: Longo naso, subducto supercilio, pulcher oculis, recalvaster, prolixa barba, velox, habitudinis optimæ, ætatis mediæ, canis aspersus, affectione continens, & gratia Dei plenus.

VI. 2. Præcipuos apostolos est secutus, initio Paulum & Barnabam, quorum famulus dicitur, Act. 13, 5. *Habebant Iohannem ministrum.* Dum hos per varias provincias esset secutus, relictis eis in Pamphylia, ipse Hierosolymam reversus, ibi concionatus est, Act. 13, 13, 24. Postea unà cum Barnaba profectus est in Cyprum, Actor. 15, 39. Deinde prædicavit in Ægypto, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit ecclesiam tantæ doctrinæ & vitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret, inquit Hieronymus in ejus vita. Et propterea Philo Iudæus in ejus laudem proprium conscripsit librum.

VII. 3. Marcus scripsit Euangelicam suam historiam apud Petrum, qui eam probavit, & ecclesiæ legendam sua auctoritate tradidit, testante Clemente in sexto Hypotyposeon libro. Ordinem Matthæi fere sequitur: & propterea vulgò ejus *epitomator*, *abbreviator* & *assecla* nominatur; ejusque Euangelium illius *epitome*. Nam per ejus vestigia subsequens graditur, & sic illi sive eisdem verbis, sive eodem sensu in omnibus penè concordat, ut tanquam à præcedentis se tramite non recedat. Multa quidem ab illo posita præterit, sed alia in compendia contrahit: paucula nova, à Matthæo præterita, affert. Quare scripsit Marcus? Hieronymus in ejus vita ait, eum rogatum à fratribus Italis, aliisque, qui Romæ erant, Euangelium hoc conscripsisse.

VIII. Quæstio movetur inter Philologos de linguâ, quâ Marcus Euangelium suum conscripsit. Multi putant Marcum conscripsisse Euangelium suum Latinè. Rivetus in Isagoge cap. 8 sic ait: De tribus libris dubitatur an Græcè conscripti sint, scil. de Matthæo & epistola ad Hebræos an Hebraicè; & de Marco an Latinè.

Quæritur: Ob quas rationes nonnulli dubitant de linguâ, quâ Marcus Euangelium suum conscripsit?

Respondeo. Præcipuè ob tres rationes. 1. Quia nomen Marci est Romanum. 2. Quia in gratiam Romanorum, Latinam linguam intelligentium, scripsit. 3. Quia subscriptio Euangelii Syriaci hoc fere videtur innuere, quæ sic sonat: *Finitum est Euangelium sanctum prædicationis Marci, qui loquutus est ac prædicavit Latinè Romæ.*

Sed hæ difficultates facillimè solvi possunt. *Respondeo* igitur ad primam rationem: Nomen Latinum auctoris nullo modo probat eum Latine

tinè scripsisse: aliter eodem modo quis concludere posset Paulum Latino sermone epistolas suas exarasse.

Resp. ad secundam rationem. Marcus, rogatus quidem à Romanis, in eorum gratiam primò scripsit, sed non in eorum gratiam tantum. Simili modo posset aliter probari, quod Paulus scripsisset epistolam ad Romanos Latinè; cum tamen apud omnes sit receptum, Eum illam epistolam, ut & omnes alias Græcè scripsisse.

Resp. ad tertiam rationem. Subscriptio illa non est authentica. Deinde non habetur quod scripserit Latinè, sed quod loquutus fuerit & prædicaverit Latine. Aliud est scribere, aliud verò est prædicare & loqui.

Cum videamus rationes contrarias facili negotio posse everti, concludimus Marcum Euangelium suum Græcè scripsisse: nam similitudo styli cum Matthæo testatur utrumque Euangelium Græcâ linguâ primitus esse exaratum. Illa enim ratio quæ alios scriptores Novi Test. movit ad scribendum Græcè, eadem etiam Marcum movit. Deinde, quod Marcus Latinè scripsisset, nullum apud veteres scriptores exstat vestigium, præterquam apud Damasum in vita Petri, cui ob copiam fabulosarum rerum, quas continet, parum fidei solet tribui.

IX. 4. Varia ipsi adscribuntur miracula, scil. quod ægrotos curaverit, leprosos mundos reddiderit, impuros spiritus ejecerit. In specie ipsi tribuitur, quod sutoris manum sinistram subulâ transfixam & læsam sanaverit. Sed cum de iis taceant sacræ literæ, præstat hîc tacere, quàm, quæ incerta sunt, pro veris obtrudere.

X. 5. Ubi, & quo genere mortis cesserit fatis, non adeo certum est. Syrius iterum magistraliter definit, quod 24 Aprilis quidam *impii homines* Marcum, sacris intentum, fune in ejus collum injecto, *comprehenderint*, & traxerint, dicentes: trahimus bubalum hunc ad *bubulci stabulum*. præterea quod ejus carnes sciderint, ut lapides sanguine ejus inquinarentur: etiam quod in carceres conjectus, & die sequenti iterum ita tractus animam Deo tradiderit. Quum Græci ejus reliquias comburerent, Deus tonitrua & tempestates tales excitasse dicitur, ut ædificia multa corruerent, & homines non pauci mortui caderent. Hæc fabulosa videntur, Hieronymus in Marci vita ejus mortem ita describit: *Mortuus est Marcus octavo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ succedente sibi Aniano.*

II. *De Luca.*

XI. Lucas tertius Euangelista sequitur, de quo considerabimus, 1. No-

1. Nomen. 2. Patriam. 3. Professionem. 4. Genus vitæ. 5. Præceptores. 6. Quid scripserit. & 7. Mortem.

XII. 1. Quæstio movetur inter Philologos circa originem hujus nominis: Utrum *Λουκᾶς Lucas* sit nomen origine Hebraicum, an Latinum?

Resp. Primò. Nonnulli, qui judicant esse Hebrææ originis, vertunt illud per *ipsi resurrectio*; quasi Hebraicè scriberetur לוּקִם pro לוּקָם: quo videntur innuere eum fuisse alacrem, & in tuenda vera religione fortem; Sed hæc etymologia est falsa: nam non scribitur Hebraice לוקם per Mem, verum לוקס per Samech.

Secundò. Alij verosimilius arbitrantur Lucam esse nomen origine Latinum, descendens à *luce*.

Quæritur porro: Quare Lucas, & Lucius, de quo fit mentio Act. 13, 1, à *luce* fuerunt denominati?

Resp. Quia mane oriente sole videntur fuisse nati.

XIII. 2. Patria Lucæ fuit Antiochia Syriæ. Hinc Antiochensis & Syrus ab Hieronymo in ejus vita nominatur.

XIV. 3. Lucas fuit medicus professione. Hieronymus in ejus vita eum vocat medicum Antiochensem. Paulus ad Colossenses cap. 4, v. 14, scribit: *Salutat vos Lucas medicus ille dilectus.* Præterea Nicephorus lib. 6, cap. 16, ait eum insignem fuisse pictorem. Sixtus Senensis in Bibliotheca lib. 2, ait eum pinxisse Jesum & Mariam: „ Dicitur Lucas imaginem Christi, & matris ejus penicillo & coloribus pinxisse, & utriusque „ icones Antiochenæ ecclesiæ reliquisse. *Et ex Simone Metaphraste ita* „ *pergit:* Hoc autem inter cætera gratissimum est, quod ipsum quoque „ assumptum typum humanitatis Christi, ac signum ejus, quæ illum peperit, Lucas primus omnium cerâ & lineamentis pinxerit. Idem Syrius ex Nicephoro ita formam Mariæ à Luca depictam describit: Maria virgo staturâ fuit mediocri, colore fuit frumentum referente, capillo „ flavo, oculis acribus, subflavas & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens, supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, nasus longior, labia „ florida, facies non rotunda vel acuta, sed aliquanto longior, manus simul & digiti longiores, &c. Ut ut sit, saltem fuit medicus, & eam professionem, etiam conversus ad Christianismum, non deseruit. Si diligenter ipsius Euangelicam historiam consideremus, quia medicus fuit qui scripsit, nil aliud fere in illa reperimus, nisi animarum languentium medicinam. Ille quasi unus fuit de quatuor fluminibus Paradisi, qui uberibus

bus doctrinæ suæ universum terrarum orbem irrigavit.

XV. 4. Post conversionem cœlibem vitam egit; fortè etiam ante conversionem ad religionem Christianam cœlebs fuit. Inde tamen non sequitur ministros Christi cœlibem vitam semper transigere debere. Sed ministris peregrinantibus, & in variis locis ecclesias plantantibus, tale vitæ genus fuit aptissimum & commodissimum. Incommodum enim est uxorem & liberos domi relinquere, vel cum iis proficisci; præcipuè eo tempore, cum religionem Christianam profitentes, multis periculis sunt expositi. Hieronymus eum vocat sectatorem apostoli Pauli, & omnis peregrinationis ejus comitem, etiam illius, cum captivus Romam fuit abductus: Act. 27, 1. & cap. 28, v. 14, 16. Paulus 2 *Tim.* 4, 11, scribit: *Lucas mecum est solus.* Ex Actis constat Paulum multas terras perambulasse. Etiam docuit in multis locis separatim à Paulo. Epiphanius vult Lucam primùm docuisse in Gallia, Italia, Macedonia & Dalmatia. *Vide Aretium in Prolegomenis ad Euangelium Lucæ.*

XVI. 5. Quos præceptores habuerit, non adeo certum est. Non desunt qui putent eum ex LXX Christi discipulis unum fuisse. Theophylactus vult eum unà cum Cleopa Christo resurgenti primum occurrisse, Luc. 25, 13. *Ecce, duo ex illis ibant eodem die*, &c. Alii arbitrantur eum à Paulo demum fuisse conversum: tum quia ejus comes individuus fuit; tum quia non contemnendis honoris titulis ab ipso insignitur. Nam apostolus de eo ita loquitur 2 Cor. 8, 18, 19 *Misimus unà cum eo fratrem illum, cujus laus est in Euangelio per omnes ecclesias. Nec id solum sed etiam suffragiis delectus est ab ecclesiis socius peregrinationis nostræ.* Nicephorus lib. 2, cap. 43 vult quod Lucas convenerit Paulum Thebis *Heptapylis*, quodque ibi conversus fuerit, & pro corporum medico, animarum medicus sit effectus. Hieronymus judicat Lucam non solum ab apostolo Paulo esse edoctum, & Euangelium suum didicisse, sed etiam à cæteris apostolis; quod ipse in principio Euangelii sui non obscurè innuere videtur, cum ait: Luc. 1, 2, *Prout tradiderunt nobis, qui à principio spectatores ipsi & ministri fuerunt sermonis.* Igitur Euangelium suum, sicut audiverat, & edoctus erat, procul dubio ab Euangelistis aliis vel ab apostolis nonnullis, conscripsit; Acta vero apostolorum, sicut viderat, ipse composuit.

XVIII. 6. Non tantum Euangelium nomine suo insignitum, sed etiam Acta apostolorum conscripsit: quod probatur ex Actis cap. 1, v. 1. *Primum quidem librum confeci, Theophile, de omnibus quæ cœpit Jesus &* face-

facere, & docere. Circa scriptionem librorum, à Luca conscriptorum, variæ quæstiones moveri possunt.

Primò quæritur: Cujus auctoritate Lucas scripsit? *Resp.* Nicephorus & Eusebius ajunt eum Pauli auctoritate Euangelium suum composuisse. Dorotheus in sua Synopsi docet Lucam exarasse Euangelium cohortatione Petri, sed τὰς πράξεις τῶν Ἀποστόλων καὶ ὑπομνήματα Παύλου τοῦ ἀποστόλου.

Secundò quæritur: Quando, & ubi Lucas scripsit? *Resp.* Theophilactus vult eum anno 15 post ascensionem Domini scripsisse. Hieronymus in Achaiæ partibus eum scripta sua composuisse asserit.

Tertiò quæritur: Quibus Lucas scripsit? *Resp.* Matthæus vulgò Hebræis scripsisse putatur: & propterea multi, sed sine solidis rationibus, defendunt illud Euangelium Hebraicè fuisse exaratum; sed cæteri tres Euangelistæ, inter quos etiam est Lucas, scripsissent Gentibus. Hinc Hieronymus ait Lucam Græcis scripsisse. Nicephorus lib. 6, cap. 16, affirmat Gentibus scribi curatum à Paulo per Lucam. In particulari Lucas scripsit utrumque librum Theophilo, & in illius persona omnibus fidelibus, Deum verè amantibus. Illi enim, qui Deum verè amant, Θεόφιλοι revera sunt. Qualis fuit ille Theophylus? *Resp.* Non adeo certum est qualis fuerit. 1. Lyranus vult Theophilum fuisse episcopum: nam non videtur illi credibile, Lucam, præteritis episcopis, opus suum laico dedicasse. 2. Sunt nonnulli qui putant Theophili nomine denotari omnes fideles: nam omnes Christiani debent esse Theophili, h.e. Dei amantes. Sed ex titulo, qui nomini additur, apparet eum fuisse virum, & quidem gravissimum atque honoratissimum. Lucas enim cap. 1, v. 3, vocat eum κράτιστε Θεόφιλε validissimum, potentissimum, & præstantissimum Theophylum; quo eodem titulo insigniuntur præsides Felix & Festus, Act. 24, 3. & 26, 25. *Non insanio κράτιστε Φῆστε.*

Quartò quæritur: Quare scripsit Lucas? *Resp.* Potest fieri ut à Petro vel Paulo fuerit excitatus ad scribendum: sed ipse in principio Euangelii sui proximam causam assignat, quando ait: *Quia videbat multa scribi à multis*, quæ forte non satis erant comperta: ideo voluit libros suos conscribere, ut ecclesia solidam Christi & apostolorum haberet historiam.

Quintò quæritur: Quo stylo scripsit Lucas? *Resp.* Stylus Lucæ est florens, elegans, & historico more dilucidus; est aliquanto politior stylo Matthæi & Marci. Forma sermonis est humilis, & ad popularem purè loquendi consuetudinem sese accommodat: nihilominus si rem ipsam consideremus, ipsius stylus est gravis & sublimis. Hieronymus in explic. capitis 6.

tis 6 Jesaiæ ita de Lucæ sermone disserit: Veteres tradunt Lucam magis Græcas literas scivisse quàm Hebræas: unde & sermo ejus, tam in Euangelio quàm in Actis comptior est, & secularem redolet elegantiam. Sane si quis attentius Lucæ stylum consideret, videbit ejus scriptis aliquam suavitatem & elegantiam, quæ apud alios Euangelistas non invenitur, inesse. Hoc etiam peculiare est in Euangelista Luca, quod in utroque suo libro προοιμιάζων, καὶ μὴ ἀκεφάλως εἰς λόγους πίπτει, quum cæteri Euangelistæ rem ipsam aggrediantur sine ullo adhibito procemio. Lucas non tantum superfunctoriè historias & parabolas describit, uti sæpe fecerunt alii Euangelistæ, sed eas vel ab aliis intermissas, & obiter tantum allegatas, fusè & copiosè, additis multis circumstantiis & occasionibus, enarrat & describit. Exorditur Euangelium suum altius, quàm fecerunt Matthæus & Marcus. Non est contentus à baptismo Johannis & à genealogia Christi incipere; sed enarrat etiam illa quæ ad conceptionem & nativitatem Christi & Johannis pertinent. Hinc procul omni dubio, quia Lucas cæteris Euangelistis in enarratione historiæ suæ est multo copiosior, natum est vulgare proverbium, inter Belgas usitatissimum: *Videbimus an Lucas de eo scribat:* Ex. gr. Quando liberi à parentibus novam vestem vel aliquid aliud petunt, tum aliquando à parentibus aut ab aliis respondetur, *Videbimus an Lucas de eo scribat.* Volunt dicere, Lucas est curiosus scriptor, qui curiosè & copiosè omnia descripsit: si ille nihil de eo scripserit, ergo nec etiam alii ullam ejus rei facient mentionem: & per consequens nihil habebis. Est proverbium fere negans petitionem petitam.

Sextò quæritur: Quid præcipuè tractat Lucas? *Resp.* Lucas multus est in commemorando & describendo sacerdotio. Diversa dominici operis gesta quidem percurrit, sed ab illis, quæ ad sacerdotium pertinent, non recedit. Modò enim sacerdoti delegatum narrat officium, modò progeniem, modò vicem, modò sacrificium, modò nominat templum; & cùm plurima intra sacræ historiæ seriem comprehendat, in intentione tamen, quâ cœperat, prosequendi sacerdotii, perseverat. Nam in ipso Euangelii initio cap. 1, v. 5, sic exorsus est: *Erat in diebus Herodis sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, &c.* Deinde ipsum sacerdotem ad adolendum ante altare sacrificium statuit. Postmodum etiam ad ejusdem sacerdotis domum Mariam dirigit. Tria quoque cantica in ecclesia cantanda describit, scil. Zachariæ, Mariæ & Simeonis, quod nullus Euangelistarum fecit. Quadragesimo quoque die, postquam natus

est

est, Dominum cum muneribus in templo narrat oblatum. Duodennem in eodem templo inter doctores constituit residentem. Parentes Christi narrat per singulos annos in solennitate Paschali orationis gratiâ Hierosolymam ascendere solitos, &c. Hinc, quia Euangelium suum exorditur à munere hoc sacerdotali, ad quod pertinet mactatio vitulorum, antiqui patres Lucam assimilarunt vitulo; & recentiores pictores juxta Lucam bovem sive vitulum pingere solent.

XVIII. 7. Quomodo, ubi, & quando è vita discesserit Lucas noster, non omnes idem sentiunt. Hieronymus in ejus vita ita ait: *Vixit octoginta & quatuor annos. Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vicesimo Constantii anno, ossa ejus cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt de Achaia.* Nonnulli ajunt eum martyrio in Bithynia fuisse affectum. Dorotheus affirmat eum mortuum esse Ephesi. Nicephorus lib. 2, cap. 43, ait Lucam suspensum esse ex fructiferæ oleæ arbore, quòd aridi ligni ad crucem deesset copia. Sed pleraque, quæ de morte dicuntur, sunt incerta.

DISSERTATIO DECIMA NONA,

DE

Johanne & Actis apostolorum.

§. 1. *Septem examinantur circa Johannem.*
2. *Iohannis nomen est Hebraicum; ideoque scribendum est cum h. Ille & Iacobus vocantur* filii Tonitrui. *Ratio datur quare Iohannes vocetur Theologus.*
3. *Iohannis pater fuit Zebedaus, & mater Salome.*
4. *Ejus vita ante & post conversionem describitur.*
5. *Discipuli recensentur. Rarum exemplum Iuvenis conversi ex Eusebio allegatur.*
6. *Iohannes scripsit Euangelium, tres epistolas & apocalypsin. De duabus epistolis dubitatur. Ob duas rationes scripsit.*
7. *Stylus Iohannis est gravis & sublimis. Septem sunt in stylo Iohannis fere propria, qua alii scriptores sacri non observant.*
8. *Mors ejus enarratur.*
9. *Circa Acta apostolorum quatuor pracipue ad examen revocantur.*
10. *Appellatio Actorum & causa talis appellationis explicantur.*
11. *Hic liber meritò vocatur Acta apostolorum, etiamsi pracipuè agat de Paulo.*
12. *Lucas ob tres causas plura scripsit de Paulo quàm de aliis apostolis.*
13. *Ratio datur quare Lucas de Thoma, de Bartholomao aliisque nihil speciatim*

tim scribat.

14. *Auctor Actorum est Lucas, licèt indocti quidam de eo dubitarint.*

15. *Differentia Actorum ab Euangelio Lucæ in tribus præcipuè consistit.*

16. *Inquiritur, quare Lucas Acta conscripserit?*

I. De Johanne.

SECTIO I.



Quartus Euangelista Johannes sequitur describendus, in quo examinabimus. 1. Ejus nomen. 2. Parentes. 3. Vitæ conditionem. 4. Discipulos. 5. Scripta. 6. Stylum scribendi. & 7. Mortem.

II. 1. Johannes est nomen origine Hebraicum: scribitur enim יְהוֹחָנָן *Jehochanan*, vel contractè יוֹחָנָן *Jochanan*; utrumque descendens ex יְהוָֹה *Jehova*, nomine Dei proprio, & חָנַן *gratiosus fuit*; quasi dicas, *Jehova est gratiosus.* Græcè scribitur Ἰωάννης sine aspiratione in medio: nam Græci in medio aspirationem omnem secundùm proprietatem linguæ respuunt. Latinè scribitur à nonnullis cum h, & ab aliis sine *h* literâ aspiratâ.

Quæritur: Utrum Johannes Latinè rectius scribatur cum litera h; an vero sine h. *Resp.* Nomen Johannis scribendum est cum litera h: nam Iohannes non est nomen Græcum sed Hebraicum: & propterea respiciendum est ad vocem Hebraicam, & non ad Græcam. Imo si liceret Latinè uti duplici aspiratione, præstaret ita Iohannes scribere: nam in nomine יוֹחָנָן non est simpliciter litera ה valens h, sed est ח respondens duplici hh. Unde ergo mala illa consuetudo, quod nomen Iohannis sine aspiratione scribatur, nata est? *Resp.* Ex nomine Græco, quod sine aspiratione scribitur. Vide etiam suprà pag. 80.

Hic Johannes unà cum fratre Jacobo vocatus est Βοανεργὲς, Marc. c. 3, v. 17. *Et Jacobum filium Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi: & imposuit eis nomina* Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς BOANERGES, QUOD EST FILII TONITRUI. ܒܢܝ ܪܓܫܐ *Boanerges* est vox Syriaca, composita ex ܒܢܝ & ܪܓܫܐ h. e. *Filii fragoris.* Hic Euangelista procul dubio Johannes ex circumcisione est vocatus, cui Christus ex vocatione alterum nomen concessit. Nam ille fuit quasi buccina Dei penetrans totum mundum, cui nec ulla potentia, nec ulla sapientia potuit resistere.

Hic

Hic κατ᾽ ἐξοχὴν in inscriptione Apocalypsis vocatur θεολόγος; & ut distinguatur à Johanne Baptista, communiter appellatur apostolus & Euangelista Johannes.

Quaritur: Quare Johannes à Græcis & Latinis vocatur Theologus? *Resp.* Syrius in vita Johannis ait: *quia* Dei verbum *ante secula apud Patrem esse, & Deum esse, non solum inenarrabiliter vidit, sed & profundâ sublimitate descripsit.*

III. 2. Zebedæus, piscator, fuit pater Iohannis, *Matth.* 4, 21, & Solome ejus mater. Theophylactus facit hanc Solomen filiam Iosephi ex priore uxore defuncta; unde soror Christi habita est, & Iohannes ex sorore nepos. Idem ait, quod ex priore uxore septem habuerit liberos, puellas tres, Martham, Esther & Solomen; quæ ultima, facta uxor Zebedæi, peperisset Iohannem & Iacobum cognomento Majorem, fratres germanos.

IV. 3. Ante vocationem ad apostolatum fuit piscator, ut & frater ejus Iacobus, Matth. 4, 21. *Jesus vidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedai, & Johannem fratrem ejus in navi, sarcientes retia sua.* Fuit ergo piscator, & piscatoris filius. Res quidem ad labores devenerant, sed eos tamen mediocres opes habuisse probabiliter nonnulli conjiciunt. Nicephorus lib. 2, c. 3, scribit Zebedæum duobus filiis suis Iacobo & Iohanni opes aliquas reliquisse, ac Iohannem, divenditâ in Galilæa portione suâ, Hierosolymis propriam domum ad Sionem montem sitam emisse, in qua Cœna est habita. *Vide Aretium in Commentariis ad Novum T.*

Post vocationem Christo præ aliis adhæsit, eumque summo ardore amavit. Hinc præcipuis semper interfuit miraculis, scil. in monte Tabor Matth. 17, 1. In excitandâ Iairi filiâ, Marc. 5, 3. &c.

Vixit castè. Epiphanius eum inter virgines refert. Idem facit etiam Hieronymus. E contra Bonaventura asserit Iohannem in Cana Galilæa sponsum fuisse, ejusque sponsam Mariam Magdalenam, Ioh. 2, & propterea jure propinquitatis Christus cum matre nuptiis interfuisset; sed mox à matrimonio abstractum ab ipso Christo putat.

Quartodecimo anno, secundam post Neronis persecutionem movente Domitiano, in Pathmon insulam relegatus, scripsit apocalypsin. Sed interfecto Domitiano, & actis ejus, ob nimiam crudelitatem, à senatu rescissis, sub Nerva principe redit Ephesum, ibique usque ad Trajanum principem perseverans, totas Asiæ ecclesias fundavit & rexit, uti ait Hieronymus in ejus vita.

Etiam

Etiam Iohannes præ cæteris discipulis Christo charus fuit, eique matrem suam, in cruce pendens, commendavit.

V. 4. Iohannes plurimos discipulos habuit, inter quos, dicente Aretio, postea excelluerunt Papias Hieropolitanus episcopus, Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus, quia viva voce ab eo veram de Christo doctrinam dedicerunt, & posteris bona fide tradiderunt. Eusebius Hist. Eccles. l. 3, c. 18, & 20 hæc sequentia refert: Iohannes post reditum ex Pathmo venit ad quandam vicinarum civitatum, in qua juvenem vidit, quem ad se recepit; sed discessurus eum tradidit episcopo illius civitatis, ipsique coram ecclesia tanquam charissimum pignus commendavit. In domum episcopi receptus est, sed postea, rejectis admonitionibus, se consortio latronum & furum immiscuit; imo princeps eorum factus est. Reversus Iohannes pignus suum repetiit, ad quod episcopus respondit eum Deo esse mortuum, & in monte aliquo caput latronum esse. Eò se contulit Iohannes, qui à latronibus captus fuit; sed petiit deduci ad principem latronum; qui, cum Iohannem vidisset, aufugit præ pudore: sed Iohannes eum assequutus, blandis verbis vocavit, & tandem ad Christum & religionem veram reduxit.

VI. 5. Iohannes scripsit Euangelium suum. Quando scripsit illud? Et quando cæteros libros? *Resp.* Theophylactus Euangelium in Pathmo scriptum dicit anno 32 post ascensionem. Alii tamen verosimilius putant Iohannem sub finem vitæ, Euangelium suum, reversum Ephesum, composuisse. Deinde idem Iohannes scripsit in Pathmo Apocalypsin anno 14 Domitiani. Denique literis mandavit tres epistolas catholicas sive orbiculares, nomine Iohannis insignitas. De prima epistolâ *nulla est controversia*: sed de duabus posterioribus à nonnullis dubitatur. *Quare dubitatur an idem Iohannes Euangelista duas posteriores epistolas conscripserit?* *Resp.* Quia se presbyterum vocat, cum Iohannes fuerit apostolus & Euangelista. Sed illa ratio non est sufficiens: nam non sunt contradictoria Euangelistam & presbyterum esse. Ille enim, qui Euangelista sive apostolus fuit, etiam presbyter vocari potuit.

Quare scripsit Iohannes? *Resp. primò*: Rogatus est post liberationem ex Pathmo à fratribus Asianis ut Euangelicam historiam conscriberet. Hoc affirmant Cyrillus, Epiphanius, Theophylactus, aliique. Procul dubio rogarunt propter sectarios divinitatem Christi negantes, quales fuerunt Ebion, Cerinthus, Marcion, Carpocras, &c. Hinc jam facile apparet, quare Iohannes, cum cæteri Euangelistæ præcipuè humanam Christi naturam

turam describant, incipiat & continuet præcipuè divinam Christi naturam describere. Propterea etiam aquilæ insignia sortitus est. Nam aquila videndi acie & volandi ardore alias aves antecellit, sic etiam Johannes Euangelista. Narrat Eusebius l. 3, c. 25, ex Iren. l. 3, c. 3. Johannem ingressurum aliquando balneum, ministrum rogasse, quis esset intus? Qui cum respondisset Ebionem (alii Cerinthum fuisse ajunt) intus esse, conversum dixisse, egrediamur hinc, ne corruat balneum propter Ebionem. Sed egresso Iohanne balneum lapsum esse dicitur.

Secundò. Johannes propterea scripsit: quia cæteri nonnulla omiserunt, quæ Iohannes judicavit esse addenda. Hinc nonnulli vocant ea, quæ Iohannes in Euangelio conscripsit, *παραλειπόμενα*.

VII. 6. Quomodo Johannes scripsit? *Respondeo*. Gravis est tum propter materiam de divinitate Christi explicandam, tum propter phrasin, quæ concinna, brevis & perspicua est. Nemo ante Iohannem res illas divinas ita ausus fuit explicare. Jesaias c. 53, v. 8, attonitus exclamat: *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed Iohannes breviter & dilucidè ab illa generatione Euangelium suum incepit: *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum*, &c. Ille igitur in speculanda summæ divinitatis essentia præcedit prophetas, supergreditur patriarchas, & apostolos superat.

Glassius in Philologia sacra pag. 339, & seqq. & professo de stylo Johannis disserens, ait nonnulla illi præ aliis vel valde usitata, vel etiam propria videri: eaque ad septem refert.

Primò. Johannes sæpe adhibet *exegeses*, & quidem iteratas eorum, quæ aliquanto obscurius erant dicta: h. e. obscura per clariora postea explicat. Ex. gr. Joh. 1, 7, primò ait: *Johannes venit in testimonium*, postea addit explicationem, *ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum*, &c. Tertiò adhuc clarius interpretatur vers. 8. *Non erat ille lux illa, sed ut testaretur de luce illa*. &c.

Secundò. Usurpat permultas antitheses illustrationis & confirmationis causa. Opponuntur tenebræ luci, Christus Mosi, credentes in Christum incredulis, mendacibus veraces, &c.

Tertiò. Habet crebras repetitiones: ut Joh. 8, v. 21, 24. ubi ter repetitur: *In peccatis vestris moriemini*.

Quartò. Adhibet sæpè appendices, quas Latini per voculam *nempe* annectunt: ex. gr. Joh. 1, 12. *Quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (nempe) *iis qui credunt in nomen ejus*.

Quintò. Antecedens sæpius ponit pro relativo, quod alii scriptores Novi T. rarius facere solent. Vide ibi diversa exempla.

Sextò. Demonstrativa locutio *hic, hæc*, *hoc est*, & *in hoc est*, crebrò occurrit, evidentiæ & certitudinis gratiâ: ut Joh. 1, 19. *Hoc est testimonium Iohannis*. Joh. 15, 8. *In hoc glorificatus est Pater meus*, &c.

Septimò. Inter scriptores Novi Test. solus Johannes fere Christum vocare solet λόγον; ut Joh. 1, 1. 14, 1. Joh. 1, 1. Et cap. 5, v. 7. Apoc. 19, v. 13.

VIII. 7. Historiæ ecclesiasticæ testantur Iohannem post omnes alios apostolos vixisse. Longævus admodum fuit; adeo ut inter Μακροβίυς meritò recenseatur. Attigit annum 99. mortuus est anno 102 post natum Christum. Hieronymus ait ejus mortem incidisse in annum 68 *à passione* Christi. Ephesi, ubi præcipuè vixerat, in pace obiit. Dorotheus ait eum propriis manibus sibi sepulchrum parasse.

II. *De Actis apostolorum*

IX. Acta apostolorum jam ordine sequuntur describenda, circa quæ examinabimus. 1. Nomen. 2. Auctorem. 3. Differentiam inter hæc & Euangelium. Et 4. Occasionem scribendi.

X. Acta communitèr Græcè vocantur πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποστόλων *Acta sanctorum apostolorum*. In multis enim codicibus additur ἁγίων. Quidam ex veteribus & recentioribus voces πράξεις transferunt per *Actus*, alii per *Gesta*, nonnulli per *Actiones*; sed optimè facere videntur, qui vertunt per *Acta*. Nam acta apud latinos sunt rerum publicè gestarum commentarii, publicæ memoriæ causâ conscripti. Hic liber continet tales publicos commentarios & annales, ad quos totius ecclesiæ administratio olim directa fuit, & adhuc hodie dirigitur.

XI. *Primò quæritur*: Quare hic liber vocatur Acta apostolorum, cum ferè tantum de Paulo, & de cæteris apostolis vix, vel non nisi de quibusdam parcè agat. Nam Jacobi meminit cap. 1, & 12. Johannis cap. 3. quod cum Petro ascenderit in templum. Stephani quidem plenior historia cap. 6, & 7. & Philippi cap. 8, enarratur; sed illi non fuerunt de numero apostolorum.

Respondeo. I. Hic liber vocatur quidem πράξεις τῶν Ἀποστόλων, sed non additur πάντων *omnium*; ita ut titulus libri sit conveniens, etiamsi non agatur de omnibus & singulis apostolis.

Resp.

Resp. II. Magna pars hujus libri non tantum ad Paulum, sed etiam ad cæteros apostolos pertinet: ideoque meritò ita vocari potest. 1. Duodecim priora capita communem omnium apostolorum continent doctrinam. 2. Cæteri apostoli fuerunt etiam auditores Christi per 40 dies, & præsentes in ascensione Christi. 3. Communibus suffragiis eligunt Matthiam in locum Judæ. 4. In omnes tempore Pentecostes descendit Spiritus S. 5. Aliorum apostolorum signa & miracula in eo describuntur. 6. Communis est illorum synodus, & decisio Hierosolymis.

Resp. III. Petri miracula etiam hîc describuntur. Ad portam speciosam curat claudum, cap. 3. Sapphiram & Ananiam verbo occidit, cap. 5. Joppæ Tabitham ad preces fidelium vitæ restituit, cap. 9. Ex carcere miraculosè liberatur, cap. 12. Hæc & similia multa, omnes apostolos concernentia, continentur in Actis apostolorum: & propterea meritò vocantur πράξεις τ̃ ἀποστόλων.

XII. *Secundò quæritur*: Quare Lucas tam multa de Paulo enarrat, & tam specialiter, quum de cæteris apostolis pauca, & quidem generaliter tantum enarret?

Respondeo. 1. Lucas fuit Pauli discipulus, & individuus comes in peregrinationibus ejus: & propterea non mirum si plura de Paulo scribat quàm de aliis apostolis: nam ejus plerisque actis interfuit; & scripsit non quæ ab aliis audivit, sed quæ ipse vidit, & quibus tanquam αὐτόπτης interfuit.

Resp. 2. Paulus plus aliis in ædificanda ecclesia laboravit: plura igitur acta peregit quàm alii apostoli; & propterea plura de eo erant scribenda, quàm de aliis apostolis.

Resp. 3. Lucas discipulus, de Paulo, ex singulari amore erga præceptorem suum, à quo singulariter amabatur, (2 Cor 8, 18, 19.) in signum gratitudinis voluit plura scribere quàm de aliis.

XIII. *Tertiò quæritur*: Quare nihil speciatim scribit de Thoma, de Bartholomæo, de Matthæo, de Simone Zelote, & de Juda?

Respondeo. Propter dispersionem apostolorum non fuit Lucæ possibile omnibus adesse. Quorum ergo actis non interfuit, eorum historia ipsi tantum nota potuit esse ex relatione aliorum, quæ tantam auctoritatem & fidem apud alios non habuissent: hinc potius ab illis abstinuit, ne de cæteris, ab ipso visis, dubitaretur.

XIV. 2. Auctor Actorum est Lucas. In Complutensi editione, ut nemo de auctore hujus libri dubitaret, adscriptum est τ̃ ἁγίȣ Λȣκᾶ τȣ̃ εὐαγγε-

tis 6 Jesaiæ ita de Lucæ sermone disserit: Veteres tradunt Lucam magis Græcas literas scivisse quàm Hebræas: unde & sermo ejus, tam in Euangelio quàm in Actis comptior est, & secularem redolet elegantiam. Sane si quis attentius Lucæ stylum consideret, videbit ejus scriptis aliquam suavitatem & elegantiam, quæ apud alios Euangelistas non invenitur, inesse. Hoc etiam peculiare est in Euangelista Luca, quod in utroque suo libro προοιμιάζων, κὴ μὴ ἀκεφάλως εἰς λόγους πίπτει, quum cæteri Euangelistæ rem ipsam aggrediantur sine ullo adhibito procemio. Lucas non tantum superfunctoriè historias & parabolas describit, uti sæpe fecerunt alii Euangelistæ, sed eas vel ab aliis intermissas, & obiter tantum allegatas, fusè & copiosè, additis multis circumstantiis & occasionibus, enarrat & describit. Exorditur Euangelium suum altius, quàm fecerunt Matthæus & Marcus. Non est contentus à baptismo Johannis & à genealogia Christi incipere; sed enarrat etiam illa quæ ad conceptionem & nativitatem Christi & Johannis pertinent. Hinc procul omni dubio, quia Lucas cæteris Euangelistis in enarratione historiæ suæ est multo copiosior, natum est vulgare proverbium, inter Belgas usitatissimum: *Videbimus an Lucas de eo scribat*: Ex. gr. Quando liberi à parentibus novam vestem vel aliquid aliud petunt, tum aliquando à parentibus aut ab aliis respondetur, *Videbimus an Lucas de eo scribat*. Volunt dicere, Lucas est curiosus scriptor, qui curiosè & copiosè omnia descripsit: si ille nihil de eo scripserit, ergo nec etiam alii ullam ejus rei facient mentionem: & per consequens nihil habebis. Est proverbium fere negans petitionem petitam.

Sextò quæritur: Quid præcipuè tractat Lucas? *Resp.* Lucas multus est in commemorando & describendo sacerdotio. *Diversa dominici operis* gesta quidem percurrit, sed ab illis, quæ ad sacerdotium pertinent, non recedit. Modò enim sacerdoti delegatum narrat officium, modò progeniem, modò vicem, modò sacrificium, modò nominat templum; & cùm plurima intra sacræ historiæ seriem comprehendat, in intentione tamen, quâ cœperat, prosequendi sacerdotii, perseverat. Nam in ipso Euangelii initio cap. 1, v. 5, sic exorsus est: *Erat in diebus Herodis sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, &c.* Deinde ipsum sacerdotem ad adolendum ante altare sacrificium statuit. Postmodum etiam ad ejusdem sacerdotis domum Mariam dirigit. Tria quoque cantica in ecclesia cantanda describit, scil. Zachariæ, Mariæ & Simeonis, quod nullus Euangelistarum fecit. Quadragesimo quoque die, postquam natus est

est, Dominum cum muneribus in templo narrat oblatum. Duodennem in eodem templo inter doctores constituit residentem. Parentes Christi narrat per singulos annos in solennitate Paschali orationis gratiâ Hierosolymam ascendere solitos, &c. Hinc, quia Euangelium suum exorditur à munere hoc sacerdotali, ad quod pertinet mactatio vitulorum, antiqui patres Lucam assimilarunt vitulo; & recentiores pictores juxta Lucam bovem sive vitulum pingere solent.

XVIII. 7. Quomodo, ubi, & quando è vita discesserit Lucas noster, non omnes idem sentiunt. Hieronymus in ejus vita ita ait: *Vixit octoginta & quatuor annos. Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vicesimo Constantii anno, ossa ejus cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt de Achaia.* Nonnulli ajunt eum martyrio in Bithynia fuisse affectum. Dorotheus affirmat eum mortuum esse Ephesi. Nicephorus lib. 2, cap. 43, ait Lucam suspensum esse ex fructiferæ oleæ arbore, quòd aridi ligni ad crucem deesset copia. Sed pleraque, quæ de morte dicuntur, sunt incerta.

DISSERTATIO DECIMA NONA,

DE

Johanne & Actis apostolorum.

§. 1. *Septem examinantur circa Iohannem.*

2. *Iohannis nomen est Hebraicum; ideoque scribendum est cum h. Ille & Iacobus vocantur* filii Tonitrui. *Ratio datur quare Iohannes vocetur Theologus.*

3. *Iohannis pater fuit Zebedæus, & mater Solome.*

4. *Ejus vita ante & post conversionem describitur.*

5. *Discipuli recensentur. Rarum exemplum Iuvenis conversi ex Eusebio allegatur.*

6. *Iohannes scripsit Euangelium, tres epistolas & apocalypsin. De duabus epistolis dubitatur. Ob duas rationes scripsit.*

7. *Stylus Iohannis est gravis & sublimis. Septem sunt in stylo Iohannis fere propria, quæ alii scriptores sacri non observant.*

8. *Mors ejus enarratur.*

9. *Circa Acta apostolorum quatuor præcipue ad examen revocantur.*

10. *Appellatio Actorum & causa talis appellationis explicantur.*

11. *Hic liber meritò vocatur Acta apostolorum, etiamsi præcipuè agat de Paulo.*

12. *Lucas ob tres causas plura scripsit de Paulo quàm de aliis apostolis.*

13. *Ratio datur quare Lucas de Thoma, de Bartholomæo aliisque nihil specia-*

tim scribat.

14. *Auctor Actorum est Lucas, licèt indocti quidam de eo dubitarint.*

15. *Differentia Actorum ab Euangelio Lucæ in tribus præcipuè consistit.*

16. *Inquiritur, quare Lucas Acta conscripserit?*

I. *De Johanne.*

SECTIO I.

Quartus Euangelista Johannes sequitur describendus, in quo examinabimus. 1. Ejus nomen. 2. Parentes. 3. Vitæ conditionem. 4. Discipulos. 5. Scripta. 6. Stylum scribendi. & 7. Mortem.

II. 1. Johannes est nomen origine Hebraicum: scribitur enim יְהוֹחָנָן *Jehochanan*, vel contractè יוֹחָנָן *Jochanan*; utrumque descendens ex יְהוָה *Jehova*, nomine Dei proprio, & חָנַן *gratiosus fuit*; quasi dicas, *Jehova est gratiosus*. Græcè scribitur Ἰωάννης sine aspiratione in medio: nam Græci in medio aspirationem omnem secundùm proprietatem linguæ respuunt. Latinè scribitur à nonnullis cum h, & ab aliis sine *h* literâ aspiratâ.

Quæritur: Utrum Johannes Latinè rectius scribatur cum litera h; an vero sine h. *Resp.* Nomen Johannis scribendum est cum litera h: nam Iohannes non est nomen Græcum sed Hebraicum: & propterea respiciendum est ad vocem Hebraicam, & non ad Græcam. Imo si liceret Latinè uti duplici aspiratione, præstaret ita Iohannes scribere: nam in nomine יוחנן non est simpliciter litera ה valens h, sed est ח respondens duplici hh. Unde ergo mala illa consuetudo, quod nomen Iohannis sine aspiratione scribatur, nata est? *Resp.* Ex nomine Græco, quod sine aspiratione scribitur. Vide etiam suprà pag. 80.

Hic Johannes unà cum fratre Jacobo vocatus est Βοανεργὲς, Marc. c. 3, v. 17. *Et Jacobum filium Zebedæi, & Johannem fratrem Jacobi: & imposuit eis nomina* Βοανεργὲς, ὅ ἐστιν υἱοὶ βροντῆς BOANERGES, QUOD EST FILII TONITRUI. ܒܢܝ ܪܓܫܐ *Boanerges* est vox Syriaca, composita ex ܒܢܝ & ܪܓܫܐ h. e. *Filii fragoris*. Hic Euangelista procul dubio Johannes ex circumcisione est vocatus, cui Christus ex vocatione alterum nomen concessit. Nam ille fuit quasi buccina Dei penetrans totum mundum, cui nec ulla potentia, nec ulla sapientia potuit resistere.

Hic

Hic κατ' ἐξοχὴν in inſcriptione Apocalypſis vocatur Θεολόγος; & ut diſtinguatur à Johanne Baptiſta, communiter appellatur apoſtolus & Euangeliſta Johannes.

Quæritur: Quare Johannes à Græcis & Latinis vocatur Theologus? *Reſp.* Syrius in vita Johannis ait: *quia Dei verbum ante ſecula apud Patrem eſſe, & Deum eſſe, non ſolum inenarrabiliter vidit, ſed & profundâ ſublimitate deſcripſit.*

III. 2. Zebedæus, piſcator, fuit pater Iohannis, *Matth.* 4, 21, & Solome ejus mater. Theophylactus facit hanc Solomen filiam Ioſephi ex priore uxore defunctâ; unde ſoror Chriſti habita eſt, & Iohannes ex ſorore nepos. Idem ait, quod ex priore uxore ſeptem habuerit liberos, puellas tres, Martham, Eſther & Solomen; quæ ultima, facta uxor Zebedæi, peperiſſet Iohannem & Iacobum cognomento Majorem, fratres germanos.

IV. 3. Ante vocationem ad apoſtolatum fuit piſcator, ut & frater ejus Iacobus, Matth. 4, 21. *Jeſus vidit alios duos fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Johannem fratrem ejus in navi, ſarcientes retia ſua.* Fuit ergo piſcator, & piſcatoris filius. Res quidem ad labores devenerant, ſed eos tamen mediocres opes habuiſſe probabiliter nonnulli conjiciunt. Nicephorus lib. 2, c. 3, ſcribit Zebedæum duobus filiis ſuis Iacobo & Iohanni opes aliquas reliquiſſe, ac Iohannem, divenditâ in Galilæa portione ſuâ, Hieroſolymis propriam domum ad Sionem montem ſitam emiſſe, in qua Cœna eſt habita. *Vide Aretium in Commentariis ad Novum T.*

Poſt vocationem Chriſto præ aliis adhæſit, eumque ſummo ardore amavit. Hinc præcipuis ſemper interfuit miraculis, ſcil. in monte Tabor Matth. 17, 1. In excitandâ Iairi filiâ, Marc. 5, 3. &c.

Vixit caſtè. Epiphanius eum inter virgines refert. Idem facit etiam Hieronymus. E contra Bonaventura aſſerit Iohannem in Cana Galilæa ſponſum fuiſſe, ejuſque ſponſam Mariam Magdalenam, Ioh. 2, & propterea jure propinquitatis Chriſtus cum matre nuptiis interfuiſſet; ſed mox à matrimonio abſtractum ab ipſo Chriſto putat.

Quartodecimo anno, ſecundam poſt Neronis perſecutionem movente Domitiano, in Pathmon inſulam relegatus, ſcripſit apocalypſin. Sed interfecto Domitiano, & actis ejus, ob nimiam crudelitatem, à ſenatu reſciſſis, ſub Nerva principe redit Epheſum, ibique uſque ad Trajanum principem perſeverans, totas Aſiæ eccleſias fundavit & rexit, uti ait Hieronymus in ejus vita.

Etiam

Etiam Iohannes præ cæteris discipulis Christo charus fuit, eique matrem suam, in cruce pendens, commendavit.

V. 4. Iohannes plurimos discipulos habuit, inter quos, dicente Aretio, postea excelluerunt Papias Hieropolitanus episcopus, Polycarpus Smyrnæus, & Ignatius Antiochenus, quia viva voce ab eo veram de Christo doctrinam dedicerunt, & posteris bona fide tradiderunt. Eusebius Hist. Eccles. l. 3, c. 18, & 20 hæc sequentia refert: Iohannes post reditum ex Pathmo venit ad quandam vicinarum civitatum, in qua juvenem vidit, quem ad se recepit; sed discessurus eum tradidit episcopo illius civitatis, ipsique coram ecclesia tanquam charissimum pignus commendavit. In domum episcopi receptus est, sed postea, rejectis admonitionibus, se consortio latronum & furum immiscuit; imo princeps eorum factus est. Reversus Iohannes pignus suum repetiit, ad quod episcopus respondit eum Deo esse mortuum, & in monte aliquo caput latronum esse. Eò se contulit Iohannes, qui à latronibus captus fuit; sed petiit deduci ad principem latronum; qui, cum Iohannem vidisset, aufugit præ pudore: sed Iohannes eum assequutus, blandis verbis vocavit, & tandem ad Christum & religionem veram reduxit.

VI. 5. Iohannes scripsit Euangelium suum. Quando scripsit illud? Et quando cæteros libros? *Resp.* Theophylactus Euangelium in Pathmo scriptum dicit anno 32 post ascensionem. Alii tamen verosimilius putant Iohannem sub finem vitæ, Euangelium suum, reversum Ephesum, composuisse. Deinde idem Iohannes scripsit in Pathmo Apocalypsin anno 14 Domitiani. Denique literis mandavit tres epistolas catholicas sive orbiculares, nomine Iohannis insignitas. De prima epistolâ *nulla est controversia*: sed de duabus posterioribus à nonnullis *dubitatur*. *Quare dubitatur* an idem Iohannes Euangelista duas posteriores epistolas conscripserit? *Resp.* Quia se presbyterum vocat, cum Iohannes fuerit apostolus & Euangelista. Sed illa ratio non est sufficiens: nam non sunt contradictoria Euangelistam & presbyterum esse. Ille enim, qui Euangelista sive apostolus fuit, etiam presbyter vocari potuit.

Quare scripsit Iohannes? *Resp. primò*: Rogatus est post liberationem ex Pathmo à fratribus Asianis ut Euangelicam historiam conscriberet. Hoc affirmant Cyrillus, Epiphanius, Theophylactus, aliique. Procul dubio rogarunt propter sectarios divinitatem Christi negantes, quales fuerunt Ebion, Cerinthus, Marcion, Carpocras, &c. Hinc jam facile apparet, quare Iohannes, cum cæteri Euangelistæ præcipuè humanam Christi naturam

turam

turam describant, incipiat & continuet præcipuè divinam Christi naturam describere. Propterea etiam aquilæ insignia sortitus est. Nam aquila videndi acie & volandi ardore alias aves antecellit, sic etiam Johannes Euangelista. Narrat Eusebius l. 3, c. 25, ex Iren. l. 3, c. 3. Johannem ingressurum aliquando balneum, ministrum rogasse, quis esset intus? Qui cum respondisset Ebionem (alii Cerinthum fuisse ajunt) intus esse, conversum dixisse, egrediamur hinc, ne corruat balneum propter Ebionem. Sed egresso Iohanne balneum lapsum esse dicitur.

Secundò. Johannes propterea scripsit: quia cæteri nonnulla omiserunt, quæ Iohannes judicavit esse addenda. Hinc nonnulli vocant ea, quæ Iohannes in Euangelio conscripsit, παραλειπόμενα.

VII. 6. Quomodo Johannes scripsit? *Respondeo*. Gravis est tum propter materiam de divinitate Christi explicandam, tum propter phrasin, quæ concinna, brevis & perspicua est. Nemo ante Iohannem res illas divinas ita ausus fuit explicare. Jesaias c. 53, v. 8, attonitus exclamat: *Generationem ejus quis enarrabit?* Sed Iohannes breviter & dilucidè ab illa generatione Euangelium suum incepit: *In principio erat verbum & verbum erat apud Deum*, &c. Ille igitur in speculanda summæ divinitatis essentia præcedit prophetas, supergreditur patriarchas, & apostolos superat.

Glassius in Philologia sacra pag. 339, & seqq. & professo de stylo Johannis differens, ait nonnulla illi præ aliis vel valde usitata, vel etiam propria videri: eaque ad septem refert.

Primò. Johannes sæpe adhibet *exegeses*, & quidem iteratas eorum, quæ aliquanto obscurius erant dicta: h. e. obscura per clariora postea explicat. Ex. gr. Joh. 1, 7, primò ait: *Johannes venit in testimonium*, postea addit explicationem, *ut testaretur de luce*, *ut omnes crederent per ipsum*, &c. Tertiò adhuc clarius interpretatur vers. 8. *Non erat ille lux illa*, *sed ut testaretur de luce illa*. &c.

Secundò. Usurpat permultas antitheses illustrationis & confirmationis causa. Opponuntur tenebræ luci, Christus Mosi, credentes in Christum incredulis, mendacibus veraces, &c.

Tertiò. Habet crebras repetitiones: ut Joh. 8, v. 21, 24. ubi ter repetitur: *In peccatis vestris moriemini*.

Quartò. Adhibet sæpè appendices, quas Latini per voculam *nempe* annectunt: ex. gr. Joh. 1, 12. *Quotquot acceperunt eum*, *dedit eis potestatem filios Dei fieri* (nempe) *iis qui credunt in nomen ejus*.

Quintò. Antecedens sæpius ponit pro relativo, quod alii scriptores Novi T. rarius facere solent. Vide ibi diversa exempla.

Sextò. Demonstrativa locutio *hic, hæc*, *hoc est*, & *in hoc est*, crebrò occurrit, evidentiæ & certitudinis gratiâ: ut Joh. 1, 19. *Hoc est testimonium Iohannis.* Joh. 15, 8. *In hoc glorificatus est Pater meus*, &c.

Septimò. Inter scriptores Novi Test. solus Johannes fere Christum vocare solet λόγον; ut Joh. 1, 1. 14, 1. Joh. 1, 1. Et cap. 5, v. 7. Apoc. 19, v. 13.

VIII. 7. Historiæ ecclesiasticæ testantur Iohannem post omnes alios apostolos vixisse. Longævus admodum fuit; adeo ut inter Μακροβίυς meritò recenseatur. Attigit annum 99. mortuus est anno 102 post *natum* Christum. Hieronymus ait ejus mortem incidisse in annum 68 à *passione* Christi: Ephesi, ubi præcipuè vixerat, in pace obiit. Dorotheus *ait* eum propriis manibus sibi sepulchrum parasse.

II. *De Actis apostolorum*

IX. Acta apostolorum jam ordine sequuntur describenda, circa *quæ* examinabimus. 1. Nomen. 2. Auctorem. 3. Differentiam inter hæc & Euangelium. Et 4. Occasionem scribendi.

X. Acta communitèr Græcè vocantur πράξεις τῶν ἁγίων Ἀποςόλων *Acta sanctorum apostolorum.* In multis enim codicibus additur ἁγίων. Quidam ex veteribus & recentioribus voces πράξεις transferunt per *Actus*, alii per *Gesta*, nonnulli per *Actiones*; sed optimè facere videntur, qui vertunt per *Acta.* Nam acta apud latinos sunt rerum publicè gestarum commentarii, publicæ memoriæ causâ conscripti. Hic liber *continet tales publicos* commentarios & annales, ad quos totius eccle*siæ* administratio olim directa fuit, & adhuc hodie dirigitur.

XI. *Primò quæritur*: Quare hic liber vocatur Acta apostolorum, cum ferè tantum de Paulo, & de cæteris apostolis vix, vel non nisi de quibusdam parcè agat. Nam Jacobi meminit cap. 1, & 12. Johannis cap. 3. quod cum Petro ascenderit in templum. Stephani quidem plenior historia cap. 6, & 7. & Philippi cap. 8, enarratur; sed illi non fuerunt de numero apostolorum.

Respondeo. I. Hic liber vocatur quidem πράξεις τῶν Ἀποςόλων, sed non additur πάντων *omnium*; ita ut titulus libri sit conveniens, etiamsi non agatur de omnibus & singulis apostolis.

Resp.

Resp. II. Magna pars hujus libri non tantum ad Paulum, sed etiam ad cæteros apostolos pertinet: ideoque meritò ita vocari potest. 1. Duodecim priora capita communem omnium apostolorum continent doctrinam. 2. Cæteri apostoli fuerunt etiam auditores Christi per 40 dies, & præsentes in ascensione Christi. 3. Communibus suffragiis eligunt Matthiam in locum Judæ. 4. In omnes tempore Pentecostes descendit Spiritus S. 5. Aliorum apostolorum signa & miracula in eo describuntur. 6. Communis est illorum synodus, & decisio Hierosolymis.

Resp. III. Petri miracula etiam hîc describuntur. Ad portam speciosam curat claudum, cap. 3. Sapphiram & Ananiam verbo occidit, cap. 5. Joppæ Tabitham ad preces fidelium vitæ restituit, cap. 9. Ex carcere miraculosè liberatur, cap. 12. Hæc & similia multa, omnes apostolos concernentia, continentur in Actis apostolorum: & propterea meritò vocantur πράξεις τῶν ἀποστόλων.

XII. *Secundò quæritur*: Quare Lucas tam multa de Paulo enarrat, & tam specialiter, quum de cæteris apostolis pauca, & quidem generaliter tantum enarret?

Respondeo. 1. Lucas fuit Pauli discipulus, & individuus comes in peregrinationibus ejus: & propterea non mirum si plura de Paulo scribat quàm de aliis apostolis: nam ejus plerisque actis interfuit; & scripsit non quæ ab aliis audivit, sed quæ ipse vidit, & quibus tanquam αὐτόπτης interfuit.

Resp. 2. Paulus plus aliis in ædificanda ecclesia laboravit: plura igitur acta peregit quàm alii apostoli; & propterea plura de eo erant scribenda, quàm de aliis apostolis.

Resp. 3. Lucas discipulus, de Paulo, ex singulari amore erga præceptorem suum, à quo singulariter amabatur, (2 Cor 8, 18, 19.) in signum gratitudinis voluit plura scribere quàm de aliis.

XIII. *Tertiò quæritur*: Quare nihil speciatim scribit de Thoma, de Bartholomæo, de Matthæo, de Simone Zelote, & de Juda?

Respondeo. Propter dispersionem apostolorum non fuit Lucæ possibile omnibus adesse. Quorum ergo actis non interfuit, eorum historia ipsi tantum nota potuit esse ex relatione aliorum, quæ tantam auctoritatem & fidem apud alios non habuissent: hinc potius ab illis abstinuit, ne de cæteris, ab ipso visis, dubitaretur.

XIV. 2. Auctor Actorum est Lucas. In Complutensi editione, ut nemo de auctore hujus libri dubitaret, adscriptum est τοῦ ἁγίου Λουκᾶ τοῦ εὐ-

ευαγγελιςοῦ *Sancti Lucæ Euangelistæ*. Eundem Actorum auctorem esse agnoscunt Latini & Græci scriptores: sed solus Chrysostomus videtur de auctore dubitasse, cum ait: Suo tempore non solum de auctore fuisse dubitatum, sed etiam an talis aliqua historia exstaret. Verum Erasmus putat Chrysostomum hoc dixisse de laicis & indoctis, non verò de doctis: nam Euangelia & epistolæ populo explicabantur, non ita apostolorum Acta: quæque propterea populo non ita nota erant, quàm quidem Euangelia & epistolæ.

XV. 3. Differt liber Actorum ab Euangelio Lucæ in his sequentibus.

Primò. Euangelium describit vitam & mortem Christi; sed Acta enarrant vitam, doctrinam, constantiam, & pericula apostolorum, quibus subjecti fuerunt.

Secundò. In Euangelio est promissio multarum rerum, sed in Actis est exhibitio. Ibi promittitur Spiritus S. hîc ipse exhibetur. Ibi prædixit Christus pericula quæ paterentur propter professionem Euangelicæ doctrinæ, hîc ea post invicem describuntur. Ibi prædixit Euangelium esse propagandum ad fines terræ, sed hîc docetur quomodo & inter quos propagatum sit.

Tertiò. In illo Christus humilis est, patitur, moritur, & resurgit; sed in hoc exaltatur super cœlos, debellat hostes verbo & spiritu oris sui. Verum in eo est convenientia, quod uterque liber habeat exordium, & per posterius exordium Acta Euangelio adjunguntur.

XVI. 4. Circa occasionem scribendi, *quæritur*: Quare lucas Acta conscripsit?

Respondeo. 1. Quia fuit individuus comes Pauli, & αὐτόπτης eorum quæ ibi narrantur: & propterea nemo certius & plenius *potuit ea describere* quàm ipse Lucas. 2. Nicephorus lib. 2, cap. 43, 45, ait *probatos auctores* asserere, quod Lucas, rogatu Pauli, Acta conscripserit; idem etiam affirmant Hieronymus, aliique. Nam Acta scitu erant necessaria. In iis enim docetur, quæ prima fuerit ecclesiæ facies, quæ incrementa, quæ doctrina apostolorum, quis fuerit docentium fructus, quales veri & falsi doctores &c.

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA,

DE

apoſtolo Paulo, & de epiſtolis ejus in genere.

§. 1. *Paulus ſcripſit 14 epiſtolas.*
2. *De eo ſex examinabimus.*
3. *Paulus nominatus eſt Saul tempore circumciſionis octavo die. Chriſtiani, imitantes Iudæos, etiam nomina imponunt in baptiſmo.*
4. *Nomen Pauli non eſt Græcæ, vel Hebraicæ ſed Latinæ originis.*
5. *Nomen Saulis non eſt divinitus mutatum in Paulum, nec fuit binominis, ſed ipſe videtur mutaſſe nomen ſuum ob mutatam religionem & vitam.*
6. *Vocavit ſe potius Paulum quàm Iohannem aut Petrum ad ſe magis humiliandum.*
7. *Videtur veroſimile quod demum poſt converſionem vocatus ſit Paulus.*
8. *Patria fuit Tarſus.*
9. *Præceptorem in Iudaiſmo habuit Gamalielem, & in Chriſtianiſmo ipſum Chriſtum.*
10. *Ipſius vita ante converſionem, in eâ, & poſt eam deſcribitur.*
11. *Dubium eſt utrum Paulus cælebs an uxoratus fuerit.*
12. *Res geſtæ enarrantur.*
13. *Mors, & quæ circa mortem evenerunt, recenſentur.*
14. *Circa epiſtolas Pauli examinantur quatuor.*
15. *Stylus epiſtolarum eſt ſimplex & gravis.*
16. *Quatuor in ſtylo epiſtolarum Paulinarum ſunt peculiaria, quæ ab aliis ita non uſurpantur.*
17. *Epiſtolæ eo ordine, quo conſcriptæ putantur, poſt invicem recenſentur.*
18. *Inquiritur, quare epiſtolæ non imprimuntur in Novis T. eodem ordine, quo conſcriptæ putantur.*
19. *Subſcriptiones, epiſtolis Paulinis ſubjectæ, exprimunt plerumque tum locum exaratæ epiſtolæ, tum etiam nomina perſonarum, quæ eas apportarunt.*
20. *Eæ non ſunt authenticæ.*
21. *In multis Græcis Teſt. ſub finem epiſtolarum annotantur* στίχοι.
22. στίχοι *non ſunt hodierni verſiculi: nam numerus eorum non convenit; ſed denotant lineas.*

NB. *Hodierni verſiculi Novo Teſt. Græco prima vice ſunt additi à Roberto Stephano anno 1551.*

SECTIO I.



Iam ordine ſequuntur epiſtolæ Pauli examinandæ, quæ ſunt quatuordecim, videlicet *decem* ad totas eccleſias, ſcil. Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, & ad Hebræos: & *quatuor* ad certas perſonas, duæ ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem.

II. Cum harum omnium epiſtolarum auctor ſit Paulus, qui multum in ædificandis & promovendis eccleſiis Chriſti laboravit: de quo propterea plura dici poſſunt quàm de aliis apoſtolis; ideo, antequam ad ſpecialem ejus epiſtolarum enarrationem deſcendamus, prius de his ſex ſequentibus, quæ ipſum Paulum concernunt, diſſeremus; ſcilicet agemus. 1. De ejus nomine. 2. De ejus patria. 3. De præceptoribus ejus. 4. De genere vitæ. 5. De rebus geſtis. & 6. De morte ac ſepultura ejus.

III. 1. Paulus, apoſtolus Gentium, antea vocatus eſt שאול *Saul*, quod eſt *poſtulatus*, *petitus*. Primus rex Iſraëlitarum hoc eodem nomine fuit inſignitus; quia populus eum in regem poſtulabat & petebat. Procul omni dubio apoſtolus nomen Saulis in ipſa circumciſione octavo die accepit: qui mos adhuc hodie à Judæis obſervari ſolet. Præterea nulli dubitamus, quin idem mos infantibus Chriſtianorum imponendi nomina in initiatione baptiſmi originem ſumpſerit à Judæorum conſuetudine in circumciſione obſervari ſolitâ. In circumciſione nomine Hebraico fuit denominatus; quia ipſius parentes fuerunt Hebræi: vocat enim ſe Hebræum ex Hebræis. Ante converſionem ut plurimum vocatur Saul, ut Actor. capitibus 7, 9, & 13. ſed eodem capite 13 mox appellatur Paulus; quo nomine deinceps conſtanter uſi ſunt ſcriptores ſacri, & in ſpecie etiam Petrus in 2 epiſt. cap. 3, verſ. 15. Nomen Saulis erat in Iſraële illuſtre propter primum Iſraëlitarum regem, qui eo nomine fuerat nominatus.

IV. De nomine Pauli *primò quæritur*: Cujus originis eſt nomen Pauli?

Reſpondeo. 1. Nonnulli Paulum Græcæ volunt eſſe originis, & *quietum* denotare: nam ἡ παῦλα ης eſt *quies*, *finis*, *intermiſſio*. De etymologia nominis Pauli ita loquitur Eraſmus: *Paulus Græcis ſonat quietum, à verbo παύομαι, inde & παῦλαν* QUIETEM *appellant*; *Romanis puſillum ſonat.* Verum nec apud Græcos ſcriptores Thucydidem, Herodotum, alioſque, nec apud poëtas Heſiodum & Homerum ullibi tanquam nomen proprium invenitur. Apud recentiores quidem Græcos, qui hiſtorias Latinas in Græcam linguam tranſtulerunt, reperitur: ſed inde potius probatur eſſe Latinæ originis quàm Græcæ.

2. Hieronymus in Commentariis ad Philemonem Paulum *admirabilem* interpretatur, quaſi à voce Hebraica פלא, quæ *mirabilem* ſonat, deſcenderet. Sed veroſimile eſt Hieronymum per alluſionem eum פלא *Pele* (*mirabilem*) vocaſſe, & non ſerio, quaſi putaſſet Paulum eſſe nomen Hebraicum. Fortaſſe Hieronymus vocavit Paulum Pele *admirabilem*

pro-

propter admirabilem vocationem, propter mirabilia gesta ipsius, &c.

3. Nonnulli ex Hebræo & Græco Paulum derivant, scil. ex פֶּה *os*, & *αὐλὸς tibia*: quasi Paulus esset *os tibia* sive *tuba*.

4. Nonnulli Paulum à Saule per mutationem literæ derivari putant. Ita loquitur Beza in Act. 13, 9. *Quem Iudæi & Syri* שאול SCHAUL *vocant, idem à Græcis, qui eo tempore Romanis nominibus magis assueverant, Paulus fuit dictus, propter summam horum nominum affinitatem.* Vide etiam Drusium 5 Præter. p. 180.

5. Augustinus, his sententiis rejectis, contendit Paulum esse nomen Latinum, & sic vocari à parvo, h. e. modico: nam antiquitus Pauli vocabantur parvi. Apostolus ergo se vocavit Paulum, h. e. pusillum: quia erat pusillus in oculis suis, & quasi minimus apostolorum: nam antea fuerat persecutor ecclesiæ. Hæc Augustini sententia verosimillima videtur.

V. *Secundò quæritur*: Quare Paulus mutavit nomen suum Saulis, quod in circumcisione acceperat?

Respondeo. 1. Chrysostomus & Theophylactus putant nomen Saulis in Paulum divinitùs esse mutatum, sicuti Petro, qui dictus est Cephas, & filiis Zebedæi, qui vocati sunt Boanerges, accidit. Ne illis ergo esset inferior, putant ejus nomen ita divinitus esse mutatum. De Petro & de filiis Zebedæi loquitur sacra Scriptura, sed de Saule tacet.

2. Origenes vult Saulem fuisse binominem, eumque vocatum fuisse nomine Pauli, ut altero nomine, quo deinceps fuit denominatus. Glassius in Philologia sacra pag. 822 ita ait: *Sunt, qui à teneris unguiculis apostolum hunc binominem fuisse dicunt: à parentibus enim* SAULUM *vocatum fuisse, quia erat ex tribu Benjamin,* Phil. 3, 5. *in qua nomen Sauli propter primum regem ex eadem tribu oriundum, erat celebre. Additum autem nomen* PAULI, *quia Tarsenses erant cives Romani, apud quos vel maxime Pauli nomen erat illustre.* Sed non videtur verosimile eum in circumcisione à parentibus Hebræis insignitum fuisse nomine Romano. Deinde si fuisset binominis, tum indifferenter ante conversionem etiam fuisset vocatus Paulus, & post conversionem etiam Saulus: sed post eam tantum bis est vocatus Saulus, quod non videtur factum sine ratione. Nam Spiritus S. Judæum inter Judæos, & jam segregandum ad ministerium ecclesiæ Gentium Saulem nominat. Lucas nomine Saulis utitur, *Act.* 13, 9, ut commodè ad nomen Pauli transiret: *Saulus autem, qui idem Paulus, repletus Spiritu S.* &c.

3. Judæi solent nonnunquam nomina sua mutare: tum quando ex gra-

gravi & periculoso aliquo morbo sunt liberati, tum quando mutant religionem & vitam suam profanam & impiam in piam & magis devotam. Hæc posterior ratio videtur fuisse causa mutati nominis Saulis in Paulum: quasi ipse dicere voluisset, Saul quidem persecutus est ecclesiam, non Paulus; jam sum alius homo; non sum amplius Judæus, & persecutor ecclesiæ; jam ædifico ecclesiam quam antea persecutus fui. Quod Judæi ob mutatam vitam aut religionem sæpe etiam mutent nomina sua, probatur à Buxtorfio in Præfatione Concordantiarum Hebraicarum.

VI. *Tertiò quæritur*: Quare apostolus Gentium potius voluit vocari Paulus, quam Petrus, aut Iohannes, &c.

Respondeo. 1. Paulus suscepit nomen Romanum, quia cum Romanis & Latinis versabatur: sic etiam Euangelista Iohannes, Act. 15, 37, nomen suum Hebraicum mutavit in Marcum.

2. Hieronymus in Commentariis ad Philem. ait apostolum cognomen Pauli ceu tropæum usurpasse à Sergio Paulo, proconsule, quem Christo lucrifecit, Act. 13, 7, 12.

3. Verosimile est quod susceperit nomen Pauli ad se humiliandum; quasi dixisset, ego jam vocabor Paulus, h. e. pusillus: nam pusillus sum & minimus inter fratres.

VII. *Quartò quæritur*: Quo tempore Saul mutavit nomen suum in Paulum?

Respondeo. Nomen Saulis procul dubio impositum est die octavo circumcisionis: sed de impositione sive mutatione in nomen Pauli tacet S. Scriptura. Verosimile est eum Pauli nomine fuisse insignitum post conversionem ad religionem Christianam: nam post mutatam religionem tantum bis vocatus est Saul, propter rationem jam statim allegatam. *Aliàs* constanter se Paulum semper nominavit, & ab aliis apostolis etiam Paulus nominatus est.

VIII. 2. Paulo fuit patria splendida, Tarsus scil. civitas Ciliciæ, Actor. cap. 22, v. 3. *Ego sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ, educatus in hac civitate ad pedes Gamalielis*. Fuit Iudæus oriundus ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis, h. e. ex utroque parente Hebræo, Phil. 3, 5. *Circumcisus octavo die, Israël ex genere, tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis*. Hieronymus aliam producit patriam, scil. quod fuerit oriundus ex oppido Giscali, tribu Benjamin, quod cum à Romanis captum esset, cum parentibus suis in Tarsum Ciliciæ commigravit. Potuit fieri ut parentes Pauli ex Giscali profugerint in Tarsum.

IX. 3. Præ-

IX. 3. Præceptorem in lege Mosis insignem habuit Gamalielem illum pharisæum, de quo ait Lucas Actor. cap. 5, v. 34. *Surgens quidam in concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, in pretio habitus apud totum populum.* Pauli præceptor vocatur *νομοδιδάσκαλος doctor juris*, vir singulariter doctus, cujus auctoritate se voluit defendere. Hinc Actor. cap. 22, v. 3, ait, *Educatus ad pedes Gamalielis.* Hieronymus addit eum studiorum gratiâ Hierosolymam missum à parentibus, & hunc Gamalielem electum esse in ejus præceptorem. In Christianismo præceptorem habuit ipsum Christum, Actor. 9; & propterea in epistola ad Galatas cap. 1, v. 1, audacter profitetur se non *ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum* doctum esse; & fortasse propterea non diu mansit Hierosolymis, ne quid videretur ab homine didicisse.

X. 4. Vitæ genus aliud fuit ante conversionem, aliud in ipsa conversione, aliud post eam.

Primò. Antequam conversus esset, castè & sanctè Judaico more ut pharisæus vixit secundùm exquisitissimam legis sectam. Fuit diligens in defendendis patriis traditionibus, eruditus in lege, zelotes erga Deum, fœlix in discendo. Sed his virtutibus adhæsit crudelis morbus sectæ, quo ecclesiam Christi usque ad mortem persequutus est, Actor. cap. 9, & 22. Vinciebat & tradebat in carceres viros & mulieres. Hinc 1 Cor. 15, 9, ait: *Non sum dignus qui vocer apostolus, persecutus sum ecclesiam.* Et 1 Tim. 1, 13. *Eram blasphemus, persecutor & injuriosus.*

Secundò. In conversione omnia illa vitia deposuit; adeo ut ex lupo & ecclesiæ vastatore, Actor. cap. 9, transformatus sit in ovem & ecclesiæ defensorem: sed 1 Tim. 1, 13. se quodammodo excusat, quod ignorans hæc omnia fecisset.

Tertiò. Post conversionem factus est doctor Gentium: *Servus Iesu Christi, vocatus ad munus apostolicum, segregatus in Euangelium Dei,* Rom. 1, 1. Petrus fuit missus ad Judæos, sed Paulus præcipuè ad Gentes. Vocatur *Servus*: attamen vox servi non opponitur libero, sed declarat ejus munus & officium: nam additur quod fuerit Servus Jesu Christi. Fuit *apostolus,* non tamen de numero duodecim ordinariorum apostolorum, sed fuit extraordinarius apostolus, à Christo specialiter ad apostolatum vocatus. Sed nulli apostolorum ordinariorum diligentiâ, labore, vigilantiâ & zelo cessit: 2. Cor. cap. 21, 22, 23. &c. Ipse se etiam vocat *ἀφωρισμένον separatum*: quia ad munus prædicandi Euangelii à Deo erat constitutus. Præter hæc Paulus *eruditione* & *eloquentia* fuit insignis, sicu-

ti passim ostendit in epistolis suis, ac in concionibus, quas subinde ad populum habuit, ut Actor. cap. 17, 22, & 23. atque in disputationibus, ut Actor. 9, contra Judæos; & cap. 13, contra Magum illum. Etiam Paulum Gentilium scripta legisse & novisse, apparet ex Act. 17,28. ubi Arati hemistichium, & ex 1 Cor. 15, 33. ubi Menandri Jambus, & ex Tit. 1, 12. ubi Epimenidis versus allegantur.

XI. Circa genus vitæ *quæritur*: Utrum uxoratus, an cœlebs fuerit Paulus.

Respondeo. Augustinus capite 4 de operibus Monachorum eum cœlibem fuisse ait; & γυνὴ illi mulier est non uxor. Epiphanius idem asserit ob hanc rationem; quia exemplo suo suadet cœlibatum. Sed è contra Clemens Alexandrinus multis conatur defendere Paulum uxoratum fuisse. Hanc sententiam etiam defendit Eusebius Histor. Ecclesiast. lib. 3, c. 30. ubi Petro & Philippo uxoratis annumerat Paulum. Ut ut sit, parum refert sive habuerit uxorem sive non, modo illi licitum fuerit, si voluisset; uti apparet ex 1 Cor. cap. 9. v. 5. *An non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi?* Et nullo modo videtur verosimile Paulum hic loqui de muliere, quæ non est uxor: nam sine scandalo apostolus vix potuisset inter peregrinos & alienos à fide, talem mulierem, non uxorem, circumduxisse.

XII. 5. Res à Paulo gestæ sunt multæ, ferè innumeræ, & insignes: nam Hierosolymam & regiones circumjacentes usque ad Illyricum implevit Euangeliô & doctrinâ Christi. Hoc testantur ejus peregrinationes in Pamphilia, Pisidia, Lycaonia, Syria, Cilicia, Mysia, aliisque in locis, quæ passim describuntur à Luca in Actis. Præterquam quot in tot locis Euangelium prædicaverit, etiam quatuordecim epistolas *conscripsit*. *Præter* hæc scripta genuina, nonnulli quædam scripta *apocrypha* ipsi adhuc adscribunt: ut epistolam ad Laodicenses, Apocalypsin aliquam, quam dicunt inventam Tarsi in Pauli domo paterna, temporibus Theodosii Imperatoris in thecâ quâdam marmoreâ; etiam Acta Pauli, aliaque ipsi vulgò adscribuntur, quæ videri possunt retrò pag. 26.

XIII. 6. De morte Pauli scriptores antiqui Eusebius, Hieronymus, Augustinus, aliique unanimi consensu testantur eum Romæ sub Nerone, gladio esse percussum anno à passione Christi 37, Imperii Neronis anno decimo quarto. Præterea Augustinus, Hieronymus, Eusebius, & Nicephorus consentiunt in eo, quod dicant Paulum eodem die cum Petro esse passum. Deinde Nicephorus refert Paulum ante mortem cum Nerone

esse

esse colloquutum, eique promisisse suum reditum tertio die à morte; idque ita contigisse: adeo ut expressam Pauli umbram Nero vidisset. Denique Augustinus in oratione, quam habuit de Paulo & Petro, ait in decollatione Pauli pro sanguine lac erupisse. Sed hæc duo posteriora videntur esse fabulosa. Sepultus dicitur Romæ in via Ostiensi, quod etiam vulgò creditur. Vide plura de hoc Paulo in Aretio in Notis ad Novum T.

II. *De epistolis Pauli in genere.*

XIV. Circa epistolas Pauli consideranda veniunt hæc quatuor: 1. Stylus epistolarum tam generalis quàm specialis. 2. Ordo epistolarum. 3. Subscriptiones locorum & personarum. Et 4. Subscriptiones numerales, quæ στίχοι nominantur.

XV, 1. Stylus epistolarum est quidem *simplex*, sed etiam *gravis & efficax*. Ipse Paulus eloquentiam humanam sermoni suo derogat 1 Cor. 1, 17. *Misit me Christus ut euangelizarem, non erudito sermone, ne inanis reddatur crux Christi.* Et cap. 2, v. 1. *Non veniebam cum eminentia sermonis aut sapientia annuntians vobis testimonium Dei.* Gravitatem & efficaciam sermonis, Paulo non dissentiente, adversarii indicarunt, 2 Cor. 10, 10. *Nam epistolæ quidem, inquiunt, graves sunt & robustæ.*

XVI. Glassius in Philologia Sacra pag. 344 & seqq. hæc circa stylum epistolarum in specie observat.

Primò. Quod mirificis & plusquam maternis blandimentis auditores ad se alliciat, ut 2 Cor. 2, 4. *Ex multa anxietate & oppressione cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut tristititia afficeremini, sed ut cognosceretis charitatem, quam habeo, abundantissimam erga vos.* Vide etiam 1 Cor. 4, 14, 15, 16.

Secundò. Quod vice versa in objurgationibus gravitatem cum lenitate prudentissimè temperet: ut Galat. 3, 1. *O stulti Galatæ, quis vos fascinavit, ut non crederetis veritati*, &c. 1 Cor. 6, 11. *Atque hæc eratis quidam: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis per nomen Domini Jesu.*

Tertiò. Quod usurpet peculiaria quædam verba & formulas loquendi, quæ tam communiter ab aliis non usurpantur: ex. gr. *Connasci, consepeliri cum Christo, concrucifigi, conformari, baptizari in ejus mortem, crucifigere corpus peccati, resurgere in novam vitam*, &c.

Quartò. Quod vocibus quibusdam nova significatione & sensu uta-

tur: ita testatur Gregor. Nyssen. orat. in illud 1 Cor. 15. *Tunc etiam ipse filius subjicietur* &c. his verbis: *Solet sapientia magni Pauli ad id, quod visum fuerit, ad arbitrium suum verbis uti, & ad sua sententia seriem atque complexum, verborum significationes adaptare, etiamsi ad alios quosdam intellectus consuetudo abusum dictionum trahat. Nam unde sumpsit usum verbi ἐκένωσεν* EXINANIVIT SE IPSUM, Phil. 2, 7. *& illud, gloriationem meam nemo inanem reddet,* 1 Cor. 9, 15. *&, ne inanis reddatur crux Christi* 1 Cor. 1, 17, *&c. ex quo usu hac ad suum traduxit sermonem?* &c.

XVII. 2. Circa ordinem epistolarum *primò quæritur*: Quo ordine & tempore epistolæ à Paulo sunt conscriptæ & editæ?

Respondeo primò. Hieronymus in epistola ad Philemonem, Nicephorus l. 2, c. 34, Bucerus, aliique hoc sequenti ordine epistolas esse conscriptas asserunt.

1. 2, Omnium primò sunt conscriptæ duæ epistolæ ad Thessalonicenses, idque Athenis; uti testantur earum subscriptiones, πρὸς Θεσσαλονικεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ἀθηνῶν. *Ad Thessalonicenses scripta fuit ex Athenis.*

3. Sequitur prior epistola ad Timotheum, scripta Laodiceæ, quæ erat metropolis Phrygiæ Pacatianæ.

4. Prior ad Corinthios ex Epheso scripta.

5. Ad Titum ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας *scripta ex Nicopoli Macedonia.*

6. Posterior ad Corinthios ex Philippis.

7. Ad Romanos, quos nondum viderat, sed audiverat solum rectè institutos.

8. Romæ in vinculis integro illo biennio, conscripta est epistola ad Philippenses ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης *Scripta est Româ*: nam cap. 1 meminit suorum vinculorum, &c.

9. Postea conscripta putatur epistola ad Colossenses.

10. Post eam ad Colossenses sequuta putatur ad Philemonem.

11. Post eam ad Philemonem, epistolam ad Ephesios exaravit.

12. Posterior ad Timotheum, in qua conqueritur se desertum ab omnibus ferè.

13. Ad Galatas, in qua strenuè invehitur in ceremonias, quasi ad metam & finem ceremoniarum properaret.

14. Ad Hebræos, quæ scripta est ex Italia, ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, uti apparet ex subscriptione.

Resp. Secundò. Ille tamen ordo epistolarum, jam post invicem allegatarum,

tarum, in editionibus Novi T. non obſervatur; uti cuivis Nova T. inſpicienti apparet: nam primo loco habetur epiſtola ad Romanos, tum ſequitur ad Galatas, &c.

XVIII. Hinc *ſecundò quæritur*: Quare in edendis Novis T. non obſervatur idem ordo epiſtolarum, quo eæ conſcriptæ putantur?

Reſpondeo. 1. Non poſſumus certas rationes dare, quare ordo idem, quo conſcriptæ putantur epiſtolæ, non obſervetur in editione Novorum T.

2. Fortè poſſent aliquæ rationes excogitari de epiſtola ad Romanos, quare primo loco collocetur. Nam ea continet copiosè & dilucidè primariam quæſtionem de ſalute hominis per fidem in Chriſtum. Deinde ſcripta eſt Romam, ad ſedem imperii, & quaſi ad arcem mundi, quæ erat Gentium domina, quæque eo nomine digna viſa videtur, ut primum locum occuparet. Rationes, quare eccleſia alium ordinem in editione cæterarum epiſtolarum obſervaverit, ſunt incertæ & dubiæ; imo ſunt tantum meræ conjecturæ, quas præſtat omittere quàm allegare: ſed eccleſiæ, dirigente Spiritu ſancto, placuit tali ordine, quo jam eduntur, epiſtolas Pauli edere.

XIX. 3. Epiſtolis Paulinis ſubjiciuntur ſubſcriptiones, tum locum exaratæ epiſtolæ, tum etiam nomina perſonarum, epiſtolam perferentium, plerumque exprimentes: ex. gr. epiſtolæ ad Romanos ſubſcriptæ ſunt hæ voces: πρὸς Ρωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης τῆς διακόνου τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας, *Ad Romanos miſſa fuit Corintho per Phœben miniſtram Cenchreenſis eccleſiæ.* Similes tales ſubſcriptiones etiam ſuppoſitæ ſunt aliis epiſtolis, quæ in fine ſingularum epiſtolarum conſpici poſſunt.

XX. De his ſubſcriptionibus epiſtolarum *quæritur*: An eæ ſint authenticæ, h. e. additæ ab ipſo Paulo, vel ab aliquo viro apoſtolico.

Reſpondeo. Eæ ſubſcriptiones non videntur eſſe additæ ab ipſo Paulo, vel ab aliquo viro apoſtolico: & per conſequens eæ non ſunt authenticæ. Beza (citante Glaſſio pag. 346) ait; *Illas ſubſcriptiones non agnoſcere auctorem apoſtolum, ſed poſterioribus temporibus à quibuſdam non ſatis conſideratè additas, & ea propter ſuppoſititias eſſe; quaſdam etiam falſas.* Quod etiam in ſpecie probat ex ſubſcriptione, priori ad Timotheum epiſtolæ ſubjecta; quæ ſic ſonat: πρὸς Τιμόθεον πρώτη ἐγράφη ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς, *Ad Timotheum prima, ſcripta fuit Laodiceâ, quæ eſt metropolis Phrygiæ Pacatianæ.* Ex eo, quod

 hîc

hîc fiat mentio Phrygiæ Pacatianæ, probat idem Beza in Commentariis hanc subscriptionem esse suppositiam: cum ait: *Quod autem ad Phrygiam Pacatianam attinet, nusquam hoc epitheton apud illius ætatis scriptores legitur, sed apud recentiores illos, qui Romani Imperii jam inclinantis provincias descripserunt: adeo ut ex hoc etiam loco constare possit, multo post has scriptas epistolas tempore istiusmodi subscriptiones additas fuisse ab aliquibus plerumque vel indoctis, vel certè non satis attentis.* Deinde quia fini epistolæ ad Hebræos subjicitur ἀπὸ Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου *ex Italia per Timotheum*, ait Beza ibidem in Commentariis: *Primùm suspecta est mihi fides hujus subscriptionis, quia subjici solet epistolis, non ex qua regione, sed ex qua urbe potius scripta sint. Deinde quod adjicitur, missam fuisse per Timotheum, omni fide caret: nisi duos faciamus Timotheos. Nam quæso, cur illis significaret ejus liberationem, per quem ipse scriberet?* &c.

XXI. 4. In multis antiquis Testamentis Græcis Novi T. sub calcem plerarumque epistolarum apostolicarum literæ quædam numerales exprimuntur, quot videlicet στίχοις *versibus* sive *lineis* singulæ epistolæ sint scriptæ: ex. gr. Sub finem prioris epistolæ ad Corinthios habetur ἐν στίχοις ωό (870) scil. scripta est hæc epistola. Sub finem posterioris habetur ἐν στίχοις φλ (530) Aliquando pro ἐν στίχοις habetur στίχων, ut in fine epistolæ Judæ habetur στίχων οά (71.) Hæ literæ numerales possunt in fine singularum epistolarum à quovis conspici, vel si quis eas omnes quasi uno oculo simul conspicere velit, adeat Philologiam sacram Glassii pag. 347.

XXII. Hinc *quæritur*: Quid στίχοι in fine epistolarum?

Respondeo. 1. στίχος denotat vel *versum* seu *periodum*, vel *lineam*. Sed non potest his in locis denotare epistolarum versus: nam numeri τῶν στίχων & hodiernorum versuum non conveniunt: ex. gr. epistola Judæ dicitur habere στίχους οά 71, cum tantum habeat versus proprie dictos viginti quinque.

Resp. 2. Illi στίχοι sunt modò in Novis Testamentis annotati ante hodiernam distinctionem versuum; prout videre est in Novis Testamentis Græcis, anno 1550 à Roberto Stephano, ante inventionem versuum, impressis in folio. Nam hodierna distinctio versuum Novi Testamenti prima vice textui Græco est addita à Roberto Stephano in editione Græca, quæ unà cum duplici interpretatione Latina, Erasmi videlicet & veteris interpretis, Lutetiæ in magno duodecimo, anno 1551 impressa est.

est. Suprà paginâ vigesimâ primâ scripseram distinctionem versuum Novis T. esse additam intra annos 1550 & 1555. nam eo tempore, quando prima editio hujus Philologi Græci sub prelo sudabat, nondum incideram in primam editionem, cui distinctio versuum prima vice erat addita: sed post illud tempus conspiciendum mihi concessit studiosus aliquis Novum T. à se in auctione emptum, quod ex officina Roberti Stephani anno M.D. LI. prodierat; illudque adhuc hodie possideo. In ejus Testamenti præfatione testatur Robertus Stephanus se Novum T. in versiculos distinxisse; additque rationem, quare in hac editione hanc distinctionem expresserit: scil, *ut hac ratione utraque translatio posset omnino è regione Græco contextui respondere.* Nam in qualibet pagina illius editionis tres textus conspiciuntur; scil. textus Græcus in medio, versio vulgata in latere interiori, & versio Erasmi in latere exteriori. Ideò ergò, ut utraque versio Latina textui Græco melius responderet, & à quolibet cum illo textu commodius conferri posset, Robertus in commodum lectorum versiculos adjecit.

Resp. 3. Glassius in Philologia sacra pag. 347, per *στίχους* putat denotari *lineas*, quot nimirum unaquæque epistola in autographo habuerit: ex. gr. in 1 epistola ad Corinthios fuissent lineæ *ωό* 870, in 2 ad Corinthios lineæ φλ 530. In epistola Judæ lineæ *οά* 71. Et sic deinceps. In editione Roberti Stephani anni 1550, quæ in folio impressa est, epistola Judæ habet lineas 56, sed in MSS. exemplaribus quælibet linea tot voces non comprehendit. Non igitur dubium est, inquit Glassius, quin *αὐτογράφων* etiam epistolarum apostolicarum lineas in numerato primitivæ ecclesiæ pii doctores habuerint, numerumque in ora epistolæ per *quinarios* vel *denarios* assignaverint, (quem in unam collectum summam ad calcem epistolarum singularum posuerunt) itemque in descriptionibus suis sedulâ hâc usi fuerint cautelâ, ut singulis *ἐν αὐτογράφῳ* lineis, singulæ *ἐν ἀπογράφῳ* responderent, donec progressu temporis (præsertim post artem inventam typographicam, quæ exactissimam illam ad *αὐτόγραφον* exscribendi rationem imitari nequit) mos ille exolesceret. Hæc sententia Glassii valde probabilis videtur.

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA PRIMA,

DE

epistolis ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, & ad Philippenses.

§. 1. *De epistola ad* Romanos *septem ad examen revocantur.*
2. *Paulus ejus epistolæ est auctor, & tertius amanuensis.*
3. *Scripsit Romanis. Primi concionatores Romanorum sunt ignoti.*
4. *Tempus scriptionis.*
5. *Missa est Corintho.*
6. *Non scripsit propter falsos fratres, sed ut fideles Romanos vera in fide confirmaret.*
7. *Tres continet partes.*
8. *Ob duas causas hæc epistola est difficilis.*
9. *De epistola ad* Corinthios *quatuor examinabimus.*
10. *Urbs Corinthus à Romanis incensa & vastata. Origo proverbii:* Non cuivis licet adire Corinthum.
11. *Occasio scribendi.*
12. *Contentum epistolæ in genere & in specie.*
13. *Missa videtur Ephæso vel Philippis per Stephanam, Fortunatum, &c.*
14. *Contentum epistolæ* posterioris ad Corinthios.
15. *Occasio scribendi est varia.*
16. *Unde & per quos missa sit incertum est.*
17. *Qui & quales fuerint* Galatæ *describitur.*
18. *Occasio scribendi.*
19. *Contentum epistolæ.*
20. *Incertum est unde & per quos sit missa.*
21. *Conditio* Ephesi *&* Ephesiorum *describitur.*
22. *Causa datur quare hæc epistola contineat obscuros sensus.*
23. *Occasio & causa motiva scribendi.*
24. *Contentum epistolæ.*
25. *Missa est Romæ per Tychicum diaconum.*
26. *Paulus solus scripsit ad* Philippenses. *Ratio datur quare Timotheum sibi adjunxerit.*
27. *Urbs hæc à Philippo Macedone denominatur. Narratur quid hic Paulo & Sila acciderit.*
28. *Causa motiva scribendi.*
29. *Missa est Romæ per Epaphroditum.*

I. *De epistola ad Romanos.*

SECTIO I.



Satis egimus de apostolo Paulo, auctore epistolarum, jam porro de ipsis epistolis ordine differemus. Ordo idem in edendis epistolis non observatur, quo eæ ab apostolo conscriptæ sunt. Omnium primò quidem conscriptæ sunt duæ

duæ epiſtolæ ad Theſſalonicenſes, ſed ordine prima imprimitur epiſtola ad Romanos; fortè quia ſcripta eſt Romam, ad ſedem imperii, & quaſi ad arcem mundi, quæ erat gentium domina, quæque eo nomine digna viſa videtur, ut primum locum occuparet; vel quia cæteris epiſtolis prolixior eſt. De hac epiſtola hæc ſequentia examinabimus. 1. Quis hanc epiſtolam conſcripſerit. 2. Quibus ſit ſcripta. 3. Quando. 4 Unde. 5. Occaſionem ſcribendi. 6. Quomodo dividatur, & quid contineat. Et 7. Quare hæc epiſtola ſit difficilis.

II. 1. Auctor hujus epiſtolæ eſt Paulus; prout apparet ex verſu 1. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*, &c. Hoc ſuum nomen tredecim epiſtolis præfixit, imitatus in hoc pleroſque prophetas, ut Ieſaiam, Ezechielem, Hoſeam, alioſque, qui nomina ſua in initiis librorum expreſſerunt: tum ad denotandam certitudinem doctrinæ quam docebant; tum etiam ne lectores de veritate doctrinæ dubitarent. Huic non opponitur quod habetur cap. 16, v. 22. *Saluto vos ego tertius, qui ſcripſi epiſtolam*, ſcil. ad Romanos. Nam tertius, dictante Paulo, ſcripſit ex ore ejus. Fuit ergo tertius Pauli amanuenſis & ſcriba.

III. 2. Scripſit Romanis, h. e. fidelibus, qui tum temporis Romæ ex Iudæis & Gentibus Chriſtum erant amplexi. Non ſcripſit Imperatori & Senatui Romano, ſed miſellæ turbæ conſtanti exulibus & peregrinis, quos nondum viderat; ſed de quibus audiverat eos feliciter eſſe inſtitutos, & ad quos decreverat, iturus in Hiſpaniam, proficiſci.

Cum certum ſit Paulum hoc tempore nondum fuiſſe Romæ: *quæritur*: Per quos igitur prædicatum ſit Euangelium Romanis.

Reſp. Quidam reſpondent Petrum illis prædicaſſe: nam ſecundo anno Claudii Imperatoris dicitur veniſſe Romam, & nonnullos ibidem convertiſſe. Alii adſcribunt Andronico & Iuniæ: quia illi ipſi cap. 16, verſ. 7, inter apoſtolos primarios numerantur, qui ante Paulum in Chriſto fuerunt. Illi etiam eo tempore Romæ fuerunt, cum ſcriberetur hæc epiſtola: & propterea probabile nonnullis videtur illos ibidem docuiſſe. Ut ut ſit, non videtur veroſimile Petrum tum temporis fuiſſe Romæ, nec Romanos miniſterio Petri ante ſcriptam epiſtolam eſſe converſos: nam Paulus procul dubio in epiſtola ſua, & præcipuè circa finem capite ultimo inter tot ſalutandos etiam ſalutaſſet Petrum.

IV. 3. Scripta eſt hæc epiſtola poſt utramque ad Corinthios. Hinc putant in hac jam abſolutæ & confirmatæ pietatis argumenta potiſſimum elucere.

V. 4. Epistola hæc missa est Corintho, per Phœben ministram Cenchræensis ecclesiæ: uti apparet ex subscriptione. Est autem Cenchræa portus Corinthiorum, haud procul ab urbe dissitus.

VI. 5. Non scripsit hanc epistolam apostolus propter falsos doctores, corrumpentes sinceritatem doctrinæ, & asserentes sine circumcisione & legis observantia Christum non prodesse: nam vix talium hominum facit mentionem, nisi cap. 16, v, 17. Videtur igitur verosimilius Eum ideo hanc epistolam scripsisse, ut Romanos, quorum fidem & constantiam ab omnibus laudari audiverat, in fide illa confirmaret: nam cap. 1 cupit ipsos videre, ut aliquod donum spirituale illis impertiatur. Fortè etiam monitus & rogatus ab aliis ecclesiis scripsit hanc epistolam, ut exstaret scriptum aliquod perfectum de præcipuis religionis Christianæ articulis, scil. de natura nostra, de meritis, de gratia justificante, de peccato, & similibus. Eò forte spectant salutationes cap. 16 descriptæ: *Salutant vos ecclesiæ Gentium*, &c.

VII. 6. Hæc epistola continet tres partes. 1. Procemium, usque ad 16 versum. 2. Tractationem doctrinæ Christianæ, à versu 16 usque ad versum 34 capitis 15. (3) Conclusionem totius epistolæ, ab *illo versu usque* ad finem. In secunda parte docet quid sentiendum sit de præcipuis religionis articulis, de operum dignitate apud Deum; tum quæ præstabant Gentes ex morali disciplina: tum quæ præstabant Judæi secundum legem Mosaicam: item de peccato, de fide, de gratia, de veris causis justificationis, de vocatione Gentium, de rejectione Judæorum, de renati hominis operibus, & de similibus: ut meritò sit æstimanda compendium Christianæ pietatis.

VIII. 7. Hæc epistola difficilis est intellectu ob *duas præcipuè rationes*. 1. Propter difficultatem rerum & mysteriorum, de quibus agit; ut exclamare cogatur apostolus: *O altitudo divitiarum*! Mysteria nonnulla prudens sic attigit, ut ceu per transennam duntaxat ostendat, pro temporum illorum ratione, proque captu eorum, quibus scribit, orationem attemperans. 2. Propter crebram ac subitam personarum mutationem, dum nunc Judæos, nunc Gentes, nunc utrinque; modo credentes, modo incredulos respicit; aliâs infirmi, aliâs firmi; interim pii, interim impii personam sustinet. Hinc Origines Paulum assimilem facit ei, qui hospitem in opulentissimi cujuspiam Principis palatium inducat, diversis viarum ambagibus, & conclavium secessibus perplexum, quædam autem procul ostendat, ex ditissimo opum thesauro, quædam propius admoveat, quæ-

dam

dam videri nolit, sæpe interim per aliud ingressus ostium, aliunde exeat, ut hospes ipse miretur, unde venerit, ubi sit, aut qua sit exeundum. Vide Erasmum in argumento ad hanc epistolam, & Aretium in Prolegomenis.

II. *De priori epistola ad Corinthios.*

IX. De priori epistola ad Corinthios considerabimus hæc quatuor sequentia. 1. Quales fuerint Corinthii. 2. Quæ fuerit occasio scribendi. 3. Qualia contineat hæc epistola. & 4. Unde & per quos sit missa.

X. 1. Corinthus dicta est à Corintho Marathonis vel Pelopis filio, ejus conditore vel instauratore. Hæc urbium Græciæ olim florentissima & clarissima fuit, atque ob situs commoditatem emporium celeberrimum & opulentissimum. Etiam in tantam excrevit potentiam, ut ne Romanæ quidem urbi cederet: imo in tantum fastum evasit, ut Corinthii legatos populi Romani stercoribus fœdare non dubitaverint. Propterea commoti Romani bellum Corintho inferendum censuerunt. Missus itaque in Græciam L. Mummius Corinthum obsedit, tandemque captam incendit, & solo æquavit. Hæc, quam Cicero in Oratione pro Lege Manilia lumen totius Græciæ appellavit, ejus, in Oratione contra Rullum, vix vestigium relictum esse ait: *Corinthi vix vestigium relictum est. Erat enim posita in angustiis, atque faucibus Græciæ, sic ut terra claustra locorum teneret, & duo maria maximè navigationi diversa conjungeret, cum pertenui discrimine separentur.* Ovid. 4. Fastor. eam bimarem vocat.

Adriacumque patens latè, bimaremque Corinthum.

In hac urbe erat Veneris templum, in quo prostitutæ mulieres corpore quæstum faciebant. Unde nobiles meretrices, quas Athenæus refert, Corinthiæ fere omnes fuêre. Hinc natum procul dubio proverbium: *Non cuivis licet adire Corinthum.* Qui hanc urbem inhabitabant, vocati sunt Corinthii, & ad hos scripsit hanc epistolam apostolus. Licèt loci opportunitas & divitias & singularem morum corruptelam in hanc urbem convexisset, nihilominus Dominus habuit ibi fideles suos, *Act.* 18.

XI. 2. Apostolus docuerat ecclesiam Corinthi sesquiannum, *Act.* 18, 11, magno fructu & successu; indicaveratque ei Dominus; quod populus multus sibi in ea civitate esset. Sed cum inde enavigaret in Syriam, varia ingenia cœperunt ecclesiam perturbare. Alii doctrinæ Christianæ simplicitatem carpebant, imbuti philosophicâ quâdam persuasione sapientiæ & eloquentiæ humanæ. Alii in moribus quidvis sibi licere præsumebant;

 adeo

adeo ut scortatores, ebriosos, litigiosos admitterent. Alii damnabant matrimonium, alii negabant resurrectionem carnis. His aliisque malis afflicti Corinthii scribunt ad apostolum, petentes de quibusdam edoceri. 1 Cor. 7, 1. *Cæterum de quibus scripsistis mihi, bonum est homini uxorem non attingere.* Apostolus arreptâ hâc occasione non solum ad propositas quæstiones respondet; sed cum à domesticis Chloæ intellexisset dissidia illorum, 1 *Cor.* 1, 11, etiam alia multa, quæ ipsis minus vitiosa videbantur, reprehendit. Priorem ergo partem epistolæ habuit ex publico rumore, & posteriorem ex ipsis literis Corinthiorum.

XII. 3. In genere docet apostolus curandum esse, ut sublatis dissidiis & morum corruptelis, consensum in doctrina sibi tradita, & in moribus innocentiam colant omni virtutum genere, ut imago Dei in ipsis restauretur & perficiatur ad adventum Jesu Christi. In specie epistola hæc continet tria sequentia. 1. A principio usque ad caput 7, corrigit apostolus in Corinthiis ea vitia, quæ illis levia videbantur, sed quæ revera gravia erant; ut sunt dissidia & sectæ, vana persuasio eloquentiam in ministris Domini requirens, scortatio, incestus, litigandi mos apud infideles judices, &c. 2. A capite 7, respondet ad quæstiones propositas ex contentione docentium natas, quales erant de matrimonio *cap.* 7. de ciborum delectu, de idolothytis *cap.* 11. de cœtibus ecclesiasticis, de cœna Domini, de usu donorum spiritualium, de præstantia prophetici muneris, de resurrectione mortuorum &c. usque ad 16 caput. 3. Annectit quædam *cap.* 16, de rebus privatis, scil. de collecta, de suo adventu, de Timotheo, de Apollo, de familia Stephanæ, de Fortunato, Achaico, & similia.

XIII. 4. Nonnulli putant Epheso missam esse hanc epistolam; quia cap. 16, v. 8, habetur: *Commorabor autem Ephesi usque ad Pentecosten.* Alii arbitrantur Philippis esse missam; quia in subscriptione Græca & Arabica hujus epistolæ habetur: *Ad Corinthios prior, missa fuit ab urbe Philippis per Stephanam, Fortunatum, Achaicum & Timotheum:* Sed cum subscriptiones illæ non sint authenticæ, etiam nihil certi determinare poterunt. Syrus in fine scribit missam esse per Timotheum: *Scripta est Philippis Macedoniæ, & missa est per manus Timothei.* Vide plura in Aretio.

III. *De posteriori epistola ad Corinthios.*

Circa posteriorem epistolam consideranda veniunt: 1. Quid contineat.

at. 2. Quare sit scripta. 3. Unde & per quos missa.

XIV. 1. In genere apostolus apologiam instituit, & defendit doctrinam suam & apostolatum contra calumnias falsorum apostolorum. Etiam ostendit se non scripsisse ulla levitate in promissis, aut dominandi studio, vel ulla ambitione quicquam docuisse vel scripsisse, sed ex singulari amore erga eos, & benefaciendi studio.

XV. 2. Occasio scribendi nata est ex malevolentia adversariorum. Apostolus 1 *Cor.* 16, 7, promiserat se ad Corinthios esse venturum quando Macedoniam transiret: sed impeditus variis persecutionibus non venerat. Hinc adversarij eum levitatis accusabant. Deinde quia *cap.* 5 scripserat, incestuosum tradendum esse Satanæ; hinc eum traducebant tanquam hominem ambitiosum, & severum censorem. Etiam accusabant eum quod dominationem quæreret, auctoritatem nimiam sibi pararet, quod legem everteret, homines carnales & dissolutos efficeret, & quod nimis imperiosus in scribendo esset, cum sit persona abjecta & contemptibilis.

XVI. 3. Græcæ & Arabicæ subscriptiones volunt hanc epistolam missam esse ab urbe Philippis Macedoniæ per Titum & Lucam. In Latinis codicibus argumentum præfixum scribit eam missam fuisse è Troade per Titum. Syrus ait eam scriptam è Philippis Macedoniorum, & missam per Titum.

IV. *De epistola ad Galatas.*

Sequitur epistola ad Galatas, de qua examinabimus. 1. Qui & quales fuerint Galatæ. 2. Quare apostolus hanc epistolam conscripserit. 3. Quæ contineat. 4. Unde & per quos sit missa.

XVII. 1. Galatia vulgo *Pere* regio minoris Asiæ, Phrygiæ contermina, ita fortè dicta à Gallis, qui relictâ patriâ ibi sedes fixerunt. Incolæ Galatiæ appellantur vel Galatæ, aliàs Gallogræci; quia ex Gallis simul & Græcis coaluerunt; vel Celtæ. Unde vocantur Galatæ? Quibusdam placet eos denominari ἀπὸ τοῦ γάλακτος, h. e. *à lacte*; quia habebant corpora magis candida, nec more Italorum aut Hispanorum fusca, nec Asiaticorum instar denigrata. Quomodo hi Gallogræci ex Europa in Asiam transmigrarint, describunt Strabo lib. 12. Justinus lib. 25. aliique. Bis fuit apostolus apud hos Galatas, primò Act. 16, v. 6, quando Spiritus prohibuit ibi loqui: *Quum peragrassent Phrygiam & Galaticam regio-*

nem, vetitique essent à Spiritu Sancto loqui sermonem in Asia. Secundò iterum venit ad ipsos Actor. cap. 18, v. 23. *Et commoratus illic aliquantum temporis, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phrygiam*, &c. Tum exposuit ipsis fidem in Christum, docens homines gratiâ Dei per Christi merita salvos reddi, sine circumcisionis & operum legalium observantia; adeo ut egregiam ibi congregaverit ecclesiam.

XVIII. 2. Galatæ rectè ab apostolo instituti, pseud-apostolorum operâ in Judaismum retracti fuerunt. Nam falsi illi doctores cœperunt multa innovare, præcipuè in ritibus Judaicis, ut temporum discrimina, novilunii, neomeniæ, circumcisionis observantiam, aliaque instituerent; & ut illa introducerent, non tantum ipsum apostolum, sed etiam ejus doctrinam contemnebant; scil. quod cum Christo non fuisset conversatus, quod apostolus alios non audivisset, &c. His apostolus permotus scripsit ad eos, & quidem vehementi & acri oratione, ut eorum errori mederetur, & suam assereret auctoritatem, ac falsorum doctorum fraudulentiam aperiret.

XIX. 3. Docet ergo apostolus Galatas in simplicitate doctrinæ debere constanter perdurare, nec ita faciles se præbere ad recedendum à semel susceptâ doctrinâ. Deinde docet homines fide in Christum & non operibus ceremonialibus coram Deo justificari. *Vide plura in Aretio.*

XX. 4. Græca & Syriaca subscriptio vult hanc epistolam Româ fuisse missam; sed argumenta, in versione vulgatâ expressa, testantur missam ex urbe Epheso. Arabica habet: *Scripta fuit ab urbe Roma per Titum & Lucam.* Sed hæc tanquam incerta præterimus.

V. *De epistola ad Ephesios.*

Sequitur epistola Pauli ad Ephesios, de qua inquirenda sunt. 1. Quales fuerint Ephesi. 2. Quare hæc epistola tam abditos habeat sensus. 3. Quare apostolus scripserit. 4. Quid contineat. 5. Unde scripserit.

XXI. 1. Ephesus fuit urbs Joniæ, emporium totius citerioris Asiæ celeberrimum, metropolis Asiæ minoris, civitas superstitiosè dedita cultui dæmonum, & præcipuè Dianæ multimammiæ, quam Græci Polymaston vocant, quamque volebant omnium animantium esse nutricem. In hac urbe fuit Templum Dianæ antiquissimum & sumptuosissimum, quod, referente Plinio *lib. 36, cap. 14.* annis 220, à tota Asia conditum,

loco paluſtri, ne terræ motu quateretur, & ſtrato prius carbonibus fundamento ne ſubſideret. Incolæ hujus urbis, Epheſii dicti, non tantum erant ſuperſtitioſi, ſed etiam magicis artibus deditì: hos tamen apoſtolus per triennium docuit Act. 20. & per prædicationem Euangelii convertit; adeo ut ipſimet libros ſuos magicos publicè comburerent, quorum pretia Lucas dicit computata eſſe ad quinquaginta millia denariorum.

XXII. 2. Difficultas hujus epiſtolæ, quam etiam agnoſcit Hieronymus in præfatione Commentariorum, non tam in verbis ſita eſt, quam quidem in ſenſibus. Paulus in hac epiſtola obſcuros ſenſus congeſſit: quia ſcripſit ad curioſos, magiæ deditos, & doctiſſimos viros, quorum magna copia in hac urbe fuit. Ob hanc epiſtolam præcipuè putant Petrum ſcripſiſſe de epiſtolis Pauli, quod in iis quædam ſint difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant ad ſuam ipſorum perditionem.

XXIII. 3. Apoſtolus bis eos viſitaverat antea; ſed poſtea abſens, morti vicinus, & jam ſenex voluit ad eos ſcribere, non quia à vera fide defecerant, vel per falſos doctores deducti fuerant, uti Galatæ; ſed voluit eos ad conſtantiam in profeſſione veræ religionis adhortari. Occaſio ergo ſcribendi fuit amor quo ducebatur erga eccleſiam Epheſinam. Voluit exſtare in illa eccleſia illuſtre doctrinæ ſuæ teſtimonium, quod falſis doctoribus aliquando opponi poſſet.

XXIV. 4. Docet apoſtolus Epheſios in doctrina fidei, & in Chriſtianæ dilectionis officiis debere, uti hactenus, ſic deinceps quoque conſtantes manere. Deinde monet Deum Patrem in Filio ſuo hominibus maxima bona, quorum caput eſt vita æterna, gratis, nihilque tale merentibus contuliſſe; ideoque eos vitæ ſanctimoniâ & innocentiâ profeſſionem illam ornare debere.

XXV. 4. Miſſa eſt epiſtola hæc ex urbe Roma per Tychicum Diaconum, quem cap. 6, v, 21, *dilectum fratrem & fidum miniſtrum in Domino* vocat. Ambroſius addit ſcriptam è carcere, cum Hieroſolymis Romam deductus, ſub fidejuſſore degeret extra caſtra, in ſuo conducto.

VI. *De epiſtola ad Philippenſes.*

De hac epiſtola conſiderabimus. 1. Quis ſcripſerit. 2. Ad quos. Et unde hæc urbs ita ſit denominata. 3. Quæ fuerunt cauſæ motivæ ſcribendi. 4. Unde, & per quem ſit miſſa.

XXVI. 1. Paulus ſcripſit hanc epiſtolam. Et licèt in initio verſu 1.

ſibi

sibi adjungat Timotheum: cum ait: *Paulus & Timotheus servi Iesu Christi, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis,* &c. inde tamen non sequitur, quod Timotheus hanc, vel etiam secundam ad Corinthios, ubi idem dicitur *cap.* 1, *v.* 1, conscripserit: sed Paulus meminit in his duabus epistolis nominis Timothei, ut demonstraret Timotheum etiam hæc approbare, quæ scribebat. Similiter in epistola ad Galatas cap. 1, v, 2 sibi conjunxit omnes fratres: ut majoris auctoritatis esset epistola apud Galatas qui graviter lapsi & deducti fuerant.

XXVII. 2. Scripsit ad fideles, qui Philippis in Macedonia erant. Hanc urbem Philippus Macedo vallo munivit, & auctiorem reddidit, ac à se Philippos appellavit. Appianus Alexandrinus lib. 4 de bellis civilibus eam sic describit: *Philippi civitas est, quæ olim Datos dicebatur, Crenida autem ante nomen Dati appellata, quippe fontes plurimi circa collem uberibus scaturiunt aquis, eum locum Philippus ut accommodum metatus super Thraces vallo sepsit, & à se Philippos nuncupavit.* Fuerunt hîc campi Philippiaci nobilitati victoriâ Octavii Augusti contra Brutum & Cassium, Julii Cæsaris interfectores. Apud hos Philippenses Paulus unà cum Sila multis diebus docuerat, *Act.* 16, 12, usus hospitio Lydiæ purpurariæ: sed ob spiritum Pythonis è puellâ ejectum flagris cæsi, in carceres conjecti sunt; unde tamen mirabili Dei consilio sunt liberati.

XXVIII. 3. Paulus ad hos Philippenses scripsit, motus præcipuè his rationibus. 1. Quia habebant domestica dissidia, *cap.* 1, v. 28. & *cap.* 2, v. 3, 4. (2.) Imminebant ipsis & aliis gravia pericula, contra quæ ipsos voluit confirmare. 3. Sollicitabantur à falsis doctoribus, ut circumcisionem & alia legis onera admitterent *cap.* 3. (4.) Fortè etiam in gratiarum actionem scripsit: nam quum ipse Romæ ageret in vinculis, *miserunt per* Epaphroditum, quæ ad vitæ necessitatem pertinebant, quod & ante fecerant, cum ageret Thessalonicæ.

XXIX. 4. Scripsit ex urbe Româ per Epaphroditum, cum iterum esset in carcere, inquit Erasmus in Argumento, huic epistolæ præfixo. Arabica subscriptio habet: *Scripta fuit Româ, & missa per Epaphroditum.*

DIS-

DISSERTATIO VIGESIMA SECUNDA, DE

epiſtolis ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes, & ad Timotheum.

I. *De epiſtola ad Coloſſenſes.*

SECTIO I.

Iam ordine ſequitur epiſtola ad Coloſſenſes, de quâ examinabimus: 1. Quales fuerint Coloſſenſes. 2. Quid Paulum moverit ad ſcribendum. 3. Qualia contineat epiſtola. 4. Unde ſit ſcripta, & per quos tranſmiſſa?

II. 1. Coloſſæ Coloſſarum, ſive Coloſſe aut Coloſſis fuit magna & populoſa civitas Phrygiæ, ſita ad Lycum & Meandrum flumina, quæ poſtea Chonæ, referente Theophylacto, appellata fuit. Vicinas habuit urbes Apameam, Laodicæam & Hierapolim. Zenophon inſpector hujus

 urbis,

urbis, *lib. I. Expedit*, vocat hanc urbem *πόλιν οἰκουμένην, εὐδαίμονα καὶ μεγάλην*, *urbem benè habitatam, felicem & magnam.*

Hanc urbis magnitudinem videtur refellere Strabo Lib. 12. vocans eam tantùm oppidum.

Resp. 1. Hæc urbs cum Laodicea & Hierapoli temporibus Neronis, teste Orosio, terræ motu cecidit: & propterea urbs hæc, antea amplissima, per concussionem illam in oppidum videtur mutata. 2. Vel dicendum est Strabonem comparatè loqui respectu urbis Laodicæ, quæ multo amplior fuit.

Deinde quod hæc urbs non fuerit sita in Phrygia, videtur probare Lucas in Actis: nam cum Paulus Phrygiam peragraret, confirmans fratres (Act, cap. 16, v. 6. & cap. 18. v. 23. *Quum peragrassent Phrygiam & Galaticam regionem*) tum nullam facit mentionem Colossensium; quos sane silentio non præteriisset Lucas in Actis, si eos visitasset.

Resp. Fuit duplex Phrygia, major scil. & minor. In Actis fit mentio minoris Phrygiæ, in qua erat Metropolis Troja, cujus incolæ à Virgilio Phryges nominantur: sed Colosse erat urbs Phrygiæ majoris, quæ Pacatiana vocatur. Ab hac Colosse ejus incolæ vocati sunt Colossenses. Errant igitur Cyrus ille Prodromus, aliique, dicente Beza in notis, qui hanc epistolam ad Rhodios esse scriptam putant, quasi à Collosso illo celebri dicti sint Colossenses. Plinius lib. 31, cap. 2. refert ibi amnem quendam esse, in quem conjecti lateres lapidescunt.

III. 2. Paulus Colossenses non viderat, nec visitaverat, neque instituerat; sed ab Archippo, Onesimo, Tychico, aliisque, & præcipuè ab Epaphra in religione Christiana bene instituti erant. His imminebant pseudapostoli, (quorum Epaphras Paulum certiorem fecerat; uti apparet ex cap. 1, v. 8. & cap. 4, v. 12.) conantes in dogma perversissimum eos inducere, docentes filium Dei non esse salutis auctorem, sed per angelos viam patere ad Patrem. Deinde Judaismum & Philosophiæ superstitionem cum Christi doctrina miscebant, observantes quædam legis instituta. Apostolus igitur, ut his malis occurreret, eosque ab his falsis opinionibus liberaret, hanc Epistolam conscipsit, ostendens, illos, quicquid hactenus consecuti fuerant, non angelis debere, sed Christo angelorum conditori: hunc unum esse caput ecclesiæ, nec ab alio quoquam petendam salutem. Deligenter etiam monet, ne pseudapostorum magniloquentiâ, confictisque visionibus angelorum sibi imponi paterentur, & vel in Judaismum, vel in philosophicam superstitionem prolaberentur.

IV. 3. Apo-

IV. 3. Apostolus docet in hac epistola eam doctrinam, quam acceperant ab Epaphra, & quam nunc adhuc sincerè profitebantur Archippo, esse solam veram, nec præter hanc esse necessarias alias res ad salutem consequendam, sive ex lege Mosaica, sive ex speculationibus Philosophicis. Suadet igitur apostolus illis in hac vera doctrina esse perdurandum, & addendam vitæ innocentiam. Extrema pars epistolæ salutationibus occupatur, nisi quod Archippum commoneat officii sui.

V. 4. Græcorum subscriptiones testantur hanc epistolam Româ esse scriptam, & missam per Tychium & Onesimum. Erasmus verò in Argumento huic epistolæ præfixo fere hanc Græcorum subscriptionem refutat, cum ait: *Scripsit autem è carcere ab Epheso per Tychicum, quod ipse palam testatur in hujus epistola capite quarto, cui collegam dederat Onesimum.* Sed eam rursus confirmant Novum Test. Arabicum & Syriacum.

II. *De priori epistola ad Thessalonicenses*

Circa priorem epistolam ad Thessalonicenses considerabimus. 1. Quales fuerint Thessalonicenses. 2. Quid Paulum moverit ad scribendum 3. Quid contineat epistola. 4. Unde sit scripta, & per quos transmissa.

VI. 1. Thessalonica, unde ejus incolæ dicti sunt Thessalonicenses, olim Macedoniæ celeberrima fuit civitas. Strabo lib. 7. testatur eam suo seculo fuisse adhuc admodum florentem, ἣ νῦν μάλιστα τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ *quæ adhuc præ aliis* urbibus *robore & fortitudine civium floret.* Situs ejus fuit commodissimus: nam à Meridie habuit mare amplissimum, in cujus amplissimo sinu condita fuit. A Septentrione & Ortu Chabris fluvius eam munivit. Ab occasu est fluvius Echedorus, nec procul inde distat Berœa, ad radices montis Citharii posita, quò sese Paulus recepit subortâ seditione Thessalonicæ. Olim appellata fuit Halia, Emathia, vel etiam Therma; unde sinus ille maris Thermaticus dictus est.

Quare hæc urbs Halia sive Therma postea vocata est Thessalonica?

Resp. 1. Vel quòd Philippus Amynthæ filius memorabili prœlio ibidem Thessalos devicerit, in cujus rei memoriam vicinam urbem Thermam appellavit Thessalonicam. 2. Vel (ut auctor est Lucius Tarræus, qui de Thessalonica librum edidit) quod Philippus cum ex Jasonis nepte illic sobolem suscepisset, eaque vicesimo puerperii die extincta esset, Nicæ nutrici nutriendum infantem dederit: & inde nomen urbi imposuerit.

 Nam

Nam mater infantis Nicasipolis dicebatur. Sed prior appellatio videtur vera, quæ propter τὴν νίκην victoriam contra Thessalos, eam urbem Thessalonicam vocatam esse vult. Hæc illa est Thessalonica, in qua Theodosius Imperator in seditiosos quosdam graviter animadvertit; ob quod factum Ambrosius eum postea Mediolani excommunicavit. Circa hanc urbem infeliciter pugnavit Constantius contra Saracenos, insomnio quodam incitatus, quo sibi imaginabatur se Thessaloniæ esse. Sed unus ex ducibus, ex Etymologia vocis Thessalonicæ, contrariæ parti victoriam adscribebat; θὲς ἄλλῳ τὴν νίκην. Hæc urbs postea vendita est Venetis ab Andronico, nec diu possessa, sed à Turcis, juxta cum aliis Græciæ urbibus, est occupata. Stephanus ait hodie *Salonichi* appellari, & esse oppidulum à piscatoribus & egenis admodum incolis habitatum.

VII. 2. Paulus Thessalonicæ docuerat, & ecclesiam non sine magno vitæ periculo, disputando & disserendo per tria Sabbatha, collegerat; sed propter persecutiones tum Judæorum ibi habitantium, tum etiam circumforaneorum quorundam à Judæis incitatorum debuit Berœam fugere unà cum Sila & Timotheo; illinc Athenas, relictis Sila & Timotheo *Berœæ, Act.* 17. Interea, curam hujus tenellæ ecclesiæ gerens, remisit ad eos Timotheum *cap.* 2, *v.* 1, 2 qui illos in fide recepta confirmaret. Cum Timotheus reversus esset ad apostolum Athenas, vel ut aliis placet Corinthum, retulit summam eorum constantiam: quapropter motus apostolus hanc priorem epistolam ad eos conscripsit; tum ut illos in vera fide & constantia illa confirmaret, tum etiam ut vitia quædam corrigeret.

VIII. 3. Hæc epistola præcipuè hæc duo continet. 1. *In tribus prioribus* Capitibus eos in fide recepta confirmat, & *docet perdurandum esse* in ea; recenset etiam quo successu hanc doctrinam *susceperint, quanto* cum periculo, & quantâ cum efficaciâ Spiritus S. 2. In capite quarto eos incitat ad vitæ sanctitatem & charitatem mutuam, more infidelium eos tristari vetat, & historiam resurrectionis nostræ graphicè depingit. In capite quinto curiosam temporum adventus Christi inquisitionem damnans, admonet ut assiduè ad eum excipiendum sint parati. Hinc descendit ad varias admonitiones.

IX. 4. Subscriptio Græca vult hanc Epistolam fuisse scriptam Athenis; cui subscripto Syriaca ac Arabica addunt missam per manus Timothei: sed argumentum, incerto auctore vulgatæ versioni præfixum, ait missam esse per Tychium Diaconum & Onesimum. Notæ Belgicæ, ad subscri-

ſubſcriptionem epiſtolæ annotatæ, putant hanc epiſtolam non Athenis ſed Corintho eſſe ad Theſſalonicenſes tranſmiſſam.

III. *De poſteriori epiſtola ad Theſſalonicenſes:*

De hac poſteriori epiſtola examinabimus, 1. Occaſionem ſcribendi. 2. Materiam epiſtolæ. Et 3. Unde ſit ſcripta.

X. 1. Apoſtolus in priori epiſtola cap. 2, v, 17, ait, ſe teneri deſiderio videndi Theſſalonicenſes. Et cap. 3, v, 10. iterum ſcribit: *Nocte ac die ſupra modum orantes ut videamus faciem veſtram, & ſuppleamus quæ deſunt fidei veſtræ.* His quaſi indubitanter promiſit ſe eſſe venturum. Sed quum apoſtolo ſemper eriperetur occaſio ad eos redeundi, ſcripſit hanc epiſtolam: tum ne viderentur ab ipſo contemni; tum ad confirmandos ipſorum animos, ut fortiter ferrent illatas ob Chriſtum afflictiones. Deinde Paulus nonnulla reſervaverat in adventnm ſuum. Etiam ſiniſtra quædam opinio nonnullos invaſerat, de adventu ſcil. Chriſti, quaſi iſto ſeculo, Paulo adhuc vivente, ad judicium veniret. Denique parcius ſcripſerat contra otioſos, & curioſarum quæſtionum amatores, &c. Paulus ergo ut cætera, in priori epiſtola omiſſa, doceret & genuinam ſententiam de adventu Chriſti pleniùs explicaret, atque de otioſis coërcendis diligentiùs eos admoneret, ſcripſit hanc poſteriorem epiſtolam.

XI. 2. Laudat incrementa fidei, charitatis & tolerantiæ Theſſalonicenſium, ac Dei ultionem adverſus priorum oppreſſores deſcribens, fideles docet recumbere in expectationem extremi judicii. Deinde negat venturum Chriſti diem donec in apoſtaſiam prolapſus fuerit mundus, & revelatus fuerit antichriſtus; cujus interitum deſcribit, infertque inde exhortationem ad conſtantiam. Denique monet ut piis precibus Euangelii prædicationem promoveant, & ſe ſubducant ab iis qui otio & curioſitate turbant ordinem publicum: quos etiam à communi fidelium cœtu excludit.

XII. 3. Subſcriptio docet hanc poſteriorem epiſtolam ſcriptam eſſe Athenis: addit argumentum Latinum *per Titum Diaconum & Oneſimum accolytum.* Subſcriptio Syriaca vult eam ſcriptam eſſe Laodicæâ Piſidiæ, & miſſam per manus Tychici. Iterum notæ Belgicæ judicant & hanc poſteriorem epiſtolam Corintho eſſe ſcriptam, quia Paulus ibi ſeſquiannum tranſegit, ubi Timotheus & Silas, quorum nomine utraque epiſtola eſt conſcripta, ad ipſum primùm venerunt, Actor. cap. 18, v. 5, 11.

IV. *De priori epistola ad Timotheum.*

XIII. Præcedentes epistolæ fuerunt scriptæ ad integras ecclesias; sed quatuor sequentes ad particulares personas, scil. ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem. Circa priorem epistolam ad Timotheum examinabimus, 1. Qualis fuerit Timotheus. 2. Quales præceptores habuerit, & ad quas ecclesias sit missus. 3. Quid Paulum moverit ad scribendum hanc epistolam. 4. Quid contineat. 5. Unde sit scripta, & per quos transmissa. 6. Quo genere mortis è vita discesserit.

XIV. 1. Timotheus quoad patriam fuit, uti ferunt, Lycaonius; natus est parentibus imparibus, scil. patre Græco & gentili, sed matre, quæ Judæa quidem erat nativitate, sed Christiana & fidelis professione, Act. 16, 1, 3. *Discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris cujusdam Judææ fidelis, caterum patre Græco.* Nomen aviæ fuit Loïs, & nomen matris Eunica: 2. Tim. 1, 5. *Ubi commonefactus sum ejus quæ est in te non simulata fidei, quæ habitavit primùm in avia tua Loide, & matre tua Eunica.* Hæ matronæ fuerunt piæ & Christianæ, à quibus Timotheus non solum in Sacris Literis à pueris rectè institutus fuit, sed etiam in vera religione & fide. Paulus 2 Tim. cap. 3, vers. 15. hoc docet: *Et quod à puero sacras Literas noveris, quæ te possint eruditum reddere ad salutem.* Timotheus in infantia non est circumcisus, quia patre gentili progenitus erat: sed Paulus eum circumcidit propter Judæos in illis locis habitantes, qui sciebant patrem ejus fuisse Græcum, *Act.* 16, 3. *Timotheum circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis: sciebant enim omnes quod Pater ejus erat Græcus.*

Hinc posset *quæri*: An licitum fuerit aliquem post mortem Christi circumcidere? An non leges ceremoniales tum temporis fuerint abolitæ?

Resp. Leges cæremoniales tum temporis erant quidem mortuæ & indifferentes, sed nondum erant planè sepultæ; quæ sepultura facta est post Templi secundi vastationem. Voluit ergo Paulus propter Judæos, ne illis offendiculo esset, Timotheum circumcidere. Apostolus eum magni fecit. In priori epistola ad Corinthios cap. 4, v. 17. vocat eum fratrem, filium dilectum & fidelem: *Misi ad vos Timotheum fratrem meum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino.* Vocat eum etiam unanimem, ad Phil. 2, 20. *Neminem habeo tam unanimem, qui sincerè pro vobis sit*

soli-

solicitus. Et cooperatorem, 1 Thess. 3, 2. *Misimus ad vos Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei, & cooperatorem in Euangelio Jesu Christi*.

XV. 2. Timotheus præceptorem, præter aviam & matrem, habuit apostolum Paulum, qui eum, propter institutionem, filium suum vocat. Et quia fuit fidus discipulus, ideo Paulus eum ferme peregrinationum suarum comitem habuit individuum, *Act*. 16, & 20. Timotheus, Paulo impedito, missus est tanquam legatus & apostolus ad varias ecclesias. Cum Erasto in Macedoniam mittitur, *Act*. 19. Ad Corinthios quoque missus est 1 *Cor*. 4. Ad Philippenses, ut res ipsorum inspiceret, *Phil*. 2. Etiam ad Thessalonicenses, ut eos in fide confirmaret, 1 *Thess*. 3,

XVI. 3. Paulus, proficiscens in Macedoniam, reliquit Timotheum Ephesi, cap. 1, v. 3, & quia summopere solicitus erat de ecclesia Ephesiana, ideo propter hanc ecclesiam conscripsit epistolam hanc. 1. Ut resisteret *νομοδιδασκάλοις Legis doctoribus*: nam viderat apostolus satanam ubique sinceræ doctrinæ insidiari, ut illam vel Mosaicis cæremoniis, vel deliriis Philosophicis contaminaret. Sic Galatæ semi Judæi facti erant; Corinthii more Ethnico ferebant scortatores, incestuosos, ebrios in Cœna Domini, &c. Similes corruptelas metuebat apostolus in ecclesia Ephesina: & propterea hunc fidelem ministrum ibi reliquit, quem hac epistola instruxit & confirmavit. 2. In hac ecclesia nondum constitutus erat numerus ministrorum sufficiens: ideo ut doceret, qui & quales essent eligendi, hanc Epistolam conscripsit. Hinc admonet ne cito alicui manus imponeret; & si alicui imponere vellet, quales esse debeant, cap. 3, v. 2, 3. *Oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum. Non vinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed æquum, alienum à puggnis, alienum ab avaritia*, &c. Voluit igitur apostolus ideam ministerii & gubernationis ecclesiasticæ posteritati relinquere, quam tanquam regulam omnes ecclesiæ deinceps sequerentur.

XVII. 4. Apostolus verum pastoris exemplar describit, monetque ut rejectis vanis quæstionibus ea tradat quæ charitatem & fidem spirant. In precibus publicis vult omnes commendari Deo; & quo vestitu, quâque modestiâ mulieres in sacro cœtu se gerere debeant, differit. Episcopos & Diaconos Christianos cum eorum uxoribus, liberis & familia depingit. Falsas doctrinas de conjugii & ciborum descrimine, etiam profanas, damnat. Postea ad viduas & presbyteros transit. Denique docet quid servos

IV. *De priori epistola ad Timotheum.*

XIII. Præcedentes epistolæ fuerunt scriptæ ad integras ecclesias; sed quatuor sequentes ad particulares personas, scil. ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem. Circa priorem epistolam ad Timotheum examinabimus. 1. Qualis fuerit Timotheus. 2. Quales præceptores habuerit, & ad quas ecclesias sit missus. 3. Quid Paulum moverit ad scribendum hanc epistolam. 4. Quid contineat. 5. Unde sit scripta, & per quos transmissa. 6. Quo genere mortis è vita discesserit.

XIV. 1. Timotheus quoad patriam fuit, uti ferunt, Lycaonius; natus est parentibus imparibus, scil. patre Græco & gentili, sed matre, quæ Judæa quidem erat nativitate, sed Christiana & fidelis professione, Act. 16, 1, 3. *Discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris cujusdam Judææ fidelis, cæterum patre Græco.* Nomen aviæ fuit Loïs, & nomen matris Eunica: 2. Tim. 1, 5. *Ubi commonefactus sum ejus quæ est in te non simulatæ fidei, quæ habitavit primùm in avia tua Loide, & matre tua Eunica.* Hæ matronæ fuerunt piæ & Christianæ, à quibus Timotheus non solum in Sacris Literis à pueris rectè institutus fuit, sed etiam in vera religione & fide. Paulus 2 Tim. cap. 3, vers. 15. hoc docet: *Et quod à puero sacras Literas noveris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem.* Timotheus in infantia non est circumcisus, quia patre gentili progenitus erat: sed Paulus eum circumcidit propter Judæos in illis locis habitantes, qui sciebant patrem ejus fuisse Græcum, *Act.* 16, 3. *Timotheum circumcidit propter Judæos qui erant in illis locis: sciebant enim omnes quod Pater ejus erat Græcus.*

Hinc posset *quæri*: An licitum fuerit aliquem post mortem Christi circumcidere? An non leges ceremoniales tum temporis fuerint abolitæ?

Resp. Leges cæremoniales tum temporis erant quidem mortuæ & indifferentes, sed nondum erant planè sepultæ; quæ sepultura facta est post Templi secundi vastationem. Voluit ergo Paulus propter Judæos, ne illis offendiculo esset, Timotheum circumcidere. Apostolus eum magni fecit. In priori epistola ad Corinthios cap. 4, v. 17. vocat eum fratrem, filium dilectum & fidelem: *Misi ad vos Timotheum fratrem meum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino.* Vocat eum etiam unanimem, ad Phil. 2, 20. *Neminem habeo tam unanimem, qui syncerè pro vobis sit*

soli-

solicitus. Et cooperatorem, 1 Thess. 3, 2. *Misimus ad vos Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei, & cooperatorem in Euangelio Jesu Christi.*

XV. 2. Timotheus præceptorem, præter aviam & matrem, habuit apostolum Paulum, qui eum, propter institutionem, filium suum vocat. Et quia fuit fidus discipulus, ideo Paulus eum ferme peregrinationum suarum comitem habuit individuum, *Act.* 16, & 20. Timotheus, Paulo impedito, missus est tanquam legatus & apostolus ad varias ecclesias. Cum Erasto in Macedoniam mittitur, *Act.* 19. Ad Corinthios quoque missus est 1 *Cor.* 4. Ad Philippenses, ut res ipsorum inspiceret, *Phil.* 2. Etiam ad Thessalonicenses, ut eos in fide confirmaret, 1 *Thess.* 3,

XVI. 3. Paulus, proficiscens in Macedoniam, reliquit Timotheum Ephesi, cap. 1, v. 3, & quia summopere solicitus erat de ecclesia Ephesiana, ideo propter hanc ecclesiam conscripsit epistolam hanc. 1. Ut resisteret νομοδιδασκάλοις *Legis doctoribus*: nam viderat apostolus satanam ubique sinceræ doctrinæ insidiari, ut illam vel Mosaicis cæremoniis, vel deliriis Philosophicis contaminaret. Sic Galatæ semi Judæi facti erant; Corinthii more Ethnico ferebant scortatores, incestuosos, ebrios in Cœna Domini, &c. Similes corruptelas metuebat apostolus in ecclesia Ephesina: & propterea hunc fidelem ministrum ibi reliquit, quem hac epistola instruxit & confirmavit. 2. In hac ecclesia nondum constitutus erat numerus ministrorum sufficiens: ideo ut doceret, qui & quales essent eligendi, hanc Epistolam conscripsit. Hinc admonet ne cito alicui manus imponeret; & si alicui imponere vellet, quales esse debeant, cap. 3, v. 2, 3. *Oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris maritum, vigilantem, sobrium, modestum, hospitalem, aptum ad docendum. Non vinolentum, non percussorem, non turpiter lucri cupidum: sed æquum, alienum à pugnis, alienum ab avaritia*, &c. Voluit igitur apostolus ideam ministerii & gubernationis ecclesiasticæ posteritati relinquere, quam tanquam regulam omnes ecclesiæ deinceps sequerentur.

XVII. 4. Apostolus verum pastoris exemplar describit, monetque ut rejectis vanis quæstionibus ea tradat quæ charitatem & fidem spirant. In precibus publicis vult omnes commendari Deo; & quo vestitu, quâque modestiâ mulieres in sacro cœtu se gerere debeant, disserit. Episcopos & Diaconos Christianos cum eorum uxoribus, liberis & familia depingit. Falsas doctrinas de conjugii & ciborum descrimine, etiam profanas, damnat. Postea ad viduas & presbyteros transit. Denique docet quid

servos

servos deceat, & quàm exitiosa pestis sit avaritia.

XVIII. 5. Subscriptio Græca vult eam scriptam & missam esse Laodicæâ, quæ est Metropolis Phrygiæ Pacatianæ. Addit Erasmus in argumento huic epistolæ præfixo per *Tychicum Diaconum*. Hanc subscriptionem Græcam approbant versio Syriaca & Arabica, quarum posterior Laodicæam vocant *matrem urbium Phrygiæ*. Sed subscriptiones hæ non videntur esse veræ. Nam apostolus, scribens hanc epistolam Ephesum ad Timotheum, non videtur fuisse Laodicææ, sed in Macedonia, capite 1, v. 3, ait: *Quemadmodum rogavi te ut remaneres Ephesi, quum proficiscerer in Macedoniam.* Et Col. 1, 2. Laodicenses numerantur inter eos, qui faciem Pauli in carne non viderant. Propterea multi verosimilius putant hanc epistolam esse scriptam & missam Philippis, aut ex aliquâ aliâ urbe Macedoniæ. Hinc apparet subscriptiones illas Græcas, epistolis Paulinis subscriptas, non esse authenticas.

XIX. 6. De morte Timothei nihil certi determinari potest, quamvis sint qui martyrio coronatum eum dicant. Syrius, in vita Timothei, ait eum ab Ephesiis in festo quodam, quod Catagogium vocatur, esse occisum. Ephesii in hoc festo viros & mulieres more prædonum invadebant, magnam cædem eorum faciebant; quâ ratione putabant se honorare dæmonem suum. Timotheus in media compita eos admonuisset, & increpasset: sed Ephesii, nolentes audire illas increpationes, eum maxima cum crudelitate & inhumanitate occidissent. Hieronymus Tomo 3. adversus Vigilantium, refert ossa illius cum reliquiis Andreæ & Lucæ Constantinopoli esse translata ab Imperatore Constantino, quod etiam habet Nicephorus lib. 10, cap. 11.

V. *De posteriori Epistola ad Timotheum.*

Circa posteriorem epistolam considerabimus. 1. Occasionem scribendi 2. Materiam epistolæ. 3. Unde sit scripta.

XX. 1. Paulus promiserat se Ephesum ad Timotheum esse rediturum: 1 Tim 3, 14. *Spero venire ad te cito.* Interea impeditus, & Romæ in vincula conjectus, videt se eò non esse rediturum, sed immolandum. Ideo vocat Timotheum quam celerrimè Romam ad se, ut eum, utpote juvenem, confirmaret, & contra persecutionum pondus armaret. Interim, si fortasse ipse occideretur, vel Timotheus tardius veniret, scripsit hanc epistolam, ut præceptoris sui sententiam cognosceret.

XXI. 2. A-

XXI. 2. Apostolus hâc Epistolâ Timotheum confirmat, ne persecutionum procellis dejiciatur. Instabant enim tempora periculosa, ob quosdam, pietatis prætextu, veram pietatem subvertentes. Deinde testatur imminere diem mortis suæ; seque à plerisque derelictum, jubet, ut Timotheus unà cum Marco festinet ad se Romam venire. Vide de præcedentibus plura in Aretio,

XXII. 3. Hæc Epistola scripta est Româ Ephesum, quum Paulus secundâ vice sistebatur Neroni. Arabs ita claudit Epistolam hanc: *Scripta fuit ab urbe Roma, quum Timotheus constitutus jam esset Episcopus super Ephesum, quando secundâ vice stetit Paulus in præsentia Cæsaris Neronis, Imperatoris Romani.*

DISSERTATIO VIGESIMA TERTIA,

DE

Epistolis ad Titum, ad Philemonem, & ad Hebræos.

§. 1. *De Epistola ad* Titum *sex ad examen revocantur.*
2. *Titus fuit Græcus. Ratio datur, quare Apostolus eum noluerit circumcidere.*
3. *Paulus fuit ejus præceptor, qui eum magni fecit, & ad varias ecclesias ablegavit.*
4. *Occasio scribendi fuit triplex.*
5. *Contentum Epistolæ.*
6. *Incertum est unde, & per quos hæc Epistola sit missa.*
7. *Titus mortuus & sepultus videtur in Creta.*
8. *Qualis fuerit* Philemon *describitur.*
9. *Causa motiva & occasio scribendi hanc Epistolam.*
10. *Hæc Epistola missa est Româ Colossas per* Onesimum.
11. *De Epistola ad* Hebræos *septem examinantur.*
12. *Epistola ad Hebræos est Canonica.*
13. *Scripta est primitùs non Hebraicè sed Græcè.*
14. *Eam non conscripsit Author quis Ecclesiasticus, vel hæreticus, vel alius Auctor sacer, sed ipse Paulus.*
15. *Quod probatur* Primò *ex 2 Pet.* 3.15.
16. Secundò *adhuc ex eodem versu.*
17. Tertiò *ex 2 Petr.* 3. 16.
18. Quartò *authoritatibus Græcorum & Latinorum tam Pontificiorum & Lutheranorum quàm Reformatorum.*
19. Quintò *ex Epistola ad Hebr. cap.* 13. *v.* 23. *ubi Timothei meminit.*
20. Sextò *ex voto, ex salutatione, & ex signaculo.*
21. Septimò *ex inductione: quia nemini majori veritatis specie tribui potest quàm Paulo.*

I. De Epiſtola ad Titum.

SECTIO I.



Rdine deſcribenda occurrit Epiſtola ad Titum, circa quam hæc ſequentia examinabimus. 1. Qualis fuerit Titus? 2. Qualem habuerit præceptorem? Et quanti ab ipſo fuerit æſtimatus? 3. Quæ fuerit occaſio ſcribendi? 4. Quid contineat? 5. Unde, & quo miſſa ſit Epiſtola? 6. Ubi mortuus & ſepultus ſit?

II. 1. Titus fuit Græcus ſive Ethnicus, natus parentibus *Ethnicis*; uti veroſimiliter colligitur ex eo, quia in juventute non fuit circumciſus, Gal. 2. 3. *Neque Titus qui mecum erat, quum eſſet Græcus, compulſus fuit circumcidi.*

Quare Apoſtolus Titum æquè non circumcidit, uti Timotheum?

Reſp. Apoſtolus noluit eum circumcidere, ut hoc exemplo libertatem Chriſtianam defenderet contra Judæos, qui circumciſionem neceſſariam homini Chriſtiano putabant, Gal. 2. 4. *Propter obiter ingreſſos falſos fratres, qui ſubintroierant ad explorandum libertatem noſtram, quam habemus in Chriſto Jeſu, quo nos in ſervitutem adigerent.*

III. 2. Præceptorem habuit ipſum Paulum, cujus non tantum comes in peregrinationibus ſæpè fuit, 2. Cor. 8. 23. Gal. 2. 1. ſed etiam ab ipſo tanquam Legatus & Miniſter ad varias eccleſias fuit miſſus; *ſcil.* ad Corinthios, ut colligeret eleemoſynas pro pauperibus in Judæa, 2 Cor. 7. 14. & cap. 8. v. 6. 16. 23. Etiam abiit in Dalmatiam 2 Tim. 4. 10. *procul dubio* miſſus etiam ab Apoſtolo. Etiam in Creta *relictus eſt*, *ut quæ deerant* corrigeret, & epiſcopos oppidatim conſtitueret, Tit. 1. 5. Paulus eum utpote fideliſſimum diſcipulum magni fecit, ejuſque paſſim honorificè meminit: vocat eum fratrem, 2 Cor. 2. 12. Socium & adjutorem 2 Cor. 8. 23. Filium germanum, Tit. 1. 3. Etiam ait ſe ſingularem conſolationem accepiſſe ex ejus reditu, 2 Cor. 7. 6.

IV. 3. Apoſtolus ſcripſit hanc Epiſtolam, 1. Ut in inſula Creta, jam Candia dicta, per ſingulas civitates, quas centum habuiſſe memoratur ea inſula, miniſtros ordinaret, Tit. 1. 5. Et quia Juvenis erat Titus, ideo per hanc Epiſtolam eum docuit, qui & quales miniſtri ab eo eſſent ordinandi. 2. Apoſtolo cognita erat Cretenſium in bonis moribus publica corruptela:

ruptela: hinc cap. 1. v. 12. eos vocat semper mendaces, malas bestias, & ventres pigros. Paulus ergo, ut hæc vitia corrigeret, admonet per hanc Epistolam Titum de his. 3. In eadem insula oberrabant multi Judæi, Legis Mosaicæ defensores acerrimi, quibus ne cederet in defendenda sana doctrina, diligenter per hanc Epistolam fuit admonendus.

V. 4. Apostolus docens quales oportet Ministros eligere, simul ostendit quomodo vaniloquis os obturare oporteat. Hac occasione & Cretensium mores perstringit, & Judæos qui in rebus externis sanctitatem locabant. Deinde personarum ac ætatum præscribens officia, jubet ut de moribus doceat Ecclesiam: & à fine redemptionis argumentatur, quem dicit esse studium piè & rectè vivendi. Denique generaliter vult omnes moneri ut placidè colant ordinem politicum: & memores sint vitæ pristinæ, &c.

VI. 5. Subscriptio docet hanc Epistolam esse missam Nicopoli Macedoniæ. Quod Nicopoli sit missa, confirmatur à nonnullis ex cap. 3. v. 12. Quia Apostolus Titum ad se vocat Nicopolim. Sed quia diversæ fuerunt urbes hoc nomine insignitæ, ideo non convenit inter Doctores, qualis Nicopolis hîc intelligatur. Nonnulli putant hîc intelligi Nicopolim sitam in Thracia non procul Philippis; alii verò aliam Nicopolim intelligunt, sitam in Epiro, ædificatam ab Augusto in memoriam victoriæ maritimæ contra Antonium. Ut ut sit, ex illo eodem versu videtur probari eam Epistolam non esse missam Nicopoli: nam Apostolus vocat Titum ad se Nicopolim: quia ibi, non hic, decreverat hybernare. Ergo ibi eo tempore non videtur fuisse. Syrus ait: *Epistola ad Titum* (scil. in Cretam sive Candiam) *ex Nicopoli scripta, & missa per manus Zinæ & Apollo.*

VII. 6. Hieronymus breviter ejus vitam ita describit in Catalogo: *Titus Episcopus Cretæ, in qua & circumjacentibus Insulis prædicavit Euangelium Christi, ibidem etiam obdormivit, & sepultus quoque est in Creta.*

II. *De Epistola ad Philemonem.*

Sequitur omnium Epistolarum minima, scil. ea, quæ scripta est ad Philemonem, circa quam considerabimus, 1. Qualis fuerit Philemon? 2. Quid Apostolum moverit ad scribendum? 3. Unde sit scripta, & per quem transmissa?

VIII. 1. Philemon Colossensis fuit secundùm Hieronymum, sed The-

ophylactus vult eum Phrygem fuisse. Utraque sententia facilè conciliari potest: nam Colosse fuit Phrygiæ Pacatianæ Metropolis. Hâc ratione igitur Philemon & Phryx & Colossensis fuit. Procul dubio fuit homo dives, & inter concives magni nominis: nam domi suæ habuit privatam ecclesiam, in cujus membra fuit liberalis & hospitalis; versu enim 7. dicitur, quod consolatus sit pauperes, & viscera sanctorum refocillarit. Vocatur v. 1. dilectus & cooperator; vel quod ipse concionatus fuerit, vel quod promulgationem Euangelii omni conamine, quantum potuit, promoverit. Uxor ejus videtur fuisse Apphia, quam etiam in hac Epistola alloquitur Apostolus, v. 2.

IX. 2. Servus Onesimus, furto ablatis quibusdam Philemonis rebus, fugerat, & Romam se contulerat, ubi Paulum audivit *docentem*, cujus doctrinâ fuit conversus. Paulus dum intellexisset causam fugæ, jussit ut ad herum rediret; utque facilius in gratiam ab eo reciperetur, scripsit hanc Epistolam.

X. 3. Paulus vinctus misit hanc Epistolam Româ Colossas per Onesimum ad Philemonem.

III. *De Epistola ad Hebræos.*

XI. De Epistola ad Hebræos hæc sequentia ad examen revocabimus, 1. An sit canonica? 2. An hebraicè sit conscripta? 3. Quis ejus Epistolæ sit Auctor? 4. Quare sit scripta ad Hebræos? 5. Quæ fuerit occasio scribendi? 6. Quid contineat? & 7. Quando sit scripta, & unde?

XII. De Epistola ad Hebræos *primò quæritur*: An ea sit Epistola Canonica?

Respondeo. Multi de authentia hujus Epistolæ olim dubitarunt, moti auctoritate Latinæ Ecclesiæ, quæ sero & vix tandem hanc Epistolam in Canonem admisit. Etiam Hieronymus, Augustinus, aliique sæpè dubitanter ex hac Epistola citant testimonia. Quare antiqui dubitarunt de authentia hujus Epistolæ? *Resp.* Quia Caput sextum videbatur Novatianis, de lapsis in gratiam non recipiendis, favere. Sed eadem argumenta, quibus authoritas canonica cæterarum Epistolarum probatur, etiam clarè probant hujus Epistolæ divinam authoritatem; imo eadem divinitatis argumenta in hac Epistola sunt illustriora, & magis cœlestem spirant Originem, quàm in aliis Epistolis.

XIII. *Secundò quæritur*: An hæc Epistola ad Hebræos ab ipso Auctore primitùs Hebraicè sit conscripta? Re-

Respondeo. De tribus olim dubitatum fuit, de Euangelio Matthæi, de Epistola ad Hebræos an Hebraicè, & de Euangelio Marci an Latinè conscripta sint? De Matthæo egimus suprà pagina 138. de Marco pagina 143. & de Epistola ad Hebræos jam differemus. *Quæritur* igitur: An hebraicè sit conscripta? *Resp.* Græci hanc Epistolam Paulo certatim vendicant, à quo scripta quidem dicitur, sed Hebraice, sive Syriacè, h. e. linguâ tum in Judæa familiari; quam deinde Lucas vel Clemens quidam in Græcum sermonem convertisset.

Quo, quæso, argumento moti sunt Græci, ut defenderint hanc Epistolam esse scriptam ab ipso Authore Hebraicè? *Resp.* Hi moti sunt præcipuè hoc argumento; quia Author scripsit ad Hebræos, Hebraicam linguam intelligentes.

Sed illud argumentum est nullius ponderis & valoris: nam, 1. Libri Novi Fœderis (quia ecclesia sub Novo. T. ad varias gentes erat extendenda) debuerunt scribi linguâ vulgarissimâ, quæ eo tempore non alia fuit, quam lingua Græca. 2. Non sequitur, scripsit ad Hebræos, ergo debuit scripsisse Hebraicè sive Syriace: nam Jacobus cap. 1. v. 1. scripsit duodecim tribubus dispersis, non Hebraicè, sed Græcè. 3. Epistola ad Hebræos non tantum scripta est in gratiam Hebræorum, sed etiam in gratiam Ethnicorum.

XIV. 3. De authore hujus Epistolæ jam *tertiò quæritur*: An Paulus eandem conscripserit?

Respondeo. Sunt qui negant, & sunt qui affirmant. *Primò.* Illi, qui denegant Paulo hanc Epistolam, non eundem authorem assignant. 1. Sunt qui authori alicui sacro vendicant, qualis fuit Barnabas, sive Lucas, sive Apollo, sive Marcus, sive alius quis Apostolorum socius. 2. Alii adscribunt authori Ecclesiastico, scil. Clementi Romano, vel ipsi Tertulliano. 3. Sunt etiam alii, authoritatem ejus rejicientes, qui homini hæretico, puta Novato, vel alii cuidam ejusdem furfuris tribuunt.

Secundò. Alii verosimilius ipsi Paulo eam Epistolam adscribunt, moti testimoniis divinis, testimoniis humanis, & rationibus. Nos etiam iis accedimus, qui Paulum hujus Epistolæ authorem pronunciant propter hæc sequentia argumenta.

XV. *Primum* argumentum desumitur ex 2 Pet. 3. 15. *Quemadmodum & dilectus frater noster Paulus scripsit vobis*, scil. Hebræis. Petrus scripsit hanc & priorem Epistolam Hebræis, & Paulus iisdem scripsit. Atqui non potest alia assignari & proferri Epistola, quam Paulus scripsisset Hebræis nisi

hæc quæ vocatur ad Hebræos. Vel dicendum est eam Epistolam periisse; quod eâdem facilitate potest negari quâ asseritur; vel debet esse hæc eadem epistola ad Hebræos.

Unde, quæso, probatur utramque Petri Epistolam Hebræis esse scriptam? *Resp.* Quod prior Epistola sit scripta Hebræis, apparet ex 1. Petri. 1. 1. Petrus scripsit *advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ*, &c. h.e. Judæis, qui patriis sedibus moti, in illis locis habitabant. Jacobus *cap.* 1. v. 1. duodecim tribus ita etiam vocat, *quæ sunt in dispersione*. Deinde ex cap. 1. v. 18. idem confirmatur, ubi Petrus ita loquitur: *Scitis vos non esse redemptos à vana vestra conversatione, quam ex Patrum acceperatis traditione*. His accedit, quod Petro fuerit commissa cura Judæorum. Posterior Epistola ad eosdem est missa, ad quos prior, uti habetur 2 Pet. 3. 1. *Hasce jam alteras vobis, charissimi, scribo literas*, &c.

XVI. *Secundum* argumentum depromitur ex eodem loco Petri in 2 Epistola cap. 3. v. 15. ubi Paulus dicitur scripsisse κατὰ τὴν αὐτῷ δοθεῖσαν σοφίαν *juxta sibi datam sapientiam*. Petrus vult eam Epistolam spirare sapientiam: atqui in illa Epistola ad Hebræos magis quàm in aliis Epistolis effulgent Divinæ sapientiæ radii, & dotes sapientiæ eximiæ ipsi divinitùs concessæ. Ibi enim sententiarum majestas ubique conspicua est. Ibi est stupenda vis ratiociniorum in conferendis typis & antitypis, in Lege & Euangelio, in Christo & Mose, in sacerdotio Melchisedeciano & Aaronitico, in fœdere veteri & novo, in sacrificiis legalibus & Christi sacrificio, &c. Omnes etiam Interpretes testantur argumentum hujus epistolæ esse sublime.

XVII. *Tertium* argumentum elicitur ex 2. Pet. 3. 16. *Inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque firmi detorquent*. Petrus respicit Paulina dogmata, & dicit in iis esse difficilia: atqui cætera omnia fere præ iis, quæ in Epistola ad Hebræos continentur, sunt lux mera. Deinde dicit non tantum historicè, sed etiam propheticè ea esse obnoxia cavillis, & falsis interpretationibus, qualia hæc semper fuerunt, quæ in Epistola ad Hebræos continentur. Ipse Paulus in Epistola ad Hebræos. c. 5. v. 11. idem his verbis confirmat: *De quo nobis multa forent dicenda, eaque difficilia explicatu*. In cæteris Epistolis etiam occurrunt nonnulla difficilia, sed hæc in hac Epistola comparatè præ cæteris sunt multo difficiliora. Ex. gr. Materia illa de Melchisedecho est admodum difficilis: propterea nonnulli dixerunt esse *Virtutem* aliquam divinam, Christo majorem; alii *Spiritum S.* alii *Angelum*; alii *Filium Dei*; alii *Semum*; Arabes

Pelegi

Pelegi filium; alii denique *Regem Salem*. Etiam difficilia sunt de Christi Pontificatu & Sacerdotio; de functione ejusdem in cœlesti sacrario; de antiquatione veteris fœderis, &c.

XVIII. *Quartum* argumentum est desumptum à Testimoniis Græcorum & Latinorum, tam antiquorum quàm recentiorum, statuentium Paulum hujus Epistolæ esse authorem. Fredericus Spanhemius fil. fusè, in Exercitatione de Authore Epistolæ ad Hebræos, dictos authores, observatâ eorum ætate & serie, post invicem enumerat. Authores Græci ferè sunt hi: Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Patres Concilii Laodiceni. Eusebius, Alexander Episcopus Alexandriæ, Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, Didymus Alexandrinus, Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, Gregorius Episcopus Nazianzenus, Theophylus, Proclus Episcopus Syriæ, Isidorus Pelusiota, Cyrillus episcopus Alexandrinus, Theodoretus, Eulogius Archiepiscopus Alexandrinus, Nicephorus, Oecumenius, Theophylactus.

Ipsa inscriptio Græca, licèt non sit Pauli, confirmat hanc sententiam: nam in omnibus fere Codicibus Græcis habetur ἐπιστολὴ Παύλου. Beza ab initio Comment. hoc affirmat: *Ita scriptum invenimus in omnibus nostris codicibus, uno tantum excepto, in quo duntaxat scriptum erat* πρὸς Ἑβραίους AD HEBRÆOS. Arabs ita in frontispicio incipit: *Epistola Divi Pauli ad Hebræos: estque in numero Epistolarum quarta decima.*

Sequuntur Authores Latini, itidem adscribentes hanc Epistolam Paulo, scil. Marius Victorinus Afer, Hilarius, Faustinus, Ambrosius, Philastrius, Hieronymus, Ruffinus monachus, Augustinus, Paulinus episcopus Nolanus, Innocentius Romanus episcopus, Idacius Clarus, Johannes Cassianus, Vigilius Episcopus Tridentinus, Rabanus Maurus, Flavaldus, aliique quamplurimi, qui in suprà allegato libro conspici possunt. Hieronymus in Epistola 129. ad Dardanum hunc consensum approbat, cum ait: *Illud nostris dicendum est, hanc Epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò Ecclesiis, & Græci sermonis scriptoribus, quasi Pauli Apostoli suscipi.*

His annumerantur Authores recentiores tam *Pontificii*, ut Lyranus, Carthusianus, Ribera, Catharinus, Lindanus, Sixtus, A Lapide, Tostatus, & Patres Tridentini; & *Lutherani*, ut Flaccius, Chytræus, Palladius, Gesnerus, Calixtus, Authores confessionis Saxonicæ in Wittebergensi Synodo superiori seculo conscriptæ; quàm *Reformati*, ut authores confessionis Helveticæ, Belgicæ, Polonicæ, & Bohemicæ: etiam Bullingerus,

gerus, Musculus, Zanchius, Ursinus, Piscator, Paræus, Beza, Sadeel, Junius, Mercerus, Perkinsius, Rainoldus, Willetus, Isaacus Casaubonus, Jacobus Usserius, aliique quamplurimi.

XIX. *Quintum* argumentum elicitur ex ipsa Epistola ad Hebræos, scil. ex Cap. 13. v. 23. ubi Author Timothei facit mentionem: *Scitis fratrem Timotheum solutum esse, cum quo, si celerius venerit, visam vos.* Author facit mentionem conjunctissimi & charissimi sui Timothei, uti in omnibus Epistolis fecit, exceptis ad Galatas & Titum. Ejus non meminit Petrus, Jacobus, Johannes, nec Juda. Vocat eum hîc fratrem, uti solet, scribens ad alios, Col. 1: 1. Τιμόθεος ὁ ἀδελφός. Similiter 1. Thess. 3. 2. *Misimus Timotheum fratrem*, & ad *Philem.* v. 1. Fuit individuus ferè comes Pauli in itinere: & in hac Epistola dicit: *Cum quo*, scil. *Timotheo, visam vos.*

XX. *Sextum* argumentum desumitur ex clausula Epistolæ ad Hebræos, quæ eadem fere est cum aliis Pauli Epistolis. Paulus communiter finit Epistolas suas *voto, salutatione*, & *signaculo*; ita etiam fecit in hac Epistola.

Votum habetur Cap. 13. v. 20. 21. *Deus pacis absolutos vos reddat in omni opere bono per Iesum Christum, cui gloria in secula seculorum.* Eodem modo claudit fere Epistolas suas: ex. gr. 1. Thess. 5. 23. ait: *Ipse Deus pacis sanctificet vos*, &c. Vide etiam 2 Thess. 3. 16. Rom. 16. 25. 27. & Phil. 4. 19. 20.

Paulus solet salutare sanctos in fine Epistolarum: uti fecit in Epistola ad Rom. cap. 16. 1. Cor. 16: 19. 20. 2. Cor. 13. 12. Philip. 4. 21. &c. Ita etiam fit in hac Epistola, ubi cap. 13. v. 24. salutantur more Paulino sancti.

Signaculum, quo claudere solet Paulus Epistolas suas, habetur 2 Thess. 3. 17. 18. *Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis.* Atqui hoc ipsum signum etiam exprimitur in hac epistola Capite 13. v. 25. *Gratia cum omnibus vobis.* Quis unquam tali signaculo clausit epistolas quàm solus Paulus? Quis unquam indicavit se tali signaculo colophonem epistolis sive libris suis esse impositurum? Inspiciantur Epistolæ Jacobi, Petri, Johannis & Judæ: in iis quidem fit mentio pacis more Hebræorum, ut 1. Pet. 5. 14. *Pax vobis omnibus.* 3. Joh. v. 15. *Pax tibi*: sed nunquam hæc clausula exprimitur, *Gratia Christi sit cum omnibus vobis.*

XXI. *Septimum* argumentum est desumptum ab inductione. Nulli

majori

majori veritatis specie tribui potest hæc epistola quàm Paulo. 1. Non convenit Lucæ: nam nullibi in sacris vel profanis scriptoribus legimus Lucam scripsisse hanc vel ullam epistolam. 2. Non competit *Clementi Romano*: nam scriptor hujus epistolæ fuit Hebræus, non Romanus. Etiam Clemens nunquam inter θεοπνεύστους doctores est numeratus. 3. Non potest tribui *Barnabæ*, uti Tertullianus vult. Tributa quidem fuit Barnabæ epistola supposititia, sed non hæc ad Hebræos. 4. Non potest ejus auctor statui *Apollo*: nam nec sacræ nec profanæ historiæ testantur eum talem epistolam conscripsisse. Etiam circumstantiæ non competunt ei: nam nullibi legimus eum adstrictum fuisse vinculis, aut restituendum Hebræis. 5. Non potest assignari *Marco*: nam diversitas styli inter eum & hujus epistolæ auctorem satis arguit hanc Marco adscribi non posse. Concludimus ergo hujus epistolæ auctorem esse ipsum apostolum Paulum. Vide plura apud Fredericum Spanhemium fil. in loco suprà citato. Contraria argumenta, huic sententiæ opponi solita, & cæteræ quæstiones, quarum suprà meminimus, proximâ dissertatione sequentur.

DISSERTATIO VIGESIMA QUARTA,

DE

epistola ad Hebræos, de epistolis catholicis in genere, & de Jacobo in specie.

§. 1. *Nonnulli negant quod Paulus epistolæ ad Hebræos sit auctor.*
2. *Quod* primò *conantur probare: quia in principio epistolæ nomen suum non expressit.*
3. Secundò *ex cap.* 2, *vers.* 3.
4. Tertiò *ex cap.* 6, *vers.* 1, 2.
5. Quartò *ex diversitate styli. Sed hæ omnes objectiones solvuntur.*
6. *Rationes duæ allegantur quare Paulus scripserit epistolam ad Hebræos.*
7. *Occasio scribendi.*
8. *Contentum epistolæ.*
9. *Incertum est hanc epistolam esse transmissam ex Italia per Timotheum.*
10. *Septem epistolæ sequuntur, quæ* orbiculares, circulares, catholicæ, universales, *&* canonicæ *à nonnullis vocantur.*
11. *Ratio talis appellationis datur.*
12. *Difficultas, quæ contra duas epistolas Iohannis movetur, solvitur.*
13. *Canonicæ fuerunt vocatæ, quia tandem communi consensu in canonem fuerunt receptæ.*
14. *Sex de epistola* Iacobi *ad examen revocantur.*
15. *Ob tres rationes de authentia hujus epistolæ olim fuit dubitatum.*
16. *Auctor hujus epistolæ non est Iacobus*

Iustus, vel Iacobus filius Zebedæi. sed Iacobus filius Alphæi, aliàs Minor vocatus.

17. *Hæc epistola primariò scripta est duodecim tribubus dispersis, & secundario omnibus fidelibus.*

18. *Contentum epistolæ.*

19. *Occasio scribendi.*

I. Adhuc *de epistola ad Hebræos*.

SECTIO I.



CIrca epistolam ad Hebræos examinandæ sunt hæ quæstiones. 1. An sit canonica. 2. An sit Hebraicè conscripta. 3. Quis ejus epistolæ sit auctor. 4. Quare sit scripta ad Hebræos. 5. Quæ fuerit occasio scribendi. 6. Quid contineat. 7. Quando sit scripta, & unde. Superiori dissertatione absolvimus quæstiones duas, & quoad tertiam probavimus septem argumentis Paulum esse hujus epistolæ auctorem.

Cum verò nonnulli sint, qui contrariis argumentis conantur probare Paulum ejus epistolæ non posse esse auctorem, ideo illa argumenta & objectiones hîc breviter post invicem recensebimus, & refutabimus.

II. *Prima objectio* est desumpta ex initio epistolæ, ubi nomen Pauli non est expressum, quod omnibus suis epistolis præscribere consuevit: ut Rom. 1, 1. *Paulus servus Jesu Christi*, &c. Vel alibi, *Paulus apostolus Jesu Christi*, addita dignitate apostolatus. Sed hîc nomen ejus, contra morem Pauli perpetuum, & contra morem epistolarum cæterarum, in quibus illud præfigi solet, omissum est.

Respondeo. Quidam conjectant. 1. Pauli nomen ab initio quidem fuisse adscriptum, sed postea sive fraude sive bono animo fuisse expunctum.

2. Clemens Alexandrinus apud Eusebium l. VI, c. VI. & Hieronymus, aliique veteres putant Paulum nomen & apostolatum suum tacuisse ex singulari modestia & humilitate.

3. Alii volunt nomen esse omissum; quia apostolus scripsit non tam epistolam quàm quidem librum, cui non tam necesse fuit nomen præfigere, quàm quidem epistolis.

4. Nonnulli conjiciunt Paulum non expressisse nomen; quia non scripsit ad certas personas, vel ad certam aliquam ecclesiam, sed in genere ad Hebræos.

5. Cornelius à Lapide asserit nomen Pauli omitti; quia est nomen Latinum

tinum & Romanum, quod erat exosum Hebræis, ad quos scribebat.

Sed hæ conjecturæ non videntur satisfacere objectioni allatæ: ideoque respondemus. 1. Non sequitur. Non est existimanda Pauli epistola, ex inscriptionis defectu: nam eodem modo posset inferri esse nullius ex apostolis, quum nullius nomen præferat.

2. Omnibus epistolis sacris non præfigitur nomen aut præfatio. Johannes tres scripsit epistolas, primam scripsit sine ullo exordio & nomine, in duabus posterioribus etiam reticuit nomen, sed vocat se πρεσβύτερον *seniorem*. Inde nemo jure dubitavit de illis epistolis, an Johannes earum sit auctor.

3. Paulus nullibi in epistolis sibi perpetuam præfixit legem, quasi omnibus illis nomen suum præfigeret, uti fecit in signaculo 2 Thess. 3, 17, 18. quo promisit claudere epistolas suas: *Salutatio, mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola: ita scribo. Gratia domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis.*

4. Fortè omisit nomen; quia jam scribebat ad genus hominum diversissimum. Scripserat antea ad Gentes, & jam scripturus ad Hebræos, non mirum quod parumper à consueto more recedat; præcipuè cum nomen Pauli fuerit maximè exosum Hebræis. Quare nomen Pauli erat exosum Hebræis? *Resp.* Tum quia multis erat transfuga, apostata & hostis; tum etiam, quod, relictis Judæis, se totum ministerio Gentium mancipasset, earumque ministrum se professus esset. Hæc ratio non infringitur, si quis dicat apostolum scribere Judæo-Christianis & conversis, non verò convertendis. Sed non omnes erant plenè conversi. Quidam erant in fide Christiana vacillantes; uti apparet ex *cap.* 6, & 10. quidam etiam infirmiores. Non tantum scribit conversis, sed etiam convertendis, quos hâc epistolâ valuit convincere.

5. Fortè reticuit nomen; quia erat Gentium apostolus, & non Judæorum. Nam alios fortè apostolos offendisset, aut æmulationis quodam sensu affecisset: nam Petrus, aliique Hebræos docebant. Ne igitur falcem suam in alienam messem immitteret, & in aliorum munus involaret, nomen suum videtur reticuisse. Nam speciatim non erat Judæorum doctor, nec illi ipsius disciplinæ proximè erant subjecti.

III. *Secunda objectio.* Auctor cap. 2, vers. 3 se non apostolis, sed eorum discipulis accenset, qui Christum ipsum loquentem audiverant, à quibus se edoctum & confirmatum profitetur: *Quæ doctrina, quum primùm enarrari cœperit per ipsum dominum, ab iis qui audierant, in nos confirma-*

ta fuit. Hinc concludunt nec Paulum esse auctoren, nec quemquam apostolorum: nam ille & hi immediatè per revelationem ab ipso Christo fuerunt instructi, & non ab hominibus, Galat. 1, 12. *Neque ego ab hominibus accepi Euangelium, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.*

Respondeo. 1. Nonnulli explicant *εἰς ἡμᾶς in nos*, vel pro *ἕως εἰς ἡμᾶς usque ad nos*, h. e. usque ad nostra tempora, vel per לָנוּ *nobis*.

2. Vel hæc doctrina, quam à Christo acceperat, est instar auctarii cujusdam confirmata ab oculatis testibus; vel alii apostoli, conferentes de hac doctrina cum Paulo, qui profectus erat ad eos, *Gal.* 1, 18, 19. per amicam collationem confirmarunt eam doctrinam.

3. Vel Paulus, ut sui apostolatûs invidiam evitaret, sese accenset eorum auditoribus, qui Christum ipsum loquentem audierant, eâ figurâ quam Rhetores *ἀνακοίνωσιν* vel *ἀνακείνωσιν* vocant. Ergo *nobis* est confirmata salus, h.e. parti nostrum maximæ, vobis, fidelibus, &c. Non magis Paulus hîc includitur, quàm 1 Thess. 4, 17. *Deinde nos qui vivemus, qui reliqui erimus, simul rapiemur in nubibus in occursum domini in aëra.*

IV. *Tertia objectio.* Non ipse Paulus videtur hujus epistolæ auctor, sed potius aliquis ex ejus discipulis: nam doctrinæ catecheticæ sive catechismi facit mentionem cap. 6, vers. 1, 2. quæ consuetudo & praxis Pauli ætati minus congruunt.

Respondeo. 1. Forma illa catecheticæ doctrinæ congruit etiam ætati & consuetudini Pauli: nam alibi non semel talis doctrinæ meminit; etiam distinguit inter lac infantium & cibum adultorum.

2 Talis doctrina eo tempore fuit necessaria: tum enim fuerunt catechumeni, rudiores, & sacris initiandi, quibus magis lac doctrinæ catecheticæ conveniebat, quàm durus cibus adultorum.

3. Nonnulli per *βαπτισμῶν διδαχὴν* intelligunt doctrinam baptizandis tradi solitam, quam initiandi & baptizandi profiteri tenebantur, antequàm in ecclesiam Christi reciperentur.

V. *Quarta objectio* est desumpta à diversitate styli, qui hîc alius est quam in cæteris epistolis.

Respondeo. 1. Non est tanta styli diversitas quanta quidem putatur: sed potius est convenientia inter phrases in hac & in cæteris epistolis usurpari solitas: Ex.gr. cap. 1, v. 1 dicit *λαλήσας ἐν τοῖς προφήταις, ἐλάλησεν ἐν υἱῷ*, uti 2 Cor. 1, 33. *τοῦ ἐν ἐμοὶ λαλοῦντος Χριστοῦ*, pro *λαλεῖν διά*. Vide longum similium phrasium catalogum recensitum à Frederico Spanhemio in libro de auctore epistolæ ad Hebræos parte 2, cap. 2. qui multis probat

Pau-

Paulum in hâc epistolâ eandem fere doctrinam tradere, quam in aliis epistolis tradidit; & eundem modum applicandi hic observare, quem observavit in aliis. Vide cæteras conformitates in loco citato. Concludimus ergo auctorem hujus epistolæ esse apostolum Paulum.

VI. *Quarto quæritur:* Quare hæc epistola est scripta ad Hebæos?

Respondeo. Paulus multas epistolas hactenus scripserat ad Gentes & ad Gentiles ecclesias, quibus viam salutis monstraverat & aperuerat; jam porro ad fratres suos Iudæos partim conversos, partim adhuc convertendos scribit, ut & eos de via salutis instruat, & cæremonias omnes Christum respicere, ac per ejus adventum omnes abolendas esse moneat. Nam erant inter eos, qui Christi doctrinam receperant; quique nihilominus putabant legis observationem cum Euangelio esse miscendam.

2. Hebræi Hierosolymitani, fideles & credentes, variis calamitatibus afficiebantur ab illis, qui resistebant Euangelio: nam conjiciebantur in vincula, cædebantur, & eorum bona diripiebantur. Hos solatur Paulus, partim exemplo veterum sanctorum, quorum plerique (ut virtus illorum esset exploratior) similibus aut gravioribus calamitatibus exerciti fuerunt; partim etiam exemplo Christi, & spe præmii vitæ cœlestis.

VII. *Quintò quæritur:* Quæ fuit occasio scribendi?

Respondeo. Occasio scribendi apostolo oblata est, partim ab indurata pertinacia eorum Judæorum, qui Christum palam persequebantur, quos voluit reprimere metu judiciorum divinorum, ne pergerent in propriam perniciem sævire; partim etiam ex oscitantia eorum, qui jam Christiani facti, negligentius de Christo sentiebant, quos voluit confirmare.

VIII. *Sexto quæritur:* Quid continet hæc epistola?

Respondeo. Apostolus in hac epistola disserit de Christi dignitate, de ejus officio, sacerdotio, & ejus meriti plenitudine. Nam inter fideles erant adhuc quidam, qui Euangelio quidem credentes, etiam legem tanquam appendiculam observatu necessariam esse judicabant. Propterea apostolus ostendit Christum esse filium Dei, majorem Angelis, Prophetis, Mose, & Aaróne; ejusque sacerdotium esse perfectissimum, ut qui secundùm ordinem Melchisedec sit constitutus summus Pontifex sanctorum. Et per consequens, cum oblatio ejus fuerit perfecta, docet legem cæremonialem adventu ejus planè sublatam esse. Deinde ad exercitia bonorum operum, quæ fidelium professionem egregiè exornant, hortatur. Summa igitur hujus epistolæ hæc est, Christum esse verum illum æternum & unicum Prophetam, Regem, ac Pontificem, in quem omnes Pa-

tres per fidem respexerunt, & à quo doceri, regi ac sanctificari totam ecclesiam oportet. *Vide Bezam in Notis, & Aretium in Commentariis ad Novum T.*

IX. *Septimò quæritur*: Quando, & unde hæc epistola est scripta?

Respondeo. Hæc est ultima epistola quam apostolus conscripsit, sed quando scripserit non adeo constat. Locum, unde sit scripta, exprimit subscriptio πρὸς Ἑβραίους ἐγράφη ἀπὸ τῆς Ἰταλίας διὰ Τιμοθέου, *Epistola ad Hebræos scripta est ex Italia, & per Timotheum* transmissa. Sed hæc subscriptio, ut & multæ aliæ epistolis subscriptæ, non sunt adeo firmæ. Hæc enim epistola vix potuit esse transmissa per Timotheum: nam capitis ultimi versu 23 scribitur Timotheum nondum venisse ad Paulum, & si celerius Timotheus veniret, apostolus promittit se unà esse venturum, & visurum cum eo Hebræos.

II. *De epistolis catholicis.*

X. Hactenus egimus de epistolis Pauli, sequuntur jam ordine enumerandæ septem epistolæ, scil. una Iacobi, duæ Petri, tres Johannis, & una Judæ, quas Græci (ut Theodoretus & Oecumenius) ἐγκυκλίους *orbiculares* vel *circulares*, alii verò καθολικὰς *catholicas, universales*, vel etiam *canonicas* vocarunt.

XI. Hinc *primò quæritur*: Quare hæ epistolæ vocantur *orbiculares* & *catholicæ*?

Respondeo. Quia generatim in omnes quasi mundi partes, & ad omnes fideles missæ sunt; non autem ad hanc vel illam ecclesiam, vel ad hanc aut illam personam in particulari. Hoc titulo hæ epistolæ distinguuntur à Paulinis: nam aliæ sunt transmissæ ad particulares ecclesias; ut ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, &c. aliæ verò ad particulares personas; ut ad Timotheum, ad Titum, & ad Philemonem.

XII. *Dices*: Secunda & tertia epistola Iohannis etiam ad singulares personas sunt missæ: ex. gr. Secunda est missa ad electam dominam & filios ejus, & tertia ad dilectum Gajum: & per consequens illæ duæ epistolæ non possunt benè vocari catholicæ.

Respondeo. 1. Quidam excipiunt has duas epistolas, & dicunt tantum quinque esse epistolas catholicas.

2. Quidam dicunt septem epistolas vocari catholicas, sumptâ denominatione à majori epistolarum parte: nam sunt quinque catholicæ, & duæ

duæ tantùm particulares. Similiter Psalmi communiter vocantur Davidis Psalmi, cum tamen constet fuisse decem Psalmorum auctores: sed denominatio desumitur à majore parte: nam David circiter centum & duodecim Psalmos composuit.

3. Nonnulli vocant eas epistolas catholicas: quia continent generales vitæ & morum regulas, quæ ad omnes spectant.

XIII. *Secundò quæritur*: An hæ septem epistolæ rectè vocantur canonicæ?

Respondeo. 1. Beza putat errore factum esse ut canonicæ dicantur. Nam si hoc epitheto hæ septem epistolæ distinctæ sint ab aliis, quarum legitima non esset auctoritas, causam non video cur Pauli epistolas minus oportuerit eo nomine comprehendi. Deinde nuspiam à Græcis eo titulo insigniuntur.

2. Verosimile est has epistolas speciali nomine appellatas esse canonicas: quia ecclesia communi consensu has in canonem S. Scripturæ admisit; cum olim multi de nonnullis dubitaverint, an canonicæ essent nec ne. Nam de auctoritate canonica epistolæ Iacobi & posterioris epistolæ Johannis Latini præsertim diu dubitarunt. Etiam Syri temporibus primitivæ ecclesiæ pro canonicis non receperunt secundam Petri, secundam & tertiam Johannis, epistolam Judæ & Apocalypsin. Et propterea in Testamentis Syriacis, editis ante triginta aut quadraginta circiter annos, desunt superiores epistolæ & Apocalypsis. Verosimile igitur est has epistolas κατ᾽ ἐξοχὴν vocatas fuisse à doctoribus canonicas: quia tandem communi consensu in canonem fuerunt receptæ.

III. *De epistola Iacobi.*

XIV. De epistola Iacobi examinabimus hæc sequentia. 1. An sit canonica. 2. Quis ejus sit auctor. 3. Ad quos sit scripta. 4. Quid tractet. 5. Quæ fuerit occasio scribendi.

XV. 1. Hæc epistola jam communi consensu inter canonicos libros numeratur: sed olim eam nonnulli ex canone rejiciendam esse putarunt propter has tres sequentes rationes. Harum *prima* est: Quia locum de fide Abrahami ex *cap.* 15. *Genes.* contra mentem Pauli ad *Rom.* 4, applicat operibus *cap.* 2, *vers.* 26.

Resp. Jacobus utitur loco illo bonâ fide, & expressè citat Mosen, dicens: *Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad justitiam*: sed docet

cet simul, hanc fidem non constare nudâ historiâ, & infrugiferâ cognitione, sed suis debitis fructibus: secus quàm faciebant tum nonnulli de fide gloriantes.

Secunda ratio: Quia nunquam, vel rarissime hæc epistola loquitur de Christo, cum cæteri apostoli creberrimam ejus mentionem faciant.

Resp. 1. In primo versu vocat se servum Iesu Christi. 2. Iacobo propositum fuit corrigere mores corruptos malè viventium sub Christianismo: ideo frequentior debuit esse in corripiendis vitiis, & urgendis bonis operibus, quàm fidei ratione, quum jam Christianis satis constaret quid credendum esset, non autem perinde quomodo vivendum.

Tertia ratio: Quia *cap.* 2, *vers.* 12 loquens de lege, vocat eam legem libertatis, quum Paulus eam vocet servitutis, mortis, iræ, & peccati ministram.

Resp. Paulus de lege contra Iudæos disputat, qui cæremonias etiam requirebant à piis secundum Mosen, quas vocat jugum servitutis. At Iacobus de morali lege loquitur: ideo jubet omnes sic loqui, & sic facere, quasi per legem libertatis judicandi; & lex libertatis utique Christi est, cujus doctrina requirit bonos mores: libertatis autem, quia nos *non ligat ad cæremonias externas.* Ex his concludimus eam epistolam immeritò à nonnullis è numero canonicorum fuisse extrusam.

XVI. 2. auctor hujus epistolæ est Jacobus: sed quia plures fuerunt nomine Jacobi insigniti, ideo nonnulli in dubium vocant, qualis Iacobus fuerit. 1. Quidam inter veteres Græcos doctores putant hanc epistolam esse conscriptam à Iacobo quodam, qui alias vocatus est Justus & Oblias, quique fuit episcopus ecclesiæ Hierosolymitanæ, unus ex 70 *Christi discipulis.* 2. Præter hunc Iacobum, in Novo T. adhuc *fit mentio duorum* apostolorum, nomine Iacobi appellatorum, quorum unus fuit frater Iohannis, filius Zebedæi, *Matth.* 10, 2. quia ab Herode est occisus *Act.* 12, 2. Alter verò Iacobus fuit filius Alphæi, frater Iose, *Matth.* 15, 55. & 27, 56. vocatus aliàs Minor, *Marc.* 15, 40. & frater Domini, *Gal.* 1, 19. h. e. consobrinus, filius Mariæ, quæ fuit soror matris Christi, *Marc.* 15, 40. & 16, 1. qui in synodo Hierosolymitana præcipuè verba faciebat, *Act.* 15, 13. Non est verosimile primum Iacobum, qui alias vocatus est Justus & Oblias, quique erat discipulus apostolorum, viventibus apostolis, hanc epistolam conscripsisse: ergo unus ex apostolis eam conscripsit. Non prior, scil. filius Zebedæi: quia ille, antequam apostoli scribere inciperent, fuit occisus. Ergo posterior Iacobus apostolus, filius Alphæi, hanc

hanc Epistolam conscripsit. Inscriptiones habent Ιακώβου τοῦ Ἀποστόλου, & Testamentum Syriacum in titulo hæc habet, quæ Latinè sic sonant: *Tres epistolæ Iacobi, Petri & Iohannis, eorum scil, qui testati sunt de manifestatione Domini nostri, cum transformatus fuit ante oculos eorum in monte Tabor, viderunt etiam Mosen & Eliam loquentes cum eo.*

XVII. 3. Iacobus scripsit hanc Epistolam duodecim tribubus dispersis, Cap. 1, v, 1, h. e. omnibus fidelibus Iudæis, cujuscunque tribûs sint, per orbem terrarum dispersis: scil. *inter gentes*, quod interpres Syrus addit. Hinc Beza putat probabile Iacobum, Hierosolymis subsistentem, misisse hanc Epistolam per eos, qui ex omnibus regionibus convenire ad dies festos in urbem consueverant. Verum cum præcepta vivendi, quæ Iacobus hîc describit, sint communia, & ad omnes fideles pertineant, satis manifestum est, hanc Epistolam etiam ad omnes Christianos pertinere; sicuti etiam aliæ Epistolæ, quæ vel ad Timotheum, vel ad Titum, vel ad alias ecclesias scriptæ sunt.

XVIII. 4. Iacobus in hac Epistola magis versatur circa facienda quàm circa credenda: & propterea magis instruit fideles quomodo vivendum, quàm quid sit credendum. Hinc de moribus renati hominis semper loquitur, de fide non perinde. Et in profitentibus religionem Christianam requirit tolerantiam sub cruce, quæ Christi nomine obtruditur, à qua accuratè separat eam crucis speciem, quam nostra nobis imponit caro. Docet etiam in conventibus sine prosopolepsia esse conveniendum, fidem ritè ornandam omni bonorum operum studio, ne inani quodam simulachro dementemur, &c.

XIX. Occasionem scribendi hanc Epistolam præbuerunt Christianorum mali mores, qui linguâ quidem Christiani erant, sed non vitâ & moribus. Nam multi initio Ecclesiæ sequebantur Christum ventris causâ, alii hoc, alii verò aliud quid se hîc reperturos sperabant; sed de moribus emendandis parum erant solliciti. Hos corrigit Iacobus, docens non satis esse profiteri fidem Christianam, nisi eam ipsam vitâ & moribus exprimamus.

DISSERTATIO VIGESIMA QUINTA

DE

Epiſtolis Petri, Johannis, Judæ, & de Apocalypſi.

§. 1. *Circa* priorem Petri *Epiſtolam quatuor ad examen revocantur.*
2. *Simon, auctor hujus Epiſtolæ, vocatur à Chriſto Petrus & Cephas. Ratio datur hujus appellationis.*
3. *Primariò ſcripſit Iudæis, & ſecundariò aliis fidelibus.*
4. *Occaſio ſcribendi.*
5. *Contentum Epiſtolæ.*
6. Poſterior Epiſtola *Petri eſt canonica, & Petrus ejus eſt auctor.*
7. *Iiſdem eſt ſcripta quibus prior.*
8. *Tempus & occaſio ſcribendi.*
9. *Contentum Epiſtolæ.*
10. Primæ Epiſtolæ Joannis *auctor eſt Ioannes Euangeliſta.*
11. *Ioannes ſcripſit cujuſvis ætatis hominibus.*
12. *Occaſio ſcribendi.*
13. *Materia Epiſtolæ.*
14. Secundam Epiſtolam *Iohannes etiam conſcripſit, licèt Aſiatici aliique negent.*
15. *Explicantur voces* Electæ dominæ, *cui Iohannes ſcripſit.*
16. *Cauſa motiva, quæ Iohannem movit ad ſcribendum.*
17. *Contentum Epiſtolæ.*
18. *Iohannes* tertiam Epiſtolam *ſcripſit ad Gajum, cujus locus habitationis & hoſpitalitas deſcribuntur.*
19. Iudas *vocatur frater Iacobi, ut diſtinguatur à Iuda Iſcariote*
20. *Rationes, quæ videntur probare Iudam non eſſe Epiſtolæ ſuæ auctorem, facile ſolvuntur.*
21. *Iudas ſcripſit omnibus fidelibus.*
22. *Occaſio ſcribendi.*
23. *Contentum Epiſtolæ.*
23. Apocalypſis, *ſcripta à Iohanne Euangeliſta, eſt divinæ auctoritatis; quod tribus rationibus confirmatur, & quinque rationes contrariæ ſolvuntur.*
25. *Quibus Iohannes ſcripſerit.*
26. *Occaſio ſcribendi.*
27. *Diviſio libri.*

I. *De priori Epiſtola Petri.*

SECTIO I.



CIrca priorem Epiſtolam Petri conſiderabimus. 1. Quis ejus ſit auctor? 2. Quibus ſit ſcripta! 3. Qualis fuerit occaſio ſcribendi? 4. Quid contineat?

II. 1. Auctor Epiſtolæ indubitatus apud omnes Interpretes eſt Apoſtolus Petrus, qui olim à quibuſdam rectè appellatus eſt Signi-

Signifer Novi Testamenti. Hic ratione fuit Galilæus, ex vico Bethsaida oriundus, & patrem habuit Johannem Piscatorem, fratrem Andream, cum quo ascitus est ad Apostolatum, dum piscarentur ad mare Galilææ, Matth. 4, 18. In circumcisione fuit vocatus Σίμων *Simon*; sed illud nomen Christus ei mutavit in Petrum & Cepham: Marc. 3, 16. *Iesus imposuit Simoni nomen Petri*, & in Euangelio Johannis cap. 1, v, 43. vocatur Κηφᾶς Cephas: *Iesus dixit Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod est, si interpreteris, Petrus.* Syri in inscriptione Epistolæ hæc tria nomina sic conjungunt: *Epistola Petri Apostoli Simonis Kepha.* Christus Matth. 16, 18, distinguit inter nomen Petri & petræ: *Tu es Petrus, & super hanc petram,* quam tu profiteris, *ædificabo ecclesiam meam.* Petrus dicitur à petra, & differunt ut genus & species. Πέτρος idem est quod λίθος *lapis*, sed πέτρα idem quod *rupes*. Et sicut à Christo Christianus quis vocatur, sic à petra denominatus fuit Petrus.

Primò quæritur: Quare Simon à Christo vocatus est Petrus? *Resp.* Procul dubio propter fidei constantiam & robur. Fortè etiam quia audaciâ respondendi, interrogandi, agendique omnium nomine, reliquos antecelluit,

Secundò quæritur: Quare Petrus etiam vocatus est κηφᾶς *Cephas*? *Resp.* Salvatoris lingua vernacula fuit Syriaca, & κηφᾶς Syriacè ܟܺܐܦܳܐ *cipho)* idem denotat quod Petrus sive petra: sonat enim *petram, lapidem, saxum.* Hinc versio Syriaca illam clausulam, *quod est, si interpreteris, Petrus,* non habet.

Tertiò quæritur: An hæc mutatio nominis in Petrum sive Cepham aliquid denotet? *Resp.* Glassius in Philologia Sacra p. 835, in mutatione nominis Simonis in Petram dicit omen esse duplex: *Prius* ἀπαθητικόν quia inter varias Satanæ insidias ac tentationes firma fide, veræ petræ salutis, Christo Jesu adhæsurus, & super illâ, ut lapis vivus, super ædificandus erat; quæ ratio exponitur ab ipsomet Christo, Luc. 22, 31, 32. *Posterius* ἐνεργητικόν, quia ipse ministerio & confessione suâ plurimos super Christo verâ petrâ, ejus virtute, ædificaturus erat; quod ipse exponit 1 *Pet.* 2, *v*, 5. quò etiam respicit Christus. Matth. 16, 18.

III. 2. Petrus scripsit hanc Epistolam Judæis per universum fere terrarum orbem dispersis, & gentium regiones incolentibus: sic enim initio ait: *Petrus Apostolus Iesu Christi, advenis sparsim incolentibus Pontum, Galatiam, Cappadociam,* &c. Judæorum præcipuè etiam fuit Apostolus, uti

uti habetur in Epistola ad Gal. cap. 2, v, 7. *Quum vidissent mihi* (Paulo) *concreditum fuisse Euangelium Praputii, sicuti Petro Circumcisionis.* Sed nonnulli colligunt ex cap. 2, v, 10, 11. Petrum etiam secundariò Gentibus scripsisse: nam ait; *Qui quondam eratis non populus, nunc populus Dei: qui quondam non consequuti misericordiam, nunc estis misericordiam consequuti. Dilecti, obsecro tanquam advenas ac peregrinos.* Similiter cap. 4, vers. 3, videtur loqui cum fidelibus ex Gentibus conversis. Ut ut sit, Apostolus primariò Judæorum, & secundariò etiam omnium conversorum habuit rationem.

IV. 3. Occasio Petro oblata fuit ex adventu Sylvani, qui prius in illis locis unâ cum Petro doctrinam Christianam docuerat; idemque Sylvanus, cum tandem ad has Ecclesias esset rediturus, Babylonem *transivit*, ubi Petrum, ut videtur, reperit. Is tam opportuno nuncio oblato, hanc Epistolam ad illas Ecclesias transmisit, ut eæ contra falsos fratres instruerentur qui doctrinam veritatis variis modis corrumpebant.

V. 4. Ostendit Apostolus quanta beneficia Deus conferat electis per Euangelii agnitionem, eamque solam habere consensum cum Prophetica Doctrina; ideoque ut antiquissimam & verissimam esse conservandam. Postea descendit ad mores, omnesque ad virtutes renati *hominis* provocat: & non tantum in genere, sed etiam in specie docet, quid subditi debeant Magistratui, quid servi heris, quid uxor marito, quid maritus uxori, quid doctor gregi, & quid grex doctoribus, &c. *Vide plura in Aretio.*

II. *De posteriori epistola Petri.*

Examinabimus circa posteriorem Petri Epistolam *hæc sequentia.* 1. Quis ejus Epistolæ sit auctor, & an sit Canonica? 2. Quibus sit scripta? 3. Qualis fuerit occasio scribendi? 4. Quid contineat?

VI. 1. Olim de auctore & auctoritate hujus posterioris epistolæ fuit dubitatum: nam Orientales tantum unicam Petri Epistolam tanquam genuinam agnoverunt, & receperunt. Hinc Nicephorus l. 5, c, 16, priorem solum illi tribuit, posterioris quidem facit mentionem, sed non sine suspicione. Vide etiam Eusebii hist. l. 3, cap. 3, 22. Syri antiqui hanc etiam rejecerunt: & propterea in plerisque Novis Test. Syriacis non invenitur. Imo etiam Syri hodierni nondum agnoscunt eam epistolam tanquam Canonicam, sed legunt quidem privatim, uti nos solemus libros apocryphos legere.

E con-

E contra Occidentales & omnes aliæ Ecclesiæ hanc posteriorem epistolam pro canonica recipiunt; etiam inter Græcos eam admittit Athanasius: nam eam uti cæteras Apostolicas eruditâ Synopsi illustravit. Horum calculo nos etiam subscribimus propter sequentes rationes. 1. Ipse titulus docet Petrum esse auctorem; Συμεὼν Πέτρος *Symeon Petrus servus & Apostolus Iesu Christi*, &c. Codex Complutensis & tres alii legunt Σίμων *Simon*: sed est idem nomen. 2. Auctor cap. 1, v, 18, testatur se fuisse unum ex tribus Christi discipulis, qui transformationem & gloriam Christi in monte Thabor viderunt, Matth. 17, 1. Et illi tres fuerunt Petrus, Jacobus & Iohannes. Atqui nec Iacobus, nec Iohannes ejus auctor statuitur: ergo remanet Petrus Apostolus. 3. Hæc epistola habet multa cum priori communia, ut locum de consensu Propheticæ doctrinæ, locum de ornanda professione, vita & moribus; etiam cum cæteris epistolis convenit, nec aliquid habet quod hæresin sapit. Ergo nullæ supersunt rationes, quæ ullo modo probant, vel Petrum ejus non esse auctorem, vel eam epistolam non esse canonicam.

VII. 2. Apostolus scripsit hanc epistolam iisdem quibus priorem: 2 Petr. 3, 1. *Hasce jam alteras vobis, clarißimi, scribo literas*, h. e. præcipuè Judæis, & secundariò omnibus aliis fidelibus, τοῖς ἰσότιμον πίστιν λαχοῦσι, *illis qui æquè pretiosam fidem sortiti sunt*, v, 1. Iudæos quidem præcipuè respexit; sed cúm omnes Ecclesiæ tum mixtæ essent ex Iudæis & Gentibus, non poterat solos Iudæos ἰσοτίμους vocare in causa religionis.

VIII. 3. Apostolus senex & morti vicinus, (uti apparet ex cap. 1. v, 14. *Scio brevi futurum, ut deponam hoc tabernaculum meum*) scripsit hanc epistolam tanquam cygneam cantionem: tum ut fideles haberent testimonium Apostolicæ doctrinæ; tum etiam ut firmam haberent consolationem in omni fortuna, & ut monerentur contra falsos doctores, quos, & quorum absurda dogmata & mores Epicuraicos diligenter describit Cap. 2, & 3.

IX. 4. Apostolus in priori Epistola magis voluit fideles reddere constantes in professione Christiana, ne metu periculorum aut mole persequutionum deficerent à religione Christiana: sed in hac posteriori magis urget ut crescant in renati hominis virtutibus, in iisque magis magisque proficiant. Differit etiam de cavendis seductoribus, de consensu doctrinæ propheticæ & apostolicæ, de statu novissimi temporis, de præstantia Paulinæ doctrinæ, &c.

III. *De prima Epistola Johannis.*

Investigabimus circa hanc Epistolam, 1. Auctorem. 2. Quibus sit scripta. 3. Occasionem scribendi. & 4, Materiam ejus.

X. 1. Auctor hujus epistolæ fuit Iohannes Euangelista, filius Zebedæi, qui inter Apostolos fuit dilectus Christo: unde in ultima Cœna recubuit in sinu ejus; etiam in monte Tabor transfigurationi ejus interfuit, & sub cruce ipse solus ex Apostolis stetit. Longævitate alios Apostolos dicitur superasse. Historiæ testantur eum gustasse venenum, & oleum fervens illæsum ingressum esse. Vide plura de ejus vita suprà dissertatione 19. Etiamsi ejus nomen non exprimatur in principio, inde tamen nemo potest infringere Iohannem ejus Epistolæ non esse auctorem: nam sermonis character, in aliis libris à Iohanne compositis observatus, videtur satis innuere eundem etiam hujus epistolæ esse anctorem. Hæc epistpla in titulo vocatur *Johannis Apostoli Epistola catholica prima.* Iohannes non scripsit tres epistolas catholicas: nam secunda Electæ cuidam, & tertia Gajo inscribitur. Sed tali sensu titulus ille accipiendus est ac si scriptum esset, *Iohannis epistola prima, quæ quidem catholica est.* Vel dicendum est inscriptionem illam esse mendosam.

XI. 2. Iohannes scripsit hanc epistolam ad cujusvis ætatis homines, qui Christum profitentur, cap. 2, v, 12, &c. Ad pueros, adolescentes, patres, senes; ad infirmos, aut ad eos qui de fide gloriabantur. Infirmos confirmat, & gloriosos admonet non satis esse gloriari de Dei cognitione, nisi addatur mandatorum Dei impletio.

XII. 3. Licentia vivendi eorum, qui speciosa *nomina Christianæ libertatis* perpetuò crepabant, occasionem dedit Apostolo hanc epistolam scribendi: nam vita ipsorum non respondebat illis sententiis, quas continuò in ore habebant. Dicebant enim, habemus communionem cum Deo, manemus in Deo, scimus veritatem: sed negligebant observantiam dilecticnis, ad quam eos diligenter hortatur.

XIII. 4. Iohannes hîc informat vitam & mores hominis Christiani, ac ostendit non satis esse quod filii Dei dicamur, aut quod habemus communionem cum Deo, ipsum noverimus, &c. nisi accesserit vitæ innocentia & mandatorum ejus observantia, quæ omnia restringit ad regulam fidei & dilectionis, &c.

IV. De

IV. *De secunda Epistola Iohannis.*

De hac secunda epistola examinabimus, 1. Quis ejus sit auctor? 2. Cui sit scripta? 3. Quare sit scripta? & 4. Quid contineat?

XIV. 1. De auctore & auctoritate hujus epistolæ diu dubitatum fuit. Asiatici negarunt & Canonicam, & Iohannem ejus auctorem esse. Syri hanc & tertiam epistolam in Testamentis suis non habent. Quare negarunt hanc Epistolam à Iohanne Apostolo esse conscriptam? *Resp.* Quia vocat se *πρεσβύτερον Seniorem* vers. 1. Eusebius l. 3, c. 39, refert apud Ephesios duo esse sepulchra Johannis, unum Iohannis Euangelistæ, qui Euangelium & primam epistolam conscripsit; alterum Iohannis presbyteri, qui has duas epistolas & Apocalypsin posteritati reliquit. Alii tres Iohannes constituerunt, ut tertius sit Iohannes Theologus, cui Apocalypsis tribuitur.

Sed hæ rationes sunt elumbes & infirmæ. Nam 1. Illa duo nomina presbyteri & Theologi possunt esse epitheta ejusdem Iohannis Euangelistæ. Vocatus est Euangelista à conscripto Euangelio; deinde presbyter respectu senectutis, vel respectu summæ auctoritatis quâ apud Asiaticas Ecclesias pollebat: nam presbyter sæpè est nomen officii. Denique potest nominari Theologus, quia veram de Deo habuit cognitionem, quam etiam alios solidè potuit docere. 2. Quod de duobus sepulchris dicitur, fabulosum esse videtur, vel non satis probat. Hæc igitur secunda epistola etiam Iohanni Euangelistæ est adscribenda: nam doctrina valde pia & sancta est, atque adeo cum superiore prorsus conveniens. Phrasis germanum Iohannis stylum etiam refert.

XV. 2. Iohannes scripsit *ἐκλεκτῇ κυρίᾳ electa domina*, vers. 1. Qualis fuit illa Electa! *Resp. primò.* Quidam volunt esse nomen proprium. Lyranus affirmat fuisse matronam nobilem, prædivitem, & Babylonicam, proprio nomine Electam dictam. Sed hoc non videtur verosimile, quod mulieri Babylonicæ nomen Romanum fuerit impositum. Deinde tum diceretur inverso ordine *κυρίᾳ ἐκλεκτῇ domina electa.*

Secundò. Alii volunt Ecclesiam Christianam in genere hoc nomine designari. Sed hoc nomine Ecclesia non solet denotari. Deinde in *vers.* 13, & 14, pollicetur se venturum ad eam & filios ejus, additque: *Salutant te filii sororis tuæ Electa.*

Tertiò. 3. Per Electam intelligitur eximia & præstantis dignitatis fœmina,

mina, quæ fortè Ecclesiam opibus suis sustentavit. Vocat eam *electam* ex judicio charitatis; & *dominam*, quia fuit eximia, gravissima & potentissima fœmina.

XVI. 3. Familiaritas & privata consuetudo, quam cum hac familia habuit, à quâ procul dubio etiam hospitio fuit exceptus, Johanni præbuit occasionem scribendi. Nam deprehendit castos mores & piam vitam, ideo jam absens voluit eam familiam monere, tum ut constans maneret in via pia, tum etiam ne seduceretur à falsis doctoribus.

XVII. 4. Apostolus ora hanc fœminam ut in veritate Christiana perseveret, ne in seductores incidat, quin potius eos omnino vitet.

V. *De tertia Epistola Johannis.*

XVIII. Johannes Euangelista scripsit hanc epistolam ad Gajum dilectum *vers.* 1.

Qualis fuit ille Gajus? *Resp.* Non satis constat qualis fuerit. Nomen ejus Gajus sive Cajus est Romanum; indeque nonnulli concludunt fuisse Romanum, vel saltem Romana civitate donatum.

Quoad habitationem videtur fuisse Corinthius: nam Paulus Corintho Romam scribens, inter alia ait cap. 16, 23. *Salutat vos Gajus hospes meus & totius Ecclesia.* Ad Corinthios verò scribens 1. Corint. 1, 14. inquit; *Gratias ago Deo meo, quod neminem vestrûm baptizaverim, nisi Crispum & Gajum.* Verosimile est fuisse eundem Gajum: quia ejus hospitalitas laudatur hîc, & ad Roman. *cap.* 16.

Quare Johannes scripsit ad hunc Gajum? *Resp.* Diversi fratres ab hoc Gajo excepti, & in ædes assumpti, commendarunt *ejus hospitalitatem* apud Johannem: qui propterea eum hac epistola laudat, & ad constantiam in eâ virtute excitat. Præterea Diotrephis petulantiam accusat, & Demetrium commendat.

VI. *De Epistola Judæ.*

Circa hanc Epistolam examinabimus, 1. Quis ejus sit auctor? 2. Cui sit scripta? 3. Quare sit scripta? & 4. Quid contineat?

XIX. 1. Auctor vocatur Iudas, frater Iacobi, aliàs vocatus Lebbæus cognomento Thaddæus, qui ad Apostolatum vocatus est *Matth.* 10, 3. Cum duo fuerint Apostoli Iacobi, scil. Iacobus filius Zebedæi, ab Herode occi-

occisus, & Iacobus filius Alphæi, qui epistolam conscripsit; *Quæritur*: Uter Iacobus hîc intelligatur? *Resp.* Verosimile videtur quod Iudas fuerit frater Iacobi posterioris, utpote celeberrimi inter Iudæos.

Quare additur *versu* 1. ἀδελφὸς Ιακώβου? *Resp.* Ut ab altero Iuda Iscariote distingueretur; quod factum est non tantum vivo illo Iscariote, sed etiam eo mortuo. Jam enim invaluerat consuetudo ut sic vocaretur, Actor. 1, 13, *& Judas Jacobi*, scil. frater. *Joh.* 14, 22. vocatur simpliciter *Judas*, sed additur, *non ille Iscariotes.*

Docuit hic Iudas apud multas nationes, in Mesopotamia, Ponto, Ægypto & Perside, ubi à magis dicitur interfectus, quod liberius ipsorum superstitiones carperet.

XX. *Quæritur*: An Iudas Apostolus hujus Epistolæ sit auctor?

Respondeo. Eusebius l. 2, c. 23. *Histor Eccles.* ait quosdam de hâc Epistolâ dubitasse, an ejus author sit Iudas Apostolus; & quidem propter tres rationes. Harum *prima* est: quia se non vocat Apostolum, sed tantum servum Iesu Christi. *Resp.* Iudas, secundùm exemplum Iohannis & Iacobi, humilitatis ergo se abstinuit ab hoc titulo, contentus nomine servi. Deinde Paulus in Epist. ad Philippenses, ad Thessal. & ad Philem. etiam omisit nomen Apostoli: inde tamen nemo probavit eas epistolas ab Apostolo Paulo non esse compositas.

Secunda ratio, quæ objicitur, est: quia Iudas omnia videtur exscripsisse ex 2. Epist. Petri cap. 2, quod videtur esse contra gravitatem Apostoli. *Resp.* 1. Liberum semper fuit piis aliorum priorum scripta legere, & suis temporibus accommodare. Sic posteriores prophetæ priorum scripta legerunt & allegarunt. 2. Sicuti Petrus illa de Sodomitis & Gomorræis, &c. excerpsit ex ipso Mose, sic potuit etiam illa Iudas excerpsisse ex eodem Mose.

Tertia ratio desumitur ex *vers.* 14. ubi citatur prophetia Enochi, quæ in Prophetis nullibi habetur. *Resp.* 1. Verosimile est hoc Enochi dictum vel ἄγραφον fuisse, & tamen apud omnes posteros celebre; vel in aliquo libro Enochi, non canonico, commemoratum. An ergo licuit Apostolo citare dicta & scripta non canonica? Imo. Sic Paulus habito auditorum respectu 1. *Cor.* 15, 33. citat Menandrum; *Tit.* 1, 12. Epimenidem Cretensem, & *Actor*, 17, 28. Aratum.

XXI. 2. Judas scripsit sanctificatis à Deo Patre, Jesu Christo servatis, & vocatis, *vers.* 1. h. e. omnibus fidelibus profitentibus nomen Christi. Hinc hæc epistola meritò vocari potest Catholica.

XXII. 3. Iudæ occaſio ſcribendi eſt oblata ex diſſolutis moribus Chriſtianorum, qui non ſolum invaleſcebant inter auditores, ſed etiam inter ipſos doctores. Hanc morum corruptelam voluit piis inviſam & deteſtabilem reddere, ut ſinceritatem in fidei dogmatibus & in moribus conſervarent.

XXIII. 4. Iudas docet pios oportere vocationi ſuæ inſiſtere: nam Deus punit etiam vocatos, ſi vocationi ſuæ non reſpondeant. Hoc probat variis exemplis, ut in populo Dei, in Angelis lapſis, in Sodomitis, & in Gomorræis; quæ exempla accommodat ad ſtatum Eccleſiæ, quæ ſimilia portenta ſemper aluit, &c.

VII. *De Apocalypſi Johannis.*

Sequitur ultimus liber Novi T. qui propheticus eſt, & qui vocatur in *verſ.* 1. Ἀποκάλυψις *Apocalypſis*, h. e. revelatio, ſcil. rerum occultarum & futurarum. De hoc libro examinabimus. 1. An Iohannes Euangeliſta ejus ſit auctor, & an ſit canonicus? 2. Quibus ſit ſcriptus? 3. Qua occaſione? 4. Quæ contineat?

XXIV. 1. De auctore & auctoritate hujus libri diu fuit dubitatum propter ſequentes rationes; quarum *prima* eſt: Quia multi ex Veteribus negarunt Iohannem ejus eſſe auctorem. *Reſp.* 1. Sine ullis rationibus probabilibus negarunt. 2. Multi è contra ex veteribus affirmarunt. Epiphanius negantes inter hæreticos recenſuit.

Secunda ratio eſt. Quia nihil habet apoſtolicæ gravitatis *Reſp.* Falſa eſt hæc ratio,

Tertia ratio eſt. Quia nomen ſuum ſæpè exprimit, *Ego Johannes, quod* in aliis libris non fecit. *Reſp.* In Euangelio non addidit nomen: quia ibi hiſtoriam ſcripſit, cujus auctoritas aliundè potius pendet quàm à Scriptore. In prophetia res futuræ prædicuntur, quæ auctoritate annunciantis fere creduntur. Hinc Ieremias centies vicies, & Daniel ſæpius nomen ſuum expreſſerunt.

Quarta ratio eſt. Vocat ſe non Euangeliſtam ſed Theologum. *Reſp.* Iohannes Euangeliſta, per excellentiam à veteribus fuit vocatus Theologus: quia de Chriſti divinitate nemo hominum unquam apertius aut divinius ſcripſit quàm hic.

Quinta ratio eſt. Quia eſt diverſitas ſtyli. *Reſp.* Non eſt mirum auctorem in tam diſſimili argumento uti alio ſtylo.

E contra

E contra alii, rationibus ex ipso libro desumptis, probant Johannem Euangelistam esse auctorem hujus libri. Nam 1. Hic Auctor cap. 1, v. 9, fuit ablegatus in insulam Pathmon sub Domitiano: atqui ille est Johannes Euangelista.

2. Versu secundo capitis primi testificatus est τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ *sermonem Dei, & testimonium Jesu Christi.* Hoc nihil aliud esse videtur, quàm dicere, se illum esse qui prius jam scripserat historiam Euangelicam de incarnatione & vita Christi.

3. Doctrina hîc tradita est pia, veritati Euangelii & doctrinæ Christi ac Apostolorum valde conveniens. Complutenses, ad litem hanc tollendam, epigraphen libri hujus sic scripserunt: Ἀποκάλυψις τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, τοῦ θεολόγου. Cum his Complutensibus aliisque concludimus librum esse canonicum, & Johannem Euangelistam ejus esse auctorem.

XXV. 2. Johannes scripsit tum ad particulares personas, quæ cap. 2, & 3, exprimuntur, tum etiam ad generalem personam quæ est totius ecclesiæ, cui depingit eventura usque ad finem mundi.

XXVI. 3. Johannes, sicuti omnes Prophetæ, jussu Dei hanc prophetiam scripsit. Adest illi Angelus monitor de faciendis, vel omittendis; quædam planè præteriit, quædam obscurius scripsit, quædam etiam sine omni ambiguitate retulit. Dilucida sunt quæ ad septem Ecclesias scripsit; obscuriora, quæ capitibus 10. 11. 14. 17. habentur. Præteriit planè quæ locuta sunt septem tonitrua, capite 10, vers. 4.

XXVII. 4. Hic liber in tres partes dividitur. 1. In præfationem, quæ primis octo versibus comprehenditur. 2. In septem visiones & prædictiones rerum, quæ Ecclesiæ evenirent ab eo tempore usque ad finem Mundi. Hæc à versu 9. capitis primi usque ad versum 6. capitis 22. continentur. 3. In conclusionem totius libri, quæ reliquis versibus describitur.

DISSERTATIO VIGESIMA SEXTA ET ULTIMA,

De Nominibus propriis personarum & locorum in Veteri & Novo Test. occurrentibus.

§. 1. *Nomina propria V. & N. T. sunt significativa. Eorum significatio in Onomastico sacro potest inquiri.*
2. *Pater, mater aut amici imposuerunt nomina:*
3. *Vel à re gesta præterita, vel à re præsenti, vel à re futura.*
4. *Nomina aliquando per prolepsin imposita leguntur, antequam revera imposita fuerunt.*
5. *Nomina propria personarum sunt nonnunquam mutata vel à Deo, vel à viris piis, aut ab impiis.*
6. *Idem fere nominibus locorum accidit.*
7. *Nomen proprium unius imponitur alii ob similitudinem vel typum.*
8. *Uni personæ & loco sæpè plura nomina propria sunt imposita.*
9. *Idem nomen vel diversis personis vel diversis locis imponitur.*
10. *Idem nomen pluribus regibus ejusdem regni concessum est.*
11. *Idem nomen proprium non semper eodem modo ubique scribitur.*
12. *Nomina propria aliquando periphrasticè circumscribuntur.*
13. *Nomina propria nonnunquam habent terminationem pluralem aut dualem.*
14. *Multa Nomina sunt composita:*
15. *Quorum aliquando pars prior, nonnunquam pars posterior ponitur.*
16. *Etymologia Nominum non est desumenda ex lingua peregrina.*
17. *Nomina propria aliquando irregulariter recipiunt ה pronomen.*
18. *Nomina propria in versionibus non sunt transferenda.*
19. *Nomen civitatis aliquando latiori significatione agrum aut tractum circumjacentem denotat.*

SECTIO I.



Quia in libris Novi T. jam enumeratis, & in libris Vet. Test. multa occurrunt nomina propria, quæ sunt significativa; ideo non abs re erit, si de nominibus propriis sacræ scripturæ in hoc Philologo generali differamus. Peculiare est in Veteri & Novo T. quod nomina personarum & locorum sint significativa; & quod denotent hoc vel illud quod fuit, quod est, quod erit, vel aliquam aliam circumstantiam; prout videre est in *Onomastico Sacro*, à me anno 1665, edito Ultrajecti, & secunda vice anno 1682 recuso Lugduni Batavorum apud Jordani Luchtmans: in quo omnia nomina propria tam in Veteri & Novo T. quam in Libris Apocryphis occurrentia dilucidè explican-

plicantur. Glassius in Philologia sacra libro 4. Tract. 3, fusissimè de Nominibus propriis agit: nos ipsius vestigiis quodammodo insistentes, has sequentes quæstiones & assertiones proponemus.

II. *Primò quæritur:* Quis olim nomina imposuit personis & locis?

Respondeo. Pater, ut caput familiæ, videtur ut plurimum nomen imposuisse: sic discimus ex exemplo Zachariæ, Luc. 1, 63, *Qui postulata tabella scripsit, dicens, Johannes est nomen ejus.* & vers. 13. Angelus dicit Zachariæ: *Vocabis nomen ejus Johannem.* Idem de nominibus locorum affirmari potest. Abraham vocat locum באר שבע *beer-schebach*, (puteum juramenti) quia ille & Abimelech ibi juraverant, *Gen.* 21, 31.

Aliquando ipsæ matres, cognati & vicini, vicem patris suppleverunt. Ipsa Lea filiis Reubeni, Simeoni, Levi & Jehudæ imposuit nomina, *Gen.* 29: 32. 33. 34. 35. uti & Rachel Iosepho, *Gen.* 30, 24.

Iohannes Baptista à cognatis & vicinis antea nominatus erat Zacharias; quod nomen procul dubio fuisset ratum, nisi angelus versu 13, monuisset eum *Johannem esse vocandum.* Sic enim legitur vers. 58, 59. *Et audierunt accolæ & cognati ejus. — Octavo die venerunt ad circumcidendum puerulum. Et vocabant eum ex nomine patris ejus Zacahriam.*

III. *Secundò quæritur.* Unde appellatio nominum propriorum, præcipuè Veteris T. desumitur?

Respondeo. Vel à re gesta *præterita*, vel à re aut actione *præsenti*, vel à re *futura.* Nonnunquam hæ causæ exprimuntur in scriptura, & tum appellationes sunt certæ; sed aliquando reticentur ac omittuntur, & tum nulla certa causa facile potest assignari.

1. A re gesta præterita vocatus est יצחק *Iisaac*, quia Abraham risit, *Gen.* 17, 17.

Similiter משה *Moses*, h. e. *extrahens* (pro מָשׁוּי *extractus*) nominatus est. Moses est nomen Hebraicum inditum à matre. Nonnulli putant quod potius vocatus sit extrahens quàm extractus, ad indicandum vel prædicendum, quod postea Israëlitas ex Ægypto educeret.

Etiam שמעון *Simeon* à re præterita sic vocatur; quia Deus exaudiverat matrem.

Etiam nomina *Locis* sunt indita à re præterita: ex. gr. Civitas בבל *Babel* à confusione sic est appellata: nam בלל *confundere* significat.

Similiter *Beer-schebah* à juramento prope puteum facto, & בֵּית־אֵל *domus Dei* à visione divina Iacobo facta nominantur.

2. A re præsenti sive à præsenti rerum statu nomina sunt desumpta.

Josephi nomen etiam mutatum est à Pharaone in *Tzaphnathpahaneach*, Gen. 41, 45.

VI. Etiam nomina locorum aliquando vel mutata, vel alia prioribus superinducta leguntur. Jacob civitatem *Luz* vocavit *Bethel*, Gen. 28, 19.

Nomen civitatis *Lais* mutatum est in *Dan*. 18, 29.

Hierosolyma ante Vocata *Salem*, Gen. 14, 18. postea *Jebus* appellatur, Judic. 19, 10. *Pervenit vir ille ex adverso Jebus*, h. e. *Jerusalem*: & tandem vocata est ירושלים *Jerusalem*, quo nomine passim in S. Scriptura denominatur.

VII. Aliquando nomen proprium unius imponitur alii ob similitudinem vel typum: Ex. gr. Izebel vocat Jehu, cum portam ingrederetur, Zimri occisorem domini sui, 2 *Reg*. 9, 31. Jehu non appellatur Zimri; sed Isebel alludit ad alium Zimri, principem dimidiæ partis curruum, qui conspirationem fecerat contra Regem Iisraelis 1 *Reg*. 16, 11.

Similiter Johannes Baptista nominatur Elias *Mal*. 4, 5, quia in spiritu & virtute Eliæ venit, Luc. 1, 17. *Ipse præcedet in conspectu ejus, cum spiritu & virtute Eliæ*. Etiam magna similitudo inter utrumque fuit, scil. respectu vestis; respectu loci inhabitationis: quia uterque vasta & inculta loca inhabitavit; respectu increpationis, qua unus Izebelem, alter Herodem increpavit.

2. Idem etiam observatur in locis. Nam ecclesia Novi T. vocatur mons Zion & Hierosolyma *Jes*. 2, 2, 3. Quare? Quia Ecclesiæ typus in monte & civitate sancta præcessit, & ex urbe Hierosolyma vox Euangelii prodiit in universum mundum.

Ob similitudinem pœnæ, quæ erat in valle Hinnom, ubi infantes Molocho offerebantur, vocatur infernus *Gehenna*, Matth. 5, 22.

VIII. Uni personæ & loco aliquando plura nomina propria sunt imposita. Filius Saulis *Jischvi* vocatus 1 Sam. 14, 49. *Erant filii Saulis Jonathan, Jisvi & Malcischuah*, nominatur *Abinadab* 1 Chron. 10, 2. *Percusserunt Philistæi Jonathanem, & Abinadabum, & Malcischuham filios Saulis*.

Etiam avus Saulis vocatus *Abiel* 1 Sam. 9, 1. *Erat quidam ex Benjamine, cujus nomen Kisch, filius Abielis*, &c. appellatur *Ner*, 1 Chron. 9, 39. *Ner genuit Kisch, & Kisch genuit Saulem*, &c.

Idem etiam observatur in Novo T. Apostolus Judas (forte in odium nominis Judæ proditoris) vocatur Thaddæus, *Marc*. 3, 18. idem denotans quod Iudas; & quia Iuda Patriarcha *Gen*. 49, 9. vocatur *Leo*, ideo etiam appel-

appellatur Lebbæus, *Matth.* 10, 3. *Lebbæus cognominatus Thaddæus.* Hæc assertio difficultatibus nonnullis solvendis, circa genealogias moveri solitis, inservire poterit.

2. Cumulus testimonii vocatur à Jacobo *Gilead*, à Labane *Jegar-Sadutha*, & postea etiam *Mizpa* Gen. 31, 47, 49.

Similiter Babylonia vocatur *Scheschach*, Jer. 25, 26. *Rex Scheschachi bibet post eos*, & cap. 51, v, 41. *Quomodo caperetur Scheschach? Quomodo esset desolationi Babylon inter gentes?*

IX. Idem nomen proprium vel diversis personis vel diversis locis imponitur. Ex. gr. Filius Jonathæ vocatur *Mephiboschet*, 2 Sam. 4, 4, & filius Saulis, suspensus à Gibeonitis, etiam eodem nomine insignitur. 2 Sam. 21, 7, 8, 9. *David clementia usus est erga Mephiboschet filium Ionathanis, Et accepit rex duos filios Ritzpæ filiæ Ajæ, quos pepererat Schauli Armonin & Mephiboschet.- Tradiditque eos in manum Gibhonitarum*, &c.

Abigal est nomen sororis Davids, matris Amasæ, 1 *Chron.* 2, 16, 17, & uxor Nabalis, quam David postea in uxorem duxit, 1 Sam. 25, 3.

In numero duodecim Apostolorum fuerunt duo Judæ, scil. Iscariotes, & Thaddæus sive Lebbæus;

Duo itidem fuerunt Jacobi, scil. unus Zebedæi filius, & alter Alphæi, *Matth.* 10, 2, 3. *Iacobus filius Zebedæi. - Iacobus filius Alphæi.*

2. Beerscheba est nomen loci ita insigniti ab Abrahamo & Abimelecho, *Gen.* 21, 31. Etiam est nomen urbis *Gen.* 26, 23.

Bethlehem una fuit in tribu Zabulon, *Ios.* 19, 15. & altera in Judæa, *Mich.* 5, 1, scil. Bethlehem Ephrata, quæ *Matth.* 2, 6, vocatur *Bethlehem terra Iudæ.*

X. Idem nomen pluribus regibus ejusdem regni concessum legitur in Scriptura: ex. gr. Pharao fuit commune nomen regum Ægyptiorum. Tempore Abrahami fuit Pharao, *Gen.* 12, 15, alius tempore Josephi, *Gen.* 41, 1. alius tempore servitutis Ægyptiacæ *Exod.* 1, 22, &c.

Reges Philistæorum Abimelech nominabantur tempore Abrahami, *Gen.* 20, 2. & tempore Iisaci *cap.* 26, 1. David se insanum ostendit coram rege Abimelecho, *Psal.* 34, 1. qui nomine proprio vocatur Achis 1 *Sam.* 21, 12.

XI. Idem nomen proprium in S. Scriptura non semper eodem modo scribitur, sed obnoxium est variationi; quæ consistit vel in additione & omissione literarum ab initio in medio, & in fine; vel in permutatione; vel in transpositione earum.

Idem nomen variat per additionem & omissionem. Qui 1. Chron. 2, 10. רָם *Ram*, is Matt. 1, 3. *Aram* vocatur.

Quæ 2 Sam. 17, 25. אֲבִיגַל *Abigal*, ea 1 Par. 2-16. אֲבִיגַיִל *Abigail* nominatur.

Urbs, quæ Jes. 16, 7. קִיר חֲרֶשֶׂת *Kir Chareseth*, ea versu 11. קִיר חֶרֶשׂ *Kir Chares* dicitur.

2. Idem nomen proprium etiam permutationi & variationi literarum est obnoxium. Rex Babel Dan. 1, 1, vocatur נבוכדנאצר *Nebucadnezar*; cap. 2. v, 2, sine Aleph & Vau נְבֻכַדְנֶצַּר, & Jer. 21, 2, mutato Nun in Resch נבוכדראצר *Nebucad-Rezar* nominatur.

Similiter qui Jos. 7, 1, עָכָן *Achan*, is 1 Chron. 2, 7, עָכָר *Achar* dicitur. Sic Beelzebub vocatur in N. T. Beelzebul.

3. Variatio ejusdem nominis proprii consistit etiam in transpositione literarum. Pater Batzabæ 2 Sam. 11, 3, אֱלִיעָם *Eliam* dictus, vocatus 1 Chron. 3, 5. עַמִּיאֵל *Ammiel*.

XII. Nomina propria aliquando periphrastice circumscribuntur: ex. gr. Hierosolyma describitur Psal. 48, 2, 3. *Dominus laudandus in civitate Dei nostri, & monte sancto ejus. Pulcher termino, gaudium universæ terræ mons Sijon, qui est ad latera Aquilonis, civitas Regis magni.*

Johannes seipsum designaturus, celato nomine suo proprio, dicit *cap.* 13, *v*, 23. *Erat autem quidam ex discipulis Iesu, recumbens in sinu ipsius, quem diligebat Iesus.*

XIII. Nomina propria ut plurimum quidem habent terminationem singularem, sed nonnulla etiam habent terminationem pluralem aut dualem: ex. gr. Filii Dedanis vocantur Aschurim, Letuschim & Leummim *Gen.* 25, 3.

Barzillai habitavit in loco qui vocatur רגלים *Rogelim*.

2. Rex Syriæ appellatur כּוּשַׁן רִשְׁעָתַיִם *Caschan Rischatajim*, Jud. 3, 8, terminatione dualis numeri.

Similiter filius Josephi vocatur אֶפְרַיִם *Ephrajim*, Gen. 41, 12.

Patria Elkanæ dicitur רָמָתַיִם *Ramathajim*, 1 Sam. 1, 1.

XIV. Multa nomina propria personarum & præcipue locorum sunt composita: ut Melchizedeck, Abimelech, Jehonathan, Achimelech, Benjamin, Achitophel.

Similia sunt nomina locorum; ut Bethel, Jeruschalajim, Bethlehem, &c.

XV. In nominibus compositis aliquando pars prior, nonnunquam pars

pars posterior sola ponitur: ex. gr. Locus qui *Deut.* 1, 19. קדש ברנע *Kadesch-barnea*; is v, 46, vocatur simpliciter קדש *Kadesch*.

Qui 2 Reg. 17, 3. שלמנאסר *Schalmanesser*; is *Hos.* 10, 14. שלמן *Schalman* appellatur.

2. Similiter urbs, quæ antea שלם *Schalem*, ea postea passim vocatur ירושלים *Ieruschalajim*.

XVI. Nominis proprii significatio aut etymologia non facile est desumenda ex lingua peregrina. Errat igitur Baronius deducens nomen Syriacum כיפא *Cephas* (*Petrus*) ἀπὸ τῆς κεφαλῆς *à capite*, quasi illo nomine etiam Petri principatus denotaretur.

Similiter *Philippus*, nomen Græcæ originis, denotans eum qui *equis delectatur*, frustra ex vocibus Hebraicis פה *os* & לפיד *Lampas* deducitur.

Etiam hallucinantur qui nomen Hebraicum אסתר *Esther* à voce Græca ἀστὴρ derivant; quasi populus mundi eam *Stellam Veneris* vocaverit.

XVII. Nomini proprio Hebræo, utpote per suam singularitatem satis determinato, nihilominus, præter morem, pronomen ה determinativum quandoque præponitur: ex. gr. המנשה pro מנשה *Menasse*, Jos. 1, 12. העי Jos. 7, 2. מן השטים עד הגלגל *A Sittim usque ad Gilgalem*; Mich. 6, 5. ערי הגלעד *Urbes Gilhad*, Jos. 13, 25.

XVIII. Cum nomina propria Veteris T. sint significativa; *quæritur*: Utrum præstet in versionibus aliarum linguarum eadem retinere, mutata tantum eorum terminatione; an vero præstat eadem transferre?

Resp. 1. Convenientius est eadem nomina propria in aliis linguis retinere. Nam præterquam quod significatio, quando ea non additur in Scriptura, sæpe dubia est, etiam variæ circumscriptiones in nominibus propriis denotandis essent adhibendæ, quæ confusionem auditoribus parerent. Quia auditorum mentem S. Scripturæ, quando ea prælegeretur aut explicaretur, dextrè intelligere posset? Ex. gr. 1 *Chron.* 2, 10. habetur *Ram genuit Amminadab.* Si quis ea nomina vellet transferre, sic ergo legenda essent: *Excelsus genuit populum meum spontaneum.*

Sæpissimè igitur hallucinati sunt Interpretes Græci, Latini, & Paraphrastæ Chaldæi, qui nonnulla nomina propria, in S. Scriptura occurrentia, transtulerunt, ac si appellativa essent: ex. gr. Verba Gen. 31, 13. אנכי האל בית-אל *Ego sum Deus Bethelis*, transferunt Interpretes Græci per ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ Θεοῦ *Ego sum Deus à te visus in loco Dei.*

Versio vulgata voces *Gen.* 22, 2. לך לך אל ארץ המריה *Ito ad terram Morija* vertit per *Ito in terram visionis*, &c.

2. Sicuti nomina propria non sunt transferenda ut appellativa, sic è contra nomina appellativa non sunt ut nomina propria retinenda: ex. gr. *Gen.* 22, 13, habetur: *aries detinebatur* בסבך IN PERPLEXITATE *veprium*. Græci vocem סבך vertunt per σαβὲκ, quasi esset nomen proprium, cum sit appellativum.

3. In V. T. occurrunt nonnulla nomina, de quibus, utrum propria an appellativa sint, Interpretes dubitant. Verbi gratia: 2 Sam. 8, 1, dicitur: *David accepit è manu Philistæorum* את מתג האמה quæ si appellativè transferenda sint, sonant *frænum cubiti*. Sed multi interpretes vertunt utrumque per nomen proprium; quidam alterutrum. *Junius* transfert per *frænum Amgaris*.

XIX. Nomen proprium civitatis nonnunquam latiori significatione agrum sive tractum circumjacentem denotat: ex. gr. Ossa Josephi dicuntur sepulta in שְׁכֶם *Sichem*, Jos. 24, 32. h. e. in agro circumjacente Sichem; quod etiam immediate sequitur, *in illa portione agri, quam emerat Jacob à filiis Chamoris*; quæ non fuit in urbe, uti patet ex *Gen.* 33, 19.

Rex Jabin Cananæus dicitur regnare in Chatzor, *Jud.* 4, 2. h. e. in agro Chatzoritano: nam ipsam urbem combusserat Josua; uti legere est *Jos.* 11: 11, 13. *Chatzorem combussit igni.* Si quis plura desideret, adeat retrò laudatum auctorem Glassium, qui etiam suaves allusiones ex nominum popriorum interpretatione proponit.

Psal. 19, 15.

יהיו לרצון אמרי פי והגיון לבי לפניך
יהוה צורי וגאלי׃

Sint ad placitum eloquia oris mei, & meditatio
cordis mei coram te Jehova, petra mea,
& redemptor mi.

FINIS.

A.

B.

Argu-

Diverse

P.

R.

S.

Substan-

FINIS.

Verſus undecimus

CAPITIS DECIMI

JEREMIÆ.

כזאת תאמרו להם האלהים
אשר לא עשו השמים והארץ
יאבדו מן הארץ ומתחת השמים
אלה׃

II. Secundùm hoc dicetis eis: dii qui cælos & terram non fecerunt, perituri ſunt è terra, & de ſub cælo ipſi.

שמן מאה ומלח שאין
כתוב ׃

olei centum ; & sal quod non scriptum est.

23. כל אשר יהיה מצווי אלהי
השמים יעשה בזריזות לבית
אלהי השמים אשר למה
יהיה קצף על מלכות המלך
ובניו ׃

23. Quicquid *fuerit* ex decreto Dei cœlorum fiat festinanter domui Dei cœlorum, cujus utquid futura est ira contra regnum Regis & filiorum ejus?

24 ולכם אנו מודיעים אשר
כל הכהנים והלוים והמשוררים
השוערים הנתינים ועובדי בית
אלהים זה מכס וכסף גלגולת
ומס הולכי דרך לא ישלוט
להשליך עליהם ׃

24. Et vobis notificamus quod ullis Sacerdotibus, & Levitis, cantoribus, janitoribus, Nethinæis, & ministris domus Dei hujus, tributum, vectigal, & reditum annuum *Præfectus* non possit injicere super eis.

25. ואתה עזרא כחכמת אלהיך
אשר בידך הפקד שופטים
ודינים אשר יהיו שופטים
את־כל־העם אשר בעבר הנהר
לכל יודעי תורות אלהיך ואת
אשר לא ידע תלמדון ׃

25. Tu autem Esra secundum sapientiam Dei tui, quæ *est* in manu tua, constitue judices & causidicos, ut sint judicantes universum populum, qui *est* trans flumen, omnes qui norunt leges Dei tui: *& eum* qui non noverit docebitis;

26. וכל אשר לא יהיה עושה
דת אלהיך ודת המלך מהרה
דין יעשה ממנו אם למות אם
לעקר אם לענש נכסים וליסורים ׃

26. Et omnem, qui non fecerit Legem *Dei tui*, *& legem* Regis, celeriter judicium fiat de eo, sive ad mortem, sive ad eradicationem, sive ad condemnationem facultatum, & ad vincula.

16. וכל־כסף וזהב אשר תמצא
בכל מדינת בבל עם נדבת
העם והכהנים אשר מתנדבים
לבית אלהיהם אשר בירושלם׃

17. בשביל כך מהרה תקנה
בכסף הזה בקר אילים כבשים
ומנחותיהם ונסכיהם ותקריב
אותם על־מזבח בית אלהיכם
אשר בירושלם׃

18. ואשר ייטב לך ולאחיך
בשאר הכסף והזהב לעשות
כרצון אלהיכם תעשו׃

19. והכלים הנתונים לך
לעבודת בית אלהיך השלם
לפני אלהי ירושלם׃

20. ושאר צריכות בית אלהיך
אשר יפול לך לתת תת מבית
אוצרות המלך׃

21. וממני אני ארתחשסתא
המלך הושם צווי לכל
הגזברים אשר בעבר הנהר
כי כל דבר אשר ישאל לכם
עזרא הכהן סופר תורת אלהי
השמים מהרה יעשה׃

22. עד־כסף ככרים מאה
ועד־חטים כורים מאה ועד־
יין בתין מאה ועד־בתים של

16. Et omne argentum & aurum quod inveneris in tota provincia Babel cum spontanea oblatione populi, & Sacerdotibus sponte offerentibus domui Dei sui quæ *est* in Jerusalem.

17. Propterea celeriter emes argento hoc boves, arietes, agnos & oblationes eorum & libamina eorum, & offeres ea super altare Domus Dei vestri, quæ *est* in Jerusalem.

18. Et quod tibi & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro facere, secundùm voluntatem Dei vestri facietis.

19. Et vasa quæ tradita sunt tibi in ministerium domus Dei tui, redde coram Deo Hierosolymæ.

20. Et cæterea *quæ fuerint* necessaria *pro* domo Dei tui quæ convenerit te dare, dabis è domo thesaurorum Regis.

21. Et à me Arthachsasta Rege positum *est* decretum omnibus thesaurariis qui *sunt* trans flumen, ut omne quod petierit à vobis Esras Sacerdos, Scriba Legis cœlorum, cito fiat.

22. Usque ad argenti talenta centum, & usque ad tritici coros centum, & usque ad vini batos centum, & usque ad batos olei

וּצְפִירֵי עִזִּים לְכַפֵּר עַל־כָּל־יִשְׂרָאֵל שְׁנֵים עָשָׂר לְמִסְפַּר שִׁבְטֵי יִשְׂרָאֵל׃

rum in peccatum pro toto Iisraele duodecim, secundùm numerum tribuum Iisrael.

18. וְהֵקִימוּ הַכֹּהֲנִים בְּמַחְלְקוֹתָם וְהַלְוִיִּם בְּמַחְלְקוֹתֵיהֶם עַל־מְלֶאכֶת הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר בִּירוּשָׁלָם כִּכְתָב סֵפֶר מֹשֶׁה׃

18. Et statuerunt Sacerdotes in divisionibus suis, & Levitas in partitionibus suis super opus Dei quod *est* Hierosolymæ: juxta Scripturam libri Mosis.

CAPUT VII.

CAPUT VII.

12. אַרְתַּחְשַׁסְתְּא מֶלֶךְ הַמְּלָכִים לְעֶזְרָא הַכֹּהֵן סוֹפֵר תּוֹרַת אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם גָּמוּר וּכְעֶנֶת׃

13 מִמֶּנִּי הוּשָׂמָה דָּת כִּי כָל מִתְנַדֵּב בְּמַלְכוּתִי מֵעַם יִשְׂרָאֵל וּמִן כֹּהֲנָיו וְהַלְוִיִּם לָלֶכֶת לִירוּשָׁלַם עִמְּךָ יֵלֵךְ׃

14. כָּל־עֻמַּת אֲשֶׁר מֵאֵת הַמֶּלֶךְ וְשֶׁבַע יוֹעֲצָיו אַתָּה שָׁלוּחַ לַחְקוֹר עַל־יְהוּדָה וְעַל־יְרוּשָׁלַם בְּתוֹרַת אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר בְּיָדֶךָ׃

15. וּלְהוֹלִיךְ כֶּסֶף וְזָהָב אֲשֶׁר הַמֶּלֶךְ וְיוֹעֲצָיו הִתְנַדְּבוּ לֵאלֹהֵי יִשְׂרָאֵל אֲשֶׁר מִשְׁכָּנוֹ בִּירוּשָׁלָם׃

12. ARthachsasta Rex regum Esræ Sacerdoti, Scribæ Legis Dei cœlorum consummato, & juxta tempus.

13. A me positum *est* decretum, quod quicunque spontaneus est in regno meo de populo Iisraelis, & Sacerdotibus ejus, & Levitis, ad eundum Hierosolymam tecum, vadat.

14. Quemadmodum à conspectu Regis & septem Consiliariorum *ejus* missus *es* ut inquiras in Jehudæam & Jeruschalem, propter Legem Dei tui, quæ *est* in manu tua.

15. Et ut deferas argentum & aurum quod Rex & consiliarii ejus spontè obtulerunt Deo Iisraelis, cujus in Jeruschelem *est* tabernaculum ejus.

16. Et

12. והאלהים אשר שכן שמו שם ימגר כל מלך ועם אשר ישלח ידו לשנות להשחית בית אלהים זה אשר בירושלם אני דריוש שמתי צווי אשר מהרה יעשה:

12. Et Deus qui habitare fecit nomen suum ibi, dejiciet omnem regem, & populum qui miserit manum suam ad mutandum ad corrumpendum domum Dei hanc, quæ est Hierosolymæ. Ego Dariaves posui decretum, festinanter fiat

13 אז תתני פחת עבר הנהר שתר בוזני וחברותיהם כל עמת אשר שלח דריוש המלך כאשר נאמר מהרה עשו:

13. Tunc Tattenai Dux *eorum qui erant* trans flumen, Setharbozenai, & societates eorum, secundum quod misit Dariaves rex, hunc in modum festinanter fecerunt.

14. וזקני היהודים היו בונים ומצליחים כנבואת חגי הנביא וזכריה בן־עדוא ובנו והשלימו מן צווי אלהי ישראל ומרשות כורש ודריוש וארתחששתא מלך פרס:

14. Et seniores Judæorum ædificantes & prosperantes in prophetia Haggai prophetæ, & Zechariah filii Hiddo: & ædificaverunt & fundaverunt ex præcepto Dei Iisrael, & ex præcepto Chores, & Dariaves, & Artachsastæ regis Paras.

15. וישלם הבית הזה עד יום שלישי לחדש אדר שהיא שנת שש למלכות דריוש המלך:

15. Et perfecta est domus hæc usque ad diem tertium mensis Ader, qui est annus sextus regni Dariaves regis.

16. ועשו בני ישראל הכהנים והלוים ושאר בני הגולה חנכת בית אלהים זה בשמחה:

16. Et fecerunt filii Israël sacerdotes & Levitæ, & reliqui filii transmigrationis, dedicationes domus Dei hujus cum gaudio.

17 והקריבו לחנכת בית־אלהים זה בקר מאה אילים מאתים כבשים ארבע מאות

17. Et obtulerunt in dedicationem domus Dei hujus boves centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, & hircos caprarum

אשר בעבר הנהר רחוקים תהיו
משם :

7 הניחו למלאכת בית אלהים
זה פחת היהודים וזקני
היהודים בית אלהים זה יבנו
על־מקומו :

8. וממני נתן צווי, לאשר
תעשו עם־זקני היהודים האלה
לבנות בית אלהים זה ומנכסי
המלך מן המס של עבר
הנהר מהרה הוצאה תהיה
נתנת לאנשים האלה אשר
לא יתבטלו :

9 ומה שצריכים ובני בקר
ואילים וכבשים לעולות לאלהי
השמים חטים מלח יין ושמן
כמאמר הכהנים אשר בירושלם
יהי נתן להם דבר יום ביומו
בלא שגגה :

10. למען אשר יהיו מקריבים
ניחוחים לאלהי השמים ויהיו
מתפללים על חיי המלך
ובניו :

11. וממני הושם צווי שכל
אדם אשר ישנה דבר זה
יהרס עץ מביתו זקוף ימחה
עליו וביתו יעשה אשפות
על־זה :

ſenai, & ſocietates eorum & Apharſechaitæ, qui *eſtis* trans flumen, remoti eſtote inde.

7. Sinite opus domus Dei hujus: dux Judæorum & ſeniores Judæorum domum Dei hujus ædificent in loco ſuo.

8. Et à me poſitum eſt edictum ad hoc quod facietis cum ſenioribus Judæorum iſtorum in ædificando domum Dei hanc, & de opibus regis quæ *eſt* tributum trans flumen feſtinanter reditus ſit datus viris illis ut non ceſſent.

9. Et quod neceſſarium *fuerit*, & filii boum, & arietes, & agni in holocauſta Dei cælorum, frumenta, ſal, vinum, & oleum ſecundùm verbum ſacerdotum, qui *ſunt* Hieroſolymæ, dabuntur illis die in die, ut non *ſit* error.

10. Ut *ſint* offerentes odores quietis Deo cœlorum, & orantes pro vita regis & filiis ejus.

11. Et à me poſitum eſt decretum, quod omnis homo qui mutaverit verbum hoc, evellatur lignum è domo ejus, & erectum deleatur in eo: & domus ejus ſterquilinium fiat propter hoc.

CAPUT VI.

1\. אז דריוש המלך צוה
דבר ובקשו בבית הספרים
שהאוצרות מנחים שם
בבבל :

2\. ונמצא בארנז בארמון אשר
במדי המדינה מגלה אחת וכן
היה כתוב בתוכה זכרון :

3 בשנת אחת לכורש המלך
כורש המלך שם דבר בית
האלהים בירושלם הבית
יבנה מקום שזובחים זבחים
ויסודותיו מסבלות רומו אמות
ששים רחבו אמות ששים :

4 טורים של אבני שיש
שלשה וטור של עץ חדש
והוצאה מבית המלך תנתן :

5\. ואף כלי בית האלהים
של זהב וכסף אשר נבוכדנצר
הוציא מן ההיכל אשר בירושלם
והוליך לבבל ישיבו וילך אל
ההיכל אשר בירושלם למקומו
ותניח בבית האלהים :

6 עתה תתני פחת עבר הנהר
שתר בוזני וחברותיהם האפרסכים

CAPUT VI.

1\. Tunc Dariaves Rex posuit præceptum, & quæsiverunt in domo librorum thesaurorum, *qui* positi erant ibi in Babel.

2\. Et inventum est in scrinio, in palatio quod *erat* in Madai provincia volumen unum, & sic scriptum erat in eo memoriale.

3\. Anno primo Chores Regis, Chores Rex posuit edictum: domus Dei in Jerusalaim, domus illa reædificetur *in* loco *in* quo immolant victimas, & fundamenta ejus sint firmè portantia, altitudo ejus *sit* cubitorum sexaginta, latitudo ejus, sexaginta cubitorum.

4\. Ordinibus, ex lapidibus marmoreis, tribus, & ordine *uno* è ligno novo, & sumptus è domo Regis dabitur.

5\. Et etiam vasa domus Dei aurea & argentea, quæ Nebuchadnesar eduxerat è templo quod *erat* in Jerusalaim, & detulerat in Babel, reddant, & vadant ad templum quod *est* in Jerusalaim ad locum suum, & descendere facias in domum Dei.

6\. Nunc Tattenai dux *eorum qui sunt* trans flumen, Sethar-bosenai,

14. ואף כלי בית האלהים
של זהב וכסף אשר
נבוכדנצר הוציא מן ההיכל
אשר בירושלם והוליך אותם
אל ההיכל אשר בבבל הוציא
אותם כורש המלך מן־
ההיכל אשר בבבל ונתנו
לששבצר שמו אשר פחה
שמו :

15. ויאמר לו אלה הכלים
קח ולך והורד אותם אל
ההיכל אשר בירושלם ובית
האלהים יבנה על־מקומו :

16. אז ששבצר זה בא
ונתן יסודי בית האלהים אשר
בירושלם ומאז ועד עתה נבנה
ולא נגמר :

17. ועתה אם על־המלך
טוב יבקש בבית גנזי המלך
אשר שם בבבל אם יש אשר
מן־כורש המלך נתן רשיון
לבנות בית האלהים זה אשר
בירושלם ורצון המלך על־זאת
ישלח אלינו :

14 Et etiam vasa domus Dei aurea & argentea, quæ Nebuchadnesar eduxerat è templo quod *erat* in Jerusalaim, & tulerat in templum Babel, eduxit illa Chores Rex è templo Babel, & data fuerunt ipsi cujus nomen Sesbasar, quem ducem constituerat.

15. Dixitque ei: hæc vasa tolle, abi, depone ea in templo quod *est* in Jerusalaim, & domus Dei ædificetur in loco suo,

16. Tunc Sesbasar iste venit, posuit fundamenta domus Dei, quæ *est* in Jerusalaim, & ex eo tempore usque ad hoc tempus ædificatur, & necdum perfecta est.

17. Et nunc si Regi bonum *sit*, perquiratur in domo thesaurorum Regis *quæ est illic* in Babel, an *ita* sit quod à Chores Rege positum sit edictum reædificandi domum Dei hanc *quæ est* in Jerusalaim, & voluntatem Regis super hoc mittat ad nos.

בכתלים ומלאכה זאת מהרה
היתה נעשית ומצלחת
בידיהם :

lignumque ponitur in parietibus, atque opus istud festinanter fit, & prosperatur in manibus eorum.

9. אז שאלנו לזקנים האלה
כאשר נאמר אמרנו אליהם
מי־נתן לכם רשיון הבית הזה
לבנות וכתלים האלה ליסד :

9. Tunc interrogavimus seniores illos, *atque* hoc pacto diximus eis: Quis posuit vobis præceptum domum hanc ædificandi, & muros istos perficiendi?

10. ואף שמותם שאלנו להם
להודיעך אשר נכתוב שמות
האנשים אשר בראשיהם :

10. Et etiam nomina eorum rogavimus eos ad notificandum tibi, ut scriberemus nomina virorum qui *sunt* duces eorum.

11. וכאשר נאמר דבר השיבו
לנו לאמור אנחנו עבדי אלהי
השמים והארץ ואנו בונים
הבית אשר היה בנוי מלפני
זה שנים רבות ומלך גדול
שהיה לישראל בנה אותו ויסד
אותו :

11. Et hujuscemodi verbum responderunt nobis, dicendo: Nos sumus servi Dei cœlorum, & terræ, & reædificamus domum quæ fuerat ædificata ab ante hac annis multis, & Rex Israelis magnus ædificavit eam, & perfecit eam.

12 ובעבור אשר הכעיסו
אבותינו את־אלהי השמים מסר
אותם ביד נבוכדנצר מלך
בבל הכשדי והבית הזה
החריב ואת־העם הגלה
לבבל :

12. Sed posteaquàm provocaverunt patres nostri Deum cœlorum, tradidit eos in manum Nebuchadnesar Regis Babel Chaldæi, & domum hanc destruxit, ac populum ejus transmigrare fecit in Babel.

13. אך בשנת אחת לכורש
מלך בבל כורש המלך נתן
רשיון לבנות בית האלהים
זה :

13. Verumtamen anno primo Chores Regis Babel, Chores Rex posuit edictum domum Dei hanc ædificandi.

14. Et

בית האלהים אשר בירושלם
ועמהם נביאי האלהים עוזרים
להם :

filius Josadak, & cœperunt ædificare domum Dei quæ *est* in Jerusalaim, & *erant* cum illis Prophetæ Dei auxiliantes eis.

3. בעת ההיא בא אליהם
תתני פחת עבר הנהר ושתר
בוזני וחברותיהם וככה היו
אומרים להם מי נתן לכם רשיון
לבנות הבית הזה והכתלים
האלה ליסד :

3. In illo tempore venit ad eos Tattenai dux *eorum qui erant* trans flumen, & Setharbozenai, & socii eorum, & sic dixerunt eis: Quis posuit vobis præceptum domum hanc ædificandi, & muros istos perficiendi?

4. אז כאשר נאמר אמרנו
להם מה המה שמות האנשים
אשר הבנין הזה בונים :

4. Tunc hoc pacto diximus eis, & quæ essent nomina virorum, qui hoc ædificium ædificant.

5. ועין אלהיהם היתה על זקני
היהודים ולא בטלו אותם עד
אשר הדבר לדריוש ילך ואז
ישיבו אגרת על זאת :

5. Et oculus Dei eorum erat super senes Judæorum, & non fecerunt cessare eos, donec res ad Dariaves pergeret: & tunc responderunt *per* epistolam super hoc.

6. פתשגן האגרת אשר שלח
תתני פחת עבר הנהר ושתר
בוזני וחברותיהם האפרסכים
אשר בעבר הנהר אל דריוש
המלך :

6. Exemplar epistolæ quam misit Tattenai dux *eorum qui erant* trans flumen, & Setarbosenai, & societates *ejus*, *&* *Apharsechaitæ*, qui *erant trans flumen, ad Dariaves* Regem.

7. דבר שלחו אליו וככה היה
כתוב בתוכו לדריוש המלך יהיה
כל השלום :

7. Verbum miserunt ad eum, & juxta hoc scriptum erat in medio ejus, Dariaves Regi pax omnis.

8. ידוע יהיה למלך אשר
הלכנו אל יהודה המדינה
לבית האלוה הגדול והוא
נבנה אבן שיש ועצים מושמים

8. Notum sit Regi quod profecti sumus in Judæam provinciam ad domum Dei magni, & ipsa ædificatur lapide marmoreo, lignum-

ומם הולכי דרך היה נתן להם :

21. עתה שימו צוי לבטל האנשים האלה והעיר הזאת לא תבנה עד אשר מפני צוי יושם :

22 ונזהרים תהיו לעשות שגגה על־זאת יען תגדל השחתה להזיק המלכים :

23. אז כאשר פתשגן אגרת ארתחשסתא המלך נקרא לפני רחום ושמשי הסופר וחברותיהם הלכו במהרה לירושלם אל־היהודים ובטלו אותם בזרוע וכח :

24. אז חדלה מלאכת בנין בית־האלהים אשר בירושלם והיתה בטלה עד שנה השנית למלכות דריוש מלך פרס :

tributum, census & vectigal dabatur eis.

21. Nunc ponite edictum ad cessare faciendum viros illos, & urbs illa non ædificetur, donec à me præceptum oppositum sit.

22. Et cauti estote errorem facere in hoc. Cur crescet corruptio ad nocendum Regibus?

23. Tunc quum exemplar epistolæ Arthahsasthe Regis lectum fuit coram Rechum, & Simsäi scriba, & sociis eorum, abierunt festinanter in Jerusalaim ad Judæos, & cessare fecerunt eos brachio & robore.

24. Tunc cessavit opus domus Dei quæ *erat* in Jerusalem, & fuit intermissum usque ad annum secundum regni Dariaves Regis Paras.

CAPUT V.

1. ויתנבאו חגי הנביא וזכריה בן־עדוא הנביאים אל־היהודים אשר ביהודה ובירושלם בשם אלהי ישראל אליהם :

2. אז קמו זרבבל בן־שאלתיאל וישוע בן־יוצדק ויחחילו לבנות

CAPUT V.

1. ET prophetavit Hagai Propheta, & Zechariah filius Jiddo, *qui fuerunt* Prophetæ super Judæos qui in Judæa & Jerusalaim, in nomine Dei Israelis super eos.

2. Tunc surrexerunt Zerubbabel filius Sealthiel, & Jesuah filius

לראות על־זאת שלחנו והודענו
למלך :

15 אשר יבקש בספר זכרונות
אבותיך ותמצא בספר הזכרונות
ותדע אשר העיר הזאת עיר
מורדת ומזקת מלכים ומדינות
ומרד היו עושים בקרבה מימים
קדמונים על־כן העיר הזאת
נחרבה :

16 מודיעים אנחנו למלך אשר
אם העיר הזאת תבנה וחומותיה
תהיינה מיסדות עם זה חלק
בעבר הנהר לא יהיה לך :

17 דבר שלח המלך אל־רחום
בעל־עצה ושמשי הסופר ולשאר
חברותיהם היושבים בשומרון
ולשאר אשר בעבר הנהר שלום
וכעת :

18 האגרת אשר שלחתם
אלינו מפורש נקראת לפני :

19 ומאתי הושם צווי ובדקו
ומצאו אשר העיר הזאת מימים
קדמונים על־מלכים היתה
מתנשאה ומרד וקשר נעשה
בה :

20 ומלכים חזקים היו על־
ירושלם שהיו משלים בכל עבר
הנהר ומכס וכסף גלגולת

pterea misimus, & notificavimus regi.

15. Ut Perquirat in libro historiarum patrum tuorum, & invenies in libro historiarum, ac scies, quod urbs ista *sit* urbs rebellis, & nocens regibus ac provinciis, & defectionem faciunt in medio ejus à diebus seculi: propterea urbs hæc destructa fuit.

16. Notum *insuper* facimus regi, quod si urbs hæc ædificata fuerit, & muri exstructi fuerint, ob id portio *quæ est* trans flumen, non erit tibi.

17. Verbum misit rex ad Rehum præfectum rationis & Simsai scribam, & reliquos socios eorum qui habitabant in Semariah, & reliquos *qui erant* trans flumen, pacem & tali tempore.

18. Epistola quam misistis ad nos, manifestè lecta est coram me.

19. Et à me positum est decretum, & quæsiverunt, atque invenerunt, quod civitas illa à diebus seculi adversum Reges elevatur, & rebellio ac conspiratio facta est in ea.

20. Et Reges fortes fuerant super Jerusalem, & dominatores in omnibus *qui erant* trans flumen, & tribu-

ירושלם לארתחששתא המלך
כאשר נאמר :

9 אז רחום בעל־עצה ושמשי
הספר ושאר חברותיהם
הדינים והאפרסתכים הטרפלים
האפרסים הארכוים הבבלים
השושנכים הדהוים העלמים :

10 ושאר האמים אשר הגלה
אסנפר גדול ונכבד והושיב
אותם בעיר שמרונים ושאר אשר
בעבר הנהר וכענת :

11 זה פתשגן האגרת אשר
שלחו אליו אל־ארתחששתא
המלך עבדיך אנש עבר הנהר
וכענת :

12 ידוע יהיה למלך אשר
היהודים שעלו מאתך אלינו
באו לירושלם עיר מורדת ורעה
הם בונים והחומות יסדו
והיסודות חברו :

13 עתה ידוע יהיה למלך אשר
אם העיר הזאת תבנה והחומות
תהיינה מיסדות מכס וכסף
גלגלת ומס הולכי דרך לא
יתנו ומס המלכים תאבד :

14 עתה כל־עמת אשר השבתנו
בנין ההיכל הזה שיהיה כארץ
מלחה וערות המלך אינו יפה לנו

epistolam unam super Jerusalem ad Arthahsaste Regem, ut dicemus.

9. Tunc Rechum præfectus rationis, & Simsai scriba, & reliqui socii eorum, Dinaitæ, & Apharsath-haitæ, Tarpelaitæ, Apharsaitæ, Archavaitæ, Babelitæ, Schuschanchaitæ, Dehavæi, Helmaei.

10. Et reliqui populi quos transtulit Asnappar magnus & gloriosus, atque habitare fecit eos in urbe quæ *est* Samaritanorum & reliqui *populi qui sunt* trans fluvium, & tali tempore.

11. Istud *est* exemplar epistolæ, quam miserunt ad ipsum, *nempe* ad Arthahsaste regem, servi tui viri *qui sunt* trans flumen, & tali tempore.

12. Notum sit regi quod Judæi qui à te ad nos venerunt in Jeruschalajim urbem rebellem & pessimam ædificantes, & muros fundaverunt, & fundamenta consuerunt.

13. Nunc notum sit regi, quod si urbs illa ædificata fuerit, & muri perfecti fuerint, tributum, censum, vectigal non dabunt, & tributum regum afficies detrimento.

14. Nunc *pro* omni vicissitudine, quod sale palatii saliti sumus, & contemptum regis non *est* conveniens nobis videre: propterea

יקום אחריהם והוא יהיה משנה מהראשנים ושלשה מלכים ישפיל :

& alius exsurget post eos: & ipse differet à prioribus; ac tres Reges humiliabit.

25. ודברים כנגד העליון ידבר וקדושי עליונים יבלה ויחשוב לשנות מועדים ודת וינתנו בידו עד מועד ומועדים וחצי מועד :

24. Et verba adversus excelsum loquetur, ac sanctos excelsorum deteret: & putabit mutare tempora, & legem, & tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

26. ולדין ישב וממשלתו יסירו להשמיד ולהאביד עד סוף :

26. Et ad judicium sedebit, & dominatum ejus auferent ad profligandum & perdendum usque in finem.

27. והמלכות והממשלה וגדלת המלכיות תחת כל השמים נתנה לעם קדושי עליונים מלכותו מלכות עולם וכל הממשלות יעבדוהו וישמעו :

27. Regnum autem, dominatusque & amplitudo regnorum sub toto cœlo dabitur populo sanctorum excelsorum: regnum ejus *erit* regnum æternum, & *omnes* potestates ei servient & obedient.

28. עד כה היה סוף הדבר אני דניאל הרבה מחשבותי הבהילוני וזיוי נשתנו עלי והדבר בלבי שמרתי :

28 Huc usque finis verbi: ego Daniel, multùm cogitationes meæ terruerunt me, & splendores mei immutati sunt super me, & sermonem hunc in corde meo servavi.

Versio Hebraica

E Z R Æ.

CAPUT IV.

8. רחום בעל טעם ושמשי הספר כתבו אגרת אחת על־

8. REchum præfectus rationis, & Simsai scriba scripserunt episto-

ארבע ארבעה מלכים יקומו מ
הארץ :

18 ויקבלו המלכות קדושי
עליונים וינחלו המלכות עד
העולם ועד עולם העולמים :

19. אז רציתי לעמוד על החיה
הרביעית אשר היתה משנה
מכלן נוראה מאד שניה מברזל
וצפרניה מנחשת אוכלת ומשברת
והנשאר ברגליה רומסת :

20. ועל עשר הקרנים אשר
בראשה והאחר אשר עלה
ונפלו מלפניו שלש והקרן הזה
ועינים לו ופה מדבר גדולות
ומראהו גדול מחבריו :

21. רואה הייתי והקרן הזה
עושה מלחמה עם קדושים
ויכול להם :

22. עד אשר בא קדמון ימים
והדין נתן לקדושי עליונים והעת
הגיע והמלכות ירשו קדושים :

23 כן אמר החיה הרביעית
מלכות רביעית תהיה בארץ.
אשר תהיה משנה מכל־המלכיות
ותאכל כל־הארץ ותדושנה
ותשברנה :

24. והעשרה קרנים מן המלכות
ההיא עשרה מלכים יקומו ואחר

sunt quatuor; quatuor Reges consurgent de terra,

18. Et suscipiunt regnum sanctorum altissimorum, & possidebunt regnum usque in seculum, & usque in seculum seculorum.

19. Tunc volui veritatem cognoscere de bestia illa quarta, quæ erat diversa ab omnibus illis; formidolosa valde, dentes ejus ferrei, & ungues ejus æerei, comedebat, & comminuebat, & reliquum pedibus suis conculcabat.

20. Et super cornibus decem, quæ *erant* in capite ejus, & altero quod ascendebat, & ceciderant à facie ejus tria. Et cornu istud cui similiter *erant* oculi, & os loquens grandia, & aspectus ejus *erat* major quàm sociorum ejus.

21. Videbam cornu ejusmodi gerere bellum cum sanctis, & prævalere eis.

22. Usque dum veniret antiquus dierum, & judicium daretur sanctis excelsorum; & tempus adveniret, & regnum illud possiderent sancti.

23. Sic dixit: bestia quarta regnum quartum erit in terra, quod erit diversum ab omnibus regnis: & devorabit universam terram, conteretque eam, & comminuet eam.

24. Et cornua decem ex ipso regno, decem Reges exsurgent;

&

ורבוא רבאות לפניו יעמדו
למשפט יושב והספרים נפתחו :

11 רואה הייתי אז בקול
הדברים הגדולים אשר הקרן
מדבר רואה הייתי עד אשר
נהרגה החיה ונאבד גופה ונתן
לשריפת אש :

12 ושאר החיות חסרו
ממשלתם ואורך בחיים נתן להם
עד זמן ועת :

13 רואה הייתי במראות הלילה
והנה עם ענני השמים כבן אנוש
היה בא ועד קדמון ימים הגיע
ולפניו הקריבוהו :

14 ולו נתן ממשלה וכבוד
ומלכות וכל העמים האמות
והלשונות יעבדוהו ממשלתו
ממשלת עולם אשר לא תסור
ומלכותו אשר לא תשחת :

15 התכרה רוחי אני דניאל
בתוך הנדן ומראות ראשי
הבהילוני :

16 קרבתי אצל אחד מן
העומדים והאמת שאלתי ממנו
על כל זה ואמר לי ופתרון
הדברים הודיעני :

17 אלה החיות הגדולות שהן

rias myriadum coram eo ſtabant: ad judicium ſedit, & libri aperti ſunt.

11. Videbam tunc propter vocem ſermonum grandium, quos cornu loquebatur: videbam donec interfecta eſt beſtia, & perditum eſt corpus ejus, ac traditum eſt ad combuſtionem ignis.

12. Et reſiduo beſtiarum abſtulerant poteſtatem earum, & longitudo in vita data erat ipſis *uſque* ad tempus & tempus.

13. Videbam in viſionibus noctis, & ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & coram eo appropinquare fecerunt eum.

14. Et ei data eſt poteſtas & gloria, ac regnum, omneſque populi, nationes & linguæ ſervient ei: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non præterit, & regnum ejus quod non corrumpetur.

15. Contritus *eſt ſpiritus* meus, ego Daniel *in medio* vaginæ, & viſiones capitis mei terrebant me.

16. Appropinquavi ad unum ex adſtantibus, & veritatem quærebam ab eo ſuper omne hoc: & dixit mihi, ac interpretationem verborum notam fecit mihi.

17. Hæ beſtiæ magnæ, quæ

ושלש צלעות בפיה בין שניה
וכן אמרו לה קומי אכלי בשר
הרבה׃

inter dentes ejus: & sic dicebant ei, surge, comede carnem multam.

6 אחר כן רואה הייתי והנה
אחרת כנמר ולה ארבע כנפי
עוף על גבה וארבעה ראשים
לחיה וממשלה נתנה לה׃

6. Postea videbam, & ecce alia veluti pardus, & ei alæ quatuor avis super dorso ejus, quatuorque capita bestiæ illi, & potestas data est ei.

7 אחר כן רואה הייתי
במראות הלילה והנה חיה רביעית
נוראה ואימה וחזקה מאד ושני
ברזל לה גדולות אכלת ומשברת
והנשאר ברגליה רומסת והיא
משנה מכל החיות הראשונות
ועשר קרנים לה׃

7. Postea videbam in visionibus noctis, & ecce bestia quarta formidolosa & terribilis, & fortis valde, & dentes ferrei magni *erant* ei, comedebat & comminuebat, ac residuum pedibus suis conculcabat, eratque diversa ab omnibus bestiis anterioribus, & *erant* cornua decem ei.

8 מתבונן הייתי בקרנים והנה
קרן אחר קטן עולה ביניהם
ושלשה מן הקרנים הראשונים
מפניו נעקרו והנה עינים כעיני
אדם בקרן הזה ופה מדבר
גדולות׃

8. Animum advertebam ad cornua, & ecce cornu aliud parvum ascendebat inter ea, & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus; & ecce oculi tanquam oculi hominis in cornu isto, & os loquens grandia.

9 רואה הייתי עד שהכסאות
השלכו וקדמון ימים יושב
לבושו כשלג לבן ושער ראשו
כצמר נקי כסאו שביבי אש
גלגליו אש בוער׃

9. Videbam donec throni abjecti sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus sicut nix candidum, & pilus capitis ejus sicut lana pura, thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus ut ignis ardens.

10 נהר אש נמשך ויוצא
מלפניו אלף אלפים ישרתוהו

10. Fluvius ignis manabat & egrediebatur à conspectu ejus, mille millium ministrabant ei, & myrias

אשר לא תשחת וממשלתו עד סוף:

28 פודה ומציל ועושה אותות ונפלאות בשמים ובארץ אשר הציל את דניאל מן יד האריות:

29 ודניאל זה הצליח במלכות דריוש ובמלכות כורש הפרסי:

corrumpetur, ac dominatus ejus usque ad finem.

28. Liberat, & eripit, facitque signa & mirabilia in cælo, & in terra; qui eruit Danielem de manu leonum.

29. Itaque Daniel iste prospere egit in regno Darii, & in regno Cyri Persæ.

CAPUT VII.

1 בשנה הראשונה לבלשאצר מלך בבל דניאל חלום ראה ומראות ראשו על משכבו אז החלום כתב ראשית דברים אמר:

2 ענה דניאל ואמר רואה הייתי בחזוני בלילה והנה ארבע רוחות השמים מגיחות אל הים הגדול:

3 וארבע חיות גדולות עולות מן הים שונות זאת מזאת:

4 ראשונה כאריה וכנפי נשר לה רואה הייתי עד אשר נמרטו כנפיה ונשאה מן הארץ ועל רגלים כאנוש הוקמה ולבב אנוש נתן לה:

5 והנה חיה אחרת שנית דומה לדוב ולצד אחד הוקמה

CAPUT VII.

1. In anno primo Beltschatzaris Regis Babyloniæ, Daniel somnium vidit, & visiones capitis ejus *erant* super cubili ejus: tunc somnium scripsit, summam verborum dixit.

2. Respondit Daniel & dixit, videbam in visione mea per noctem; & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.

3. Et quatuor bestiæ magnæ ascendebant è mari, diversæ illa ab istâ.

4. Prima sicut leo, & alæ aquilæ *erant* ei; videbam donec evulsæ sunt alæ ejus, & elevata est à terra, & super pedes tanquam homo constituta est, & cor hominis datum est ei.

5. Deinde ecce bestia alia secunda, similis urso, & ad latus unum erecta est, & tres costæ in ore ejus

 inter

האלהים חיים אלהיך אשר
אתה עובד אותו תמיד היכול
להצילך מן האריות :
22. אז דניאל עם המלך דבר
המלך לעולמים יחיה :
23. אלהי שלח מלאכו וסגר פי
האריות ולא הזיקוני כל־עמת
אשר לפניו זכות נמצאה לי
ואף לפניך המלך רעה לא
עשיתי :
24. אז המלך מאד היטב עליו
ולדניאל אמר להעלות מן־הבור·
והועלה דניאל מן־הבור וכל־נזק
לא נמצא בו כי האמין באלהיו :
25. ויאמר המלך והביאו האנשים
האלה אשר הלשינו לדניאל
ולבור האריות השליכו המה
בניהם נשיהם ולא הגיעו
לתחתית הבור עד ששלטו בהם
האריות וכל־עצמותיהם הדקו :
26. אז דריוש המלך כתב לכל־
העמים האמות והלשונות אשר
יושבים בכל־הארץ שלומכם
ירבה :
27. מלפני נגזרה גזירה שבכל־
ממשלת מלכותי יהיו חרדים
ויראים מלפני אלהי דניאל אשר
הוא אלהים חיים וקים לעלמים

nieli, ô Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, quem tu colis jugiter, nunquid potuit liberare te à leonibus?

22. Tunc Daniel cum Rege locutus est: Rex in secula vive.

23. Deus meus misit angelum suum, & conclusit os leonum, ut non perderent me: quia coram eo puritas inventa est mihi; etiamque coram te Rex maleficium non feci.

24. Tunc Rex multùm lætatus est super eo, & Danielem jussit educi ex fovea illa: & ascendere factus est Daniel ex fovea illa, nullaque læsio inventa est in eo, quia crediderat in Deum suum.

25. Et dixit Rex, & adduxerunt viros illos qui accusaverant Danielem, & in foveam leonum projecerunt eos, filios eorum, & uxores eorum: & non pervenerunt ad imum foveæ, quum dominati sunt in eis leones, & omnia ossa ipsorum comminuerunt.

26. Tunc Darius Rex scripsit omnibus populis, nationibus, & linguis, qui habitabant in universa terra, pax vestra multiplicetur.

27. A facie mea proponitur decretum, ut in universo imperio regni mei tremant & timeant à conspectu Dei Danielis: quia ipse est Deus vivens & permanens in secula, & regnum ejus quod non

cor-

רשמת ושלש פעמים ביום מבקש
בקשתו ׃
15 אז המלך כאשר שמע
הדבר מאד הרע לו ועל דניאל
שם לב להצילו ועד בוא השמש
היה משתדל להצילו ׃
16. אז האנשים האלה נקבצו
על־המלך ואמרו למלך דע
המלך כי יש דת לדי ופרס
שכל־אסר וחק אשר יקים
המלך אין לשנות ׃
17. אז המלך אמר והביאו את
דניאל והשליכו לבור האריות
ענה המלך ואמר לדניאל
אלהיך אשר אתה עובד אותו
תמיד הוא יצילך ׃
13 והובאה אבן אחת והושמה
על־פי הבור ויחתמהו המלך
בטבעתו ובטבעת שריו שלא
ישתנה רצון בדניאל ׃
19 אז הלך המלך להיכלו ולן
בתענית וכלי זמרה לא הביא
לפניו ושנתו נדדה עליו ׃
20. אז המלך בשחר קם לאור
ובמהרות לבור האריות הלך ׃
21 וכאשר קרב לבור לדניאל
בקול עצב קרא ענה המלך
ואמר לדניאל דניאל עבד

arasti: nam tribus temporibus de die petit petitionem suam.

15. Tunc Rex, cùm audivisset verbum hoc, multum displicuit ei, & super Daniele posuit cor ad liberandum eum: & usque ad occasum solis conabatur liberare eum.

16. Tunc viri illi convenerunt ad Regem; & dixerunt Regi, scito, ô Rex, quod jus Medis & Persis sit, ut ullum *interdictum* aut statutum, quod Rex statuerit, non mutetur.

17. Tunc Rex dixit; & adduxerunt Danielem, projeceruntque in foveam leonum: respondit Rex & dixit Danieli, *Deus tuus*, cui tu servis jugiter, ipse eripiet te.

18. Et allatus est lapis unus, ac positus est super os foveæ, & obsignavit eum Rex annulo suo, & annulo procerum suorum, ne mutaretur voluntas *de Daniele*.

19. Tunc *abiit* Rex in palatium suum, & pernoctavit jejunus, ac exhilarantia non jussit afferri coram se, somnusque ejus recessit ab eo.

20. Tunc Rex in diluculo surrexit cum luce; & cum festinatione ad foveam leonum ivit.

21. Et cum appropinquasset ad foveam, Danielem voce tristi vocavit: respondit Rex & dixit Danieli,

9. עתה המלך תקים האסר
ותרשום הכתב אשר לא לשנות
כדת מדי ופרס אשר לא
תסור :

9. Nunc, ô Rex, confirma hoc interdictum, & exara scripturam; ut non mutetur, secundùm legem Medorum & Persarum quæ non intercidit.

10. כל־עמת זה המלך דריוש
רשם הכתב והאסר :

10. Quamobrem Rex Darius exaravit scripturam & interdictum.

11. ודניאל כאשר ידע שנרשם
הכתב בא לביתו וחלונות
פתוחות לו בעליתו נגד ירושלם
ושלש פעמים ביום הוא כורע
על ברכיו ומתפלל ומודה לפני
אלהיו ככל אשר היה עשה
מלפני זה :

11. Et Daniel quum cognovisset quod exarata esset scriptura, ingressus est in domum suam, cui fenestræ apertæ *erant* in cœnaculo ejus ex adverso Jeruschelemi: & tribus temporibus de die ipse procumbens in genua sua orabat & confitebatur coram Deo suo, quemadmodum fecerat antea.

12. אז האנשים האלה נאספו
ומצאו את דניאל מבקש ומתחנן
לפני אלהיו :

12. Tunc viri illi convenerunt & invenerunt Danielem orantem & supplicantem coram Deo suo.

13. אז קרבו ואמרו לפני המלך
על־אסר המלך הלא אסר רשמת
שכל איש אשר יבקש מן כל
אלוה ואנוש עד שלשים יום
רק ממך המלך ישלך לבור
אריות ענה המלך ואמר אמת
הדבר כדת מדי ופרס אשר לא
תסור :

13. Tunc appropinquarunt & dixerunt coram Rege super interdicto Regis: Nonne interdictum exarasti, quod omnis homo, qui petierit ab ullo Deo aut homine usque ad triginta dies, nisi à te ô Rex, projicietur in foveam leonum? Respondit Rex & dixit: verum *est* verbum hoc, secundum jus Medorum & Persarum quod non intercidit.

14. אז ענו ואמרו לפני המלך
שדניאל אשר מן בני גלות
יהודה לא עשה כמך המלך
חשיבות ולא מהאסר אשר

14. Tunc responderunt & dixerunt coram Rege, quod Daniel, qui *est* de filiis captivitatis Judææ, non habuit tui, ô Rex, rationem, aut interdicti quod exarasti:

יקום אחריהם והוא יהיה משנה
מהראשנים ושלשה מלכים
ישפיל :

& alius exſurget poſt eos : & ipſe differet à prioribus ; ac tres Reges humiliabit.

24. Et verba adverſus excelſum loquetur, ac ſanctos excelſorum deteret : & putabit mutare tempora, & legem, & tradentur in manu ejus uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

25. ודברים כנגד העליון ידבר
וקדושי עליונים יבלה ויחשוב
לשנות מועדים ודת וינתנו בידו
עד מועד ומועדים וחצי מועד :

26. Et ad judicium ſedebit, & dominatum ejus auferent ad profligandum & perdendum uſque in finem.

26. ולדין ישב וממשלתו יסירו
להשמיד ולהאביד עד סוף :

27. Regnum autem, dominatuſque & amplitudo regnorum ſub toto cœlo dabitur populo ſanctorum excelſorum : regnum ejus *erit* regnum æternum, & omnes poteſtates ei ſervient & obedient.

27. והמלכות והממשלה וגדלת
המלכיות תחת כל השמים
נתנה לעם קדושי עליונים מלכותו
מלכות עולם וכל הממשלות
יעבדוהו וישמעו :

28 Huc uſque finis verbi : ego Daniel, multùm cogitationes meæ terruerunt me, & ſplendores mei immutati ſunt ſuper me, & ſermonem hunc in corde meo ſervavi.

28. עד כה היה סוף הדבר
אני דניאל הרבה מחשבותי
הבהילוני וזיוי נשתנו עלי והדבר
בלבי שמרתי :

Verſio Hebraica

E Z R Æ.

CAPUT IV.

8. רחום בעל עצה ושמשי
הסופר כתבו אגרת אחת על־

8. REchum præfectus rationis ; & Simſai ſcriba ſcripſerunt

 epiſto-

אַרְבַּע אַרְבָּעָה מְלָכִים יָקוּמוּ מִ
הָאָרֶץ׃
18 וַיְקַבְּלוּ הַמַּלְכוּת קְדוֹשֵׁי
עֶלְיוֹנִים וְיִנְחֲלוּ הַמַּלְכוּת עַד
הָעוֹלָם וְעַד עוֹלַם הָעוֹלָמִים׃
19 אָז רָצִיתִי לַעֲמוֹד עַל הַחַיָּה
הָרְבִיעִית אֲשֶׁר הָיְתָה מְשַׁנָּה
מִכֻּלָּן נוֹרָאָה מְאֹד שִׁנֶּיהָ מִבַּרְזֶל
וְצִפָּרְנֶיהָ מִנְּחֹשֶׁת אוֹכֶלֶת וּמְשַׁבֶּרֶת
וְהַנִּשְׁאָר בְּרַגְלֶיהָ רוֹמֶסֶת׃
20 וְעַל עֶשֶׂר הַקְּרָנַיִם אֲשֶׁר
בְּרֹאשָׁהּ וְהָאַחֵר אֲשֶׁר עָלָה
וְנָפְלוּ מִלְּפָנָיו שָׁלֹשׁ וְהַקֶּרֶן הַזֶּה
וְעֵינַיִם לוֹ וּפֶה מְדַבֵּר גְּדוֹלוֹת
וּמַרְאֵהוּ גָּדוֹל מֵחֲבֵרָיו׃
21 רוֹאֶה הָיִיתִי וְהַקֶּרֶן הַזֶּה
עוֹשָׂה מִלְחָמָה עִם קְדוֹשִׁים
וַיָּכוֹל לָהֶם׃
22 עַד אֲשֶׁר בָּא קַדְמוֹן יָמִים
וְהַדִּין נִתַּן לִקְדוֹשֵׁי עֶלְיוֹנִים וְהָעֵת
הִגִּיעַ וְהַמַּלְכוּת יָרְשׁוּ קְדוֹשִׁים׃
23 כֵּן אָמַר הַחַיָּה הָרְבִיעִית
מַלְכוּת רְבִיעִית תִּהְיֶה בָאָרֶץ.
אֲשֶׁר תִּהְיֶה מְשֻׁנָּה מִכָּל־הַמַּלְכִיּוֹת
וְתֹאכַל כָּל־הָאָרֶץ וּתְדוּשֶׁנָּה
וּתְשַׁבְּרֶנָּה׃
24 וְהָעֶשֶׂר קְרָנַיִם מִן הַמַּלְכוּת
הַהִיא עֲשָׂרָה מְלָכִים יָקוּמוּ וְאַחֵר

ſunt quatuor; quatuor Reges conſurgent de terra,

18. Et ſuſcipiunt regnum ſanctorum altiſſimorum, & poſſidebunt regnum uſque in ſeculum, & uſque in ſeculum ſeculorum.

19. Tunc volui veritatem cognoſcere de beſtia illa quarta, quæ erat diverſa ab omnibus illis; formidoloſa valde, dentes ejus ferrei, & ungues ejus ærei, comedebat, & comminuebat, & reliquum pedibus ſuis conculcabat.

20. Et ſuper cornibus decem, quæ *erant* in capite ejus, & altero quod aſcendebat, & ceciderant à facie ejus tria. Et cornu iſtud cui ſimiliter *erant* oculi, & os loquens grandia, & aſpectus ejus *erat* major quàm ſociorum ejus.

21. Videbam cornu ejuſmodi gerere bellum cum ſanctis, & prævalere eis.

22. Uſque dum veniret antiquus dierum, & judicium daretur ſanctis excelſorum; & tempus adveniret, & regnum illud poſſiderent ſancti.

23. Sic dixit: beſtia quarta regnum quartum erit in terra, quod erit diverſum ab omnibus regnis: & devorabit univerſam terram, conteretque eam, & comminuet eam.

24. Et cornua decem ex ipſo regno, decem Reges exſurgent;

&

וְרִבּוֹא רְבָאוֹת לְפָנָיו יַעֲמֹדוּ
לַמִּשְׁפָּט יוֹשֵׁב וְהַסְּפָרִים נִפְתָּחוּ :

11 רוֹאֶה הָיִיתִי אָז בְּקוֹל
הַדְּבָרִים הַגְּדוֹלִים אֲשֶׁר הַקֶּרֶן
מְדַבֵּר רוֹאֶה הָיִיתִי עַד אֲשֶׁר
נֶהֶרְגָה הַחַיָּה וְנֶאֱבַד גּוּפָהּ וְנִתַּן
לִשְׂרֵיפַת אֵשׁ :

12 וּשְׁאָר הַחַיּוֹת הֵסִירוּ
מֶמְשַׁלְתָּם וְאוֹרֶךְ בְּחַיִּים נִתַּן לָהֶם
עַד זְמַן וָעֵת :

13 רוֹאֶה הָיִיתִי בְּמַרְאוֹת הַלַּיְלָה
וְהִנֵּה עִם עַנְנֵי הַשָּׁמַיִם כְּבֶן אֱנוֹשׁ
הָיָה בָא וְעַד קַדְמוֹן יָמִים הִגִּיעַ
וּלְפָנָיו הִקְרִיבוּהוּ :

14 וְלוֹ יִתֵּן מֶמְשָׁלָה וְכָבוֹד
וּמַלְכוּת וְכָל־הָעַמִּים הָאֻמּוֹת
וְהַלְּשׁוֹנוֹת יַעַבְדוּהוּ מֶמְשַׁלְתּוֹ
מֶמְשֶׁלֶת עוֹלָם אֲשֶׁר לֹא תָסוּר
וּמַלְכוּתוֹ אֲשֶׁר לֹא תִשָּׁחֵת :

15 הִתְכַּרְּהָ רוּחִי אֲנִי דָנִיאֵל
בְּתוֹךְ הַנָּדָן וּמַרְאוֹת רֹאשִׁי
הִבְהִילוּנִי :

16. קָרַבְתִּי אֵצֶל אֶחָד מִן
הָעוֹמְדִים וְהָאֱמֶת שָׁאַלְתִּי מִמֶּנּוּ
עַל כָּל־זֹאת וְאָמַר לִי וּפִתְרוֹן
הַדְּבָרִים הוֹדִיעָנִי :

17. אֵלֶּה הַחַיּוֹת הַגְּדוֹלוֹת שֶׁהֵן

rias myriadum coram eo ſtabant: ad judicium ſedit, & libri aperti ſunt.

11. Videbam tunc propter vocem ſermonum grandium, quos cornu loquebatur: videbam donec interfecta eſt beſtia, & perditum eſt corpus ejus, ac traditum eſt ad combuſtionem ignis.

12. Et reſiduo beſtiarum abſtulerant poteſtatem earum, & longitudo in vita data erat *ipſis uſque* ad tempus & tempus.

13. Videbam in viſionibus noctis, & ecce cum nubibus cœli tanquam filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit, & coram eo appropinquare fecerunt eum.

14. Et ei data eſt poteſtas & gloria, ac regnum, omneſque populi, nationes & linguæ ſervient ei: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non præterit, & regnum ejus quod non corrumpetur.

15. Contritus *eſt ſpiritus* meus, ego Daniel in *medio* vaginæ, & viſiones capitis mei terrebant me.

16. Appropinquavi ad unum ex adſtantibus, & veritatem quærebam ab eo ſuper omne hoc: & dixit mihi, ac interpretationem verborum notam fecit mihi.

17. Iſtæ beſtiæ magnæ, quæ

ושלש צלעות בפיה בין שניה
וכן אמרו לה קומי אכלי בשר
הרבה:

inter dentes ejus: & sic dicebant ei, surge, comede carnem multam.

6 אחר כן רואה הייתי והנה
אחרת כנמר ולה ארבע כנפי
עוף על גבה וארבעה ראשים
לחיה וממשלה נתנה לה:

6. Postea videbam, & ecce alia veluti pardus, & ei alæ quatuor avis super dorso ejus, quatuorque capita bestiæ illi, & potestas data est ei.

7 אחר כן רואה הייתי
במראות הלילה והנה חיה רביעית
נוראה ואימה וחזקה מאד ושני
ברזל לה גדולות אכלת ומשברת
והנשאר ברגליה רומסת והיא
משנה מכל החיות הראשונות
ועשר קרנים לה:

7. Postea videbam in visionibus noctis, & ecce bestia quarta formidolosa & terribilis, & fortis valde, & dentes ferrei magni *erant* ei, comedebat & comminuebat, ac residuum pedibus suis conculcabat, eratque diversa ab omnibus bestiis anterioribus, & *erant* cornua decem ei.

8 מתבונן הייתי בקרנים והנה
קרן אחר קטן עולה ביניהם
ושלשה מן הקרנים הראשונים
מפניו נעקרו והנה עינים כעיני
אדם בקרן הזה ופה מדבר
גדולות:

8. Animum advertebam ad cornua, & ecce cornu aliud parvum ascendebat inter ea, & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus, & ecce oculi tanquam oculi hominis in cornu isto, & os loquens grandia.

9 רואה הייתי עד שהכסאות
השלכו וקדמון ימים יושב
לבושו כשלג לבן ושער ראשו
כצמר נקי כסאו שביבי אש
גלגליו אש בוער:

9. Videbam donec throni abjecti sunt, & antiquus dierum sedit: vestimentum ejus sicut nix candidum, & pilus capitis ejus sicut lana pura, thronus ejus flammæ ignis, rotæ ejus *ut* ignis ardens.

10 נהר אש נמשך ויוצא
מלפניו אלף אלפים ישרתוהו

10. Fluvius ignis manabat & egrediebatur à conspectu ejus, mille millium ministrabant ei, & myrias

rias

אשר לא תשחת וממשלתו עד סוף׃

28 פודה ומציל ועושה אותות ונפלאות בשמים ובארץ אשר הציל את־דניאל מן יד האריות׃

29 ודניאל זה הצליח במלכות דריוש ובמלכות כורש הפרסי׃

corrumpetur, ac dominatus ejus usque ad finem.

28. Liberat, & eripit, facitque signa & mirabilia in cælo, & in terra; qui eruit Danielem de manu leonum.

29. Itaque Daniel iste prosperè egit in regno Darii, & in regno Cyri Persæ.

CAPUT VII.

1. בשנת הראשונה לבלשאצר מלך בבל דניאל חלום ראה ומראות ראשו על־משכבו אז החלום כתב ראשית דברים אמר׃

2. ענה דניאל ואמר רואה הייתי בחזוני בלילה והנה ארבע רוחות השמים מגיחות אל־הים הגדול׃

3. וארבע חיות גדולות עולות מן־הים שונות זאת מזאת׃

4. ראשונה כאריה וכנפי נשר לה רואה הייתי עד אשר נמרטו כנפיה ונשאה מן הארץ ועל רגלים כאנוש הוקמה ולבב אנוש נתן לה׃

5 והנה חיה אחרת שנית דומה לדוב ולצד אחד הוקמה

CAPUT VII.

1. IN anno primo Beltschatzaris Regis Babyloniæ, Daniel somnium vidit, & visiones capitis ejus *erant* super cubili ejus: tunc somnium scripsit, summam verborum dixit.

2. Respondit Daniel & dixit, videbam in visione mea per noctem; & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno.

3. Et quatuor bestiæ magnæ ascendebant è mari, diversæ illa ab istâ.

4. Prima sicut *leo*, & *alæ aquilæ erant* ei; videbam donec evulsæ sunt alæ ejus, & elevata est à terra, & super pedes tanquam homo constituta est, & cor hominis datum est ei.

5. Deinde ecce bestia alia secunda, similis urso, & ad latus unum erecta est, & tres costæ in ore ejus

הָאֱלֹהִים חַיִּים אֱלֹהֶיךָ אֲשֶׁר
אַתָּה עוֹבֵר אוֹתוֹ תָּמִיד הֲיָכוֹל
לְהַצִּילְךָ מִן־הָאֲרָיוֹת׃
22. אָז דָּנִיֵּאל עִם הַמֶּלֶךְ דִּבֵּר
הַמֶּלֶךְ לְעוֹלָמִים יִחְיֶה׃
23. אֱלֹהַי שָׁלַח מַלְאָכוֹ וְסָגַר פִּי
הָאֲרָיוֹת וְלֹא הִזִּיקוּנִי כָּל־עֻמַּת
אֲשֶׁר לְפָנָיו זְכוּת נִמְצְאָה לִי
וְאַף לְפָנֶיךָ הַמֶּלֶךְ רָעָה לֹא
עָשִׂיתִי׃
24. אָז הַמֶּלֶךְ מְאֹד הֵיטִיב עָלָיו
וּלְדָנִיֵּאל אָמַר לְהַעֲלוֹת מִן־הַבּוֹר·
וְהוֹעֲלָה דָנִיֵּאל מִן־הַבּוֹר וְכָל־נֶזֶק
לֹא נִמְצָא בוֹ כִּי הֶאֱמִין בֵּאלֹהָיו׃
25. וַיֹּאמֶר הַמֶּלֶךְ וְהֵבִיאוּ הָאֲנָשִׁים
הָאֵלֶּה אֲשֶׁר הִלְשִׁינוּ לְדָנִיֵּאל
וּלְבוֹר הָאֲרָיוֹת הִשְׁלִיכוּ הֵמָּה
בְּנֵיהֶם וּנְשֵׁיהֶם וְלֹא הִגִּיעוּ
לְתַחְתִּית הַבּוֹר עַד שֶׁשָּׁלְטוּ בָהֶם
הָאֲרָיוֹת וְכָל־עַצְמוֹתֵיהֶם הֵדַקּוּ׃
26. אָז דָּרְיָוֶשׁ הַמֶּלֶךְ כָּתַב לְכָל־
הָעַמִּים הָאֻמּוֹת וְהַלְּשׁוֹנוֹת אֲשֶׁר
יוֹשְׁבִים בְּכָל־הָאָרֶץ שְׁלוֹמְכֶם
יִרְבֶּה׃
27. מִלְּפָנַי נִגְזְרָה גְזֵרָה שֶׁבְּכָל־
מֶמְשֶׁלֶת מַלְכוּתִי יִהְיוּ חֲרֵדִים
וִירֵאִים מִלִּפְנֵי אֱלֹהֵי דָנִיֵּאל אֲשֶׁר
הוּא אֱלֹהִים חַיִּים וְקַיָּם לְעוֹלָמִים

nieli, ô Daniel serve Dei viventis, Deus tuus, quem tu colis jugiter, nunquid potuit liberare te à leonibus?

22. Tunc Daniel cum Rege locutus est: Rex in secula vive.

23. Deus meus misit angelum suum, & conclusit os leonum, ut non perderent me: quia coram eo puritas inventa est mihi; etiamque coram te Rex maleficium non feci.

24. Tunc Rex multùm lætatus est super eo, & Danielem jussit educi ex fovea illa: & ascendere factus est Daniel ex fovea illa, nullaque læsio inventa est in eo, quia crediderat in Deum suum.

25. Et dixit Rex, & adduxerunt viros illos qui accusaverant Danielem, & in foveam leonum projecerunt eos, filios eorum, & uxores eorum: & non pervenerunt ad imum foveæ, quum dominati sunt in eis leones, & omnia ossa ipsorum comminuerunt.

26. Tunc Darius Rex scripsit omnibus populis, nationibus, & linguis, qui habitabant in universa terra, pax vestra multiplicetur.

27. A facie mea proponitur decretum, ut in universo imperio regni mei tremant & timeant à conspectu Dei Danielis: quia ipse est Deus vivens & permanens in secula, & regnum ejus quod non

cor-

רשמת ושלש פעמים ביום מבקש בקשתו :

15 אז המלך כאשר שמע הדבר מאד הרע לו ועל דניאל שם לב להצילו ועד בוא השמש היה משתדל להצילו :

16. אז האנשים האלה נקבצו על המלך ואמרו למלך דע המלך כי יש דת למדי ופרס שכל אסר וחק אשר יקים המלך אין לשנות :

17. אז המלך אמר והביאו את דניאל והשליכו לבור האריות ענה המלך ואמר לדניאל אלהיך אשר אתה עובד אותו תמיד הוא יצילך :

18 והובאה אבן אחת והושמה על פי הבור ויחתמהו המלך בטבעתו ובטבעת שריו שלא ישתנה רצון בדניאל :

19 אז הלך המלך להיכלו ולן בתענית וכלי זמרה לא הביא לפניו ושנתו נדדה עליו :

20. אז המלך בשחר קם לאור ובמהירות לבור האריות הלך :

21 וכאשר קרב לבור לדניאל בקול עצב קרא ענה המלך ואמר לדניאל דניאל עבד

arasti: nam tribus temporibus de die petit petitionem suam.

15. Tunc Rex, cùm audivisset verbum hoc, multum displicuit ei, & super Daniele posuit cor ad liberandum eum: & usque ad occasum solis conabatur liberare eum.

16. Tunc viri illi convenerunt ad Regem; & dixerunt Regi, scito, ô Rex, quod jus Medis & Persis sit, ut ullum interdictum aut statutum, quod Rex statuerit, non mutetur.

17. Tunc Rex dixit; & adduxerunt Danielem, projeceruntque in foveam leonum: respondit Rex & dixit Danieli, *Deus tuus, cui tu servis jugiter, ipse eripiet te.*

18. Et allatus est lapis unus, ac positus est super os foveæ, & obsignavit eum Rex annulo suo, & annulo procerum suorum, ne mutaretur voluntas de *Daniele*.

19. Tunc *abiit Rex in palatium suum*, & pernoctavit jejunus, ac exhilarantia non jussit afferri coram se, somnusque ejus recessit ab eo.

20. Tunc Rex in diluculo surrexit cum luce; & cum festinatione ad foveam leonum ivit.

21. Et cum appropinquasset ad foveam, Danielem voce tristi vocavit: respondit Rex & dixit Danieli,

9. עתה המלך תקים האסר ותרשום הכתב אשר לא לשנות כדת מדי ופרס אשר לא תסור:

9. Nunc, ô Rex, confirma hoc interdictum, & exara scripturam; ut non mutetur, secundùm legem Medorum & Persarum quæ non intercidit.

10. כל־עמת זה המלך דריוש רשם הכתב והאסר:

10. Quamobrem Rex Darius exaravit scripturam & interdictum.

11. ודניאל כאשר ידע שנרשם הכתב בא לביתו וחלונות פתוחות לו בעליתו נגד ירושלם ושלש פעמים ביום הוא כורע על ברכיו ומתפלל ומודה לפני אלהיו ככל אשר היה עשה מלפני זה:

11. Et Daniel quum cognovisset quod exarata esset scriptura, ingressus est in domum suam, cui fenestræ apertæ *erant* in cœnaculo ejus ex adverso Jeruschelemi: & tribus temporibus de die ipse procumbens in genua sua orabat & confitebatur coram Deo suo, quemadmodum fecerat antea.

12. אז האנשים האלה נאספו ומצאו את דניאל מבקש ומתחנן לפני אלהיו:

12. Tunc viri illi convenerunt & invenerunt Danielem orantem & supplicantem coram Deo suo.

13. אז קרבו ואמרו לפני המלך על־אסר המלך הלא אסר רשמת שכל איש אשר יבקש מן כל אלוה ואנוש עד שלשים יום רק ממך המלך ישלך לבור אריות ענה המלך ואמר אמת הדבר כדת מדי ופרס אשר לא תסור:

13. Tunc appropinquarunt & dixerunt coram Rege super interdicto Regis: Nonne interdictum exarasti, quod omnis homo, qui petierit ab ullo Deo aut homine usque ad triginta dies, nisi à te ô Rex, projicietur in foveam leonum? Respondit Rex & dixit; verum *est* verbum hoc, secundum jus Medorum & Persarum quod non intercidit.

14. אז ענו ואמרו לפני המלך שדניאל אשר מן בני גלות יהודה לא עשה בכפך המלך חשיבות ולא מהאסר אשר

14. Tunc responderunt & dixerunt coram Rege, quod Daniel, qui *est* de filiis captivitatis Judææ, non habuit tui, ô Rex, rationem, aut interdicti quod exarasti:

להם חשבון והמלך לא יהיה
נזק :

4. אז דניאל זה היה מתגבר
על הארונים והאחשדרפנים
כל־עמת שרוח יתרה בו
והמלך חשב להקימו על־כל־
המלכות :

5. אז הארונים והאחשדרפנים
היו מבקשים למצוא עלילה
על דניאל בדבר המלכות וכל
עלילה ומום לא יכלו למצוא
כל־עמת אשר נאמן הוא וכל
שגגה ומום לא נמצא בו :

6. אז האנשים האלה אמרו כי
לא נמצא על דניאל זה כל
עלילה אבל נמצא עליו בתורת
אלהיו :

7. אז הארונים והאחשדרפנים
האלה נקהלו לפני המלך וכן
אמרו לו דריוש המלך לעולמים
יחיה :

8. התיעצו כל־שוטרי המלכות
הסגנים והאחשדרפנים יועצי
המלך והפחות לקיים דת המלך
ולהחזיק אסר שכל מי שיבקש
בקשה מכל אלוה ואנוש עד
שלשים יום זולת ממך המלך
ישלך לבור אריות :

ri rationem, ne Rex damno afficeretur.

4. Tunc Daniel ipse erat prævalens super Epharchos & Satrapas, eò quòd spiritus excellens *esset* in eo: & Rex cogitabat constituere eum super totum regnum.

5. Tunc Eparchi & Satrapæ quærebant ut invenirent occasionem contra Danielem ex *parte* regni: sed nullam occasionem aut vitium potuerunt invenire, proprerea quod fidus esset, & nullus error aut vitium inveniretur in eo.

6. Tunc viri isti dixerunt, *quia* non inveniemus contra Danielem hunc ullam occasionem; nisi inveniamus contra eum in lege Dei sui.

7. Tunc Eparchi & Satrapæ isti convenerunt ad Regem, & sic dixerunt ei, ô *Darjaves* Rex in secula vive.

8. Consilium inierunt omnes Eparchi regni, Præsides & Satrapæ, Optimates, & Duces de statuendo statuto regio & firmando interdicto: ut quisquis petierit petitionem ab ullo Deo aut homine usque ad dies triginta, præterquam à te, ô Rex, projiciatur in foveam leonum.

9. Nunc

24 אז מלפניו נשלחה כף היד
והכתב הזה רשם׃
25 וזה הכתב אשר רשם מנא
מנא תקל ופרסין׃
26 זה פתרון הדבר מנא ספר
אלהים מלכותך והשלימה׃
27 תקל נשקלת במאזנים
ונמצאת חסר׃
28 פרס נחלקה מלכותך ונתנה
למדי ופרס׃
29 אז אמר בלשאצר והלבישו
לדניאל ארגמן ורביד זהב על
צוארו וקראו עליו שיהיה מושל
שלישי במלכות׃
30 בלילה ההוא נהרג בלשאצר
המלך כשדי׃

24. Tunc à facie ejus missa est palma manus, & scripturam hanc exaravit.

25. Hæc autem est scriptura illa, quam exaravit: *Mene*, *Mene*, *Tekel*, *Upharsin*.

26. Hæc est interpretatio sermonis: *Mene*, numeravit Deus regnum tuum, & consummavit illud.

27. *Tekel*, appensus es in bilancibus, & inventus es deficiens.

28. *Peres*, divisum est regnum tuum, traditumque est Medis & Persis.

29. Tunc jussit Belsasar, ut induerent Danielem purpurâ, & torquem aureum (*adderent*) collo ejus: ac proclamarent de eo quod esset dominator tertius in regno.

30. In Ipsa nocte interfectus est Belsasar rex Chaldæus.

CAPUT VI.

1 ודריוש המדי קבל המלכות
כבן שנים ששים ושנים׃
2 היה טוב לפני דריוש והקים
על־המלכות אחשדרפנים מאה
ועשרים אשר יהיו בכל־המלכות׃
3 ולמעלה מהם ארונים שלשה
אשר דניאל אחד מהם אשר יהיו
האחשדרפנים האלה נותנים

CAPUT VI.

1. ET Darius Medus suscepit regnum ferme natus annos sexaginta duos.

2. Pulchrum fuit coram Dario, & constituit super regnum Satrapas centum & viginti, qui essent in toto regno.

3. Supra istos autem Eparchos tres, quorum Daniel unus *esset*: quibus essent Satrapæ illi redditu-

ri ra-

19. ומפני הגדלה אשר נתן לו
כל־העמים האמות והלשנות היו
חרדים ויראים מלפניו את־אשר
היה רפץ היה הורג ואת־אשר
היה חפץ היה מחיה ואת־אשר
היה חפץ היה מרים ואת־אשר
היה חפץ היה משפיל :

20. וכאשר רם לבבו ורוחו
חזקה להזיד הורד מכסא מלכותו
והכבוד הסירו ממנו :

21. ומן בני האדם נגרש ולבבו
עם חיה נשוה ועם ערודים
מושבו עשב בשורים האכילוהו
ומטל השמים גופו התכבס עד
אשר ידע שמושל האלוה
העליון במלכות האנשים ולמי
שירצה יקים עליה :

22. ואתה בנו בלשאצר לא
השפלתה לבבך כל־עמת אשר
כל־זה ידעת :

23. ועל אדון השמים התרוממת
ואת כלי ביתו הוציאו לפניך
ואתה ושריך נשיך ופלגשיך יין
שתו בהם ולאלהי כסף וזהב
נחשת ברזל עץ ואבן אשר לא
רואים ולא שומעים ולא יודעים
שבחת ולאלה אשר נשמתך בידו
וכל אורחותיך לו לא הדרת :

19. Et propter magnificentiam quam dedit ei, omnes populi, nationes & linguæ tremuerunt ac timuerunt à facie ejus: quem volebat, occidebat; & quem volebat, vivum conservabat; & quem volebat, extollebat; & quem volebat, deprimebat.

20. Sed quando elevatum fuit cor ejus, & spiritus ejus obduratus ad superbè agendum; depositus est de solio regni sui, & gloriam abstulerunt ab eo.

21. Et ex filiis hominum expulsus est, & cor ejus cum bestia adæquatum, & cum onagris habitatio ejus: herbâ ut boves cibarunt eum, & è rore cœlorum corpus ejus tinctum fuit, donec cognovit, quod dominaretur Deus altissimus in regno hominum, & eum quem voluerit, constituet super illud.

22. Et tu fili ejus Belsasar non humiliasti cor tuum, quamvis totum hoc scires.

23. Et contra Dominum cœlorum extulisti te, & vasa domûs ejus attulerunt coram te; tu autem, & principes tui, uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum biberunt ex eis, & Deos argenteos, & aureos, æreos ferreos, ligneos & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque intelligunt, laudasti: & Deum, in cujus manu est anima tua, & cujus sunt omnes viæ tuæ, non glorificasti.

המלך שם שמו בלטשאצר עתה
דניאל יקרא והפתרון יגיד ׃
13 אז דניאל הובא לפני
המלך ענה המלך ואמר לדניאל
אתה הוא דניאל אשר מן בני
גלות יהודה אשר הביא המלך
אבי מן יהודה ׃
14 ושמעתי עליך היות רוח
אלהים בך ואור והשכל וחכמה
יתרה נמצא בך ׃
15 ועתה הובאו לפני החכמים
האשפים למען יקראו המכתב
הזה ופתרונו יודיעני ולא יכלו
פתרון הדבר להגיד ׃
16 ואני שמעתי עליך אשר
תוכל פתרונים לפתור וקשרים
להתיר עתה אם תוכל המכתב
לקרוא ופתרונו להודיעני ארגמן
תלבש ורביד זהב על צואריך
ושלישי במלכות תמשול ׃
17 אז ענה דניאל ואמר לפני
המלך מתנותיך לך תהיינה
ודורונותיך לאחר תן אך
הכתב אקרא למלך והפתרון
אודיענו ׃
18 אתה המלך האלוה העליון
מלכות וגדלה וכבוד והדר נתן
לנבכדנצר אביך ׃

le, cui rex imposuerat nomen Beltesasar: nunc Daniel vocetur, & interpretationem indicabit.

13. Tunc Daniel adductus est coram rege: locutus est rex & dixit Danieli: Tune es ille Daniel, qui de filiis captivitatis Jehudah, quem adduxit rex pater meus ex Judæa.

14. Et audivi de te, quod spiritus Deorum in te: & illustratio, & intelligentia, & sapientia excellens inventa est in te.

15. Et nunc adducti sunt coram me sapientes, astrologi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem ejus indicarent mihi; sed non potuerunt interpretationem sermonis indicare.

16. Et ego audivi de te, quod possis interpretationes interpretari, & nodos solvere: nunc si poteris scripturam istam legere, & interpretationem ejus indicare mihi, purpurâ vestieris, & torques aureus erit in collo tuo, & tertius in hoc regno dominaberis.

17. Tunc respondit Daniel, & dixit coram rege; Munera tua tibi sint, & dona tua alteri da: veruntamen scripturam istam legam regi, & interpretationem indicabo ei.

18. Tu rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiam, & gloriam, & decorem dedit Nebuchadnesaro patri tuo.

19. Et

המלך ואמר לחכמי בבל שכל
איש אשר יקרא הכתב הזה
ופתרונו יודיעני ארגמן ילבש
ורביד זהב על צוארו ושלישי
במלכות ימשול ו

8. אז באו כל־חכמי המלך
ולא יכלו הכתב לקרוא ופתרונו
להודיע למלך :

9 אז המלך בלשאצר מאד
נבהל וזיו נשתנו עליו ושריו
היו נבוכים :

10. המלכה בעבור דברי
המלך ושריו לבית המשתה
באה ענתה המלכה ואמרה
המלך לעולמים יחיה אל
תבהלנה אותך מחשבותיך וזיויך
אל ישתנו :

11. יש אדם במלכותך אשר
רוח אלהים קדושים בו ובימי
אביך אור והשכל וחכמה
כחכמת אלהים נמצא בו
והמלך נבוכדנצר אביך שר
חרטמים אשפים כשדים גוזרים
השימו אביך המלך :

12 כל־עמת שרוח יתרה
ומדע והשכל פותר חלומות
והגדת חידות ומתיר קשרים
נמצא בו בדניאל, אשר

& haruſpices: locutus eſt rex, & dixit ſapientibus Babyloniæ: quod omnis homo, qui legerit ſcripturam hanc, & interpretationem ejus indicaverit mihi, purpurâ veſtietur, & torques aureus *erit* in collo ejus, & tertius in regno imperabit.

8. Tunc ingreſſi ſunt omnes ſapientes regis: & non potuerunt ſcripturam legere, & interpretationem ejus indicare regi.

9. Tunc rex Belſaſar *vehementer* conturbatus fuit, & *ſplendores* ejus mutati in eo, ac principes ejus perplexi.

10. Regina propter verba regis & principum ejus in domum convivii ingreſſa eſt: locuta eſt *regina*, & dixit: rex in *ſecula vive*: ne terreant te cogitationes tuæ, & color tuus ne ſe commutet.

11. Eſt vir in regno tuo, cui ſpiritus Deorum ſanctorum ineſt, & in diebus patris tui illuminatio, & intelligentia, & *ſapientia* ſecundùm *ſapientiam Deorum* inventa eſt in eo; & *rex Nebuchadnezar* pater tuus principem magorum, aſtrologorum, Chaldæorum, haruſpicum conſtituit eum pater tuus rex.

12. Quandoquidem ergo ſpiritus excellens, & ſcientia, & intelligentia, interpretans ſomnia, & indicatio ænigmatum, & ſolvens implexa inventa ſit in eo, in Daniele,

CAPUT V.

1. בלשאצר המלך עשה משתה
גדול לשריו אלף ונגד האלף יין
היה שותה :

2 בלשאצר אמר בטעם היין
להביא את־כלי הזהב והכסף
שהוציא נבוכדנצר אביו מן
ההיכל שבירושלם וישתו בהם
המלך ושריו נשיו ופלגשו :

3 אז הביאו כלי הזהב
שהוציאו מן היכל בית האלהים
אשר בירושלם וישתו בהם המלך
ושריו נשיו ופלגשיו :

4 שתו יין ושבחו לאלהי זהב
ובכסף נחשת ברזל עץ ואבן :

5. בעת ההיא יצאו אצבעות
יד איש וכתבו נגד המנורה
על־שיד כתל היכל המלך
והמלך ראה כף יד אשר
כותבת :

6 אז המלך זיוו נשתנו
ומחשבותיו הבהילוהו וקשרי
מתניו היו נפתחים וברכיו זו
לזו מקישים:

7 קרא המלך בכח להביא
האשפים הכשדים והגוזרים ענה

CAPUT V.

1. Belsasar rex fecit convivium grande principibus suis mille: & coram mille istis vinum bibit.

2. Belsasar dixit in sapore vini ut afferrent vasa aurea & argentea, quæ eduxerat Nebuchadnesar pater (*avus*) ejus ex templo, quod *erat* in Jerusalem; ut biberent ex eis rex, & principes ejus, uxores ejus, & concubinæ ejus.

3. Tunc attulerunt vasa aurea, quæ eduxerant ex templo domûs Dei, quod *erat* in Jerusalem: & biberunt ex eis rex, & principes ejus, uxores ejus, & concubinæ ejus.

4. Biberunt vinum, & laudaverunt Deos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneos & lapideos.

5. In ipsa hora egressi sunt digiti manûs hominis, & scribebant è regione candelabri, super calcem parietis palatii regis; & rex aspiciebat palmam manûs quæ scribebat.

6. Tunc regis splendidus color mutatus fuit, & cogitationes ejus conturbarunt eum: & cingula lumborum ejus fuerunt soluta, & genua ejus invicem se colliserunt.

7. Clamavit rex fortiter ut introducerent astrologos, Chaldæos, & ha-

גופו נרחץ עד ששערו כנשרים גדל וצפרניו כצפורים :

31. ולסוף הימים אני נבוכדנצר
עיני לשמים נשאתי שכלי
שב עלי ולעליון ברכתי ולחי
העולם שבחתי והדרתי אשר
ממשלתו ממשלת עולם ומלכותו
עם דור ודור :

32. וכל יושבי הארץ כאין
נחשבים וכרצונו עושה בצבא
השמים ויושבי הארץ ולא יש
אשר ימחה בידו ויאמר לו מה
עשית :

33. בעת ההיא שכלי שב
עלי ולכבוד מלכותי הדרי וזיוי
חזר עלי ואותי יועצי ושרי היו
מבקשים ועל מלכותי הוכנתי
וגדלה יתרה נתוספה לי :

34. עתה אני נבוכדנצר משבח
ומרומם ומהדר למלך השמים
אשר כל מעשיו אמת ודרכיו
דין ואשר הולכים בגאוה יכול
להשפיל :

batur: donec capillus ejus sicut aquilarum crevit, & ungues ejus sicut avium.

31. Et in fine dierum ego Nebuchadnesar oculos meos ad cælos levavi, & cognitio mea reversa est super me, & Altissimo benedixi, viventemque seculi laudavi, & glorificavi, quia dominatus ejus *est* dominatus æternus; & regnum ejus cum generatione & generatione.

32. Et omnes habitatores terræ tanquam nihili reputati, ac juxta voluntatem suam faciens in exercitu cælorum, & habitatoribus terræ: & non est qui percutiat in manum ejus, & dicat ei, quid fecisti?

33. In ipso tempore cognitio mea reversa est super me, & ad gloriam regni mei decor meus & splendor meus rediit super me; tum me consiliarii mei, & principes mei quæsiverunt: & in regno meo confirmatus sum, & magnificentia major *addita est mihi.*

34. Nunc ego Nebuchadnesar laudo, extolloque, & glorifico regem cælorum, quia omnia opera ejus veritas, & semitæ ejus judicium: & qui ambulant in superbia potest humiliare.

מאחר שתדע שמשלים
השמים:
24 לכן המלך עצתי תיטב
לך וחטאתיך בצדקה פרק
ועונותיך ברחם עניים אולי
תהיה אריכות לשלותך:
25 הכל בא על נבוכדנצר
המלך:
26 לקץ ירחים שנים עשר
על היכל מלכות בבל הולך
היה:
27 ענה המלך ואמר הלא
זאת היא בבל הגדולה אשר
אני בניתיה לבית מלכות בתוקף
כחי ולכבוד הדרי:
28 עוד הדבר בפי המלך
קול מן השמים נפל לך אומרים
נבוכדנצר המלך המלכות סרה
ממך:
29 ומן האנשים יגרשוך ועם
חית השדה יהיה מושבך
עשב כשורים יאכילוך ושבעה
עתים יעברו עליך עד אשר תדע
ששליט העליון במלכות האנשים
ולאשר יחפוץ יתננה:
30 בעת ההיא הדבר כלה
על נבוכדנצר ומן האנשים גורש
ועשב כשורים אכל ומטל השמים

stabile erit: ex quo cognoveris quod dominentur cæli.

24. Quamobrem rex, consilium meum pulchrum sit super te, & peccata tua justitiâ abrumpe, & iniquitates tuas in miserando afflictorum: fortasse erit prolongatio paci tuæ.

25. Omne venit super Nebuchadnesar regem.

26. In fine mensium duodecim, super palatio regni Babyloniæ deambulans fuit.

27. Respondit rex, & ait: Nonne hæc ipsa Babylonia magna, quam ego ædificavi eam in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriam decoris mei?

28. Adhuc sermo in ore regis, vox è cælis delapsa est. Tibi dicunt Nebuchadnesar rex, regnum transivit à te.

29. Et ab hominibus trudent te, & cum bestia agri erit habitatio tua, herbam sicut bobus tibi gustandam dabunt, & septem tempora mutabuntur super te, donec agnoscas quod dominator sit Altissimus in regno hominis, & ei cui voluerit dabit illud.

30. In ea hora sermo finitus est super Nebuchadnesar, & ab hominibus depulsus est, herbamque ut boves comedebat, & de rore cælorum corpus ejus tingebatur:

וּמָזוֹן לַכֹּל בּוֹ תַּחְתָּיו תִּשְׁכּוֹן
חַיַּת הַשָּׂדֶה וּבַעֲנָפָיו יִשְׁכְּנוּ
צִפֳּרֵי הַשָּׁמָיִם׃

fructus ejus multus, & esca omnibus in ea: subter eam habitat bestia agri, & in ramis ejus habitant volucres cœlorum.

19. אַתָּה הוּא הַמֶּלֶךְ אֲשֶׁר
גָּדַלְתָּ וְעָצַמְתָּ וּגְדֻלָּתְךָ גָּדְלָה
וְהִגִּיעָה לַשָּׁמַיִם וּמֶמְשַׁלְתְּךָ לְסוֹף
הָאָרֶץ׃

19. Tu ipse rex, qui crevisti, & roboratus es: & magnitudo tua crevit, ac pervenit ad cœlum, & potestas tua ad finem terræ.

20. וַאֲשֶׁר רָאָה הַמֶּלֶךְ מַלְאָךְ
וְקָדוֹשׁ יוֹרֵד מִן הַשָּׁמַיִם וְאוֹמֵר
כִּרְתוּ הָעֵץ וְהַשְׁחִיתוּהוּ אַךְ עִקַּר
שָׁרָשָׁיו בָּאָרֶץ הַנִּיחוּ וּבְאֵסוּר
בַּרְזֶל וּנְחֹשֶׁת בְּעֵשֶׂב הַשָּׂדֶה
וּבְטַל הַשָּׁמַיִם יִרָוֶה וְעִם חַיַּת
הַשָּׂדֶה חֶלְקוֹ עַד אֲשֶׁר שִׁבְעָה
עִתִּים יַעַבְרוּ עָלָיו׃

20. Et quod vidit rex vigilem, & sanctum descendentem è cœlis, & dicentem: succidite arborem, & corrumpite eam; attamen stirpem radicum ejus in terra relinquite, & cum vinculo ferreo & æneo in tenera herba agri: & in rore cœli intingatur, & cum bestia agri pars ejus, donec septem tempora mutentur super eum.

21. זֶה הַפִּתְרוֹן הַמֶּלֶךְ וּגְזֵרַת
הָעֶלְיוֹן הִיא אֲשֶׁר הִגִּיעָה עַל
אֲדֹנִי הַמֶּלֶךְ׃

21. Hæc *est* interpretatio ô rex; & decretum Altissimi hoc, quod pervenit super dominum meum regem.

22. וְאֹתְךָ יְגָרְשׁוּ מִן הָאֲנָשִׁים
וְעִם חַיַּת הַשָּׂדֶה יִהְיֶה מוֹשָׁבְךָ
וְעֵשֶׂב כַּשְּׁוָרִים יַאֲכִילוּךָ וּמִטַּל
הַשָּׁמַיִם יְטַבְּלוּךָ וְשִׁבְעָה עִתִּים
יַעַבְרוּ עָלֶיךָ עַד אֲשֶׁר תֵּדַע
שֶׁשַּׁלִּיט הָעֶלְיוֹן בְּמַלְכוּת הָאֲנָשִׁים
וְלַאֲשֶׁר יִרְצֶה יִתְּנֶנָּה׃

22. Et te ejicient ab hominibus, ac cum bestia agri futura est habitatio tua, *herbamque sicut bobus tibi gustandam dabunt*, & ex rore cælorum te intingent, ac septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominator *sit* Altissimus in regno hominis, & ei cui voluerit, dabit illud.

23. וַאֲשֶׁר אָמְרוּ לַעֲזוֹב עִקַּר
שָׁרָשֵׁי הָעֵץ מַלְכוּתְךָ לְךָ עוֹמֶדֶת

23. Et quod dicebant relinquendam esse stirpem radicum illius arboris, regnum tuum tibi

 stabile

יְכֻבַּס וְעִם הַחַיָּה חֶלְקוֹ בְּעֵשֶׂב הָאָרֶץ׃

13. לִבּוֹ מִן אָדָם יְשַׁנּוּ וּלְבַב חַיָּה יִנָּתֵן לוֹ וְשֶׁבַע עִתּוֹת תַּעֲבוֹרְנָה עָלָיו׃

14. בִּגְזֵרַת מַלְאָכִים הַדָּבָר וּבְמַאֲמַר קְדוֹשִׁים הַשְּׁאֵלָה לְמַעַן שֶׁיֵּדְעוּ הַחַיִּים שֶׁשַּׁלִּיט הָעֶלְיוֹן בְּמַלְכוּת הָאֲנָשִׁים וְלַאֲשֶׁר יִרְצֶה יִתְּנֶנָּה וּשְׁפַל אֲנָשִׁים יָקִים עָלֶיהָ׃

15. זֶה הַחֲלוֹם רָאִיתִי אֲנִי הַמֶּלֶךְ נְבוּכַדְנֶצַּר וְאַתָּה בֵּלְטְשַׁאצַּר הַפִּתְרוֹן אֱמוֹר יַעַן כִּי כָּל־חַכְמֵי מַלְכוּתִי אֵינָם יְכוֹלִים הַפִּתְרוֹן לְהוֹדִיעֵנִי וְאַתָּה יָכוֹל כִּי רוּחַ אֱלֹהִים קְדוֹשִׁים בָּךְ׃

16. אָז דָּנִיֵּאל אֲשֶׁר שְׁמוֹ בֵּלְטְשַׁאצַּר הִשְׁתּוֹמֵם שָׁעָה אַחַת וּמַחְשְׁבוֹתָיו הִבְהִילֻהוּ עָנָה הַמֶּלֶךְ וְאָמַר בֵּלְטְשַׁאצַּר הַחֲלוֹם וּפִתְרוֹנוֹ אַל יְבַהֲלוּךָ עָנָה בֵלְטְשַׁאצַּר וְאָמַר אֲדֹנִי הַחֲלוֹם לְשֹׂנְאֶיךָ וּפִתְרוֹנוֹ לְאֹיְבֶיךָ׃

17. הָעֵץ אֲשֶׁר רָאִיתָ שֶׁגָּדַל וְנִתְחַזֵּק וְרוּמוֹ הִגִּיעַ לַשָּׁמַיִם וּמַרְאֵהוּ לְכָל הָאָרֶץ׃

18. וְעָלֵהוּ יָפֶה וּפִרְיוֹ רַב

agri: & in rore cœli tingatur, & cum bestia pars ejus in herba terræ.

13. Cor ejus ab homine mutent, & cor bestiæ detur ei: atque septem tempora mutentur super eum.

14. In decreto vigilum verbum, & sermone sanctorum petitio: usque ad verbum quo cognoscant viventes, quod dominetur Altissimus in regno hominis, & cui quod voluerit dabit illud, & abjectissimum hominum constituet super illud.

15. Hoc somnium vidi ego rex Nebuchadnesar: & tu Belthesasar interpretationem ejus dic; propterea quod omnes sapientes regni mei non possunt interpretationem notificare mihi. Et tu potes, quia spiritus Deorum sanctorum *est* in te.

16. Tunc Daniel, cujus nomen *est* Belthesasar, obstupefactus est horam unam, & cogitationes ejus terrebant eum. Respondens rex, & dicens: Belthesasar somnium & interpretatio ejus non terreat te. Respondit Belthesasar & dixit: Domine mi, somnium inimicis tuis, & interpretatio ejus hostibus tuis.

17. Arbor, quam vidisti, quæ creverat & invaluerat: & altitudo ejus pertingebat ad cœlum, & aspectus ejus in omnem terram.

18. Et frons ejus pulchra, & fructus

קדושים בו והחלום לפניו
אמרתי :

6 בלטשאצר גדול החרטמים
אשר אני יודע כי רוח אלהים
קדושים בך וכל סוד לא נכחד
ממך מראות חלומי אשר
ראיתי ופתרונו אמור :

7 וחזיונות ראשי על משכבי
הייתי רואה והנה עץ בתוך
הארץ וגבהו גדול :

8 גדל העץ ונתחזק ורומו
הגיע עד השמים ומראהו לסוף
כל הארץ :

9 עלהו יפה ופריו הרבה
ומזון לכל בו תחתיו תצלל
חית השדה ובענפיו ישכנו
צפורי השמים וממנו היה מזון
לכל בשר :

10 רואה הייתי במראות ראשי
על משכבי והנה מלאך וקדוש
יורד מן השמים :

11 קרא בכח וכן אמר
כרתו העץ וקצצו ענפיו הסירו
עלהו ופזרו פריו תנוד החיה
מתחתיו והצפורים מן ענפיו :

21 אך עקר שרשיו בארץ
עזבו ובאסור ברזל ונחשת
בדשא השדה ובטל השמים

deorum sanctorum, & somnium coram ipso dixi.

6. Belthesasar magister magorum; quia ego novi quod spiritus Deorum sanctorum *sit* in te, & ullum secretum non premat te: visiones somnii mei, quod vidi, & interpretationem ejus dic.

7. Et visiones capitis mei super cubili meo: videns fui, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus multa.

8. Magna erat arbor, & fortis: & altitudo ejus pertingebat ad cœlum, & aspectus ejus ad finem universæ terræ.

9. Ramus ejus pulcher; & fructus ejus multus, & esca universis in ea: sub se umbram faciebat bestia agri, & in ramis ejus habitabant volucres cœli, & ex eâ vescebatur omnis caro.

10. Videns fui in visionibus capitis mei super strato meo: & ecce vigil, & sanctus de cœlo descendens.

11. Clamans in virtute, & sic dicens: succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite frondem ejus, & dispergite fructum ejus: vagetur bestia de sub ea, & volucres à ramis ejus.

12. Veruntamen stirpem radicum ejus in terra sinite, & in vinculo ferri & æris in gramine agri:

היושבים בכל־הארץ שלומכם
ירבה ׃

32 האותות והנפלאות אשר
עשה עמי האלה העליון
טוב לפני להגיד ׃

33 אותותיו כמה הם
גדולים ונפלאותיו כמה הם
חזקים מלכותו מלכות עולם
וממשלתו עם דור ודור ׃

CAPUT IV.

1. אני נבוכדנצר שלו
הייתי בביתי ורענן בהיכלי ׃

2. חלום ראיתי והפחידני
ומחשבות על משכבי ומראות
ראשי יבהלוני ׃

3. וממני הושם צוי להביא
לפני את־כל־חכמי בבל אשר
פתרון החלום יודיעוני ׃

4. אז באו החרטמים האשפים
הכשדים והגזרים והחלום
אמרתי לפניהם ופתרונו לא
הודיעוני ׃

5. ועד שבאחרונה בא לפני
דניאל אשר שמו בלטשאצר
כשם אלהי ואשר רוח אלהים

habitant in totâ terra, pax vobis multiplicetur.

32. Signa & mirabilia quæ fecit mecum Deus excelsus, decorum est coram me indicare.

33. Signa ejus quàm magna *sunt*, & mirabilia ejus quàm fortia. Regnum ejus *est* regnum æternum, & potestas ejus cum generatione & generatione.

CAPUT IV.

1. EGo Nebuchadnesar quietus eram in domo mea & vivens in palatio meo.

2. Somnium vidi, & terruit me; & cogitationes super cubili meo, & visiones capitis mei conturbabant me.

3. Et à me propositum est decretum, ut adducerentur coram me omnes sapientes Babyloniæ: qui interpretationem somnii notam facerent mihi.

4. Tunc accesserunt magi, astrologi, chaldæi & haruspices; quumque somnium dixissem ego coram eis, interpretationem ejus notam non faciebant mihi.

5. Et usque ad novissimum intravit coram me Daniel, cujus nomen est Belthesasar, secundùm nomen Dei mei, in quo *est* spiritus deo-

אז יצאו שדרך מישך ועבר נגו
מתוך האש :

Sadrach, Mesach & Habednego de medio ignis.

27 ויאספו האחשדרפנים
הסגנים והפחות ומנחתי המלך
היו רואים את־ האנשים
האלה אשר לא שלטה האש
בגופם ושער ראשיהם לא נחרך
ומעיליהם לא נשתנו וריח אש
לא עבר בהם :

27. Et congregati Satrapæ, antistites, ducesque & gubernatores regis; viderunt viros istos, quia non dominatus fuerat ignis in corporibus eorum, & crinis capitis eorum non adustus erat, neque chlamydes eorum mutatæ erant, & odor ignis non transierat in eos.

28 ענה נבוכדנצר ואמר
ברוך אלהי שדרך מישך ועבר
נגו אשר שלח מלאכו והציל
את־עבדיו אשר בטחו בו ודבר
המלך שנו ומסרו גופם
לבלתי עבוד והשתחוות לכל־אלה
בלתי לאלהיהם :

28. Respondit Nebuchadnesar, & dixit: benedictus Deus horum, Sadrachi, Mesachi & Habednegonis, qui misit angelum suum, & eruit servos suos, qui speraverunt super eo: & verbum regis mutaverunt, & tradiderunt corpora sua, ut non servirent, nec genu flecterent omni Deo nisi Deo suo.

29 וממני הושמה דת
כי כל־עם לאום ולשון אשר
יאמר שגגה על אלהי שדרך
מישך ועבדנגוא לנתחים ינתח
וביתו יעשה אשפות יען כי
לא יש אלוה אחר אשר יוכל
להציל כזרת :

29. Et à me positum *est* decretum ut omnis populus, natio, & lingua, quæ dixerit errorem super Deum horum, *Sadrachi*, *Mesachi*, & Habednegonis *in membra efficia*tur, & domus ejus sterquilinium ponatur: propterea quod non est Deus alius, qui possit eruere sicut hic.

30 אז המלך הצליח לשדרך
מישך ועבד נגו במדינת בבל :

30. Tunc rex prosperare fecit Sadrachum, Mesachum & Habednegonem in provincia Babel.

31 נבוכדנצר המלך לכל־
העמים האמים והלשונות

31. Nebuchadnesar rex omnibus populis, nationibus & linguis quæ ha-

וכובעיהם ולבושיהם והשלכו
לתוך כבשן האש בוערת :
22. כל־עמת זאת על אשר
מצות המלך היתה נמהרה
והכבשן מבוער מאד
האנשים האלה אשר
העלו את־שדרך מישך ועבד
נגו הרג אותם שביב
אש :
23. והאנשים האלה שלשתם
שדרך מישך ועבד נגו נפלו
לתוך כבשן האש בוערה
אסורים:
24. אז נבוכדנצר המלך
תמה וקם במהירות ענה ואמר
למנהיגיו הלא אנשים שלשה
השלכנו בתוך האש אסורים
ענו ואמרו למלך אמת
המלך :
25. ענה ואמר הנה אני
רואה אנשים ארבעה מותרים
הולכים בתוך האש ונזק לא
יש בהם ותואר הרביעי דומה
לבן־אלהים :
26. אז קרב נבוכדנצר אל
שער תנור האש יוקדת ענה
ואמר שדרך מישך ועבד נגו
עבדי האלה העליון צאו ובואו

Et projecti sunt in medium fornacis ignis ardentis.

22. Propterea eo quod verbum regis accelerabat, & fornax accensa erat valde: viros illos qui ascendere fecerant Sadrach, Mesach & Habednego, occidit eos scintilla ignis.

23. Et viri isti tres illi Sadrach, Mesach & Habednego ceciderunt in medium fornacis ignis ardentis ligati.

24. Tunc Nebuchadnesar rex obstupuit, & surrexit cum festinatione: respondit, & dixit gubernatoribus suis: Nonne viros tres projecimus in medium ignis ligatos? Responderunt, & dixerunt regi; verum *est* rex.

25. Respondit, & dixit ecce ego video viros quatuor solutos ambulantes in medio ignis, & corruptio non est in eis: forma autem quarti *est* similis filio Dei.

26. Tunc accessit Nebuchadnesar ad ostium fornacis ignis ardentis, respondit & dixit, Sadrach, Mesach & Habednego, servi Dei excelsi, egredimini & venite; tunc egressi sunt Sa-

תַּשְׁלְכוּ לְתוֹךְ כִּבְשַׁן הָאֵשׁ
בּוֹעֶרֶת וּמִי הוּא הָאֱלֹהַּ אֲשֶׁר
יַצִּילְכֶם מִיָּדִי׃

um fornacis ignis ardentis. Et quis est Deus, qui eruat vos è manibus meis?

16 עָנוּ שַׁדְרַךְ מֵישַׁךְ וַעֲבֵד
נְגוֹ וְאָמְרוּ לַמֶּלֶךְ נְבוּכַדְנֶצַּר אֵין
אָנוּ חוֹשְׁשִׁים עַל הַדָּבָר הַזֶּה
לַהֲשִׁיבְךָ׃

16. Responderunt Sadrach, Mesach & Habednego, & dixerunt regi: Nebuchadnesar, non sumus solliciti nos super hoc verbo tibi respondere.

17. הִנֵּה יֵשׁ אֱלֹהֵינוּ אֲשֶׁר
אֲנַחְנוּ עוֹבְדִים יָכוֹל לְהַצִּילֵנוּ
מִן כִּבְשַׁן הָאֵשׁ בּוֹעֶרֶת וּמִן
יָדְךָ הַמֶּלֶךְ יַצִּיל׃

17. Ecce est Deus noster, quem colimus, potens ad liberandum nos de fornace ignis ardentis, & de manu tua rex eruet.

18 וְאִם לֹא יָדוּעַ יִהְיֶה לְךָ
הַמֶּלֶךְ כִּי לֵאלֹהֶיךָ לֹא נַעֲבוֹד
וּלְצֶלֶם הַזָּהָב אֲשֶׁר הֲקִימוֹתָ
לֹא נִשְׁתַּחֲוֶה׃

18. Et si non, notum sit tibi rex, quod Deos tuos non sumus colentes, & imaginem auream, quam erexisti, *non adorabimus*.

19. אָז נְבוּכַדְנֶצַּר הִתְמַלֵּא
חֵמָה וְצֶלֶם פָּנָיו נִשְׁתַּנָּה
עַל שַׁדְרַךְ מֵישַׁךְ וַעֲבֵד נְגוֹ עָנָה
וְצִוָּה לְהַצִּית אֶת־הַכִּבְשָׁן עַל
אַחַת שֶׁבַע מִמָּה שֶׁרָאוּי
לְהַצִּיתוֹ׃

19. Tunc Nebuchadnesar est repletus furore, & imago vultus ejus immutata est super Sadrach, Mesach, & Habednego: respondit & edixit ut accenderent fornacem septuplo magis quod decens erat accendere eam.

20. וְלַאֲנָשִׁים גִּבּוֹרֵי כֹחַ
אֲשֶׁר בְּחֵילוֹ צִוָּה לֶאֱסוֹר שַׁדְרַךְ
מֵישַׁךְ וַעֲבֵד־נְגוֹ לְהַשְׁלִיךְ לְכִבְשַׁן
הָאֵשׁ יוֹקֶדֶת׃

20. Et viris fortibus robore, qui in exercitu suo, dixit ad ligandum Sadrach, Mesach & Habednego: ad projiciendum in fornacem ignis ardentis.

21. אָז הָאֲנָשִׁים הָאֵלֶּה
אֻסְּרוּ בִּמְעִילֵיהֶם מִכְנְסֵיהֶם

21. Tunc viri isti ligati sunt in chlamydibus suis, femoralibus suis, & cucullis suis, & vestibus suis. Et

הקרן החליל כנור שבב נבל
שרה ושרות וכלמיני זמרה יפול
וישתחוה לצלם הזהב :
11. ומי אשר לא יפול
וישתחוה ישלך לתוך כבשן
האש בוערת :
12 יש אנשים יהודים אשר
הפקדת אותם על מלאכת
מדינת בבל שדרך מישך
ועבד־נגו האנשים האלה לא
שמו עליך המלך טעם את־
אלהך לא עובדים ולצלם הזהב
אשר הקימות אינם משתחוים:
13. אז נבוכדנצר באף וחמה
צוה להביא את־שדרך מישך
ועבד־נגו אז האנשים
האלה הובאו לפני המלך :
14. ענה נבוכדנצר ואמר
להם אם אמת הוא שדרך מישך
ועבד־נגו לאלהי אין אתם
עובדים ולצלם הזהב אשר
הקימותי אינכם משתחוים :
15. עתה אם ישכם עתידים
אשר בעת שתשמעו קול הקרן
החליל כנור שבב נבל שרה
ושרות וכלמיני זמרה תפלו
ותשתחוו לצלם אשר עשיתי
ואם לא תשתחוו בית ההיא

vocem cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalteriorum, & symphoniæ, & omnium specierum cantus: cadat & incurvet se imagini aureæ.

11. Et quisquis con cadet, & incurvabit se: projicietur in medium fornacis ignis ardentis.

12. Sunt viri Judæi, quos constituisti eos super opus provinciæ Babel, Sadrach, Mesach, & Habed-nego: viri isti non posuerunt super te rex decretum; deos tuos non colunt, & imagini aureæ, quam erexisti, non incurvant se.

13. Tunc Nebuchadnesar in furore & ira dixit ad adducendum Sadrach, Mesach, & Habed-nego. Tunc viri isti adducti sunt coram rege:

14. Respondit Nebuchadnesar, & dixit eis: Verumne est Sadrach, Mesach, & Habednego, deos meos non colitis, & imaginem auream, quam erexi, non adoratis?

15. Nunc si estis vos parati, ut, in tempore quo audiveritis vocem cornu, fistulæ, citharæ, sambucæ, psalteriorum, & symphoniæ, & omnium specierum cantus, cadatis, & genuflectatis imagini, quam feci, *bene est*; sin autem non genuflexeritis, eâdem horâ projiciemini in medium

אשר הקים נבוכדנצר המלך׃
ועמדו לפני הצלם אשר הקים
נבוכדנצר׃

4. והכרוז קורא בכח לכם
אומרים העמים האמים
והלשונות׃

5. בעת אשר תשמעו קול
הקרן חליל כנור שבכא נבל
שירה ושירות וכל־מיני זמרה
תפלו ותשתחוו לצלם הזהב
אשר הקים נבוכדנצר המלך׃

6. ומי אשר לא יפול וישתחוה
בעת ההיא ישלך לתוך כבשן
אש בוערת׃

7. כל־עמת זו בעת ההיא
ששמעו כל־העמים קול הקרן
חליל כנור שבכא נבל וכל־מיני
זמרה היו נופלים כל־העמים
האמים והלשונות משתחוים
לצלם הזהב שהקים נבוכדנצר
המלך׃

8. כל־עמת זו בעת ההיא
קרבו אנשים כשדים והלשינו
את־היהודים׃

9. ענו ואמרו לנבוכדנצר
המלך המלך לעולמים יחיה׃

10. אתה המלך שמת חוק
כי כל־איש אשר ישמע קול

imaginis quam erexerat Nebuchadnesar rex: & stabant coram imagine quam erexerat Nebuchadnesar.

4. Et praeco proclamavit cum robore: Vobis dicunt populis, nationibus, & linguis.

5. In tempore quo audieritis vocem cornu, fistulae, citharae, sambucae, psalteriorum, symphoniae, & omnium specierum cantus: cadetis, & genuflectetis imagini aureae quam erexit Nebuchadnesar rex.

6. Et quisquis non ceciderit, & genuflexerit, eâdem horâ projicietur in medium fornacis ignis ardentis.

7. Propterea eodem tempore quum audirent omnes populi vocem cornu, fistulae, citharae, sambucae, psalteriorum, & omnium specierum cantus; procidentes omnes populi, nationes & linguae incurvarunt se imagini aureae, quam erexerat Nebuchadnesar rex.

8. Propterea eodem tempore accesserunt viri Chaldaei, & proclamaverunt accusationes Judaeorum.

9. Responderunt & dixerunt Nebuchadnesari regi: Rex in secula vive (vivat.)

10. Tu rex posuisti decretum, quod omnis homo, qui audiverit ve-

ומגלה סודות אשר יכולת
לגלות הסוד הזה :

48. אז המלך גדל את־דניאל
ומתנות גדולות לרוב נתן לו
והשליטו על כל־מדינת בבל
ורב סגנים על כל־חכמי בבל :

49. ודניאל בקש מהמלך
והפקיד על עבודת מדינת בבל
את־שדרך מישך ועבד נגו
ודניאל בשער המלך :

arcana: quia potuisti revelare secretum hoc.

48. Tunc rex Danielem magnificavit, & munera magna multa dedit ei, dominatoremque constituit eum super omni provincia Babyloniæ, & principem magistratuum super omnes sapientes Babyloniæ.

49. Et Daniel postulavit à Rege, & constituit super negotium provinciæ Babyloniæ Sadrach, Meschach, & Habed-nego; Daniel verò *praeerat* portæ regis.

CAPUT III.

1. נבוכדנצר המלך עשה
צלם זהב קומתו ששים אמות
רחבו שש אמות והקימו בבקעת
דורא במדינת בבל :

2. ונבוכדנצר המלך שלח
לאסוף את האחשדרפנים
הסגנים והפחות אדירי הגוזרים
גזברים יועצי־המלך השוטרים
וכל־שליטי המדינות לבוא
לחנכת הצלם אשר הקים
נבוכדנצר המלך :

3. אז נאספו האחשדרפנים
הסגנים והפחות אדירי הגוזרים
גזברים יועצי המלך השוטרים וכל
שליטי המדינות לחנכת הצלם

CAPUT III.

1. NEbuchadnesar rex fecit imaginem auream, altitudo ejus cubitorum sexaginta, latitudo ejus cubitorum sex: erexit eam in convalle Dura in provincia Babyloniæ.

2. Et Nebuchadnesar rex misit ad congregandum satrapas, antistites, & duces, senatores, præfectos thesauris, legisperitos, exactores, & omnes præfectos provinciarum; ad veniendum ad dedicationem imaginis, quam erexerat Nebuchadnesar rex.

3. Tunc congregati satrapæ, antistites, & duces, senatores, præfecti thesauris, legisperiti, exactores, omnesque dominatores provinciarum ad dedicationem imagi-

הַמַּלְכוּת יִהְיֶה תַּקִּיף וּמִמֶּנּוּ
יִהְיֶה שָׁבוּר׃

43 וַאֲשֶׁר רָאִיתָ הַבַּרְזֶל
מְעוֹרָב בְּחֶרֶשׂ הַטִּיט מִתְעָרְבִים
יִהְיוּ בְּזֶרַע אֲנָשִׁים וְלֹא יִדְבְּקוּ
זֶה עִם זֶה כְּמוֹ שֶׁהַבַּרְזֶל אֵינוֹ
מִתְעָרֵב עִם הַחֶרֶשׂ׃

44 וּבִימֵי הַמְּלָכִים הָהֵם
יָקִים אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם מַלְכוּת אֲשֶׁר
לְעוֹלָמִים לֹא תִשָּׁחֵת וּמַלְכוּתָהּ
לְעַם אַחֵר לֹא תֵעָזֵב תָּדֵק
וּתְכַלֶּה כָּל אֵלֶּה הַמַּלְכֻיּוֹת
וְהִיא תָקוּם לְעוֹלָמִים׃

45 כָּל־עֻמַּת שֶׁרָאִיתָ כִּי מִן
הָהָר נִגְזְרָה אֶבֶן אֲשֶׁר לֹא
בְיָדַיִם וְהֵדַקָּה הַבַּרְזֶל הַנְּחֹשֶׁת
הַחֶרֶשׂ הַכֶּסֶף וְהַזָּהָב הָאֱלֹהַּ
הַגָּדוֹל הוֹדִיעַ לַמֶּלֶךְ אֶת־אֲשֶׁר
יִהְיֶה אַחֲרֵי זֶה וֶאֱמֶת הַחֲלוֹם
וְנֶאֱמָן פִּתְרוֹנוֹ׃

46 אָז הַמֶּלֶךְ נְבוּכַדְנֶצַּר נָפַל
עַל פָּנָיו וּלְדָנִיֵּאל הִשְׁתַּחֲוָה
וּמִנְחָה וְנִיחוֹחִים אָמַר לְנַסֵּךְ
לוֹ׃

47 עָנָה הַמֶּלֶךְ לְדָנִיֵּאל
וְאָמַר בֶּאֱמֶת כִּי אֱלֹהֵיכֶם הוּא
אֱלֹהֵי הָאֱלֹהִים וַאֲדוֹן הַמְּלָכִים

quia ex parte regnum erit, forte, & ex parte erit fragile.

43. Et quod vidiſti ferrum mixtum in teſta luti, commiſcebuntur *quidem* in ſemine hominis, ſed non cohærebunt hoc cum illo: ecce ſicut ferrum non miſcetur cum teſta.

44. In diebus autem illis *&* regnum ipſorum ſuſcitabit Deus cœlorum regnum, quod in ſecula non corrumpetur, & regnum ejus populo alieno non relinquetur: comminuet, & conſumet omnia iſta regna, ipſum autem ſtabit in ſecula.

45. Quandoquidem vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis, qui non *eſt* in *ullis* manibus, & comminuit ferrum, æs, teſtam, argentum & aurum, Deus magnus notificavit regi id quod futurum eſt poſt hæc: ac verum *quidem eſt* ſomnium, & fidelis interpretatio ejus.

46. Tunc rex Nebuchadneſar cecidit ſuper facies ſuas & Danieli ſe incurvavit: & munus ac gratos odores dixit libari ei.

47. Reſpondit rex Danieli & dixit: ex veritate *eſt*, quod Deus veſter eſt Deus deorum, & dominus regum, ac revelans

את־הצלם היתה להר גדול
ומלאה כל־הארץ :

36 זה החלום ופתרונו נאמר
לפני המלך :

37 אתה המלך מלך המלכים
אשר אלהי השמים מלכות חוסן
ותוקף וכבוד נתן לך :

38 ובכל אשר שוכנים בני
האדם חית השדה ועוף השמים
נתן בידך והשליטך על כלם
אתה הוא ראש הזהב :

39 ואחריך תקום מלכות
אחרת שפלה ממך ומלכות
שלישית אחרת מנחשת אשר
תשלוט בכל־הארץ :

40 ומלכות רביעית תהי
תקיפה כברזל כאשר הברזל
מחדק וחולש הכל וכברזל
אשר מרצץ כל־אלה תדק
ותרצץ :

41 ואשר ראית הרגלים
והאצבעות מהן חרש היוצר
ומהן ברזל מלכות חלוקה
תהיה ויהי מחוזק הברזל בה
כל־עמת שראית הברזל מערב
בחרש הטיט :

42 ואצבעות הרגלים מהן
ברזל ומהן חרש חלק

cusserat imaginem effectus est in montem magnum, & implevit totam terram.

36. Hoc *est* somnium, & interpretationem ejus dicemus coram rege.

37. Tu rex, rex regum: quia Deus cœlorum regnum, potentiam, fortitudinemque, & gloriam dedit tibi.

38. Et quibuscunque *locis* habitant filii hominum, bestiæ agri & aves cœlorum, dedit in manum tuam, & dominatorem constituit te in omnibus illis: tu es caput illud aureum.

39. Et post te exsurget regnum aliud inferius præ te: & regnum tertium aliud æneum; quod dominabitur in tota terra.

40. Et regnum quartum erit durum sicut ferrum; quandoquidem ferrum comminuit & debilitat omnia: & sicut ferrum quod confringit omnia ista, comminuet & confringet.

41. Et quod vidisti pedes, & digitos, partim ex luto figuli, & partim ex ferro, regnum divisum erit, & de firmitate ferri erit in eo; quandoquidem vidisti ferrum mixtum cum testa luti.

42. Et digiti pedum, partim *sunt* ex ferro, & partim ex luto: quia

29 אתה המלך מחשבותיך על משכבך עלו מה שיהיה אחרי זה והמגלה סודות הודיעך מה שיהיה׃

29. Tu ô Rex, cogitationes tuæ super cubili tuo ascenderunt, quid futurum sit post hac: & revelans arcana scire fecit te id quod futurum est.

30. ואני לא בחכמה שיש בי מכל־החיים הסוד הזה נגלה לי רק על דבר שהפתרון למלך יודיעו ומחשבות לבבך תדע׃

30. Et ego, non per sapientiam quæ est in me præ omnibus viventibus arcanum hoc revelatum est mihi; sed propter causam, ut interpretationem regi notificarent, & cogitationes cordis tui cognosceres.

31. אתה המלך רואה היית והנה צלם אחד גדול הצלם הזה רב וזיוו גדול עמד לפניך ומראו נורא׃

31. Tu rex videns fuisti, & ecce imago una magna, imago hæc ampla, & splendore excellente stabat ex adverso tui; & forma ejus terribilis *erat*.

32 הצלם ההוא ראשו מזהב טוב חזה שלו וזרועותיו מכסף מעיו וירכתיו מנחשת׃

32. Istius imaginis *caput erat* ex auro bono, pectus ejus & brachia ex argento, venter ejus & femora ejus ex ære.

33. שוקיו כברזל רגליו מהם מברזל ומהם מחרש׃

33. Crura ejus ex ferro, pedes ejus partim ex ferro & partim ex luto.

34. רואה היית עד אשר נגזרה אבן שלא בידים והכתה את־הצלם על רגליו אשר מברזל וחרש והדקה אותם׃

34. Videns eras usque dum excisus est lapis, qui *non est in* [illegible] manibus, & percussit imaginem ad pedes ipsius ferreos & luteos; & comminuit eos.

35. אז הודקו יחד ברזל החרש הנחשת הכסף והזהב והיו כמוץ מגרנות הקיץ ותשא אותם הרוח וכל־מקום לא נמצא אותם והאבן אשר הכתה

35. Tunc comminuta sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, ac fuerunt sicut gluma ex areis æstatis, & abstulit ea ventus, & nullus locus inventus est eis: lapis autem qui percusse-

נתתה לי ועתה הודעתני את־
אשר בקשנו ממך כי דבר
המלך הודעתנו׃

24 כל־עמת זה דניאל בא
אל אריוך אשר הפקיד המלך
להרוג את־חכמי בבל הלך
וכן אמר לו את־חכמי בבל אל
תאבד הביאני לפני המלך
והפתרון למלך אגיד׃

25 אז אריוך בבהלה הביא
את־דניאל לפני המלך וכן אמר
לו אשר מצאתי איש מן בני
גלות יהודה אשר הפתרון
למלך יודיע׃

26 ענה המלך ואמר לדניאל
אשר שמו בלטשאצר הישך יכול
להודיעני החלום אשר ראיתי
ופתרונו׃

27 ענה דניאל לפני המלך
ואמר הסוד אשר המלך שאל
לא חכמים אשפים חרטמים
גזרים יכלו להגיד למלך׃

28 אמנם יש אלה בשמים
מגלה סודות והודיע למלך
נבוכדנצר מה שיהיה באחרית
הימים חלומך ומראות ראשך
על משכבך זה הוא׃

tentiam dedisti mihi: & nunc notum fecisti mihi quod quærebamus à te, quum verbum regis notum fecisti nobis.

24. Propter hoc Daniel ingressus est ad Arjochum, quem constituerat rex ad perdendum sapientes Babyloniæ. Abiit, & sic dixit ei: sapientes Babyloniæ ne perdas, introduc me coram rege & interpretationem regis indicabo.

25. Tùm Arjoch in festinatione introduxit Danielem coram rege: & ita dixit ei; quòd inveni virum ex filiis captivitatis Judææ, qui interpretationem regi notificabit.

26. Respondit rex, & dixit Danieli, cujus nomen *erat* Beltheśasar: Nunquid es tu potens ad notificandum mihi somnium, quod vidi, & interpretationem ejus?

27. Respondit Daniel coram rege, & dixit: arcanum quod rex petit non sapientes, astrologi, magi, haruspices possunt indicare regi.

28. Sed est Deus in cœlis revelans arcana, & notificavit regi Nebucadnezari id quod futurum est in novissimo dierum: somnium tuum, & visiones capitis tui super cubili tuo, illud est.

29. Tu

מִלִּפְנֵי הַמֶּלֶךְ אָז הַדָּבָר הוֹדִיעַ אַרְיוֹךְ לְדָנִיֵּאל ׃

16 וְדָנִיֵּאל נִכְנַס וּבִקֵּשׁ מִן הַמֶּלֶךְ אֲשֶׁר זְמַן יִתֵּן לוֹ לְהַגִּיד הַפִּתְרוֹן לַמֶּלֶךְ ׃

17 אָז דָּנִיֵּאל לְבֵיתוֹ הָלַךְ וְלַחֲנַנְיָה מִישָׁאֵל וַעֲזַרְיָה חֲבֵרָיו הַדָּבָר הוֹדִיעַ ׃

18 וְרַחֲמִים לְבַקֵּשׁ מִלִּפְנֵי אֱלֹהֵי הַשָּׁמַיִם עַל סוֹד זֶה לְמַעַן לֹא יְאַבְּדוּ אֶת־דָּנִיֵּאל וַחֲבֵרָיו עִם שְׁאָר חַכְמֵי בָבֶל ׃

19 אָז לְדָנִיֵּאל בְּמַרְאֵה הַלַּיְלָה הַסּוֹד נִגְלָה אָז דָּנִיֵּאל בֵּרַךְ לֵאלֹהֵי הַשָּׁמָיִם ׃

20 עָנָה דָּנִיֵּאל וְאָמַר יְהִי שֵׁם הָאֱלֹהִים מְבוֹרָךְ מִן הָעוֹלָם וְעַד הָעוֹלָם אֲשֶׁר הַחָכְמָה וְהַגְּבוּרָה שֶׁלּוֹ הִיא ׃

21 וְהוּא מְשַׁנֶּה עִתִּים וּזְמַנִּים מֵסִיר מְלָכִים וּמֵקִים מְלָכִים נוֹתֵן חָכְמָה לַחֲכָמִים וְדַעַת לְיוֹדְעֵי בִינָה ׃

22 הוּא מְגַלֶּה עֲמֻקּוֹת וְנִסְתָּרוֹת יוֹדֵעַ מַה בַּחֹשֶׁךְ וְהָאוֹר עִמּוֹ שׁוֹכֵן ׃

23 לְךָ אֱלֹהֵי אֲבוֹתַי מוֹדֶה וּמְשַׁבֵּחַ אֲנִי אֲשֶׁר חָכְמָה וּגְבוּרָה

tunc verbum hoc notum fecit Arjoch Danieli.

16. Et Daniel ingressus est, & petiit à rege, ut tempus daret sibi, ad indicandum interpretationem regi.

17. Tum Daniel in domum suam abiit, & Chananjæ, Mischaëli, & Hazarjæ sociis suis verbum notum fecit.

18. Ut misericordias peterent à facie Dei cœlorum super arcano isto, ut non perderent Danielem & socios ejus cum reliquis sapientibus Babyloniæ.

19. Tum Danieli in visione noctis arcanum revelatum est: tunc Daniel benedixit Deo Cœlorum.

20. Respondit Daniel, & dixit: sit nomen ipsius Dei benedictum à seculo & usque in seculum: nam sapientia & potentia ejus est.

21. Et ipse mutat tempora & tempestates, *removet reges* & constituit reges: *dat sapientiam sapientibus*, & scientiam scientibus intelligentiam.

22. Ipse revelat profunda & abscondita: novit quid in tenebris *est*, & lux cum eo habitat.

23. Tibi, ô Deus patrum meorum, gratias ago, & laudo ego *te*, quia sapientiam & potentiam

9. כי אם החלום לא
תודיעוני אחת היא דתכם
ודבר נכזב ונשחת השבתם
לאמור לפני עד אשר ישתנה
העת לכן החלום אמרו לי
ואדע שפתרונו תגידוני:

10. ענו הכשדים לפני המלך
ואמרו לא יש אנוש על היבשה
אשר דבר המלך יוכל להגיד
יען אשר כל־מלך רב ושליט
דבר כזה לא שאל לכל־חרטום
ואשף וכשדי:

11 והדבר אשר המלך שואל
יקר ואחר לא יש אשר יגידנו
לפני המלך רק האלהים אשר
מושבם עם בשר איננו:

12. כנגד זה המלך זעף
וקצף הרבה ואמר להאביד
את־חכמי בבל:

13 והדת יצאה והחכמים
היו נהרגים ובקשו את־דניאל
ואת־חבריו להרוג:

14 אז דניאל השיב עצה
וטעם לאריוך שר טבחי המלך
אשר יצא להרוג את־חכמי בבל:

15 ענה ואמר לאריוך שליט
המלך למה חדת נמהרה

9. Quod si somnium non feceritis me scire, una ipsa lex vestra, & verbum mendax ac corruptum præparastis vos ad dicendum coram me, usque dum tempus mutetur: propterea somnium dicite mihi, & sciam quod interpretationem ejus indicabitis mihi.

10. Responderunt Chaldæi coram rege, & dixerunt, non est homo super aridam qui verbum regis possit indicare: propterea nullus rex, princeps, aut dominator verbum hujusmodi petiit ab ullo mago, astrologo & Chaldæo.

11. Et verbum quod rex petit pretiosum est, & alius non est qui indicabit illud coram rege, nisi dii, quorum habitatio cum carne non est ipsa.

12. Propter hoc rex sæviit & iratus est multum: & dixit ut perderent omnes sapientes Babyloniæ.

13. Et lex egressa est, & sapientes interficiebantur: & quæsiverunt Danielem & socios ejus ut interficerentur.

14. Tum Daniel redire fecit consilium & statutum ad Arjoch præfectum satellitum regis, qui exierat ad interficiendum sapientes Babyloniæ.

15. Respondit, & dixit Arjocho præfecto regis, propter quid lex ista accelerat à coram rege,

tunc

תרגום עברי׳ של דניאל.

Tranſlatio Hebraica DANIELIS

CAPUT II.

4 הַמֶּלֶךְ לְעוֹלָמִים יְחִיֶה אֱמוֹר
הַחֲלוֹם לַעֲבָדֶיךָ וְהַפִּתְרוֹן
נַגִּיד׃

5 עָנָה הַמֶּלֶךְ וְאָמַר לַכַּשְׂדִּים
הַדָּבָר מִמֶּנִּי הָלַךְ אִם לֹא
תוֹדִיעֻנִי הַחֲלוֹם וּפִתְרוֹנוֹ לִנְתָחִים
תֵּעָשׂוּ וּבָתֵּיכֶם אַשְׁפּוֹת יוּשָׂמוּ׃

6. וְאִם הַחֲלוֹם וּפִתְרוֹנוֹ
תַּגִּידוּ מַתָּנוֹת וּמִנְחָה וִיקָר רַב
תְּקַבְּלוּ מִלְּפָנַי לָכֵן חַחֲלוֹם
וּפִתְרוֹנוֹ תוֹדִיעֻנִי׃

7. עָנוּ שֵׁנִית וְאָמְרוּ הַמֶּלֶךְ
הַחֲלוֹם יֹאמַר לַעֲבָדָיו וְהַפִּתְרוֹן
נַגִּיד׃

8. עָנָה חַמֶּלֶךְ וְאָמַר בֶּאֱמֶת
יוֹדֵעַ אֲנִי שֶׁהָעֵת הַזֹּאת אַתֶּם
נִמְכָּרִים יַעַן אֲשֶׁר רְאִיתֶם שֶׁהָלַךְ
מִמֶּנִּי חַדָּבָר׃

VERSIO LATINA DANIELIS

CAPUT II.

4.—REx in ſecula vive, (*vivat*) dic ſomnium ſervis tuis, & interpretationem indicabimus.

5. Reſpondit Rex & dixit Chaldæis: verbum à me abiit: ſi non notum feceritis mihi ſomnium & interpretationem ejus, *fruſta efficiemini*, & domus veſtræ *in* ſterquilinium ponentur.

6. Sin autem ſomnium & interpretationem ejus indicaveritis, dona, & honorarium, & honorem magnum recipietis à coram me: propterea *ſomnium & interpretationem ejus indicate mihi.*

7. Reſponderunt ſecundò & dixerunt; Rex ſomnium dicat ſervis ſuis, & interpretationem indicabimus.

8, Reſpondit Rex & dixit, revera agnoſco ego, quod tempus vos redimatis; quandoquidem videtis quod effluxerit à me verbum.

tur. Ut Eruditorum judicio hanc Versionem Hebraicam subjicerem, placuit decem disputationibus publicè eam in Academia defendere, quarum primam defendi die quarto Martii anno 1665. & ultimam demum die 24 Junii anno 1684. Textus Chaldaicus authenticus in disputationibus ubique juxta hanc versionem Hebraicam erat additus, etiam in duobus prioribus Capitibus Danielis, quæ olim unà cum Tractatu פרקי אבות *in lucem emisi: sed jam, studens brevitati, solam versionem Hebraicam expressi addita è regione versione Latina. Si quis hanc Versionem Hebraicam cum Textu Chaldaico conferre velit, inspiciat ipsa Biblia Hebraica, ubi illum Textum, cui hæc versio Hebraica respondet, inveniet. Olim hi sequentes D.D. Studiosi hanc versionem publicè defenderunt:*

I. Johannes Verwey, *Ultraject. Rector Scholæ Goudanæ, bis defendit: scil.*
II. 4. & 8. *Martii* 1665.
III. Lambertus à Flodrop, *Eyndov. Brab. Verbi Divini Minister.* 14. *Decemb.*
IV. Samuel Hatting, *Amstelod. Juris Utr. Doctor. ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις.* 11. *Dec.* 1667.
V. Petrus Schipbergen, *Ultraject. jam fungens officio militari.* 25. *Nov.* 1668.
VI. Adamus *ab* Halen, *Roterodamo-Bat. Verbi Divini Minister in de Oude Tonge.* 26. *Octob.* 1670.
VII. Petrus *vander* Burgh, *Vesaliensis, Verbi Divini Min. in de Nieuwe Tonge.* 5. *Maii.* 1680.
VIII. Cornelius *ab* Aken, *Ultrajectinus*, 17. *Octob.* 1683.
IX. Nicolaus *de* Goyer, *Ultrajectinus*, 16. *Maii*, 1684.
X. Matthias à Woensel, *Ultrajectinus*, 24. *Junii*, 1684.

Hæc sunt, de quibus Te, B. L. informare volui. Vale, & laboribus meis fave.

Dabam in Musæo meo ipsis Kal. Septemb. 1684.

JOHANNES LEUSDEN
Lectori benevolo
S.



Abes hic, benevole Lector, versionem Hebraicam omnium Textuum Chaldaicorum, qui in Daniele, Esra & in Jeremia inveniuntur. Vetus Testamentum, conscriptum in gratiam Judæorum, exaratum est à Prophetis Linguâ Hebraicâ, exceptis versiculis Chaldaicis ducentis & sexaginta octo, *quorum in Daniele extant* ducenti, *scil. à versu quarto Capitis secundi usque ad Caput octavum exclusivè; in Ezra verò sexaginta septem, scil. in Capite quarto* 17. *in quinto totidem, in sexto* 18, *& in septimo* 15; *& denique in Jeremiæ Capite decimo extat unicus versiculus undecimus Chaldaicè. Hi versiculi nunquam, quod scio, in linguam Hebraicam sunt translati; ideoque, volens Philohebræis inservire, judicavi me non absonum esse facturum, si omnia Capita Chaldaica, Biblico dicendi genere, quantum emphasis vocum Chaldaicarum permittit, in linguam Hebraicam, verbotenus fere translata, in lucem emitterem. Jam totum Vetus T. Hebraicè legi à quovis potest; etiam à Judæis, qui alias raro legere solent Danielem; tum propter illa Capita Chaldaica, utpote intellectu difficiliora; tum etiam quia tempus adventus Messiæ ibi clarè describitur.*

תרגום עברי של דניאל ועזרא

SIVE

TRANSLATIO HEBRAICA

Omnium Textuum Chaldaicorum,

QUI IN

Daniele, Ezra & in Jeremia inveniuntur,

AUCTORE

JOHANNE LEUSDEN,



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JORDANUM LUCHTMANS, Bibliopolam.
ANNO CIↃ IↃ C LXXXV.




VE RI
TAS